

PAVLI DE PALACIO GRANATENSIS, S. TH. D. ET IN INCLYTA Lusitanorum Conimbricensi Academia, S. Scripturæ Professoris,

ENARRATIONES *in Sacrosanctum Iesu Christi Euangelium secundum Matthæum.*

Omnia Ecclesiæ iudicio submissa sunto.



ANTVERPIÆ,
In ædibus Viduæ & hæredum Ioannis Stelsij. M. D. LXXII.

CVM GRATIA ET PRIVILEGIO.



SVMMA PRIVILEGII.

Regia maieſtas permittit viduæ & hęredum Ioannis Stelſij, vt *Enarrationes Pauli de Palacio Granatenſis*, Sacræ Theologiæ Doctoris, & in inclita Luſitanorum Conimbricenſi Academia, S. Sacrę Scripturę Profeſſoris, impunè imprimerent, & per omnes regiones ſuas diſtraherent, veluti latiùs patet in literis eiſdem ab eadem Maieſtate, 10. Maij. Anni 1571. conceſſis & ſubſignatis.

I. De la Torre.

SERENISSIMO PRINCIPI, ET CARDINALI AVGVSTISSIMO, HENRICO, Maximi Regis Emmanuelis filio, &c.

PAVLVS DE PALACIO, S. D.



ONSECRAVERAM olim celsitudini tuæ, Pontifex & Princeps Augustißime, primum ingenij mei specimen, id est, Scholia, quæ mihi in Caietani Summam edere, & in lucem proferre mandasti. Opus quidem illud exiguum: sed profectò nec ingratum, nec inutile. En nunc iterum prodeo, longius multò difficiliusq́; opus, Commentaria scilicet in D. Matthæum, C. tuæ consecraturus. In quibus, omnia ferè, quæ summis ingenijs, exquisitaq́; doctrina Theologi in D. Matthæum scripserunt collegi. Quibus ea, quæ mihi multùm, diuq́; cogitanti, noua occurrerunt, adieci: atque ita opus composui, non spernendæ, vt spero, vtilitatis. Id verò, C. tuæ multis nominibus erat dedicandum. Primùm, quòd omnia mea, imò & me ipsum, me tibi debere, nemo est, qui poßit ignorare, si me cognouerit. Deinde, cui debetur Euangelij enarratio, nisi illi cui est in vniuerso hoc regno Euangelij cura commissa? id est: Cui fidei explicatio debetur, nisi summo Fidei Censori? Imò verò cui potiùs erant nuncupandi Commentarij in Euangelium,

 quàm

quàm C. tuæ, in quo adeò Euangelica vita resplẽdet? Docet Matthæus Christianas virtutes: at quis est inter nostri æui Pontifices, qui eas tam præclarè & opere præstet, & exemplo commonstret? Vt videri Deus possit, tibi vni, omnia Principis, simul & Pontificis insignia & ornamenta impertiri voluisse, De quibus inuitus taceo: malo enim, inter eos qui modò viuunt, tuarum maximarum, clarissimarumque virtutum parcissimus laudator, quàm inter posteros blandus assentator videri. Suscipiat ergo, C. tua, opus hoc nostrum, ea animi serenitate & benignitate, qua quæ pia sunt, suscipere solet, & me ex Clientibus tuis minimum, vt solet, fouere ne desinat.

Conimbricæ Nonis Iunij, M. D. LXIIII.

ARGV-

ARGVMENTVM AD LECTOREM, IN QVO OPERIS RATIO MONSTRATVR.





DVM Salmanticæ Philisophiam profiterer, erat mihi semper in ore Plato, Aristoles, Galenus, cæteriq; Philosophi. Ea enim ratione discipulorum & frequentiam, & gratiam demereri me posse credebam. Tetigit interim animum religio quædam. Quid? Semper Aristotelẽ velut crambem repetã? nũquámne me ad studia priora reuocabo? Placuit hæc cogitanti, omnẽ studiorũ meorum alacritatem D. Matthæo consecrare. Excutio diuites illas Salmanticẽses Bibliothecas. Congrego plusquam viginti Authores: vnde sanam intelligẽtiam, & puram D. Matthæi lucem haurirem. Incipio legere, & quæ videbantur selectiora, chartis commendare. Procedit Opus, primùm quidẽ rude, & impolitũ. Placuit posteà meliore ordine cœptum opus absoluere. Vt scilicet quoduis Euangelij caput, in certas partes distribuerẽ, & sigillatim: Primùm, quæ Sancti præclarius scripsissent: demum quæ ego magno labore inuenissem, afferrem. Placuit verò Authorum dicta in vnum Tomum: nostra in alterum congerere. Damus nũc nostra, daturi posteà quæ Sancti scripserunt. Habet Lector institutũ nostrum. Quàm verò labor hic vtilis sit futurus, fidus testis tempus erit. Sed si diuinare licet, multæ sunt rationes, quæ benè sperare iubeant: paucæ, quæ animum despondere cogant. Primùm enim (vt cæteras taceam) de his sermo fit, qui concionãdo populum docent: quis tam cęcus est, qui non videat, à quantis laboribus labor iste noster eos liberet? In singulis enim concionibus: multi sunt illis euoluendi libri: vt vnam aut alteram rem insignẽ inueniant, quibus veluti gemmis cõcionem illustrent. At in hoc Opere, omnia parata reperient, omnia sunt ad manum,

diues mensa exposita est. Deuorauimus nos hoc legendi tædium, nec dubito, quin lectissima quæque ex his quæ ab alijs scripta sunt, in hos Commētarios ego transfuderim. Est igitur liber hic plurium librorum loco: si non omnibus studiosis, certè pauperibus iter facturis, & occupatis: quibus aut nō vacat, aut non licet plures libros, vel habere, vel legere. Iam verò, quę nos ex diutissima & intētissima meditatione aliorum scriptorū dictis adiecimus, non minimo cōmodo concionatoribus futura speramus. Tot enim viri & doctissimi & grauissimi hæc nostra viderunt, examinarūt, & probarūt: vt vix credam nō omnibus placitura, quæ illorum tam grauibus iudicijs tantopere placuerunt. Imò verò (liceat enim audacter vera loqui) tot viri, & sanctitate, & eruditione clarissimi, quotidiano velut conuitio, huius à me libri editionē efflagitauerunt, aut extorserunt potius: vt stultus videri non possim, si opus hoc, multis commodo & voluptati futurum sperem. Præsertim cùm summum à me studium adhibitum sit: vt nostra hęc, omnino consentirent cū sanctissima nostra Religione, quā sancta Ecclesia Romana & seruat, & docet. Plus enim quàm duodecim viri acerrimo iudicio, & singulari eruditione præstātes, opus nostrū lustrarunt, perlustrarūt: iterum atque iterum accuratè legerunt: & Christo gratia, vno eodemque consensu illud approbarunt. Sicubi verò lapsus sum, (quæ humana inscitia est) errati veniam supplex precor. Et me, ac mea Romanæ Ecclesiæ, & doctis iudicijs libentissimè submitto. Deum igitur Opt. Max. precor, vt sicut Opus hoc maximo labore, incredibili diligentia, summa animi intentione absolutum est: ita & Christi gloriæ seruiat, & magnam Lectoribus vtilitatem afferat, Amen.

Concessa est facultas, ab Inquisitore & Ordinario, vt hoc Opus excuderetur.

INDEX



INDEX RERVM ET NOMINVM INSIGNIORVM HVIVS OPERIS.

A

Christus

Chri-

Deo

D

Lilia

Mundus

FINIS INDICIS.





PAVLI DE PALACIO, IN EVANGELIVM IESV CHRISTI, SECUNDÙM MATTHÆUM,

Procemium.

ACRI huius libri titulus est, Euangelium secundùm Matthęum, vt Græci codices habent. Porrò Grammatici docent, Euangelium significare lætum nuncium: licet asserant, significare etiam ea munera, quæ fœlicia nuncia afferenti dari solebant: & ea sacrificia, quæ pro lætis nuncijs dijs suis, antiquitas offerebat. Hoc loco planum est Euangelium accipi, pro nuncio læto, sicut & Apostoli hoc verbo semper vsi sunt. Reliquum igitur est videre quódnam hoc nuncium sit adeò fœlix & faustum: vt per antonomasiam Euangelium dici meruerit. At quia res & grauissima, & huius libri radix solidissima est, idcirco mihi explicanda altius erit.

Creatus est homo in bonis omnibus quæ & illum à Deo recipere, & Deum illi donare decebat. Creatus est itaque in gratia, & ideo deiformis, vnúsque cum Deo spiritus. Id enim arbitror esse, quod in Genesi dicitur: Ad imaginem & similitudinem suam creauit eos: quasi diceret: Deos quosdam similes sibi fecit. Creatus igitur Adam, & reliqui in eo homines, amici Dei, filij Dei, hęredes Dei, mundi domini, dij quidam: nihil igitur erat illis aduersum, nihil eos affligere aut turbare poterat. Reges enim erant, quibus omnia

1. Cor. 6. *Gen. 1.* *Ita Cirillus.* *Psalm. 8.*

ferè ſubdebantur ad libitum. Nihil illis neceſſari
Eccleſ. 11. ſapientiæ deerat (ignorantia ſiquidem illa pecca
Geneſ. 1. pœna eſt: iuxta Sapientis dictum: Error & tenebr
peccatoribus ſunt concreatæ.) Nihil illis bonitati
deerat, vt decebat eos, qui domini erant reru
valde bonarum. Nihil habebant in corpore aut de
bile, aut deforme: vt quos Deus ſuis feciſſet mani
bus, & quos ſi ipſa natura feciſſet tales feciſſet: era
enim tunc recens, ac ideo valentiſsima. Ad imagi
nem ergo ſuam creauit eos, quia Deos quoſdam i
terra produxit.

Sed hanc tantam fœlicitatem, has tantas diuitia
ſolum peccatũ potuit abſorbere, & exhaurire. Deu
igitur ille terræ, in tanto honore cùm eſſet, non in
Pſalm. 48. tellexit, factus iumentum eſt. Decidit ergo rex ille
mundi Dominus, Deus terræ: decidit in eam quan
ſolus Deus recẽſere poteſt calamitatem & miſeriam
Amicus, inimicus factus eſt: rex cœli & terræ, ſeruu
factus eſt peccati & dæmonis: ſapientiſsimus ille
iumentum inſipiens factus eſt: hæres futurus cœli
hæres fit inferni, vbi eas exoluat pœnas, quas in cœ
lo erat habiturus delicias. Et planè ſicut diabolu
pulſus è cœlo fuerat in infernum: ita & homo expel
litur è paradiſo, in terram quam habitamus, quæ
poſt peccatum infernus quidam eſt: aut certè ſepul
chrum eſt hominum, qui ex paradiſo, vt mortu
eiecti ſunt. Eijciuntur mortui è domo in ſepulturas
ita eiecti ſunt homines, è paradiſo in hunc mundum
Vt iam quæri nobis non liceat, cur tot in hoc ſeculo
nos mala premant? ſanè premunt, quia in ſepulchro,
imò in quodam inferno ſumus.

Neque fuêre contenti homines ſemel peccaſſe, a
in tot mala decidiſſe, addũt peccata, peccare pergunt,
Geneſ. 6. corrupit omnis caro viam ſuam, omnes ſicut oue
Pſalm. 13. errauerunt, corrupti ſunt, abominabiles facti ſunt,
non erat qui faceret bonum, non erat vſq; ad vnum.
Rom. 11. Demum concluſa erant omnia ſub peccato. Creſce
bat homini indies in intellectu tanta ignorantia, v
inſipiens

insipiens diceret: Non est Deus: & ex sapientibus plurimi pro dijs colerent volucres, serpentes, quadrupedes. Crescebat in voluntate viciorum phalanx: sensus enim & voluntas hominis ad malum prona erant ab adolescentia. Sed quod erat omnium malorum radix, crescebat cupiditas, quam Theologi fomitem: Paulus hominem veterem, hominem peccati, carnem, Adam terrenum nominat. Hoc iugo domabat diabolus homines. Hoc erat sceptrum exactoris de quo meminit Isaias.

Psalm. 13. *Rom. 1.* *Genes. 8.* *1. Tim. 6.* *Rom. 6.* *Isaiæ 9.*

Quo verò crescebat in homine culpa, crescebat in Deo indignatio & ira: adeò vt diceret, tactus dolore cordis intrinsecus: Pœnitet me fecisse hominem: & ita sæuiebat Dominus, vt Deus vltionũ diceretur, & frequẽter in hæc verba prorumperet: Num super his tacebo, super his nõ visitabo, super his non indignabor, aut super gente huiuscemodi non vlciscetur anima mea? Ecce furor meus & indignatio mea cõflatur super locum istum, super viros & super iumenta, &c.

Genes. 6. *Psalm. 93.* *Iere. 5. 9.*

Iam vbi Deus erat irritatior, hoc & Angeli erant hominibus magis infensi. Cœlum firmissimis seris clausum erat ne pateret ascensus ad illud. Rursumq́ adeò erat occlusum, vt mandaret Dominus nubibus, ne largius super genus hominum diuina pluerent auxilia. Cœlum ergo erat æneum, ne cœlestia ad nos venire, nisi difficilè possent. Erat chaos firmatum, ne ex nostris ad cœlestes, néve ex illis ad nos plenum commercium esset.

Isaiæ 5. *Deut. 28.* *Luc. 16.*

Quòd si hic erat cœlestium status, iam expende, qualis terrę etiam esset? omnia erant plena peccatis & peccatoribus, idolis & dæmonibus. Luxit & elanguit terra, confusus est Libanus & obsorduit, & factus est Saron sicut desertũ. Gladius Domini inebriatus erat sanguine, incrassatus erat adipe agnorũ & hircorum, de sanguine medullatorum & arietum. In domibus oriebantur spinæ & vrticæ & paliurus in munitionibus eius. Fœtebat mũdus vt Sodoma, & ex eo fumus & clamor ascendebat sicut Sodomorum. Erat orbis, regio

Isaiæ 30. *Isaiæ 34.* *Genes. 18.*

Isaiæ 9. regio vmbræ mortis, regio tenebrarum. Et vt nihil deesset infœlicitati, & miseriæ: erat via in infernum
Isaiæ 5. ampla, cunctis trita. Dilatauit infernus sine numero animam suam, & aperuit os suum sine termino. At
Isaiæ 33. via virtutis, via iustitiæ, nulla comparebat. Dissipatæ sunt viæ, cessauit transiens per semitam, irritum factum est pactum, proiecit Dominus ciuitates, non
Psal. 101. reputauit homines. Erat ergo totus orbis plenus tenebris, plenus iumentis, plenus compeditis, plenus filijs interemptorum à dæmone. Hæc erat miseranda seculi facies.

Aderant nihilominus Philosophi profitentes, se
Matt. 15. ad fœlicitatem suos auditores prouecturos: sed quid facerent cæci cæcos ducentes, nisi cum cæcis in foueam cadere?

Vnicum erat confugium, lex illa vetus, quæ cùm
Rom. 5. lex Dei esset, videbatur opem tantis malis allatura.
Rom. 7. At verò & illa tam illustris lex subintrauit: vt abundarent peccata, non quòd illa mala esset, imò lex spiritalis erat: at erãt homines carnales & venũdati sub peccato, & propterea quod lex illa vetabat, maiore desiderio cupiebant, & in contrarium eius ferebãtur effrænes: & cùm lex non haberet in se, nec præstaret
Rom. 8. vires cultoribus suis ad sui obseruationem, homines cupiditate sua irritati, & à lege non adiuti in peiora
Rom. 7. labebantur. Ideo enim lex dicebatur infirma & ege-
Hebr. 7. na, & quòd neminem posset ad perfectum adducere,
Hebr. 8. vt quæ vmbra esset, non ipsa rei veritas. Iam nulla
Concil. Flor. erant veteribus Iudæis sacramenta: quæ gratiam animæ tribuerent, quæ lumen inferrent intellectui, quæ ignem supponerent appetitui: tota versabatur
Hebr. 9. lex vetus in quibusdam iustificationibus & culturis, non animæ, sed carnis. Impossibile enim est sanguine
Hebr. 10. hircorum aut taurorum auferri peccata.

Hæc cùm agnoscerent pauculi illi, qui tunc erant iusti, terram lachrymis rigabant, aërem gemitibus replebant, cœlũ clamoribus pulsabant: vt misericors Deus iam tandem tantæ miseriæ opem ferret. Iacob dice-

dicebat: Salutare tuum expectabo Domine. Dauid Gen. 49.
dicebat; Deus misereatur nostri, & benedicat nobis. Psalm 66.
& rursus: Ostēde nobis Domine misericordiā tuam, Psalm. 84.
& salutare tuum da nobis. & iterum: Qui sedes super Psal. 79.
Cherubim, manifestare corā Beniamin & Manassæ, excita potentiam tuam & veni, vt saluos facias nos.
Esaias dicebat: Emitte agnū Domine, dominatorem Isaiæ 16.
terræ, de petra deserti ad montē filię Sion. Et iterum: Isaiæ 64.
Vtinam disrumperes cœlos, & descenderes. Ieremias
instabat, vt fideles sui temporis dicerent: Salua Do- Ierem. 33.
mine populum tuum, reliquias Israël. Stultus fuero si cuncta Prophetarum desideria & omnes eorum clamores recēsere velim. Id adduxisse satis est, quod Salomon pro ecclesia Canticum cōcinnauit, cuius primi capitis prima verba, & vltimi capitis prima etiā verba, immēsum sui seruatoris proferūt desiderium.
Canticum ita incipit: Osculetur me osculo oris sui. Cant. 1.
Ita verò finit: Quis mihi det te fratrem meum, &c. Cant. vlt.

Iam mecum Lector cogita, si his tantis desideriis, si hominibus tāta miseria plenis, aliquis voce excelsa inclamaret: O miseri hactenus mortales, ô viri ha-
bitantes in Sodomis, & in regione vmbræ mortis, ô Isaiæ 9.
vos omnes qui in inferno paulominus habitatis, læ- Psal. 93.
tum nuncium vobis affero, fœlix nuncium. Venit Seruator, adduxit secum omnia bona, depellet vestra omnia mala. An non tibi videtur lætissima hæc annunciatio? an non videtur nuncium, quod solum Euangelij nomine dignum sit? an non hoc tale nuncium fuit, quale nec antè, nec posteà simile audiet orbis? Hoc igitur est nuncium quod Matthæus Sacer, libro Sacro hominibus recenset. Hoc est Euangelium quod Matthæus enarrat. Idcirco meritissimè librum suum, EVANGELIVM nominauit.

Porrò totius Euangelij summa hæc est: Deus de
cœlo descendit, charitate perpetua ductus, miserans Ierem. 31.
nostri, carnem nostram sibi copulauit: ac ita homi-
nes ex inimicis Dei, amici facti sumus. Cùm inimici Rom. 5.
essemus, inquit, reconciliati sumus per mortem Filij eius.

Rom. 8. lij eius. Ex iumentis facti sumus filij, ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd su-
Rom. 8. mus filij Dei. Ex hæredibus inferni, hæredes cœli facti sumus. Si enim filij, & hæredes: hæredes quidem
Rom. 5. Dei, & cohæredes Christi. Factum denique est per Christum vt vbi abundauit delictum, superabundaret & gratia, vt sicut regnauit peccatum in mortem ita & gratia regnet per iustitiam, in vitam æternam, per Christum.

Hæc, ô Lector, audis ita generatim collecta, eadem
Rom. 5. audi aliquanto latius explicata. Sicut peccāte Adam,
1. Cor. 15. omnes peccauimus, & illo moriente, omnes nos mortui sumus (mors enim in omnes pertransit) ita & carne nostra Verbo Dei copulata, in Christo su-
Coloss. 2. mus omnes Christiani. Sumus enim facti eius mem-
Verba bra. Ac ideo in eo omnes crucifixi, omnes mortui,
sunt Leon. omnes sepulti, omnes suscitati sumus. Eius igitur san-
pap. opusc. guis (quantum ex se erat) iam mundauit nostra de-
95. licta: eius mors & pœnæ, ex se, pœnas delictis nostris debitas exoluerunt: illo igitur Dei amico, nos sumus amici, quæ illi conueniunt (iuxta modum nostrum) conueniunt & nobis. Quid amplius videbatur optandum? sanè nihil.

Sed audi. Constituit hic Seruator septem in Ecclesia sua fontes, gratiæ plenos, vt nemo sit qui gratiam Dei cupiat, qui lucem Dei optet, qui iustitiam Dei desideret: qui non facilè ex hisce fontibus haurire
Isaiæ 12. posit si velit. Haurietis, inquit Isaias, aquas in gaudio de fontibus Saluatores, idque non magno sum-
Isaiæ 55. ptu, aut labore. Omnes sitientes venite ad aquas,
Concilio & qui non habetis argentum venite, &c. Certè in
Trident. baptismo vt filius Dei efficiaris, id vnum requiritur, vt peccata quæ fecisti non tibi placeant, sed odio ali-
Concilio quo prosequaris: quàm vili pretio, quanta gratia comparatur! in pœnitentia id requiritur, vt doleas
Florent. commissa fugiturus committēda. O immensas opes! ô cœlestes diuitias! quid verò memorem fontem gratiarum Eucharistiam? vbi Dominus omnibus

populis

populis facit conuiuium, conuiuium pinguium, medullatorum. Taceo reliqua. *Isaiæ 25.*

Nec solum Christus sacros septem Sacramentorum fontes instituit in Ecclesia sua: voluit etiam mille alios fonticulos esse qui gratiam quadantenus proferunt, videlicet aquam benedictã, Crucem sacram, orationem Dominicam: & alia multa quæ Ecclesia ex Christi autoritate fundauit. Vt nihil aliud nunc videatur Ecclesia quàm terra aquis refertissima, quę vltra vberes torrentes aquarum, scaturiginibus vndique manat: ita Ecclesia vndique gratiam exhibet cunctis. Addidit Dominus benefacere nobis. Theologiam cœlestem reliquit in quatuor Euangelijs, & suorum Apostolorum epistolis, vt impleretur prophetia: Impleta est terra scientia Domini, quæ quidem scientia non est ambagiosa, non velata figuris, non de errore suspecta: sed in his quæ saluti necessaria sunt, adeò planam ostendit viam: vt nec cæcus possit errare per eam. Vt vaticinium Isaiæ impleretur: In cubilibus, inquit, vbi habitabant dracones (dæmones scilicet qui habitabant in templis idolorum) orietur viror iunci & calami (adeò omnia erunt aquis gratiæ plena) & erit ibi semita & via: Via sancta vocabitur. (Quid enim sanctius Dei & proximi dilectione, quæ via Christiana est?) erit vobis directa via, vt stulti non errent per eam. Et Ieremias canit: In fletu venient, & in misericordia reducam eos, & adducam eos per torrentes aquarum, in via recta, & non impingent in ea: quia factus sum Israëli pater. Addidit Dominus, vt misericordias cumularet. Præstitit se nobis viuum & efficax totius iustitiæ exemplum. Vt si quod à cunctis mortalibus virtutum specimen præbitum est, multò luculentius in CHRISTO resplenderet: ideo enim doctor iustitiæ fuerat decantatus. Erunt, inquit Isaias, oculi tui videntes præceptorem tuum. Non dixit: Solæ audient aures, sed videbunt oculi tui. *Isaiæ 11.* *Isaiæ 35.* *Ierem. 31.* *Isaiæ 30.*

Isaiæ 35. Vnde & Isaias dicit: Ipsi videbunt gloriam Domini & decorē Dei nostri, quia videlicet iustitia & sancti-tas quæ in cœlo est, eadem ab hominibus in terr- *2. Cor. 4.* visa est, in facie scilicet Christi: vt Paulus dicit. Nec his Dominus contentus, hominem nostrum vete-rem debilitauit, imò ligauit & crucifixit. Dicit Pau- *Rom. 6.* lus: Hoc sciētes quòd vetus homo noster simul cum eo crucifixus est: videlicet, quia tam copiosè gratiam in corda suorum effudit, vt iam non regnet pecca-tum in nostro mortali corpore: imò potius regnet *Rom. 6.* Christus, quia iam non sumus sub lege, quæ erat vir-tus peccati, id est, irritamentum nostræ cupiditatis. *1. Cor. 15.* Sed sumus sub gratia, quæ potentius inclinat nos ad sanctitatem, quàm cupiditas ad iniquitatem. Sētiunt ferè viri sanctissimi vim spiritus sancti, tam vehe-mentem, vt cupiditatis vires aut non sentiant, aut *Rom. 8.* leuiter sentiant: quia iuxta Apostolum, lex spiritus vitæ in Christo, liberat eos à lege, à tyrannide, à *Ephes. 6.* sceptro cupiditatis, peccati & mortis. Adiecit & aliud suæ omnipotentię indicium, fugauit dęmonem olim mundi rectorem & principem. Ita enim ipse dixit: *Ioan. 12.* Nunc iudicium est mūdi, nunc princeps huius mun-di eijcietur foras. Erat dæmum fortis ille armatus, qui custodiebat atrium suum, & in pace tenebat om- *Luc. 11.* nia sua. At cùm potentior Christus superuenit, vicit eum, vniuersaque eius arma quibus ille fidebat, ab-stulit. Arma enim sua erant, hominum ignorantia, homo vetus, (caro scilicet nostra,) & vitia quibus homines sordidi erant. Ita planè intelligit, qui anti-quas legit historias. Vbi enim terrarum non erant idola, dæmonumque delubra? Vbi non erant diui-nationes, & tripodum responsa? Quàm verò nunc his terra vacua sit, nemo est qui ignoret. Fateor, dæmones etiam nunc rabiem suam contra pios ex-ercere: sed eam mulierculæ & homunciones retun- *Marc. vlt.* dunt, & contemnunt. Siquidem ad nominis Iesu so-nitum, multæ dæmonum myriades terga vertunt, & fugiunt. Nec his factis destitit. Ascendit in cœ-

lum,

lum, ibi interpellat pro nobis. Vbi nec de interpellantis affectu dubites, siquidem sanguinem & vitam pro nobis effudit. Nec de obtinendis his quæ rogarit, dubitare licet: si enim in terra exauditus est pro *Hebr. 5.*
sua reuerentia, quanto vehementius exaudietur in cœlo? Introiuit, inquit Paulus, in cœlum, (vera re- *Hebr. 9.*
rum omnium sancta) vt appareat nunc vultui Dei pro nobis, & sicut Pontifex vetus, sanguinem ferens cum introibat in sancta, Deum placabat. Ita Pontifex *Eodem.*
noster, non brutum sanguinem, sed diuinum (id est, suum) ferens in cœlum, multo magis Deum placabit. Rectè Paulus: Christus est, quem Deus proposuit *Rom. 3.*
propitiatorium per fidem in sanguine ipsius, videlicet vt omnis qui haberet fidem passionis Christi, inciperet Deum sibi habere propitium, nisi culpa mortalis impediat. Videri cuique poterat his à Christo gestis, nihil iam reliquum esse faciendum. Cumulauit Dominus hæc omnia dona. Effudit in suos spiritum *Actor. 2.*
sanctum abundè: quo miraculo attonitus debuerat mundus reddi. Veniente enim spiritu hoc veniunt virtutes quas Theologi, Theologicas vocant: veniunt etiam virtutes aliæ morales infusæ: veniebant olim innumera dona, linguarum, prophetiæ interpretationum & reliqua. Quid? Veniente Spiritu sancto venit tota Trinitas in animam. Vt verum sit Domini promissum: Ad eum veniemus, & mansio- *Ioan. 14.*
nem apud eum faciemus. Iam si animam Deo & diuinis donis plenam inspicias, vibebis completum id quod olim dixit Isaias: Gaudens gaudebo in Domi- *Isaiæ 61.*
no, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circundedit me. (Videlicet quia induit animã ipsam diuinitate (quasi sponsum decoratum corona, & quasi spõsam ornatam monilibus suis. (Virtutes siquidem & dona infusa sunt monilia & corona sponsorum. (Id quod etiam Ieremias prædixit: Rursum (inquit *Ierem. 31.*
Deus) ædificabo te, & ædificaberis, adhuc ornaberis tympanis tuis, virgo filia Israël. & infrà: Erit anima

tua, ſicut hortus irriguus, & vltra non eſuriet. Tym-
Exod. 28. pana enim virtutes ſunt, quibus Deus placatur. Eæ-
démque ſunt pulcherrimæ arbores animæ noſtræ,
quibus melius anima conſeritur: quàm paradiſus
olim fuit conſitus arboribus ſuis. Demum ſi animam
ita ornatam ſpectare liceret, videres quàm verè ſpō-
Cant. 4. ſus in Canticis eam laudet, dicens: Hortus concluſus
ſoror mea, hortus concluſus, fons ſignatus, emiſsio-
nes tuæ paradiſus, &c. Et planè cùm ego animaduer-
to eas blanditias, eas dulcedines quas piæ animæ ſen-
tiunt, illos ſuos vehementes amores, non poſſum
non obſtupeſcere, ſentiens Deum velut amore ca-
ptiuum, velut depereuntem animas noſtras.

Igitur per Chriſtum non ſolùm peccata ablata
ſunt; non ſolùm tenebræ è terra diſparuerunt, non
ſolum dæmon fugatus eſt, non ſolum caro noſtra eſt
debilitata: ſed etiam opes diuinæ in animas noſtras
effuſæ: Imò (ô rem ſtupendā) ipſe Deus noſtri amans,
Actor. 2. in animas noſtras effuſus eſt. En tibi quàm lætum
nuncium per Matthæum offertur. Sed ô mortalium
ignorantiam, ingratitudinem, & ſtupiditatem: ad
hæc omnia conniuemus. Non æſtimamus has opes,
non curamus Euangelium, non agimus gratias tan-
tæ Chriſti dignationi, tanto Dei erga nos amori.
Imò nec tanta cognoſcimus in nos bona collata.
Gen. 44. Erat Ioſeph rex Aegypti, in eius manu erant om-
nia Aegyptiaca bona, at id eius fratres non agnoſce-
bant, & ideo fame peribant. Ita planè Chriſtus, Io-
ſeph noſter, omnia bona in manu habet. Nos verò
nec id nouimus, nec curamus, & paupertate ſum-
ma premimur. Planè ſimiles ſumus Iudæis illis,
4. Reg. 7. contra quos Rex Cyrus venerat, & grandi penu-
ria afflixerat. At Dominus Cyrum fugauerat, &
exterorum verterat caſtra, idque ignorabant Iu-
dæi. Erant hoſtium caſtra vacua, diuitijs refertiſ-
ſima, interim Iudæi extrema affliguntur inopia:
ita & nos opprimebamur ab hoſtibus inferni, fu-
gauit Dominus hoſtes, magna in eorū caſtris nobis
bona

bona parauit, sed nos esurimus. Vtinam sicut tunc, *4. Reg. 7.*
ita & nunc veniant pauperes aliqui & claudi, qui
ad portam ciuitatis eleemosynam petant, vt myste-
rium Euangelij, eiúsque diuitias nobis exponant.
Pauperes hi, prædicatores sunt, qui nisi pauperes spi- *Matth. 5.*
ritu sint, & ex lucta cum Iacob redditi claudi, & ex- *Genes. 33.*
tra portam ciuitatis, improperium Christi porta-
rint à Domino eleemosynas petentes, idonei non *Hebr. 13.*
erunt, qui dignè mysterium hoc nobis annuncient.

Finiam si hoc vnicum adiecero: Cùm audis, ô Christiane, Christum, non rem intelligas simplicem, vt cum audis Alexandrum, aut Iulium, aut Octauianum. Sed intellige prius te ipsum Dei inimicum, tantum non dæmonem effectum, omnibus scilicet malis refertissimum. Tunc intellige Christum, qui te amicum Deo effecit, tantúmque non Deum omnibus scilicet bonis cumulatissimum. Hactenus de voce & mysterio Euangelij.

Quæri hîc solet, an hoc Matthæi Euangelium Hebraicè scriptum sit? & quidem nonnulli asserunt Græcè à Matthæus conscriptum, non Hebraicè. Afferunt rationes. Altera est: Quia Matth. cap. 1. dicit: Vocabitur Emmanuel, id est, nobiscum Deus. At si Hebraicè scripsisset nō erat necesse id interpretari, imò esset interpretari idem per idem. Posterior est, quia cap. 27. interpretatur Matth. illam vocem Domini: Eli, Eli, quod est, inquit, Deus meus, Deus meus. At non erat declaranda vox Hebræa, per seipsam. Porrò contraria sententia verissima est. Sine dubio Matth. Hebraicè scripsit. Asserit id Hieronymus in vita Matth. August. in lib. 1. de Consensu Euangel. cap. 2. & lib. 2. cap. 66. Chrysost. homil. in Matth. 1. Theophyl. in præfatione super Matth. Euth. etiam eod. & Christianus Druthmarus in prologo Matth. Adde Simonem Cassiam, lib. 1. cap. 5. Agnoscit & Valla in Annot. super Matth. Iam si argumenta illa in contrarium adducta quidpiam probarent: probarent etiam Genesim non fuisse Hebraicè descriptam.

Sic enim habetur cap. 31. appellatum eſt nomen eius Galaad, id eſt, tumulus teſtis, ſiue aceruus teſtimonij. & Exod. 16. Manhu, quod ſignificat, quid eſt hoc? Neque verò argumenta ſunt nimis difficilis expeditionis. Cùm enim vocabulum Emmanuel conſtet ex tribus dictionibus, quarum vltima eſt, el: & hæc Hebræis ſignificet tum Deum, tum fortem, tum etiam iſtum, qui audiebat Hebræum Emmanuel, poterat intelligere, nobiſcum Deus, nobiſcum fortis, aut nobiſcum iſte. Quid ergo abſurdi fuerat, Matth. nomen multa ſignificans, explicaſſe per vocabulum Adonai, aut Iehouah, quod Deum tantum ſignificaret? Quòd ipſum in illo Domini clamore contingere poterat, licèt & hîc alia ratio ſit. Cùm enim ex viris doctis, quibus ſuffragantur vetuſta exemplaria, Dominus clamauerit non Hebraicè purè, ſed Caldaicè, nihil erat ineptum Matthæum clamorem Caldaicè prolatum, Hebraicè explicauiſſe. Ita enim clamauit: Eli, Eli, lama Sabaqtani, quod Caldaicum ita Hebræè explicatur, Eli, Eli, lama hazabtani.

PAVLI





PAVLI DE PALACIO, IN SANCTVM IESV CHRISTI EVANGELIVM, ſecundùm Matthæum, Enarrationes præclariſsimæ.

CAPVT I.

Liber generationis, &c.



VM LECTOR, audis, *Liber generationis Chriſti*. tuos oculos ſurrige, & intellige, quòd ſicut Moyſes edidit librum, quo mundi, cœli & terræ, auium, piſcium, plantarum, animalium, & tandem hominis geneſim recenſuit, quo libro, veteris mundi generatio continetur: ita & Matthæus hoc libro, noui cuiuſdam orbis, nouæ creaturæ, nouæ Eccleſiæ, nouæ legis, noui Pontificis, nouorum Apoſtolorum, nouarum virtutum, & tandem nouorum hominum generationem recenſere contendit. Ita dictum fuerat à Deo per Iſaiam: Ecce ego creo cœlos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora: non aſcendent ſuper cor, ſed gaudebitis & exultabitis in ſempiternum, in his quæ ego creo. Quibus verbis ſignificatum eſt, mundum hunc nouum, quàm antiquus, futurum maiorem: vt antiquus nouo collatus non hominum ſit memoria dignus. *Iſai. 65.*

Et equidē liber quo Moyſes totius mundi generationem complectitur, ab ipſo Moyſe, Liber generationis Adam, vocatus eſt. Quia videlicet, quæ mundi ambitu continentur, Adæ *Geneſ. 5.*

tur, Adæ

tur, Adæ gratia facta sunt: vt cum Regi regia præparatur: ita Euangelista Matthæus, librum quo mundi cœlestis ac Diuini nouum ortum describit, Librum generationis Christi nominauit, quia videlicet, noua Ecclesia, noui Apostoli, & demum quicquid nouum, nouus mundus complectitur, Christi regis noui gratia conditum est.

T

Coloss. 1. Planè Apostolus habet: In Christo omnia sunt cōdita. & item; Omnia per ipsum & in ipso creata sunt, quæ verba tametsi de Christi Diuinitate intelligantur, aliquāto tamen sublimius de Christo homine intelligi credo. Quod vt ego explicem, hinc exordiar: Psaltes habet, quòd Deus pedibus hominis cuncta subiecit: erat igitur homo dominus cunctorum. Qualis ergo ipse erat, talia erant cuncta sibi subiecta. At erat ille de terra terrenus, & temporarius: erant ergo terrena & temporalia quæ illi subdebantur. Fit enim vt domini ingenium referāt serui. Postquam verò Christus in Maria formatus est, Pater æternus omnia illi subiecit, vt Paulus dicit: & ipse Christus testatus est, dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Christo igitur nunc omnia subduntur, quæ Adæ olim subdebantur. Ergo si erant illa terrena, quia homini seruiebant terreno: erunt nunc quadam ratione cœlestia & diuina, quia Christo cœlesti veróque Deo subduntur. Eleganter enim dictum est, quòd per Christi incarnationem totum Vniuersum eleuatum est, id est, nouum quoddam esse, & velut splendorem diuinum cuncta sumpserunt, si nouum esse receperunt: sunt igitur omnia condita in Christo, vel vt Apostolus habet, sunt omnia in Christo instaurata, quæ in cœlis, & quæ in terris. Ergo liber generationis Christi, est liber instaurationis rerum, est liber nouæ cuiusdam generationis rerum. Quia res nouum quoddam esse in Christo sumpserunt: ex obsequio Adæ terreni (velut Ioseph, ergastulo) in melioris Domini obsequium translatæ, vt verum sit quod Paulus dicit: Qualis terrenus, tales & terreni, qualis cœlestis, tales & cœlestes. Sicut ergo portauimus imaginem terreni, ita portemus imaginem & cœlestis. Habes igitur Lector in hoc huius libri titulo, scilicet Liber generationis Christi, & nouum orbē per Christi generationē effectum, & mundum hunc vetustum, per eandē Christi generationē innouatum.

[Margin notes: Psalm. 8. — 1. Cor. 15. — 1. Cor. 15. — Matt. vlt. — Caietanus 3. part. q. 1. artic. 1. — Ephes. 1. — Genes. 41. — 1. Cor. 15.]

Secundò, tuos oculos nunc attolle, non ad nouum orbem formatum, sed ad Christum in Mariæ gremio genitum.

Sanè

Sanè ante mundũ genitum erat nihil. Fecit Deus mundum, eiq; suum esse dedit. Quam Dei magnificẽtiam Philosophi admirati sunt. At profectò non dedit Dominus esse suum conditis à se rebus, sed esse quoddam creatum fecit, suo esse increato simile, quod rebus creatis cõmunicauit. At in ventre Mariæ longè aliud. Non enim humanitati Christi Deus largitus est esse creatum, sed suum ipsissimũ esse increatum. O verè singularẽ & incomparabilẽ Christi generationem! qua factum est, vt humanitas non in suo esse subsisteret, sed illo eodémque esse subsisteret, quo subsistit ipse Deus.

Iam verò si Christus quatenus homo esse diuinum habet, nosq; huius cœlestis hominis membra sumus, an non consequẽs est, vt nos idem esse habeamus per gratiam quod ille habet secundum personam? Equidem, sicut in Adam omnes formati quodammodo sumus (si quidẽ in ipso omnes peccauimus) ita in Christo pij omnes formati sunt: siquidem in ipso benedicuntur omnes gentes, & benedicentur in ipso omnes fines terræ, & benedixit nos in ipso Pater omni benedictione spirituali. *Rom. 5.* *Gen. 22.* *Psal. 74.* *Ephes. 1.*

Habes igitur Lector per Christi generationẽ, summum omnium miraculum, quo factum est vt sit homo Deus, quo etiam factum est, vt homines qui volent, sint summi capitis membra diuina. *Rom. 12.*

Tertiò nota: quod Genesis quinto, iuxta Hebreos dicitur: Hic est liber generationum hominis: licet enim Adam esset vnicus homo, at in Adã recensetur & Eua, ideo enim infertur, Hic est liber generationum Adam, in die qua creauit Deus hominem, masculum & fœminam creauit eos. Cùm igitur Matthæus librum generationis Christi scripserit responsalẽ libro generationis Adam, fit vt liber hic nõ solum sit liber generationis Christi spõsi, sed etiam Ecclesię, quam ille accepit sponsam. (Nec enim bonum est hominem esse solũ.) Ergo nato Christo cõsequens est vt nascantur Christiani, quorum animas Christo despondeat Paulus: & quia sponsi bona sponsæ cõmunia sunt ex lege, nato rege Christo, nascetur etiam eius sponsa regina. Vide rerum versam vicem. Animæ ante Christum incarnatum, erant sub rege tyrãno captiuæ: sed antequam puer sciat vocare patrem & matrem, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ. Abstulit puer natus animas quas fortis armatus seruabat, spõsauit eas sibi, fecitque eas omnium reginas, & dominas. *Genes. 5.* *Genes. 2.* *2. Cor. 11.* *Isaia 8.* *Luc. 11.*

Quartò.

Psal. 109. Quartò nota, quòd sicut generatio Christi secundum diuinitatem, licet in vtero Patris ante luciferum perfecta fuerit, adhuc tamen durat, perpetuumque durabit, iuxta illud:
Psal. 2. Ego hodie genui te: ita & generatio Christi secundum humanitatem, licet in vtro matris perfecta fuerit, in vtero tamen Ecclesiæ adhuc durat, durabitque donec omnes occur-
Ephes. 4. ramus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Interim enim quòd mundus durat, formatur
Galat. 4. Christus in nobis. Imò non solùm formatur Christus in Ecclesia, sed & in quauis anima pia: quæ vt Christum per fidem viuam concipit: ita & eum per opera sancta perficit. Ergo liber iste liber est generationis Christi, non solùm in Maria, sed & in Ecclesia, sed & in anima. Quæ si tam fœlicis partus & gignendi & formandi fuerit ambitiosa, habet in hoc libro modum, quo sui compos fiat desiderij. Vide-
Matth. 1. licet si virgo fuerit, vt erat Maria: sicque verbo Domini vt
Lucæ 1. ancilla paruerit: vt erat obedire parata Maria. Sed nos nihil tam præclaram moramur sobolem.

Quintò, non solùm spectes hanc Christi generationem, ex vtero virginis, specta etiã eam ex vtero legis. Lex certè erat vterus quidam virum hunc suo nixu parturiens. Illę cæremoniæ, illæ vmbræ, illæ figuræ, illa demum legalia cuncta, quasi in vtero Christum claudebant, suo tempore reuelandum. Et quidem cùm in Mariæ vtero Christus genitus est, Lex è suo vmbratili vtero, in Mariæ vterum Christum effudit. Igitur, sicut tempore nostro Ecclesia Christum parturit, erítque huius partus effusio pléna in finali iudicio: ita & olim lex vetus parturiebat Christũ, donec in Mariæ aluum illum effunderet. Rectè ergo colligas, quòd ab orbe lapso, vsque ad eius finem, nihil aliud fit, nisi Christi generatio,
Coloß. 1. eiusdémque parturitio. Vt ipse reuera sit primogenitus & vnigenitus omnis creaturæ. Non solùm quia ipse est ante omnem creaturam: sed etiam quia omnes eum creaturæ in nobis parturiunt. Parturiebat enim illum antiqua lex, sicut nunc (licet diuersa ratione) parturit Ecclesia. Paulus dicit:
Rom. 8. Omnis creatura ingemissit, & paturit vsque adhuc, imò & nos qui primitias spiritus habemus, adoptionem filiorum Dei. Omnis igitur creatura parturit Christianos, & Christum in Christianis. Christus ergo ex patris vtero, in legis vterum venit. Ex quo in ventrē virginis, ex quo in ventrem Ecclesiæ, effudendus ex ipso in æternitatis lucem. Meritò

igitur

igitur vocatur Dominus A & Ω, principium & finis. Ipſe enim ex vtero Patris primus, ante luciferum effuſus eſt. Ipſe demum in ſuis fidelibus ex vtero Eccleſiæ in ſui Patris gremium vltimus refunditur. Quare & dies iudicij regeneratio dicitur, dicente Domino: In regeneratione, cùm ſederit filius hominis. Nec tamē dicit, cuius regeneratio ſit, innuēs regenerationem eſſe ſuam, non in ſe, ſed in membris ſuis. *Apocal. 1.* *Pſal. 109.* *Matth. 19.*

Cùm ergo audis *Liber generationis Ieſu Chriſti*. Intellige Chriſtum ex legis vtero, ex vmbris, ex nubibus, iam prodijſſe. Lucem poſt tenebras, corpus poſt vmbras, veritatem poſt figuras; cœlum poſt terrena, ſpiritum poſt carnem & literam. Finis enim legis Chriſtus. Sed progrediamur. *Rom. 10.*

Ieſu Ieſus, vulgò deducitur à verbo Iaſah, quod ſaluum eſſe ſignificat. Vnde Ieſuah, ſiue Ieſus ſignificat ſalutem, aut ſalutare. Quod verbum cantauit Virgo dicēs: Exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. & Abacuc, cū dixit: Exultabo in Deo Ieſu, (id eſt, ſalutari) meo: quare & rectè Angelus, *Vocabis nomen eius* Ieſum, id eſt, Salutem: ipſe enim ſaluum faciet populum, à peccatis eorum. *Lucæ 1.* *Abac. vlt.* *Matth. 1.*

Sunt tamen qui Ieſu, non deducant à verbo Iaſah: ſed à nomine Dei tetragrāmato, ſcilicet I E H O V A. Cui ſi literam, S. interijcias, efficis nomen I E H O S V A, quod idem eſt ac I E S V. Volunt igitur, quòd nomen veri Dei, ſumat literam, S. quæ Iudæis eſt ad modum lampadis olearíæ (eſt enim hæc Sin) vt Chriſtus ex nomine Dei, Deus ſit. Ex litera verò pietatis & humanitatis, ſit homo.

Sed hæc non ſunt tam vera quàm pulchra. Nam Ieſus, quod adhuc durat in titulo crucis, ſcribitur vt deriuatur à Ioſah, non I E H O V A, habet enim literam Hain, quam Iehoua non ſuſcipit. Tum quia Angelus dixit: *Vocabis nomen eius Ieſum*: cuius rationem ſubdit, quia ipſe ſaluabit. Ergo nomē ab Angelo dictū ſignificabat ſalutem, quam nomen Iehoua non ſignificat: ſignificat enim Iehoua eſſe. Tum tertiò, quia Ieſus ille, ſiue Ioſue dux Iudæorum, & typus Chriſti, non fuit vocatus Ieſus ex nomine Iehoua, ſed ex verbo Iaſah: vt certum his eſt, qui Hebraiſmum vel ex limine ſalutarunt. Demum Auguſtinus non deriuauit nomen Ieſus ex Iehoua, ſed ex verbo, Saluauit. vt eſt videre ſermone 8. de Verbis Apoſtol. & ſermon. 131. de tempore, & maximè 17. de Ciuitate, capit. 18. *Matth. 1.*

Porrò licet Angelus dixerit cauſam, cur Ieſus nominatus

sit, egebat tamen egregio doctore, qui eam causam explicasset. Sed interim Christus dicitur Iesus, id est, salus quia saluat. Si igitur saluat à peccatis, ergo peccata lãguores sunt: nullibi maior languor, quàm vbi peccatũ. Vt enim conterit lapis testam, sic peccatum animam. Christus igitur salus à
Psal 146. peccatis, quia sanat contritos corde, & alligat contritiones
Lucæ 10. eorum. Item vt latrones percusserũt hominem descendentem è Ierusalem, & semiuiuum reliquerunt: ita peccatum ferit animam, & semiuiuam relinquit. Christus verò salus à peccatis, quia infundit vinum & oleum quibus homo sanetur.
1. Petri 5. Item leo circuit & deuorat peccatorem. Christus verò à ventre huius leonis, imò & inferi extrahit deuoratum, salus
Sap 50. ergo est. Demum tu perspice omnes languores, qui corpus
Matth. 4. infestant, quos sanauit Dominus in hoc seculo viuens: & his peiores esse crede animæ infirmitates, quas quotidie sanat, in cœlo consistens.

Rectissimè igitur Christus sibi nomen Iesu accepit, quo nullum maius aut congruentius accipere poterat. Sicut & nobiles illi Romani nomina illustria vsurparũt. Accipit ille nomen Africani, ille Gotthici, ille Asiatici, accipit Christus nomen Seruatoris. Gentiles sumunt nomen à destructis gentibus, Christus à reparatis.

Nec te turbet, quod dixerim hoc nomine nullum esse maius: siquidem maius fuit saluare peccatores, quàm condere Vniuersum. Dum orbem cõdit, Christus nihil patitur, nihil sudat, nihil laborat. At dum saluat peccatores laborat,
Isaiæ 53. sudat, moritur: vulneratus enim est & attritus propter sce-
Lucæ 24. lera nostra. Ipse ait, Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam, non quòd, si solum Christum spectes, vt gloriam habere erat ipsum pati necesse, Siquidẽ gloriã habuit sibi, ex quo cõceptus est in Virginis aluo. Sed oportuit pati vt nobiscum in gloriam intraret. Vides igitur multò maius esse, seruare quam condere. Quod etiam hinc intelligere licet, cùm condit terrena, nihil aliud facit, quam terrenis largiri esse naturale. At cùm seruat peccatores, largitur esse gratiæ, diuinum, & supernaturale.

Actor. 4. Iam nullum nomen est, in quo oporteat nos saluos fieri, nisi in nomine Iesu. Itaque temporibus Christi, non est satis
Ioan. 5. Deum inuocare, nisi & Iesum inuoces. Pater enim omne iudicium dedit filio, vt omnes glorificent filium, sicut antea nus glorificauerant Patrem.

Rursum

Rursum non est nomē, quod cœlestia, terrena, & inferna venerētur cernua, nisi nomē Iesu: adeò vt si fieri posset, Deus ipse veneraretur nomē eius, qui ita Deū ipse veneratus est. Philip. 2.

Christi. Hebræum vocabulum Messiha, significat Græcis Christum, Latinis Vnctum. Idem ergo est, Christi & Vncti. Porrò Hebreis vngebantur futuri reges, Sacerdotes & Prophetæ. Saul vngitur in regē 1. Reg. 10. & item Dauid 1. Reg. 16. & Salomon, 3. Reg. 1. De vnctione Sacerdotum, habetur Leuit. 8. & clarius Exod. 29. vbi Dominus ad Mosen: Oleum vnctionis fundes super caput eius, atque hoc ritu consecrabitur. de quo oleo dictum est: Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, &c. De vnctione Prophetarum habes 3. Reg. 19. vbi Elias Elisæū ex Domini mandato vngit in prophetam. Iam oleo vngebantur res vt sacræ essent: vt habetur Exod. 40. & Leuit. 3. & 8. Psal. 132.

Oleum verò, quo res hæ omnes inungebantur non erat simplex, sed commistum: vt habetur Exod. 10. Erat itaque confectū ex myrrha electa ad 500. siclos, & ex cinnamomo ad 250. & calamo ad eandem mensuram, & Cassia ad 500. & oleo oliuæ ad mensuram hin.

Porrò fatemur Christum hoc materiali oleo non fuisse perunctum: inde verò non consequitur, ipsum vocandum non fuisse Christum. Siquidem Abraham & eius filij vocantur in Psalmo, Vncti siue Christi: sed Iudæi non docebunt, hos fuisse oleo corporali delinitos. Dicit verò Psalmus: Nolite tangere Christos meos, id est, vnctos meos. Quòd si Patriarchæ hoc oleo terreno vncti non fuerunt, sed spirituali: idem permittant nobis, de nostro Christo dicere. Nec enim placuit Deo Christū nostrum iuxta ritum Leuiticū inungi: siquidem non erat futurus Sacerdos secundum ordinem Aaron, sed iuxta ordinem Melchisedech. Vbi igitur regnum & sacerdotium æternum est, necessariò fit, vt oleū sit etiam æternum, quare illud Hebræum non erat. Psal. 104. Psal. 109.

Oleū igitur quo Christus secundum humanitatē vnctus fuit, Spiritus sanctus est, iuxta illud: Spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit me. Ad euangelizandum pauperibus misit me. (En tibi prophetica functio) vt mederer contritis corde, (En Sacerdotale munus seu pastorale,) vt darem coronā pro cinere, & palliū gaudij pro mœrore. (Hoc regium est, vt planè habetur 2. Reg. 1. in monodia quam Dauid super Saul decantauit, dicens: Filiæ Israël super Saul flete, qui ve- Esaie 61.

ſtiebat vos coccino, qui præbebat ornamenta aurea cultui
Pſal. 44. veſtro.) Eſt igitur Spiritus ſanctus oleum exultationis, quo Ieſus vnctus eſt: teſte Petro, qui Act. 10. dicit: Vos ſcitis Ieſum à Nazareth, quomodo vnxerit eũ Deus Spiritu ſancto.

Iam cùm Spiritus ſanctus Deus ſit, apertum eſt, functiones omnes Chriſti fuiſſe & eſſe diuinas. Et licet multi fuerint vncti, & ideo Chriſti vocati (ſicut etiam multi ſunt vocati Ieſus: vt Ieſus Naue, & Ieſus Sirach,) at hæc duo vocabula, IESVS & CHRISTVS, per emphaſin de Chriſto dicũtur: quia vt eſt rex regũ, & ſacerdos ſacerdotũ, ita eſt vnctus vnctorũ, imò in nouo Teſtamẽto, vnicus eſt ille nobis rex,
Hebr. 7. vnicus & Sacerdos. Inquit enim Apoſtolus: Alij plures facti ſunt Sacerdotes, quia morte prohibẽtur permanere. Hic autem, id eſt, Chriſtus, quia manet in æternum, ſempiternum habet ſacerdotiũ, eſtque ideò vnicus ſacerdos. Quòd ſi nos etiam ſumus ſacerdotes, eſt ille in nobis: vt enim vnica hoſtia eſt, quam ille & quã nos offerimus, ita & vnus eſt Sacer-
Ioan. 17. dos. Sumus enim nos vnũ in illo, mẽbra ſcilicet cum capite.

Filij David, Filij Abraham. Refricatur Dauidis & Abrahæ memoria, quia Deus nihil habet antiquius erga homines,
Pſal. 144. quàm quòd fidelis habeatur in verbis ſuis. Vt ergo Matthæus doceat Deum fidelem fuiſſe Dauidi & Abrahæ, quibus Chriſtum promiſit: ideo de his ſpecialis mentio fit. Id
Lucæ 2. cecinit Virgo: Sicut loquutus eſt ad Patres noſtros, Abra-
Lucæ 1. ham & ſemini eius. Et Zacharias Baptiſtæ pater: Iuſiurandum quod iurauit ad Abraham, &c.

Act. 13. Secundò, de his duobus mẽtio fit. Fortaſſe enim his duobus meliores antiqua non tulit ætas. Certè Dauid vir fuit ſecundum cor Dei. De Abraham verò dictum eſt, quòd ſit pa-
Rom. 4. ter credentium per præputium. Fuit igitur Chriſtus ex matre omnium fœminarum optima: tum ex parentibus ſuæ gentis ſummis.

At lõgi querela eſt, cur Dauid præpoſitus eſt Abrahæ? Sed quidẽ plana reſponſio extat, quòd Iudæi non iactabãt ſuum Meſſiham: vt filium Abrahæ, ſed vt filium Dauidis. Nàm Sacerdotes rogati de Chriſto, cuius filius ſit? Reſpondent, Dauid, vt habes Matth. 22. & dũ cæci clamant, dicunt: Ieſu fili Dauid miſerere noſtri. Mat. 9. & Cananæa itidẽ, & pueri dicũt: Hoſanna filio Dauid, infrà 21. Imò & Angelus ipſe dicit ad Mariam: Dabit illi Dominus Deus ſedẽ Dauid patris eius.

At redit quæſtio, cur filius Dauidis potius Chriſtus dica-

tur,

tur, quàm Abrahę? Ad hoc responsio est: Quia Abrahę promissio facta non est, qualis Dauidi. Dauidi enim promittitur regnum æternum, nunquã abolendũ. dicitur enim Psal. 88. Semel iuraui in sancto meo si Dauid mentiar. Semen eius in æternum manebit, & thronus eius sicut sol. Iurauit Dominus Dauidi regnum non cessaturum. Cessauerat in Saule, cessauerat in Persis, Medis: at Dauidi regnum promittitur æternum. Porrò promissio hęc vana fuerat & mendax: si de filijs Dauid carnalibus intelligeretur, at efficax inuenitur in Christo, cuius regnum & monarchia æterna erit. Quod in Isaia habetur: Super solium Dauid, & regnum eius sedebit, vt confirmet, & corroboret illud amodò, & vsq; in sempiternum. Et in Ieremia habetur: Si irritum potest fieri pactum meum cum die & cum nocte: pactum meum irritum esse poterit cum Dauid seruo meo, vt nõ sit ex eo filius qui regnet in throno eius. Est igitur Christus filius Dauidis illius, cui æternitas regni in Christo promissa est. *Isaiæ 9.* *Iere. 31. 33.*

Secundò Christus dicitur filius Dauid, quia Dauidi fuit in multis similis. Christus pastor sicut Dauid. Percussit diabolum, sicut Dauid Philisthęum. Eruit agnos & oues de ore diaboli, sicut Dauid de ore leonis. Sed in hoc maxime est illi similis, quòd tot pressuris & calamitatibus regnũ sibi comparauit. Vt igitur regnũ Saulis quod cessauit, typus fuit regni diaboli, Saul enim occidit sacerdotes Domini, persequebatur semper Dauidem, & in diebus eius nõ defuit vsura & dolus: ita & regnũ Dauidis typũ gessit regni Christi, regnante enim Dauide regnauit iustitia, cultus Dei, & Deus ipse. *Psalm. 77.* *1. Reg. 17.* *Psalm. 54.*

Tertiò Christus filius Dauid: quia sicut Dauid fuit hoc illustri nomine donatus, vt esset vir iuxta cor Dei: ita & Christus vnicum illud habuit, quòd esset vir, in quo complacuit Patri. Certe multo propinquius & iuxta cor Dej, quã Dauid. *Actor. 13.* *Matth. 4.*

Quartò, multo magis è re nostra est, quòd Christus dicatur filius Dauid, quàm Abrahæ: filius scilicet, eius qui peccauit, quàm eius, de cuius peccatis nulla fit mentio. Cũ enim anima quæ Deum colere vult, efficiatur Christi mater, vt ipsemet Dominus dicit: si Christus diceretur filius Abrahę, animæ quæ fuerunt peccatrices desperarent se posse Christum concipere: at fiduciam habeant gignendi Christum, qui filius dicitur Dauid, qui fuit aliquando peccator. Porrò ea ratione præponitur Dauid Abrahæ, qua dictum est: Non veni vocare iustos, sed peccatores. &, Gaudium est in cœlo *Matth. 13.* *Matth. 9.* *Lucæ 15.*

super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm supra nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia: itaque magnus medicus non moratur sanos, sed lãguentes. Magna salus non requirit firmos, sed collapsos. Igitur magis filius Dauid peccatoris, quàm Abrahæ iusti.

Quintò, sacra scriptura docet, sinum Abrahæ esse locum refrigerij: imò & Christus docet primores in regno suo esse Abraham, Isaac & Iacob: dicit enim infrà, cap. 8. Multi venient & recumbent cum Abraham, Isaac & Iacob in regno cœlorum. Cùm igitur Abraham designet quietem, innuit Dominus, necesse esse, vt filius sis Abrahę quieti, prius fuisse filiũ Dauid pugnatoris, angustijs & laboribus pressi. Mũdus enim prius gaudet, postea cum Saule in prælio succumbit. At filij Dauid priùs dolent (quia pariunt sicut mulier) posteà tamen regnant, sicut fecit Dauid. Christus igitur prius filius laboris, & ærumnarum, sed tandem gaudij & regni.

Luca 16.

Ioan. 16.

Nescio etiã an insignis hic Christi humilitas explicetur: qui sicut fœminas in sua generatione attexuit peccatrices, ita filiũ se voluit nominari peccatoris, adulteri, homicidæ, & propter cuius culpam tot hominum millia perierunt in Israël.

Matth. 1.

Abraham genuit Isaac &c. Hic locus multas nobis exhibet difficultates: adeò verò difficiles vt in eis explicandis multum sit à maioribus nostris sudatum. Quorum sententias, vt in Prologo dixi, in alium ego Tomum conieci. Superest dicere quid inter eas certius videri possit.

Est prior difficultas, quomodo Matthæus & Lucas, ex patribus adeò diuersis dicã: fuisse Iosephum, Mariæ virum? In qua re id sit certum, lineam Matthæi, non esse à linea Lucæ omnino diuersam. Id probatur manifestè, quia in vtraque statuitur Salatiel, & eius filius Zorobabel dux Iudæorum, vt Aggæus dicit cap. 1. & 2.

Hinc necessariò colligitur Zorobabelem duos habuisse filios: Abiud, vt Matthæus testatur: & Resa, vt asserit Lucas, qui Mosollam, & Hananias dicti sunt. 1. Paralip. 3.

Iam naturali propagatione ex Abiud descẽdit Ioseph, vir Mariæ: teste Matthæo. Porrò ex Resa (cui ducatus Iudæorũ successit) descendit Eli, siue Ioachim naturalis Mariæ pater: ac ideo Christi auus, & Ioseph generi sui legalis aliquo modo pater. Diluta igitur quæstio est, non pugnant Matthæus & Lucas: ille enim generationẽ Ioseph, hic Marię recenset.

Porrò

Porrò Breuiariũ Philonis duces numerat ex Zorobabele eodem ordine, eisdemque nominibus quibus nominauit & Lucas. Veneranda plane antiquitas.

Posterior quæstio est: Quomodo Salatiel à Matthæo deducatur in Salomonem: à Luca in Natham? Quæstio est difficillima, quam nostri seculi viri doctissimi, ita componunt: Habuit Dauid filios Natham & Salomonem: huic regnum reliquit, hac lege tamen, vt si eius posteritas extingueretur, regnum posteris Natham daretur, vt Philo dicit, hac enim ratione hi fratres regis dicebantur. 2. Paralip. 22.

Successerunt Nathani Mathath, Mena, Melcha, Eliachim, Iona, Ioseph, Iuda. Salomoni verò successerunt Roboam, Abia, Asa, Iosaphat, Ioram, Ochozias, cuius stirps a Iehu & Athalia extincta est. 2. Paralip. 22.

Salomonis ergo stirpe destructa, successit regnum filio Iudę ex Natham: fuit ille Iudæ naturalis filius, vocatus Ioas, qui passim Ochoziæ filius dicitur, quia ei successit in regno.

Ab hoc Ioas, (qui Matthæo Ozias, Lucę Mathath dictus est,) eædem omnino personæ sunt, vsq; ad Salatielem: quas nominibus diuersis Matthæus & Lucas nominant, vtpotè qui erant binomij. Hac ratione Salatiel refertur ad Salomonem, legali serie: naturali verò ad Natham.

Tertia quæstio: Cur Mattheus aliquando duos aut plures fratres nominat, vt Phares & Zaram, vt Iudam & fratres eius, vt Ieconiam & fratres eius: aliquando verò vno solo fratre contentus reliquos prætcrijt? Huius causam hanc esse arbitror: Matthæus eos solos recensuit, quibus hæreditas, & ius primogenituræ conueniebat. Qua ratione prætermisit Ismaelem, qui non fuit hæres cum Isaac. Prætermisit etiam Esau, quia primogenita sua, (ius scilicet hæreditariũ) fratri suo vendidit. Prætermisit etiam Ruben & Leui, quia licet hi essent primogeniti ante Iudam: at Iacob moriens visus est detulisse primogenituram Iudæ, quam alijs abstulit, cum dixit ad Iudam: Te adorabunt filij patris tui. Iam meminit Phares & Zaræ, quia meritò Zaram, (qui primus è ventre matris manum protulit,) cum Phares, de primogenitura contendere poterat. Item licet Christus Dominus non descendat ex familia Salomonis, (vt quę in Ochozia extincta dicitur) at meminit Matthæus Salomonis & successorum suorum, quia his ius primogeniti, id est, hæreditarium ius à Dauide concessum est. Denium meminit Ieconiæ &

Genes. 21.
Genes. 25.
Genes. 49.
Genes. 38.
4. Reg. 11.
4 Reg. 42

4.Reg.23. fratrum eius, quia tribus fratribus, filijs Iosiæ ius regni datum est: omnes enim filij Iosiæ, fratres Ieconiæ, reges fuerunt. Quia igitur Christus Dominus est hæres Dei (vt Apo-
Hebr. 1. stolus est testis,) & est hæres vineæ Domini (vt mali colo-
Matth. 21. ni vineæ eiusdem dixerunt) meritò Matthęus solos eos numerauit, qui hæredes essent promissionum Abrahæ factarum, quæ in Christo perfectæ & consummatæ sunt. Igitur
Genes. 15. terra Canaam promissa est Abrahæ & semini eius, (per quam terra cœlestis nobis omnibus promissa significatur,) Ideo numerauit Matthæus illos duntaxat, quibus eam terram hæreditandi ius conueniebat. Non igitur credant Christiani se ad generationem Christi plenè pertinere, nisi per Spiritum sanctum, corda eorum inhabitantem, ius ad hæreditatem cœlorum possideant.

Dubium alterum est: Cur fœminarum illustres in hoc catalogo tacentur: & solæ eæ quæ multis infame habentur, huic sacro ordini compinguntur? Huius rei multę mihi causæ succurrunt.

Prior est, vt intelligamus, fœminarum maculas & sordes virorum suorum dignitate purgari. Dictum enim illud verum est, non equã, sed equum pullum efficere: vt igitur materiæ deiectio, formæ præstantiâ erigitur, & nostræ naturæ paupertas, Verbi diuini vnione ditatur: ita & matrum ignobilitas in patrum luce dilabitur.

Secunda causa est: vt intelligamus, nihil esse in hac vita omni ex parte beatum. Quis credidisset, peccata & sordes etiam ad Christi generationem penetrare potuisse? ita igitur ordinauit altissimus: vt nihil esset tam splendidum, quin alicunde tenebrarum maculis fœdaretur, vt videlicet non
1.Corint.1. glorietur omnis caro coram Deo: ferat ergo opprobrium gentis quisque suæ, siquidem & Christus ipse pertulit.

Tertia causa est: Quia hoc est discrimen spiritus humani, & Euãgelici: Homo in diuitijs, delitijs, & honore gloriatur.
2. Cor. 12. At vir spiritualis libenter gloriatur in infirmitatibus suis:
Galat. 6. imò pudet gloriari nisi in cruce, id est, in abiectione & ignobilitate. Huius veritatis, etiam in sua generatione Christus specimen dedit, natus ex peccatricibus, ex pauperibus ex fa-
Matth. 13. bro Iosepho, & textrice Maria. Quòd si regios splendores etiam habuit, habuit sane, ne principes à Christi ortu viderentur abiecti.

Quarta causa est, vt vel inde Gentiles, & peccatores ius

haberent

haberent ad Christum. Quiuis enim filius iure naturali parentibus debet honorem & subsidium. Debet ergo Christus hunc honorem & fauorem omnibus gentilibus, omnibus etiam peccatoribus (si pœnituerint) quē quilibet bonus filius parētibus etiam vilibus debet. Currite ergo peccatores ad Christum, ex vobis enim matres habet, quibus fauere debebit. Planè magna contētione exigebat Abraham à seruo suo ne Isaacum filium cum gente Cananæa copularet, ne Cananæi in promissa hæreditate aliquid obtinerent. Eandē habet contētionem Isaác & Rebecca cū filio suo Iacob. At Isaac noster, nosterq; Iacob nihil horret gentiliū cōmercia, quia hæreditas quam ille habet, distributa non minuitur. *Exod. 20.* *Genes. 20.* *Genes. 24.* *Genes. 28.*

Quinta causa: Optabat Dominus ex tunc, vt summa esset concordia inter Iudæos & Gentiles: vt nulla iam esset lis inter eos, quos Christus in sua carne copulauerat. Certè cum intestina bella sunt inter principes, hac ratione adducuntur ad pacem, si matrimonia iungant: & quidem solent viri nobiles, viles homines amare & protegere, si cōsanguinei sunt. Ita videbat Christus futura inter gentes & Iudæos dissidia, curauit igitur hac ratione dissidentes componere & glutine carnis suæ alios alijs copulare. At nostrâ culpa, Domini desiderium non perficitur: cum tamen Paulus, vt rem apertam & planam dixerit, Christum in carne sua inimicitias omnes dissoluisse, & medium parietem maceriæ iam diruisse. Cur ergo Hiericho à Christo destructā reædificare conabimur? *Ephes. 2.*



Sexta causa est: In Christi generatione fœminæ viles numerantur, & hunc honorem illis Christus impertitur: vt exemplum habeant illustres filij, quibus parum respondet parētum splendor, ne viles parentes exhorreant: sed honorent, extollant, & suspiciant. Non obliuiscitur Christus parentum pauperū; ne tu obliuiscare: honorauit ille, vt honores & tu. Preualeat apud te pietas paterna, splendoris & honoris amori: cum videas nec hanc virtutē Christo defuisse. O Christe vnicū omniū virtutū specimē! Voluisti viles maiores habere vt & hic pietatis tuæ fulgor demonstraretur. *Iosue 6.*

Septima causa est, vt nemo grandes peccatores despiciat, ex quibus nonnunquam tam sublimes solent fructus oriri: Christus hic nascitur ex Ruth idololatra, Raab meretrice, Thamar incesta, Bethsabee adultera, & viricida, siquidem in viri sui mortē consensisse plusquā probabile est. At propter Bethsabee, regnum adipiscitur Salomō, quod sibi Adonias *3. Reg. 1.*

 natu

natu maior vsurpauerat: & propter Raab Iudæi terram
Iosue 2. promissam sibi cōparant. Illustria igitur gesta magni etiam
peccatores conficiunt. Ergo nec magnis sanctis penitùs fidendum nec de magnis peccatoribus penitùs desperādum.

Octaua causa est: Ne mirere si in catalogo suo Christus peccatores eosque magnos ostentet. Ostentat medicus insigniores quos sanauit ægrotos. Ostentat victor ferociores
Esaia 53. quos subiugauit hostes. At medicus noster, nostros sanauit morbos, nostros ipse tulit languores: & si gaudiū est coram
Lucæ 15. Angelis Dei, & coram Christo maius, super vno peccatore, (in quem medicus suam & sapientiam & industriam, & charitatem effundit) quàm super nonagintanouem iustis, in quibus Dei gratia non ita mōstratur: Intelligis planè, quantùm Christus lætatur, quòd fœminas illas ad pœnitentiam allexit, & nos in illis.

Matth. 12. Vltima causa est: Dixit Dominus: Qui facit voluntatem Patris mei, hic frater meus & mater mea est: vt ergo animæ peccatis olim obnoxiæ, non desperent, se etiam Christi matres esse posse, ideo adducitur eis exemplum fœminarum peccatricium, ex quibus Christus nasci non erubuit, alioqui si solæ fœminæ sanctæ catalogo attexerentur, quis confideret, suam animam Christum posse progignere? Sicut ergo iactat se Christus filiū Dauidis aliquando turpiter lapsi, non verò iactat se filium Abrahæ iusti: ita iactat fœminas vitijs fœdatas, non verò virtutibus splendentes.

Dubium tertium est, cur Matthæus tanta contentione meminit 42. generationum, dicens ab Abraham ad Dauid omnes generationes 14. Item à Dauide ad transmigrationē, & ab hac demum ad Christum? & quidem si axacte numeres, non 42. patres numerauit Matthæus, sed 40. duntaxat. Siquidem in vltimo quatuordenario solùm 12. recensentur, qui cum 28. faciunt solum 40. Quid igitur est, quod tam anxiè post 40. patres Christus nascitur? Ad hoc illa mihi ratio succurrit: Quòd sicut 40. diebus formatur masculus in vētre matris suæ, vt die quadragesimo animetur, spiritumq; rationalem suscipiat: ita quadraginta generationibus formatum est hominum genus, vt vitam, Spiritumq; sanctum, per Christi incarnationem recipiat, formatur igitur in vētre puer, non inde statim post animationem exiturus, donec integrè perficiatur: ita deificatum est per Christum genus humanū, nec tamen statim à sua deificatione exiuit è mūdo,

perfi-

perficiendum est adhuc, tantæ molis est fœtum æternitati
idoneum aptare.

Iam si 40. annis durat Israël in deserto, nec terram tanto- *Deut.* 29.
pere desideratā intrat, quanto veriùs per 40. generationes,
Israël verus caret terra vera, id est, cultu Dei vero, non figu-
rato & vmbratili? Imò profectò post 40. generationes in-
trat homo in paradisum, (verā promissionis terram.) Quia
sicut Christo nascēte, omnes nati sumus, (membra videlicet *Ioan* 17.
in capite) ita & ipso Deum vidente, nos etiam videmus. At *Rom.* 12.
Deum videre, id terra viuentium est, & paradisus Domini.

Item Moses est in monte cum Deo 40. diebus duntaxat,
ibi legem suscipiens quam laturus erat significationē exhi- *Deut.* 9.
bens, quòd Mosaicæ legis cultores, per 40. generationes so-
lùm essent Deo placituri, quibus transactis, iam Moses non
est cū Deo: id est, iam Mosaici Deo non placēt. At Christus
dicit ad Patrē suum, Ego in patre & pater in me. & iterum: *Ioan.* 14.
Non sum solus, quia pater mecum est, scilicet, in æternum. *Ioan.* 16.

Demū quadragenarius, numerus est laboris, post quē re-
quies venit, ita post 40. generationes, Christi requies adfuit.

At dices cur Matthæus has 40. generationes in tres secuit
partes, cuique parti quatuordecim generationes assignans?
Ad hoc mihi hæc adest ratio. Quia in prima tesaradecade
regimen habuerunt iudices Iudæorum, vt ex libro Iudicum
planum est. At in fine huius tesaradecadis regimen Iudiciale
translatum est in Regium regimen. Porrò in fine secundæ 1 *Reg.* 10.
tesaradecadis cessarunt reges, & translatum est Regium re- 4. *Reg. vlt.*
gimen, in gubernationē Ducum atque Pontificum. Nec sine
mysterio factum est, vt cùm vsque ad Machabæos durassent 1. *Esdræ* 3.
in regimine, Duces ex domo Dauid, & Pontifices ex tribu
Leui: at Machabæi, cùm essent sacerdotes, Pontificatum &
Ducatum sibi vendicarunt: totumque regimen erat Ponti-
ficale, vt Philo author est atque Iosephus. Sicut ergo in fine
primæ tesaradecadis translatum est regimen Iudiciale, & in
fine secundæ, translatum est regimen regium: ita erat con-
sequens, vt in fine tertiæ transferretur regimē Pontificiū &
Sacerdotale. At verò si transfertur Sacerdotium, necesse est
vt Legis translatio fiat, iuxta Paulum. Igitur Matthæus an- *Hebr.* 7.
notans tres tesaradecades, & earū mutationes, significauit,
mutationem Legis per Christum faciendam in fine tertiæ
tesaradecadis. Hoc verò est quod Paulus dicit: Cùm venit
plenitudo temporū, misit Deus filiū suum, quia videlicet, vt *Galat.* 4.
Cana-

Genes. 15. Cananæi non eijciuntur à terra, donec implerentur tempora sua, ita nec Christus venit translaturus principatum secularem, donec gubernationes illæ Iudicialis, Regia & Pontificia cursum suum peregissent.

Antequam finiam locum istum id mihi annotandum est. Exod. 12. Agnus ille paschalis, cuius sanguine superliminaria tinguntur, & seruantur qui intra domos sunt, occidebatur 14. luna, (nec enim prius fas erat occidi,) & mandabat lex immolari ad vesperam illius decimæ quartæ diei. Ita planè Christus in decima quarta generatione tertiæ tesaradecadis, & in eius fine immolatur. Cuius sanguine seruandi sunt, qui seruari voluerint. Non igitur nascitur Christus in principio tertiæ tesaradecadis: quia decima quarta generatione occidendus est: sed nascitur in decima quarta generatione, vt in eius fine, id est, in fine vitæ suæ occidatur.

De *qua natus, &c.* Quàm cautè dicit Matthæus: De *qua natus est Iesus*: vt videlicet indicaret, non conuenisse Iosephum cum Maria. Sed Mariam virginem peperisse: vbi multa spectato...

Genes. 2. Primum, quòd cùm Eua sumpta esset de Adã, dicit Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, ac ideo iure merito, subdita Eua fuit Adæ: quia ex illo sumpta est. Dicere ergo idẽ Maria Christo potest: Hic est os de ossibus meis, caro de carne, sanguis de sanguine. Quàm verè ergo Lucæ 2. dictum est, Descendit cum eis, & erat Iesus subditus illis? Habet ergo Maria ius & autoritatem in Deum filium suum.

Genes. 2. Secundum est: Adam hominum parens de terra sumitur. Exod. 2. Moses Iudæorũ legislator de aqua educitur. Christus & parens & ligislator, eorum quæ in cœlo & quæ in terra sunt, Lucæ 2. de Virgine gignitur. Tantò igitur amplioris gloriæ Christus, quàm Adam & Moses, quãtò Virgo maior est terra & aqua, quæ propter hominẽ condita sunt & tantò digniora præmia ab hoc principe hominum homines expectabunt, quam à Mose & Adam, quãtò dignior præmio est Virgo, quàm aqua & terra, quæ sunt elementa deiecta.

Tertium est: Sicut Christus nascitur ex Virgine pura, ita & Christiani si spirituales Dei filij nascituri sunt, ex puritate, & sanctitate nascituri sunt. Si peccatum aliquod illis placet, nullatenùs nascentur Dei filij. Abrenunciandum ergo Iacob. 4. est Satanæ & omnibus pompis eius. Qui enim voluerit esse huius seculi amicus, inimicus Dei constituitur.

Quar-

Quartum est: In origine mundi, dat vir fœminæ ortum, & quia nascitur Eua ex costa Adę, fit vt robur accipiat ex viro fœmina. At cùm nascitur Christus, noui mundi author, dat ortum fœmina viro, fœmina enim circundabit virum: & quia fœmina imbecillis est & infirma, vasculum scilicet fragile, (vt Petrus author est) fit vt vir noster, ex nobis nihil nisi fragilitatem & imbecillitatem contraxerit: quid enim aliud dare, quàm quod habet, mortalis infirmitas poterat? *Genes. 2.* *Ierem. 31.* *1. Petri 3.*

Quintum est: In origine mundi terreni, prior est vir quàm fœmina: at in origine mūdi cœlestis, prior est fœmina viro, quia in terrenis principia sunt meliora fines longè à principijs relinquuntur, at in spiritualibus initia amara & fragilia, sed fines longè præclarissimi.

Sextum est: Nascitur Christus in terra sine patre. Nam Ioseph putatiuus pater est. Ita nascuntur filij Dei in terra sine parentibus: nam ij quos habent, putantur esse parentes, quia Dominus dicit: Nolite vobis vocare patrem super terram, vnus enim est pater, videlicet in cœlis. At dices Christus matrem in terra habuit, ita planè, sicut & nos matrem habemus Ecclesiam. Sed sicut virtus gignendi Christum in Maria, fuit ex Spiritu sancto: ita & virtus quam habet Ecclesia gignendi Deo filios, à spiritu sancto est, vt non glorietur omnis caro coram Deo. *Luce 1.* *Matth. 19.* *1. Corint. 1.*

Septimum est: Quòd licet Christus sit natus ex Maria, in qua omnes nobilitates concurrunt, quæ splendorē generis Christo conciliare poterant: at nunquam Christus Mariam iactauit vt matrem: imò non eam vocauit matrem, sed solùm mulierem, vt in cruce, & in nuptijs patuit, videlicet, quia de Virgine secundùm carnem natus erat. Docuit igitur nos omnia carnalia contemnere, nihil terreni sapere, solam diuinitatem spectare. *Ioannis 2. & 19.*

De qua natus est Iesus qui vocatur Christus. Planè Hebræis idem est vocari, & esse. Cùm enim dicitur: Paulus vocatus Apostolus, idē est, ac effectus Apostolus. Cùm igitur Iesus, vocatur Christus, fit, vt Iesus sit Christus, id est, vnctus & lenis. Iesus ergo & vocatur & est vnctus, māsuetus & lenis: & cùm vnguētum quo Christus vnctus est, non fuerit exiguum, nec enim ad mensuram ei datus est spiritus, & ideo fit vt eius oleum in capite, descendat vsque ad barbam, (id est, vsque ad pilos barbæ hærentes,) nec id modò, sed etiam vsque vltimas oras vestimenti eius, vt nemo mortalium sit, *Rom. 1.* *Ioan. 3.* *Psal. 132.*

qui

qui si velit, olei & vnguenti & lenitatis Christi sentire suauitatem, nō possit. Est enim in omnes pius, qui pro omnibus, etiam sanguinem & vitā fundere voluit. Sed quis fuit tantæ
Exod. 20. rei author, vt Deus zelotes, vindicans peccata in tertiam & quartam generationem, nunc vitam præ mansuetudine fundat, nec vocari ferè alio nomine velit, quā lenis & vnctus?
Psalm. 93. Dominus ille exercituum, Deus ille vltionum, qui gentes
Psalm. 2. regit in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringit, nunc exercitui & cohorti Iudæorum manus porrigit vinciendas, corpus suum tradit Iudæis in vltionem, manusq́ue, pedes, & latus ferro offert, seq; tradit tanquam figulinum vas contere-
Num. 12. rendum. Quæ te tandem vicit clementia, ô mitissime rex? iactant sanè Iudæi suum mitissimum Mosen, at vbi tam fuit
Daniel. 7. ille clemens? Deus ille, cui adstant millia millium, Deus ille,
Psal. 49. cui si fumus ascenderit in ira, ignis ab eius facie exardescit. & carbones succenduntur ab eo. Qui si de cœlo intonat,
Psal. 17. mittit sagittas, & dissipat hostes, fulgura multiplicat & con-
Abac. vlt. turbat eos. Qui si aspicit, dissoluit gentes, conterit montes seculi. Viderunt te, inquit, & doluerunt montes, gurges
Psal. 133. aquarum transijt. Qui respicit terram & facit eam tremere, qui tangit montes & fumigant. Quis igitur fuit qui te adeò vnctum & mansuetum reddidit? Certè tu vnctissimus eras ex te. Sed sicut cultus ille Iudaicus, quo tunc coli volebas, figuratus erat, non quo tu propriè coli cupis: ita & furor ille tuus quem olim ostentabas, non erat adeò tibi natiuus, quàm est lenitas & misericordia.

Rursum, lex illa vetus ex se non faciebat homines pios:
Heb. 10. ideo erat necesse Deum, rigoris habitum cōtra impios præ-
Rom. 8. tulisse. Porrò, ex se lex noua sanctos facit, in quos Christus est lenissimus, quia eorum est amantissimus. Sed ô quantam Christo iniuriam infert, qui in lege noua malus est. Certè quantum ex se est, tollit à Christo nomen, eum antiquum vindicis nomen resumere cogens.

Iam quia omnis Christi vita, acta, mores & mors, summā ostendunt clementiam, benignitatem & amorem, meritò à vita benigna, leni & pia, lenis & pius, ac ideo Christus nominatus est.

Sed profectò ingentes Domino gratias debemus, quia Christus vocari voluit. Si enim olim pugiles vngebantur ad pugnam, cùm Christum audis, ad pugnandum pro nobis vnctū existima: at ea tā fuit acris pugna, vt mori oporteret

Chri-

Christum, quo nos à morte, & mortis procuratore vindicaret.

Nec id tacendum est, quòd licet multi sint diuites, nolunt tamen ita inter egenos vocari, ne eorum importunitate vexentur. Multi etiam sunt benigni principes, volũt tamen iusti vocari: ne à iuris rigore deflectere eos cogant damnati. At Christus inter pauperes, iniquos, & damnatos, Christus vocari & haberi vult: quia tantæ est clementiæ, vt pelagus charitatis continere non velit, effundere velit. Quid igitur ô Rex? num tua te pietas à iustitiæ tramite coget vnquam declinare? minimè: quia omnem iustitiam in se exercuit, vt in nobis liberè misericordiam exerceret. Non ergo Christus tantum sibi Christus, sed nobis, non sibi lenis, sed nobis, vt vel hac ratione adamantinum pectus nostrum, tam insignis vnctio emolliret.

Nec mihi à vero discordare, quod dicam, videtur: Eò Christũ sibi hoc nomen desumpsisse, vt intelligeremus, nos quidẽ ferreos esse, sed Christũ esse oleum, quo etiã ferrũ lenitur, & à ferro eblandito, ab animabus emollitis, velut à preclarissimo facinore, nomen hoc sibi imposuisse. Dictũ enim est, quòd vbi nomẽ Christi, sicut oleũ effusum est, adolescentulæ dilexerũt te. At est res adeò præclara, anima hoc oleo blanda, vt ab hoc vnico opere Christus ita vocari dignetur. Cant. 1.

Nolo tandem te hoc latere: Adeò Christus vnctus est & lenis, vt asperrima mũdi, postquàm Christo hæserunt, blãda facta sint, iam crux, tormenta, mors dulcia sunt, ex quo leni Christo coniuncta fuerunt. Vt intelligas, si blandus non es, non tibi hæsisse Christũ, & si hæsit, iniuriã illi facis qui cùm blandam reddiderit crucem, te blandum nondum effecit.

Cùm esset desponsata mater, &c. Dubia multa cogitãti verba hæc occurrerunt, quorum id primum: Cur voluit Dominus de Maria nasci despõsata? multò enim videbatur præcellere virgo nondum virata, quàm viro desponsata? ad hoc rationes multæ a Patribus adductæ sunt: nec tamen aliæ desunt.

Prior est: Sicut coniuges inuenti sunt in corruptione generis humani: ita æquũ erat, & coniuges reperiri in eiusdẽm reparatione. Et quidem ad corruptionẽ parum Eua nocuit: nisi enim Adam peccasset, nihil Eua læsisset. Vir igitur, non fœmina casum nostrum effecit, at contrà in reparationem, parum Ioseph contulit: nisi enim Maria concepisset, Ioseph nihil profuisset. Fœmina igitur non vir profecit, & Rom. 5.

sanè

Genes. 4. sanè in corruptione generis humani, vterque coniugum est carne corruptus: contrà in restitutione, vterque coniugum est carne illibatus.

Altera ratio est, ne veritas figurę, & prophetiæ rei deesset euentus. At in Isaia dicitur: Antequam sciat puer vocare patrem & matrem, auferetur fortitudo Damasci. Puer igitur erat habiturus matrem veram, patrem verò legalem: necessariò igitur est desponsata mater Iesu Maria. Iam apud eundem Isaiam dicitur: Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascēdet. Virga illa virgo Maria est: è qua flos Christus ascendit. At profectò nunquā flos ascendit è virga folijs nuda: prius enim virga folijs adumbratur & honestatur, quàm flos ascendat. Priùs igitur Maria viri vmbra & ornamento decorari debuit, quàm Christus ex ea nasceretur. Aliôqui difficile seruabitur flos, aut virga sine folijs. Sed Lector, te precor siste nōnihil: profectò folia multum præstant floribus, aliquando enim in medio folij flos nascitur, & maximè ex radice folij prodijt flos: virtus ergo folij ad florem dimanat. At non ita in Christo: non enim flos qui est Christus, è radice folij, id est, Iosephi processit. Sed flos exit de virgæ radice: ita enim dicit: Et flos de radice, non folij, sed virgæ, ascendet. vt intelligas, nihil in huius floris conceptione fecisse Iosephum, sed Virginem.

Isaiæ 8.

Isaiæ 11.

Tertia ratio, quæ rerū multarū radix est & fons: Christus non vult nasci, nisi è virata virgine, quia nunquam nascetur ex anima quæ virum non habuerit. Nosti Lector, quòd Christus in anima concipitur, ibi formatur, ibi adolescit, donec occurrat in virum perfectum: non ergo concipitur nec formatur, ex anima quæ virum non habet. Dicit Dominus Samaritanæ: Voca virum tuum, nisi enim viro fueris coniuncta, non in te nascetur filius Dei. Dices: Quísnam hic vir animæ est? Planè vir Mariæ Iosephus. Deus erat virginis Diuinus sponsus: sed Iosephus humanus. Ita propositum firmum non peccandi, firmitas illa decreti, quo voluntas Deo dicatur in cultum, illa constantia vir est, cui voluntas nubit. Si hæc tibi cōstantia desit, nō nascetur in te Christus, & nota quàm admonemur ex nominibus sponsi & sponsę. Sponsa Maria dicitur, id est, amarum mare: debet igitur constantia & propositum cauendi à peccato, contritionis amaritudini copulari, vt inde Christus nascatur. Rursus Ioseph augmentū significat. Si vis igitur in te nasci Christum.

Ephes. 4.

Ioan. 4.

Et in

ſit in te augmenti & proficiendi propoſitum. Si ergo anima deſolata eſt, viro carens erat ciuitas ſola ſedens populo, ſed non Deo plena: nō ibi naſcitur Chriſtus. Meritò enim curabat Pharao, ne Hebræis fœminis, maſculus ſeruaretur, ſolas volebat ille fœminas, ita & diabolus, tunc ſolum ſibi timet, cùm maſcula conſtantia animo copulatur. Sed aduerte, ſicut è Maria Chriſtus non naſcitur, niſi ſit deſponſata Ioſepho, at Ioſephus Chriſtum non efficit, eſt enim Chriſtus de Spiritu ſancto, Virgine præſtante cōſenſum: ita Chriſtus non naſcitur in anima, quæ propoſitum & firmitatem non habet. At non efficitur ex propoſito Chriſtus, gratiam enim ſolus Deus præſtat, ſed huic gratię (ſiue huic qui naſcitur Chriſto) voluntas pręſtat conſenſum. Vt longè in hac re ſcias erraſſe Lutherum.

Trenor. 1. *Exod.* 1. *Matth.* 1. *Pſal.* 83.

Dubitatio ſecunda: Rectè quidem Chriſtus è deſponſata naſcitur, ſed cur non ex iam cōiugata? Cur voluit Dominus poſt deſponſationem, & ante nuptiarum celebrationem ex virgine naſci?

Ad hoc prior reſponſio eſt, non eſſe in hoc ſeculo nuptiarum celebritatem cum Deo: hæc feſtiua celebritas in cœlo ſperanda eſt, non in terra. Vt peruenias ad celebritatem nuptiarum diuinarum in cœlo, prius neceſſe eſt tibi naſcatur Chriſtus in terra. In qua nō naſcitur homo ad feſta nuptialia, ſed ad laborem, ſicut auis ad volatum. Igitur hic compatimur, vt triſtitiam habet mulier pariendo: ſed illic conglorificamur, quia filius in mundum natus fuit.

Iob 5. *Ioan.* 16. *Rom.* 8.

Altera reſponſio eſt: Si nondum natus eſt Chriſtus in anima tua, & in te nuptialia feſta peraguntur, non illa feſtiua ſunt gaudia, ſed nòxia venena. Caue gaudeas id hoc ſeculo, niſi nato Chriſto imo & ablactato. Sicut Abraham celebrat feſtum in die ablactationis filij ſui.

Geneſ. 21.

Tertia reſponſio: Adeò Deus eſt opum ſuarum, imò & ſui prodigus, vt ſimul ac anima ſe illi ſubdiderit, ſtatim ei largiatur opes, quas habet: & quia nihil habet maius filio ſuo, hūc eundem filium quem ſibi ab æterno peperit animæ filium facit. Non expectat igitur feſta, non nuptialia præparamenta. Eodem momento, quo ſe anima illi tradit, eodem ille ſe animæ tradit, tanto ei filio conceſſo. Vbi nimium ſtupio Dei dignationem. Quòd enim filius Dei ex intacta virgine oriri voluerit, grandis dignatio fuit. At quòd idem naſci dignetur ex anima priùs fornicaria,

Ierem. 3.

quæ multis se amatoribus subiecit, id summa dignatio est.

Postrema ratio: Vt intelligãt coniugati, quàm sit difficile in eis perfectũ nasci Christum. Sanè virgo desponsata, cogi-
1. Cor. 7. tare potest quæ Dei sunt. Nec dum enim domum habet, nec dum cogitat quomodo suo placeat viro. At quæ iam cõiugata est, diuisa est. Cor habet in multas dissectum curas: non igitur facilè admittit Christi in se cõceptionem perfectam.

Tertia dubitatio est: Cur Matthæus meminit vteri virginei. An non honestius dixisset: Inuenta est prægnans de Spiritu sancto? Quorsum igitur de vtero mentio? Respõsio: meritissimè fieri meminit vteri, vbi Deus factus est homo, vt sciamus impletas esse veteres de hac re prophetias. Dictũ
Psal. 84. enim erat: Vt inhabitet gloria Domini in terra nostra. Veritas de terra orta est, iustitia de cœlo prospexit. Dominus dedit benignitatem, & terra nostra dedit fructum suum. Cùm igitur opere Spiritus sancti, nascitur in vtero Christus, habitat gloria Domini, in vtero terræ. Iustitia diuina aspexit virginem, adamauit eam: clausus Deus est, & ortus in vtero eius, sicque veritas de terra orta est. Itaque dedit Dominus benignitatem in vtero virginis quæ fructum suum, (id est non ex viro aliquo natum) protulit. Rursum dictum erat:
Isaiæ 45. Rorate cœli desuper, aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Cùm audis virginem concepisse Gabriele: facilè intelliges defluxisse de cœlo rorem, terramq; vteri virginalis fœcundatam, & germinantem Saluatorem. Item dictum erat: De-
Psal. 71. scendet sicut stillicidia stillantia super terram. Stillæ de cœlo sunt, ac imbibuntur in terra. Inuenitur igitur Deus in vtero: multùm ergo habet cum hoc vtero Deus.

1. Cor. 15. Sed Euang. dicit: In vtero habens de Spiritu sancto. Sanè primus homo de terra, & secundus homo de Spiritu sancto: quia videlicet ille prior homo erat terrenus terrena sapiens. At secundus homo spiritualis est, non carnis voluntatem faciens, sed spiritus: Erige oculos. Si primum hominem peccatorem spectes, dices eius animam adeò terrenam effectam: vt ille homo totus terra ferè dici possit: ita si Christũ spectes, licet carnem habeat: adeò tamen spiritalis illa caro est, vt totum ferè dicere possis esse spiritũ sanctum. En tibi exemplum: Vides Christum conspui, flagellari, crucifigi: quænam præcor, caro, (quæ caro solummodò esset,) tanta pati potuisset, non maledicens, non clamitans: sed perinde
1. Petri 2. tacens, ac si caro non esset, sed spiritus esset? Meritò igitur

Christus

Christus dici potest totus de Spiritu sancto. Non solũ quia Spiritus sanctus autor fuit suæ formationis, sed etiam, quia nihil ferè in Christo nisi spiritus monstrabatur. Adeò vt spiritus videretur carnem absorbuisse, vt verum esset illud: Spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit me. *Isaiæ 61.*

Nolo tamen à communi via discedere, qua dicitur Christus natus de Spiritu sancto, quia Spiritus sanctus Christum formauit. Sed statim suboritur quæstio, cur non hæc formatio etiam verbo æterno tribuitur, aut Patri, aut certè toti Trinitati? Ad quod prima ratio occurrit: Quia Spiritus sanctus est distributor omnium gratiarũ & donorum, quorum quia in Christo plenitudo fuit, ideo Spiritus sanctus est autor conceptionis Christi, è cuius plenitudine, nos omnes accipimus: est igitur Christus de Spiritu sancto, id est, plenitudo omnis gratiæ, est de fonte & pelago gratiarum. *1. Cor. 12.* *Ioan. 1.*

Secunda ratio fuerit: Non solùm anima Christi, sed & caro Christi viuificat, vitamq; spiritualem eam comedenti largitur, & vt habet in tertia parte Thomas, non solum humanitas Christi, gratiam tribuit meritoriè, sed etiam quadantenus efficienter. Sicut enim ignis efficit ignem, ita Christi humanitas gratiã præstat, & consequenter spiritum sanctum. Quod si ita est, necesse est carnem igneam esse, quę ignem efficiat: & ita necesse est carnem Christi, ferè in spiritum transisse, si Spritum sanctum datura est. Meritò ergo illa humanitas est de spiritu, quæ ita in spiritum absorpta erat, vt spiritum largiretur. *Quæst. 8. art. 1. ad 1.*

Tertia ratio est: Duos fecit Deus mũdos, alterũ naturalẽ quem intuemur, alterũ spiritualẽ & diuinũ, qui per Christũ incepit. Sicut enim ex Patre duæ sunt processiones, altera per modum naturæ, qua processit ex Patre Filius, altera per modum gratiæ & amoris, qua ex Patre & Filio prodijt Spiritus sanctus: ita & duo cõditi sunt mũdi, alter in quo natura suam extulit vim, alter in quo gratia resplendet. Iam prius est quod animale & naturale: posterius quod spirituale. Mundus igitur ille naturalis & prior tribuitur Patri, quæ prima persona est in Trinitate: & ita dicimus: Credo in patrem omnipotentẽ factorẽ cœli & terræ. At cùm in Spiritu sancto omnino gratia splendeat, meritò mundi gratiosi ei origo conceditur. Cùm igitur Christus nos omnes in suo corpore cõprehendat, ipse mũdus est spiritualis. Igitur corporis Christi, (id est, mũdi noui) generatio de Spiritu S. est. *1. Cor. 15.*

Posteaquàm Ioseph inuenit sponsam suam prægnantem, cùm esset iustus, nec eam vellet infamare, voluit occultè dimittere. Igitur cõiugati, (quibus misera hæc contigit sors vxoris adulteræ) splendidissimum habēt exemplū, quid sint in ea calamitate facturi. Videlicet, vt potius ad clementiam, quàm ad crudelitatem confugiant.

Secundò, habent omnes viri spirituales speculum, vbi vitam suam aspiciant. Quis vnquam credere potuisset, tam Iosephum à Mariæ suspicione vexatum? Imò quis credere potuisset, tam lætā Mariæ conceptionē, & imprægnationē tam dulcem, tam amaro felle condiri & temperari? Videbat Maria Iosephum tristem & suspiciosum. Erat Mariȩ Ioseph cõspectus amarus. Videbat Mariam Ioseph prægnantem & tristem, erat hoc illi fel, & absinthium. Quis crederet in tam dulci consortio, tantum fellis cadere potuisse? Nulla ergo in terris tam læta festiuitas, nulla tam dulcis societas, quæ à fellis & amaritudinis labe euadere possit. Quid? Non modò vexaberis ab extraneis, imò ipsi domestici tui, qui edunt tecum quotidie, cum quibus in domo Dei consentiente ambulas, ipsi magnificabunt super te supplantationem.

Matth. 7.
Psal. 40.

Tertiò tamen libet hanc rem pensitatius expēdere. Suprà dixi animam suo proposito firmo, copulari & nubere. Quid est igitur, quod propositum hoc (cùm iustum & sanctum sit) suspicatur, timet & occultè vult dimittere prolem, iam in animo conceptam? Certe propositum illud iustum & sanctum adeò est: vt qui iustus homo sit, ab eo maximè iustus sit censendus. Sed contingit hominem propositi quidem vitam seruare à pccatis puram, at non nimis excelsam, mediocrē, nõ sublimem. Cùm verò se sentit ad maiora instigari, cumque eius voluntas velut vrgetur ad magnam perfectionem: celsitudinem hanc. & velut ventris tumorem non approbās, nec vituperare audēs, clam dimittere tentat. Id secum mente reuoluēs, satis esse ad cœlum assequendum, si laxior vita, & à tanta prolis sanctitate aliena fuerit. Itaque nec Mariam, id est, mare amarū: neque vteri eius tumorem ac celsitudinem patitur, sed fugam meditatur & parat. Idque maximè vsu venit ijs, qui ad magnam perfectionem instigantur, cum nonnullo aliorum dispendio. Vt putà, cum coniugatus ita Dei amore succenditur, vt vxoris illecebras refugiat, & cum curatus ita ambit monachatum & solitudinem: vt populi sibi commissi curam cupiat abijcere. Isti

quidem

quidem cùm ventris sui tumorem, & ad sublimia conatum aduertunt & expendunt, nonnunquam putant, non hunc conatum ex Deo esse, sed ex dæmonis forsan adulterio. Et tunc cùm nec prosequi, nec vituperare audeant, occultè dimittere volunt, & vitam sequi priorem. Quibus hoc consilium dandū erit: vt Angelum requirant, id est, virū sanctum & doctum, à quo quid sint acturi doceantur.

Ad nostrum Iosephum redeo. Inquit textus: *Hæc eo cogitante, apparuit illi Angelus in somnis*. Cur verò virgini in vigilia Angelus monstratur: in somnis verò Iosepho? Prior ratio est: Annunciat Angelus virgini filium de Spiritu sancto nasciturum: rem sane spiritualem. At Iosepho apparet, timorem ab eo ablaturus: rem certè humánam. Vt igitur intelligas spiritualia esse veritatem, humana verò esse veluti somnia: ideo apparet virgini vigilanti, Iosepho verò dormienti.

Posterior ratio est: Conceptio Christi, (noui filij) non nisi in vigilia est: quia etiam conceptio Christi in hominis voluntate, in vigilia fit: non nascitur Christus homini somnianti & desidi, sed nascitur homini expauefacto terroribus inferni, abominanti sordes peccati, dolenti iacturam cœli, cupienti veniam criminis. Hec verò non dormienti contingunt, sed nimium attento & vigilanti. Sicut enim Mariæ plenus ille consensus ad filij conceptionem requiritur: ita & in anima idem consensus plenus, non deses, non somniculosus, sed Dei recipiendi auidus, expectatur. At non in Iosepho consensus aliquis exposcitur: ideo melius reuelatio ei in somnis fit quàm in vigilia. Igitur vt rem breuiter intelligas: vbi consensus voluntatis postulatur, tunc reuelatio in vigilia fieri debet: at vbi nihil aliud quæritur, quàm illuminatio intellectus, quæ passio est, non perinde actio, ibi reuelatio in somnis fieri solet. Adde his: Cùm Christus in anima nascitur, Deo anima desponsatur. At desponsatio per consensum vigilem necessario fit: sed cùm anima lumine diuino eruditur, id non requirit.

Postrema ratio est: Per annunciationem virginis, cœpit gloria esse in terra nostra, cœpit beatitudo esse in miseria nostra, regnum cœlorum appropinquauit nostræ infœlicitati. At gloria & beatitudo nihil habet de somno: tota vigilia est. Ideo vigilanti virgini annunciatur. At per annunciationem Iosephi, pueri Iesu & matris eius cura Iosepho man- *Psal. 84.* *Matth. 4.* dei ... math. 21

mandatur. Hæc verò cura temporaria est veluti somnus.

Angelus igitur Ioſepho apparens, timorem illi excutit, dicēs: *Ioſeph fili David noli timere accipere coniugem tuam.* Vbi Lector aduerte: tria duntaxat matrimonia à Deo ipſo immediatè mandata, memoriæ meæ occurrunt. Primum fuit Adæ & Euæ in paradiſo. Hos enim Deus ipſe coniunxit. Secundum fuit Oſeæ cum vxore fornicaria: hoc enim fuit Deo mādante ſuſceptum. Tertium fuit Ioſephi cum Maria, non quidē fornicaria, ſed de fornicatione ſuſpecta. Primum illud fuit in ſtatu innocentiæ, ſecundū in ſtatu legis veteris, tertiū in initio nouæ. Putáſne hęc myſterio carere? minimè. Sed in ſtatu innocentiæ cupiebat Deus ſibi aſciſcere filios inculpatos & immaculatos, ideo innocentes, nullaque labe reſperſos in matrimonium coniungi. At in lege veteri Deus erat habiturus filios infideles, & qui ad iracundiam in idolorum cultura eum prouocarent, denique filios erat habiturus cum idolis fornicantes, ideo fornicariam cum Oſeæ matrimonio iūgit. Porrò in lege gratiæ vnitur Deus animæ quam mundus odit, quam vt malam mundus ſeparat, quam denique mundus de fornicatione inſimulat, licet ſit ipſa reuera innocens: ideo matrimoniū innocentis, ſed ſuſpectæ Mariæ inſtituit, dicens Ioſepho per Angelum: Noli timere accipere coniugem tuam. Adde: Cum anima fornicata prius cum amatoribus multis, Deo conſentit ad prolem, profectò licet ab hominibus fornicatrix reputetur, at Deo innocens eſt. Ex quo enim Deo copulata eſt, innocens reddita eſt & immaculata. Recole Magdalenam, quam etiam Euangeliſta peccatricē nominat, hæc vbi Deo iuncta eſt, Mariæ virginis typus elegans fuit.

Geneſ. 2. *Oſeæ 1.* *Lucæ 1.* *Deut. 32.* *Oſeæ 4.* *Mat. 5. 10.* *Ierem. 3.* *Lucæ 7.*

Adijcit. *Angelus dicere Ioſepho: Vocabis nomē filij Ieſum.* Vbi ego multa intelligo. Primum, proprium ius parentum eſſe, filijs imponere nomen: ad nullū enim alium hæc iuriſdictio ſpectat. Cum ergo Ioſepho ius hoc tribuitur à Deo, mihi videtur, Ioſepho collata in Ieſum ea autoritas & iuriſdictio, quam pater in filios habet. Quod Chriſtus manifeſtauit, quando erat ſubditus nō ſoli Mariæ, ſed etiam ipſi Ioſepho. In hoc igitur grandis Chriſti oſtenſa eſt humilitas, qui non ſolùm Mariæ, ſed etiam Ioſepho filialiter ſubdi cupiuit. Porrò quia à Deo nulli datur honor ſine onere, neceſſariò fit vt Ioſephus qui patris honorē in Chriſtū accepit, paternā etiam de Chriſto curam ſuſcipiat. Sed quanta maieſtas eſt, eius

Lucæ 2.

eius gerere curam, qui omnium curam habet? & rursum, quam magnifice retribuetur Iosepho, pro omnibus quæ retribuit Christo! An non maior Ioseph noster, curā Christi gerens, quā antiquus ille Ioseph AEgypti curator? certè quo maior est Christus AEgypto, hoc maior est cura Christi quā AEgypti. Secundum est: Dicit Psalmus: Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat. Illius igitur est vocare, cuius est numerare. & dicitur in Genesi: Appellauit Adam nominibus suis, cuncta animantia, videlicet, sapientissimus Adam, qui rerum naturas probè nouerat, iuxta eas, rebus nomina ponit. Si igitur Ioseph Christo nomen ponit, seu vocat, ergo Christū probè nouerat: alioqui psitacus esset, Christo nomen tribuens, quod non intelligeret. Quantæ verò magnitudinis est, Christum intelligere? Christum probè nosse? Beatus est, qui patrem cognoscit, & quem ille misit Iesum. Et beatus est Simon Bariona, quia Christum Dei filium nouit. An non & beatus Ioseph, qui ita nouit Christi naturam, vt illi posset imponere nomen? Ex quo tertium intellige: Primus virorum qui Christi celsitudinem nouit, Ioseph est: nouit prius, puer Baptista: sed adhuc in vtero matris. Porrò ex viris integris primus Christianus, primus qui Christo hæsit, Ioseph fuit. Cui accessit dignitatis gradus, quod non hominem, sed Angelum, Ioseph meruit habere magistrum, à quo didicit Christum vocandū Iesum, id est, Saluatorem, vel salutem, vel salutare: ipse enim est, qui saluat populum suum à peccatis eorum.

Psal. 146.

Genes. 2.

Matth. 10.

Matth. 16.

Matth. 1.

Vbi iam dubium occurrit: Cur in vniuersum, Saluator vel salus nominatur, qui non ab omnibus malis, sed à peccatis dicitur saluare dūtaxat? Certe meritò Saluator dicitur, licet solùm à peccatis saluaret, sicut & Iosue saluator dictus est, solùm saluans à bellis. Sed profundius penetra, duplicia profectò sunt mala, à quibus saluari egemus: scilicet, mala animæ quæ peccata sunt, & mala corporis, quæ sunt temporalia: ab his malis temporalibus Christus non vult in hoc seculo saluare, imò frequenter nos in ea conijcit. Saluat certè ab eis, si ita necesse est ad animæ salutem, at si non est ita necesse, non est malum in ciuitate, quod non fecerit Dominus.

Sed adhuc introspice: Nullum malum pœnæ fuisset, nisi malum culpæ præcessisset: propter peccatum enim mors cum satellitio suo introiuit in mundum. Si igitur Christus

Amos 3.

Rom. 5.

 saluet

ſaluat à peccato,id eſt,à radice malorum, ſaluabit etiam ab omnibus malis .Saluabit planè in regeneratione cùm venerit iudicare.

Sed & nunc ſaluat ab omni malo. Si enim Paulum vides
Rom. 8. ſuperiorem morte,inferno,& anguſtijs omnibus:ſi vides in omnibus ſuperantem propter eum qui dilexit nos. Si vides
Galat. 6. gloriantē in tribulationibus,an non cōuinceris Chriſtū eſſe ab omni malo ſaluatorē in hoc ſeculo?Miſera noſtra conditio nos noſtris malis ſubdit,quos gratia Chriſti ab eiſdē ſaluauit.Gratia nos Chriſti omni malo ſuperiores effecit: ſeruauit igitur ille nos:ſi nos ſeruari nolumus,culpa noſtra eſt.

Nec æquum eſt illud ſilere : Salus temperatio eſt , & mediocritas omnium humorum : vide igitur , nuſquam hanc mediocritatem in ſpiritu ſenties , niſi cùm in te habitauerit Chriſtus. Rem dictu miram, accipe hominem penitùs perditum , ſi intrauerit Chriſtus, inueniſti hominē reparatum: videlicet eſt Chriſtus ſalus & temperatura contra omnia vitia . Verè ſic eſt: virtus dicitur medium inter extrema, Chriſtus eſt hoc medium , cùm ſe intra viſcera clauſerit hominis, ſalus ſaluum hominem reddit.

Hoc autem totum factum eſt (inquit Matthæus) *vt Iſaias ve-*
Iſaiæ 7. *rus monſtretur,qui dixit*: *Ecce virgo cōcipiet & pariet*.Sat videri poterat dicere:Ecce virgo cōcipiet.Sed quia tam cōceptio, quàm partus miraculoſa fuerunt,ideo vtrumque recolitur. Conceptus ſine ſemine miraculum eſt. Rurſum partus ſine clauſtri apertione,item miraculum eſt. Pariet igitur filium, & vocabitur Emmanuel.

Dices quomodo conueniunt, Vocabitur Ieſus : Et vocabitur Emmanuel?Certè textus Iſaię dicit Hebraicè,Vocabis
Iſaiæ 7. Emmanuel. Vbi vocabis,quia fœminini generis eſt, ad matrem filij referri debet: vt ſit ſenſus, Virgo concipiet, & pariet,& ipſa vocabit eum Emmanuel.Quod ita eſſe ego facilè credo. Sentiens enim ſe Virgo tanto filio fœtam,& intelligens Dei tantam dignationem , illa hoc nomen ſuo fœtui nominauit : Nobiſcum Deus . Sed mecum illud expende. Poterat planè Deus eſſe nobiſcum ad iudicandum nos , ad caſtigandum,ad perdendum. Vt igitur intelligant homines Chriſtum non veniſſe , vt iudicet mundum , ſed vt ſeruetur
Ioan. 3. mundus per ipſum,ideò noluit nomen quod horrori impiis eſſe poterat : ſed illud nomen accepit , quod in ſe nomen Emmanuelis clauderet , & ſalutem quam cupiebat efficere,

ape-

aperiret. Apertū enim eſt: Si Deus ſalus noſtra eſt, nobiſcum planè eſt. Salus enim intra ſaluum eſt, non extra. Ideo enim nos ſibi tanquam ſui corporis membra coniunxit, vt ſicut corpus ſanum, membra ſana reddit, ita & ipſe ſalus noſtra eſſet, nos ſibi coniungens. Eſt igitur nobiſcū vt corpus cum partibus, caput cū corpore. Id verò nulla ratione fieri poſſe videbatur, niſi Deus ſe hominē reddidiſſet. Libet enim mihi inter fideles hanc regulam ad intelligendas Scripturas adhibere: Cum aliquid de Chriſto dictum inueneris, verificandum eſt de eo ſummè: quantum veritas pati potuerit. Volo dicere: Audis de Chriſto, Ego ſum pauper & dolens, ſalus tua Deus ſuſcepit me. Verifica igitur in Chriſto ſummam animi paupertatem. Rurſum ſummum ei in paſſione tribue dolorem, & demum intellige, ipſum à Patre fuiſſe ſummè in reſurrectione ſuſceptū. Ita cùm audis Chriſtū eſſe nobiſcum Deum, intellige modum ſummum, quo Chriſtus potuit nobiſcum eſſe, & illum Chriſto concede. Quia igitur modus ſummus exiſtendi nobiſcum erat, ſi ſubſtantialiter & perſonaliter nobis vniretur, modum hunc Chriſto tribue: cùm enim Deus opera ſua iactat, non niſi ſumma opera iactat. *Pſalm. 68.*

His auditis ſurgit è ſomno Ioſeph, & facit, ſicut ei præcipit angelus. At nos nō facimus, ſicut nobis precipit Deus. Certè Deus erat qui per Angelū loquebatur Ioſepho, at nobis Deus ipſe loquutus eſt in Filio, qui etiā loquutus eſt. Cur ergo non facimus quæ ille præcepit? Planum eſt: quia non ſurgimus è ſomno cum Ioſepho, imò nō ſurgimus è morte: nec enim immeritò dixit Zacharias Chriſtum veniſſe illuminare his qui in tenebris (ſomnū audis) & in vmbra mortis ſedent. Iam audis & mortem. Nec fruſtrà Paulus clamat: Surge qui dormis, (ſomnum noſtrum audiſti) ſurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus. *Heb. 1.* *Luca 1.* *Ephes. 5.*

Claudit Matthæus primum hoc caput, dicens: ***Non cognouit eam donec peperit filium ſuum primogenitum.*** Vbi nota quòd ſicut Deus pater vnicū habet filium de ſe naturaliter genitum, qui primogenitus Patris dicitur, iuxta Paulū dicētem: Cùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli eius. Cum igitur primogenitus Patris dicitur, non fit, vt Pater alios habeat filios de ſe naturaliter genitos: Fatemur enim Chriſtum Dei filium vnigenitum, ita correſpondenter: Virgo ſacra vnū habet filium primogenitum, qui & vnigenitus eſt. Et ſicut Pater habet *Hebr. 1.*

alios filios adoptatos, ita habet & virgo, inter quos principem locum habet Ioannes Euangelista, cui dictum est: Ecce mater tua.


Ioan. 19. Porrò & illud penitùs contemplare : Dixi suprà duos mundos à Deo conditos, scilicet naturalem hunc, & spiritualem, id est, Christianum. Iam in mundo naturali Christus est primogenitus omnis creaturæ, & ante omnem creaturam: hac tamen lege, vt omnis creatura in ipso sit, & in ipso viuat. *Ioan. 1.* Dicit enim Ioannes: Quod factum est, in ipso vita erat. Itaque omnes res mundi sunt in verbo Dei, in quo viuunt, in seipsis planè aliquando viuunt: aliquando languescunt, aliquando moriuntur. Has verò mutationes non patiuntur res in Christo, quia in ipso vita sunt. Ita penitùs in mundo gratiæ, Christus est Mariæ primogenitus: hac lege vt in ipso omnes homines viuant. *1. Corin. 5.* Vt enim in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur. In Christo igitur omnes habemus gratiam, omnes resurreximus, omnes ascendimus, omnes cum illo sedemus in cœlestibus. *Ephes. 2.* Si languemus, si peccamus, si denique damnamur, in nobis hæc patimur non in Christo. *2. Cor. 6.* Dicebat Paulus: Non angustiamini in visceribus nostris, angustiamini in visceribus vestris: quantò verius, & fœlicius, id dicet Primogenitus noster?

Demum proprium est primogenitorũ, ipso iure sequentes, alere fratres, licet adoptatos. Clamemus nos ad Christũ, vt alat nos. Faciet ille vero. Vt cui non desunt, quæ tribuerit alimenta: nec enim dando minuitur quod habet.

Nota: Christus non solum dicitur primogenitus Patris & totius esse, & primogenitus matris: sed etiam dicitur primogenitus ex mortuis: id est, primogenitus mortis & non esse. *Colos. 1. et Apoc. 1.* Itaque primus quem mors & non esse ad vitam & esse immortale prodiderunt, Christus est. Ipse est primus: & ipse vltimus. Si enim mors parit fideles ad vitam, non parit in se: sed peperit in Christo. Vt enim moriente illo, omnes mortui sumus: ita edito ad vitam è morte, omnes etiam editi sumus. Ipsi gloria in secula seculorum.

CAPVT II.

Cùm natus esset Iesus.



VR natus sit Dominus in Bethlehem, digna res est, quã tractemus. Et primum natus ibi est, & ibi adoratus, vt responderet veritas figuræ. Dauid paruus corpore, sed pulcher aspectu, viribus fortis, cantu suauis, (quo dæmonem e Saul expellebat,) hic Dauid in Bethlehẽ inũgitur, 1. Reg. 16. & inauguratur rex Israëlis: ita Christum humilem aspectu, sed pulcherrimum spiritu, potentissimũ robore, qui fortem Psal. 44. armatum deiecit, qui suo cantu & prædicatione dæmones Lucæ 11. è nostris fugauit mentibus, conueniebat inungi Regem in ciuitate Dauid.

Secundò: Arca Domini adducta est à Dauide in Bethlehẽ, 2. Reg. 6. idq; cum magno populi iubilo. De quo refertur in Psalmo: Memento Domine Dauid. Multo melior arca fuerat Christi Psal. 131. humanitas, in ventre virgineo clausa: in ea enim omnes cœlestes thesauri reconditi sunt. Hæc igitur arca induci debuit in Bethlehem, & ibi nasci cum magna Angelorum, Colos. 2. Pastorum, Magorum, Ioseph & Mariæ lætitia.

Tertiò: Vbinã erat nasciturus panis de cœlo, panis Angelorũ, panis viu⁹, panis vitæ, nisi in domo panis, quę Bethlehẽ est? & vbi debuit nasci germẽ, & fructus terrę sublimis, nisi in Ioan. 6. ciuitate fructifera? ipsa est Bethlehẽ Ephrata. Nec immeritò nascitur in Bethlehẽ Iudææ, id est, in domo panis & confes- Isaiæ 4. sionis, siue laudis. Nulla enim vnquam tanta laudandi Deum ratio fuit, quam quia Deus panis noster factus est. Quodque cùm panis noster esse voluerit, nõ se in arca clauserit, sed in domo panis se exhibuerit. At nõ nisi in presepio reclinatus: vt ostẽderet & nos iumẽta esse, & hãc esse huius edẽdi panis rationẽ, si iumentum efficiaris, id est, stultus vt sapiens sias.

Cùm igitur natus esset Iesus in Bethlehem Iudææ, ecce Magi ab 1. Cor. 3. *Oriente venerunt*. Ergo non solum Christus exaltatus à terra Ioan. 12. omnia trahit ad se: sed etiam natus in terra omnia trahit ad se. Ergo non solùm exaltatus in cruce habet hamum quo cunctos venetur, sed etiam reclinatus in præsepio. Potentior videri voluit Christus in vilitate, quam in maiestate. Cùm enim esset in gloria sua pauculos adduxit ad se: at cùm esset in præsepio, id est, loco iumentorum & in cruce, id est, loco latro-

latronum,ibi aperuit gloriam suam,& omnia vocauit ad se. Certè cùm Adam formatur in paradiso, omnia animalia
Genes. 2. aduocauit coram se, vt omnibus suum imponeret nomen: ita cùm Christus nascitur in stabulo omnes gentes allicit ad se, vt omnibus benedicat, & nomen Christianitatis im-
1.Cor. 15. ponat.Prior homo de terra terrenus,terrenũ & temporale nomen dedit rebus: at posterior Adam, nomine æterno hæreditauit eos qui in Regibus Magis sibi voluerint esse fideles. Veniunt ergo iumenta ad formatum Adam, non vt edant, sed vt nomen accipiant. Veniant item iumenta ad formatum Christum, ad stabulũ, ad præsepium & domum panis, non solùm vt Christiani nominentur, sed vt vitam
Ioan. 10. habeant,& abundantius habeant: & certè si ad domũ panis venerint,cùm natus sit panis in domo panis,non deerit fa-
Isaiæ 55. melicis cibus.Omnes igitur sitientes & esurientes venite ad aquas & ad panem.Isaias dicebat:Filij tui de longè venient,
Isaiæ 60. & filiæ tuæ de latere surgent. Horum primum in Magis de longe venientibus impletur. Alterum relinquitur implen-
Ioan. 19. dum in die mortis Christi,cùm Ecclesia de ipsius latere surget. Et quidem venientibus Magis ad adorandum Dominum(cũ Magi Reges fuerint,) comitia in stabulo celebrata sunt. Christus Rex inauguratus est. Reges Regem adorant nouum.Nec enim par erat vt Rex mundi ad nos aduenien vt homo: non à regibus vt Rex adoraretur.

Hoc verò vnum volo te Lector non latere.Mihi quidem hic Magorum aduentus videtur vnum è summis miraculis à Christo in hoc mundo editis. Planè video grande miraculum in latronis ad Christum crucifixum conuersione. Et
Lucæ 23. ita decebat, vt in die quo effudit Deus sua in nos viscera, miraculum tantæ conuersionis efficeret.Sed interim specta pendentem Christum, suæ pietatis thesauros aperientem, latronem proximum, miracula quæ fiebant. Hæc omnia pectus latronis illuminabant vt Christũ agnosceret. Porrò non nisi miraculum grande fuit, quòd Reges sapientes,tam longè dissiti,tam subitò,tam inclementi cœlo,per regiones ignotas, cum capitis periculo, Christum in stabulo adorauerint. Non igitur immeritò Matthæus dicit: *Ecce*, quasi rem vehementissimè stupendam.

Sed quæres: Si viri hi præstantissimi Reges fuerunt, vt vulgi fama est, vt etiam Ecclesia in Magorum picturis admisit, & vt sanctorum Patrum tradidit autoritas. Ita enim habet

habet Athanaſius, de Varijs Quæſt. q. 2. & Tertull. lib. 3. contra Marcionem. D. Anton. 3. par. titul. 6. quibus adde eos qui à me adducti ſuprà ſunt. Iam ſi Magi Reges fuerunt, cur non eos Matthæus reges nominauit?

Prima cauſa vt arbitror eſt: quia Magis è re noſtra, & Dei erat, vt ſapientes teſtimonium de Chriſto redderent quàm reges. Reges enim ferè ignorantes ſunt, aliorumque ſententiam ſequuntur, & cùm ſapiunt, ſapientum reguntur conſilio: maius ergo teſtimonium eſt à Sapientibus, quàm à Regibus.

Secunda cauſa fuit: vt quia primi qui à Deo deſciuerunt, ſapientes fuerunt: ita primi qui Deum quæſierũt, ſint etiam Sapientes. Vox Dæmones, Sapientes ſignificat, Magi item ſapientes. Dæmones cadunt, Magi igitur reſurgãt. Vt intelligas quòd ſicut nihil periculoſius ſapientia ſibi relicta, ita nihil excelſius ſapientia diuino lumine illuſtrata. Illa facit dæmones, hæc Magos.

Tertia cauſa eſt: vt oſtendatur, quàm æquum erat, vt qui rex futurus eſſet, ſapiens eſſet, quique ſapientes eſſet gubernaturus, ſapientiam, qua gubernaret, haberet.

Quarta cauſa eſt: Corã principe Chriſto, nullus fidelium vocari rex debet. Coram Sole remittunt ſtellæ lumina ſua. Corã Chriſto igitur Imperatore ceſſet regũ nomenclatura.

Quinta cauſa: Chriſtus rex venit miniſtrare, & non miniſtrari, nec patitur vt inter ſuos ſuperbè reges dominẽtur: ſed qui maior eſt inter vos, ſit ſicut miniſter: ideo in principio ſui regni, ſeu potius miniſterij, noluit hos vocari reges, ſed Magos. *Mat. 20.* *Matth. 18.*

Sexta cauſa eſt: Neſcio quid ſupercilij habet Deus contra huius ſeculi regium nomen. Certè cùm populus à Samuele expetijt regem, Deus ſe abiectum expoſtulat cõtra Iudæos: volebat enim ille ſolus Iudæorum eſſe rex, id nomen alijs velut faſtidiens. Ideò noluit minus gratum ſibi nomen, in exordio ſuæ Eccleſiæ inter fideles adſcribi. Quaſi dicat: Sit Herodes rex inter infideles, at inter meos, vt vnus eſt Pater veſter, ita vnus vocetur Rex veſter. *1. Reg. 8.* *Matth. 23.*

Septima cauſa: Si innocentia duraſſet, ſapientia quidem eſſet, ſed non regnum. Si Adam non peccaſſet, regibus homines non egerẽt. Cùm igitur Chriſtus innocentiam reſtituere cupiat, regni nomen noluit adſcribi.

Nec vacat myſterio quòd dicit: ***Ecce Magi ab Oriẽte.*** Certè ab

Psal. 49. ab Oriente, vt à solis ortu vsq; ad Occasum laudabile esset
Genes. 2. nomen Domini. Et sicut à Solis ortu cœpit genus hominũ,
ita inciperet & genus fidelium. Rursum ab Aquilone pan-
Ierem. 1. ditur omne malum. Quia omnis mali fere origo, diabolus
fuit, (qui Aquilonis nomine censetur. Solium quippe ille in
Isaiæ 14. Aquilone statuere volebat) ita ab Oriente panditur omne
bonũ. Quia omnis boni origo Christus est: de quo dictum
Lucæ 1. erat, quòd si Oriens ex alto. Igitur sicut qui in quauis mũdi
parte peccant, ab Aquilone, dici possunt, quòd veniant: ita
qui bene agit vbiuis sit, ab Oriente venire dici potest.

Sed intimè aduerte: Oriens est vbi sol nascitur, & cui sol
nascitur, in Oriente est, sicut cui sol occidit, est in occasu.
Intellige igitur eum, cui radius diuinus nascitur, cuique
illuminatio diuina refulget, in Oriẽte esse. Iam si illi nascitur
Actor. 4. radius lucis, certè ad Christum venit: quia non est in alio
Ioan. 6. aliquo salus. Ita ipse dicit: Omnis qui audiuit à patre &
didicit (id verò est illustrari ab Oriente sole) venit ad me.
Mysterium ergo hoc est. Si illustraris, in Oriente es, & ad
Christum venies. Si ad Christum non venis: non didicisti à
splendore Orientis luminis in te.

Veniunt igitur Magi ab Oriente Ierosolymam. Vbi tunc fide-
lium erat Ecclesia, vbi erat prædicatorum & doctorum ce-
lebrior conuentus. Causam fortè requiris, cur Ierosolymam
Dionys. 8. intrant? Hanc accipe: Sicut Deus Angelos inferiores per
capit. cæl. superiores illustrat, perficit, & gubernat: & sicut mundum
Ierarchiæ. hunc corporalẽ per Angelos inferiores disponit, & corpora
per animas viuificat: ita & voluit populos subiectos per
Matth. 21. Doctores & Sacerdotes gubernare. Ita enim ipse ait. Super
cathedram Moysi sederũt Pharisæi, & Scribæ, quæ dixerint
vobis facite, & secundum opera eorum nolite facere. Ita
quidem contigit nunc Magis: quæ dixerũt legisperiti susce-
perunt. At licet Scribæ puerum nõ requisierint. Magi requi-
sierunt. Igitur Dominus non semper voluit docere nos ore
Matth. 21. suo, docet vero semper ore Doctorum. Et hoc significauit
Dominus in die palmarum, cùm non insedit asinæ, nisi
interiectis Apostolorum vestimentis. Nimirum non insidet
animabus nostris, nisi Doctorum interuentu. Rectè ergo
Psal. 121. inter laudes Ecclesiæ hanc cecinit Psaltes: Quia illic sederũt
sedes in iudicio, sedes super domum Dauid. Prius ergo acce-
Lucæ 2. dat domus Dauid ad sedes Doctorum, quàm ad puerum se-
dentem in medio Doctorum.

Intrantes Magi Ierosolymam, id vnicè requirunt: *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum?* Qua interrogatione mõstrarunt, vnicum Christianorum institutum (si modò à stella illuminati sunt) hoc esse: videlicet requirere vbi est natus Rex Iudæorum. In quo loco habitat rex hic natus. Sanè quærebat sponsa: Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes. Non est alia deuotis viuendi ratio, quàm inquirere, vbi inuenient Christum. Inuenient quidem in iustitia, & sanctitate veritatis. Inueniẽt in spiritu & veritate. Sed quid veritatem dicere vereor? Inuenient in paupertate, ignobilitate, in stabulo, in præsepio. Morientem inuenies in cruce, nascentem in stabulo, vtrobique summa deiectio, vilitas extrema. O rerum varietatem mirabilem! Ille Deus, Rex Iudæorum antiquus, ille notus in Iudæa, inueniebatur in templo sedens super Cherubim. Dominus enim in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes eius. Igitur Rex æternus in cœlo inueniebatur, id est, in loco maiestatis: in templo inueniebatur, id est, in loco auro byssoque fulgenti. Cur ita? quia seruantibus legem illam veterem, antiquus dierum, antiqua bona præstabat: aurum scilicet, gloriam & honorem cæterasq; delitias. Porrò Rex Iudæorum nouus, Rex natus non delegit locum in auro, in argẽto, in honore aut delitijs. Vbi igitur? in vilitate. Igitur Iudæi Deum sequebantur auro & honore splendidũ. At Christiani suum natum sequuntur regem, in paupertate & squallore iacentem. Igitur ô Christiani, si placet Rex nouus, Rex vobis natus, placeat etiam solium quod sibi ipse delegit.

Cant. 1.
Ephes. 4.
Ioan. 3.
Psalm. 75.
Psal. 79.
Psalm. 10.
Daniel. 7.

Sed nõ te Lector prætereat, quod hac sua interrogatione Magi docuerint, non iam satis esse ad salutem assequendam, si quis credat in Deum, & fidem habeat implicitam de Messiha: minimè id satis est. Sed necessario requiritur vt quæramus natum Regem Iudæorum, id est, vt fidem habeamus explicitam de natiuitate & incarnatione Regis nostri. Sanè Iudæi profitebantur nasciturum Christum, at Christianitas in Magis incipiens, eundem iam natum profitetur: & ob hanc professionem, coram Herode, & toto orbe, caput periculo exponit.

Libet tamen verbum illud sacrum expendere: *Qui natus est Rex Iudæorum*. Planè Rex Iudæorũ absolutè, Deus est. Ita enim iactant in suo Psalmo Iudæi: Deus autem Rex noster ante secula, operatus est salutem in medio terræ. Et in alio Psalmo: Psal. 73.

Psal. 149. Psalmo: Filię Sion exultent in rege suo. Laudent nomē eius
Zachar. 9. in choro & tympano, &ç. Zacharias: Ecce rex tuus venit
tibi. Rex igitur Iudæorū simpliciter Deus ipse est. Iam si rex
Iudæorum est Deus, & hunc quòd natus sit Magi fatentur,
fatentur igitur Deū natum: Deum scilicet hominē factum.

Adde & aliud: Si Christus natus est rex: igitur non humano decreto rex est, aliôqui homines neminē nisi natum suscipiunt in regem. Est igitur Christus rex diuina sanctione.
Psal. 109. Vt verò est sacerdos in æternum. Quia iurauit Dominus &
Hebr. 7. non pœnitebit eum, tu es Sacerdos: & ideo est sacerdos in
Psal. 144. æternum, æternum habens sacerdotium, ita & rex est in
æternum, & regnum habet quod est regnum omnium seculorum, quia ordinatione Patris æterni rex est.

Adde tertiò: Reges humani, sicut nō nascuntur reges, ita nec moriuntur reges: cùm moritur rex, iam non est rex. At Christus sicut natus est rex, ita & mortuus est rex. Ita testatus est titulus ille, super crucem scriptus, cùm Christus moreretur: Iesus Nazarenus Rex. Regum igitur testimonio
Matt. 27. Christus nascitur Rex: & Principis Pilati titulo Christus
moritur rex: contra quod licet contendant Iudæi, sed persistit Pilatus.

Ioan. 20. Adde quartò: Cùm Magdalena quærit mortuū Christum rogat eum qui sibi venerat obuiam: Si tu sustulisti eum: tanta enim erat amoris magnitudo, vt putaret, illum ab omnibus requiri, quem illa quærebat: ita & Magorum tam erat feruens animus, vt putarent, nihil tunc ab omnibus Iudæis tractari, nisi de rege nato. Ideò confidenter quęrunt: Vbi est natus Rex, nec quærunt ab Herode aut Scribis, sed promiscuè ab omnibus. Sanè qui amoris sagitta percussus
Cant. 5. est, putat omnia de suo tractare dilecto. Vt nos Sponsa in Canticis docet.

Quærunt igitur, vbi est ille natus Rex: *Vidimus*, inquiunt *stellam eius* Adeò pręclara est illa stella, adeò est vehementis splēdoris & caloris vt nihil sit difficultatis, nihil laboris, aut periculi, quod stellā hanc vidisse, nō superet. Si te Deus intus illustrat, hęc est stella & est stella Christi. Planè stella eius est: quia illum reuelat, illū quærere, illum cùm inuenit adorare, & eius pedibus omnia subijcere facit. Quid ni? si tuum Deus illustrat intellectum, si ille tuum inflammat affectum, quid
Actor. 9 non superabis, quid non relinques, vt quem stella demonstrat, cōsequaris? Exemplo sit tibi Saulus ille spirator minarum

rum & cædis: vbi ei radiauit stella, vbi lux de cœlo refulsit, pronus cadit in terram: videsne adorabundum? rogatque Christū, quid a se fieri desideret, paratū se professus omnia illi subijcere: videsne munera, (i. seipsum) Christo offerentem? Si igitur stupes, quod Magi reges & docti, tam difficilè sint iter adorti, cessabit tuus stupor, vbi intellexeris, tale illis lumen splenduisse, quale Paulo refulsit. Nec miraberis quòd fecerint, sed quod animo facere parauerint. Hic tamen nostra cæcitas reprehenditur: illis fulsit stella, nobis ipse Christus splendet, at illi tam longum iter arripiunt, nos nec pedem mouemus: illos calefacere potuit stella, etiam in media hyeme, nos nec ipse Sol iustitiæ calefacit, nobiscum semper in Eucharistia manens. *Actor. 9.*

Nota non solum cœlū esse stellis Christum indicantibus exornatum: sed totum orbē, cœlum quoddam esse, in quo vel minutæ herbæ, vel exigui lapilli, stellæ quædam sunt, & stellæ eius, scilicet Christi. Si esset oculus qui contemplaretur, vndique sanè à stellis admoneretur. Rursus nota, quòd incredibile videri potest, quin stellam quam Magi viderunt viderint & alij. At hi Magi ad vitā æternam ordinati, omni difficultate superata, stellam ducem sequuti, ad Christum peruenerunt. Habes igitur Prædestinationis efficaciā. Planè quos vult prædestinat, quos verò non vult reprobat: cuius enim vult miseretur, & quem vult indurat. Quod etiam in Iudæis manifestius declaratur, qui nec Scribarum testimonio, nec Magorum exemplo adacti sunt, vt suum regem requirerent, quem alieni requirebant. Ita cum Christus noster sit, cumque simus ipsius, ipsum quærere non curamus. *Mat. vlt.* *Rom. 9.*

Adijciunt præterea Magi: *Vidimus stellam, & venimus adorare eum.* Quid ô viri præclari? An non satis erat illum in vestra regione venerari? tempus profectò iam venit, quādo nec in monte, nec in templo adorare Dominum est necesse, sed in spiritu & veritate: cùm enim ille spiritus sit, omnia implens, in omni loco dominationis eius benedicere eum anima nostra potest. Cur igitur in loco vestro nō adoratis, sed tam immensum carpitis iter? Nihil tale: is enim quem intus Deus docet, & illustrat, non quiescit, sed vadit. Paulus cùm illuminatur, nō in suo loco quiescit, sed dicitur ei: Vade in Damascum, ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere. Similiter dictum est Magis: Vadite in Ierusalem, ibi scietis quid facto opus sit. Rursum, cùm inuenit ille thesaurum abscon- *Ioan. 4.* *Psal. 102.* *Actor. 9.*

Matth. 13. ditum in agro, non ibi cessat, sed vadit, & præ gaudio illius, vendit omnia quæ habet. Planè non inuenisset thesaurum, nisi stella monstrasset. Vbi verò stella monstrauit, non ille
Lucæ 9. quieuit, sed iuit. Et Dominus dicit: Qui vult venire post me, abneget se, & sequatur. Nullibi cessandum igitur, sed
Gen. 12. exeundum est nobis de terra nostra, & cognatione nostra, & eundum in terram quam nobis monstrauerit Dominus. Ergo vbi Domini gloria speratur, aut proximorum profectus, charitas quæ magna operatur, non quiescit, non lan-
1. Cor. 13. guet, non est otiosa: non enim quærit quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi.

Audiens porrò Herodes Magorum interrogationem, turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo. Quid miraris si turbatur mundus, vbi mentio de Christo est? turbatur latro vbi est de iudice mentio. Sanè si Christi vita mundi mors est, quid mirum si turbatur viuus, vbi videt se, iamiam moriturum. Adducit Christus viuendi rationem, vitæ mundi contrariam: quid ergo mirum, si turbatur lepus, cùm aquilam videt in se irruentem, à cuius est vnguibus discerpendus. Senex cùm iam est morti vicinus turbatur, ita & terrenus senex & vetus homo noster turbatur, cùm vitam aliam conspicatur aduenire, sed mecum intus penetra. Turbatur Herodes, qui Gentilitatis typus est, turbatur etiam Ierosolyma, vbi sunt Iudæi. Turbantur igitur in aduentu Christi & Gentes & Iudæi. Sed cur tandem? Ratio est, quam Paulus in tota ad Romanos epistola docet. Equidem si Gentilium professio gentiles suos iustos effecisset, ipsi iusti iustitiam Christi læti suscepissent: & similiter: si per legem esset iusti-
Hebr. 10. tia, ij quos lex iustos reddebat, iustum Christum vlnis expa-
Rom. 11. sitis amplecterẽtur. Porrò cùm nec Philosophia, nec antiqua lex, aliquem ad perfectum adduxerint, sed omnia veniente Christo erant sub peccato conclusa, necesse est peccatum
Lucæ 11. gratia veniente turbari. Planè omnes ferè gentes, & omnes ferè Iudæos fortis ille armatus possidebat: turbatur igitur antiquus ille tyrãnus, cùm cõiectat, pro foribus iam venire, à quo sit ipse turbandus & exturbandus. Igitur turbatio Herodis & Iudæorum, præsagium fuit turbationis, quæ ad Euangelij sonum erat in orbe futura, dictum enim fuerat: Adhuc modicum, & ego commouebo cœlos & terram. &
Aggæi 2. rursum: Alluxerunt fulgura eius orbi terræ, vidit & cõmota
Psal. 96. est terra. Montes sicut cæra fluxerunt, &c. Iam fulgura Pe-

Euan-

Euangelij prædicatio sunt. Euangelium enim & illustrat, & terret.

Demum turbatio illa Herodis & suorum figura fuit eius turbationis, quam peccatrix anima patitur, vbi ab ea prædicatores requirunt: Vbinam est Deus tuus? Vbi natus est Rex tuus? Cur Regem tuum ignoras? Cur Regem alium habes? Tunc turbatur vehementer animus mundi potestati subiectus: turbatur illa animi nostri ciuitas, quæ alium quàm Deum sibi delegit in regem. 1. Corin. 1.

At rogas: Si Christus est animi salus, vita, medicina & redemptio, cur languens & mortuus animus, sua remedia fugit? Certè si non turbaretur, si non fugeret, sanitatem indicaret. At propterea phrænetic⁹ animus est, propterea morbo languet, quia suam salutem vehementem timet & horret. Sed si cum Magis adorare voluerit, sanabitur.

Quod verò Herodes congregat Sapientes, à quibus instruatur, vbi sit Christi natalis: pulchrū mihi videtur gerere typū animi, hinc amantis terrena, hinc verò diuino terrore percussi: is enim nosse contendit, an vera sint, quæ ei prædicator suggessit? An liceat sibi in suo luto versari? An Christus esse possit in sordibus amorum, vsurarum, & fraudum suarum? Sciscitatur mercator de suorum iustitia lucrorum, sciscitatur princeps de iusta ditione locorum suorum, &c. An non tibi videntur hi Herodem imitari, si postquam veritatem resciuerunt exercere recusent?

Secundò etiam Herodem imitantur qui quotidie prædicatores audiunt, accurruntque vbi prædicatoris maior est fama: audiunt hi, discunt semper, nunquam tamen ad scientiam veritatis perueniunt, hi congregant Scribas & Sapientes in maiu[s] [s]uæ dānationis cumulum: melius enim eis fuerat veritatem non nouisse. 2. Tim. 3. 2. Petri 2.

Sed tertiò nota: O vtinam reges nostri in grauibus causis & negotijs suis, consilia Sapientum requirerent! ô vtinam Christiani principes non suum sequerentur sensum, sed scriptis (maximè diuinis) auscultarent. Sed iam væ est principibus, si postquàm nouerunt suorum dicta Sapientum, contemnunt quod Dominus dicit, sequuntur verò, quod libido iubet.

Vltimò specta, quòd Sapientes Iudæi nihil audent diffinire, nisi quod scriptum inueniunt in Prophetia. O si &

Regum consiliarij non adeò adhærerent his quæ Bartolus aut Baldus senserunt, sed si fieri posset ex Diuinis penderent oraculis. Non te prætereat, Concilium id definire quod Diuina firmarit authoritas. Video sanè eiusdem esse authoritatis Concilium & Euangelium, sed ita voluit Spiritus sanctus, vt quæ Concilium definierit, baculo nitantur authoritatis diuinæ.

Igitur interrogati Sapientes vbi Christus nasceretur, respondent: *In Bethlehem Iudæ.* Ita profectò: quia in domo
1. Ioan. 4. panis, id est, in pectore misericordi, nascitur Christus. Qui enim non diligit proximum non est ex Deo. At qui non dat
1. Ioan. 3. proximo indigenti panem, sed claudit viscera sua ab eo, quomodo charitas Patris est in eo? Sed attende: non sat est, vt in te nascatur Christus, quòd pectus habeas tenerum, nisi simul sit Deo per confessionem addictum. Si misericors es, & Deum offendisti, Bethlehem habes, sed non Bethlehem Iudææ, id est, misericors es in proximum, at tua misericordia non placet Deo, quem offendisti. Esto igitur in pro-
Michæ. 5. ximum misericors, & in Deum pius, vt in te Christus nascatur.

Suæ responsioni Iudæi adhibent testimonium Michææ Prophetæ, licet multo aliter retulerint, quã in eo scribatur. Sic enim Michæas: Et tu Bethlehem Ephrata, minimus es vt sis in millibus Iuda, ex te mihi exiet, vt sit dominator in Israël, & egressiones eius à principio à diebus æternitatis. At Pharisæi variarunt ex hoc testimonio multa. Primum non dixerunt verbum, Ephrata, sed eius loco dixerũt, Terra Iuda. Explicaueruntque hoc modo verbum, Ephrata: alia enim Bethlehem in tribu Zabulon non erat Ephrata. Secundò variarũt illud. Minimus es: Et dixerunt: Nequaquam minimus es. At sensus est idem, ac si dicerent: Nunc quidem es obscurus, sed princeps, ex te exiturus, te super omnes illustrabit. Tertiò loco illius, In millibus posuerunt in principibus, quod minus est mysteriorum capax. Quartò abstulerunt illud, Mihi: & tacuerunt finem clausulæ. Nec enim dixerunt: Egressiones eius, &c. Iam locus Michææ reuincit apertò Iudæos, dicant obsecro, quisnam est hic dominator è Bethlehem exiturus? Dauid esse non potest, quia non exiet cùm iam exierit: nec Ezechias, aut Zorobabel: hi enim non sunt egressi ex Bethlehem, & nulli homini cõueniri potest, quòd egressiones eius sint à diebus æternitatis, quod etiam con-

confundit Arrianos. Si enim Dominator hic est à diebus æternitatis, igitur æternus est. AEternum verò est, quod nunquam non fuit: mentiuntur ergo Arriani, dicentes: Fuit, quando verbum non fuit.

Sed excutiamus locũ Michææ. *Tu, inquit, Bethlehem.* Sanè in domo panis, seu in loco panis, nascitur & reconditur panis. Quam verò pulchra res est granum frumenti! Cur ergo tam pulchra res demetitur, teritur, ventilatur, expoliatur, mola subigitur, massa cõficitur, igne duratur? Certè vt panis hominum fiat. Igitur si Christus in domo panis nascitur, iam ab initio demonstrat: quomodo sit demetendus, terendus & expoliandus, vt tandem panis noster efficiatur. O inæstimabilem Dei dignationem, hominumque apud Deum æstimationem! *Ioan.* 6.



Ephrata, id est, fructifera: non fuit Christo sat, quòd panis noster esset, nisi etiam fructus noster esse vellet. Vbi primò indicatur Christum esse panem & fructus, imò Christus est nobis omnia: est enim manna omnes sapores continens. Secundò indicatur, quòd in statu innocentiæ homines erant contenti pane & fructibus terræ. Vt igitur panem hunc, & fructum hunc comedas, innocens esse debes. Tertiò: quia hic fructus est fructus terræ sublimis, id est, longe eleuatus à terra, non sine labore, nòn sine nisu, eum assequi poteris. Non enim facilè ad excelsa pertingimus. Quartò: Ex arbore vltimum quod expectas est fructus. Vltimum igitur à te sperandum, finisque à te exoptandus. Christus esse debet, finis enim legis Christus. Imò finis omnis creaturæ Christus. Dulcissimum in arbore fructus: dulcissimus ex omni creatura Christus. *Colos.* 3. *Sap.* 16. *Gen.* 1. d *Isaiæ* 4. *Rom.* 10. *Apoc.* 7.

Minimus es, sed nequaquam minimus. Sicut qui in Bethlehem nascitur, minimus est, & non minimus: ita & Bethlehẽ minima est, & non minima. Minimus est Christus, quia vermis est & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis: minimus, quia non venit ministrari, sed omnibus ministrare: minimus, quia minor est in regno cœlorum, vt ipse de se dixit: minimus, quia mitis est & humilis corde: minimus, quia est nouissimus virorum, vir sciens infirmitatem. At ideo non minimus, quia constitutus est à Deo super Sion, imò super omnem principatum, potestatem & virtutem, & super omne nomen. Nequaquam minimus, quia dedit ei pater nomẽ super omne nomen, vt in nomine *Psal.* 21. *Matth.* 20. *Matth.* 11. *Isaiæ* 53. *Psal.* 2. *Ephes.* 1. *Philip.* 2.

IESV omne genu flectatur. Sic igitur & Bethlehē minima es oculis hominū, cùm te exiguam & sine populo videant. At non minima, cùm te Deus in cunam filio suo delegerit, cùm tu foueris in sinu tuo, natum temporaliter: quē fouet sinus Patris, natum ab æterno. Magna sanè est domus Domini vbi colebatur. Magna item domus panis, vbi nascebatur. Magna & gloriosa dicta sunt de Ierusalem. Sed quæ? Certè quia multi homines nati sunt in ea, quia in ea habitabant Tyrij & populus AEthiopum, & alienigenæ. Quanto verò maior laus Bethlehem, vbi Christus natus & habitator fuit. Sic etiam fœlix anima quæ minima est in oculis suis, non verò minima in oculis Dei. In hac anima nascitur Christus multo fœlicius quam in Bethlehem: siquidem ex Bethlehem exit qui nascitur. At ex pia anima nunquā Christus exit, sed porrò manet in æternum.

2.Paral.2. Psal. 86.

Ioan. 14. Cant. 5. Lucæ 15. Cant. 5.

In millibus Iuda. Vt enim qui in te natus est, electus fuit, non solùm in millibus, sed ex millibus. Siquidem chori Angelorum significantur per nouem: quibus si addas hominum chorum efficiuntur decem, qui cùm sint millia millium, ex omnibus his millibus electus est Christus, vt sponsa in Canticis cecinit: ita & Bethlehem electa est ex omnibus millibus locorum Iuda, vt exciperet virginis partum, cuius cœli non erant capaces. Sed cur non dixisti: In millibus Asiæ, in millibus mundi? Tolle: fœtent hi superbi tituli Deo. In Israël, in confessione quæ est Iuda, ibi magnum nomen eius. Ibi notus Deus. Iactet suam Europa Romam. Iactet suam Babyloniam mundus, nihil plenè Deo placet, nisi in Iuda sit, id est, in cognitione & confessione nominis sui.

Psal. 75.

Ex te mihi exiet. Deus bone, quid sibi vult, *Ex te exiet*, quisnam est qui exiet? Cur non dicis, quis est qui exiet? At verò tantus est hic qui exiet, vt quoduis afferas nomen, quoduis ei nomen imponas, minus dixisti. Si dixeris exiet dux, maior duce est. Si exiet princeps, & principe etiā maior est. Tibi ergo silet omnis laus: siquidē maior es omni laude, reuera, quia datum est tibi nomen maius. Meritò te Deum profitemur, cuius nomen est innominabile.

Psal. 64. Philip. 2. Genes. 21. & 24. Matth. 1.

Nec vacat mysterio quod dicit: *Ex te mihi exiet.* Certè aliæ fœminæ (vt Sara) viris suis pariūt. Nam quos pariunt à viris acceperant. Proferunt igitur & reddunt debitum viris, à quibus genuerūt. Porrò quia sacra Virgo, à solo Deo filium

accepit,(quia quod in ea natū est de Spiritu sancto est,)ideo princeps qui ex virgine exit,soli Deo exit. Rectissimè igitur Pater hunc sibi iactat filium, quia in alijs filijs habent nonnihil parentes, at in hoc, solus Pater æternus habet, omni alio patre secluso. *Matth. 3. & 17.*

Iam si attendas finem & scopum quem in sua Dominus vita intendebat, dices rectissimè dictum: *Ex te mihi exiet.* Planè Christus datus & natus est nobis,planè Christus venit nobis ministrare. Planè venit, vt vitam habeamus. Demum vere dictum est: Ecce Rex tuus venit tibi. At licet Christus datus sit nobis, scopus istius donationis fuit Patris sui gloria. Ego, inquit, te clarificaui super terram. & rursum: Ego honorifico Patrem meum. Quia igitur omnis Christi actio illum vnicum spectabat finem, vt Patrem suum glorificaret, ideo meritò exijt Patri: rectè igitur Pater dixit, Exijt mihi. *Isaiæ 9.* *Zachar. 9.* *Ioan. 17.* *Ioan. 8.*

Et illud attende: Nullus homo est,quin in eo propria voluntas aliquid sibi vendicet: aliquid sibi de nobis surripit mūdus, aliquid diabolus rapit. At solus Christus fuit, in quo nihil propria voluntas, nihil mundus, nihil dæmon habere potuit. Gloriam, inquit ille, meam non quæro. Et rursum: Non mea voluntas, sed tua fiat. & tandem: Venit, ait, princeps mundi huius, & in me non habet quicquam: nihil penitùs habuit in Christo alienus. Totum sibi asseruit Pater æternus: meritò igitur Pater dicit: *Ex te mihi exiet.* *Ioan. 8.* *Matt. 26.* *Ioan. 14.*

Demum (vt nō nihil attingamus ex Theologia scholarū.) si Christus esset purus homo, suscepisset relationem realem in se, qua filius esset matri suæ, id est, qua ad matrem suam posset referri. Sed quia Christus Deus, nullā habet filiationē realem, qua ad matrem referatur. Filius ergo est Christus relatione reali solum ad Patrem, & si realiter est matri suæ filius; non est filius relatione & nexu reali, qui in filio sit, sed qui in matre constituatur: vt verè dicere possit ad matrem: Mulier, quid mihi & tibi? quasi dicat: Non est in me respectus realis ad te, sed ad patre solùm. Vide S. Thomam 3. Part. quæst. 35. artic. 5. Igitur si exiuit realiter, non exiuit matri, sed patri suo. Sed de his hactenùs. Progrediamur. *Ioan. 2.*

Ex te mihi exiet, qui sit dominator. Quid? Num tu exibis ad dominandum? Reges gentium dominantur, sed vos nō sic. Reges gentium veniunt ministrari, at tu venis ministrare. Et Petrus discipulus tuus dicit: Non dominantes in cleris, sed forma gregis facti. Quid igitur dicis: Venit ad dominādum *Lucæ 22.* *Matth. 20.* *1. Petri 5.*

in Iſraël? Certè Chriſtus non venit dominari faſtu humano
Ioan. 18. & temporali. Ipſe enim dicit: Non eſt regnum meum de hoc mundo. & ſi ſic dominari vellet, non erat opus venire: iam enim à mundi conditione Dominus erat. Venit igitur inſtituere dominium aliud ſpirituale, & diuinũ, quod temporali ſubiectione & cruce paratur, lachrymis, prædicatione
Pſalm. 2. & ſudore firmatur. Ego, inquit, conſtitutus ſum à Deo, rex ſuper Sion. Sed dic quomodo? Prædicans, inquit, præceptũ eius. At ſi prædicatione vera paratur tibi regnum, & dominium ſuper montẽ ſanctum: magno tibi & labore & ſudore paratur. Hoc ſibi perſuadeant Paſtores & Doctores gregis Chriſti: ſi dominari volunt, ſubijciantur, ſeruiantq; ouibus ſuis. Ea ratione magis ſibi parabunt dominium ſuper oues, quàm vllus Imperatorum habuerit vnquam.

Ioan. 1. *Et egreſsiones eius ab initio.* Quia videlicet à principio erat
Prouer. 8. Verbum, & hoc erat in principio apud Deũ, à diebus æternitatis, quia ab æterno ordinata ſum, ex antiquis antequam terra fieret.

Sed graue dubium eſt, quid ſit illud: Egreſſiones eius, cur numero plurali dictum eſt non ſingulari? Certè hoc maioribus erat relinquendũ, quia difficile. Sed age aggrediamur
Pſal. 109. eius explicationẽ: quę ex Pſalmo 109. videtur poſſe colligi: ibi habetur: In ſplendoribus ſanctorum, ante luciferũ genui te. &, vt litera Hebræa habet, in ſplendoribus ſanctitatum. Hic requiro, cur dixit in ſplendoribus, ac non potius in ſplendore? Sanè, ſi in Patre producente filium, vnicum eſſet attributum, quod ſplenderet: vnicaque eſſet ſanctitas, quæ ſplendorem emitteret: rectè diceretur, in ſplendore illius ſanctitatis genui te. At cùm Pater in ſua diuinitate rerum omnium naturas comprehendat, (nõ corporaliter, ſed eminenter) ſintq́ in Patre infinitæ perfectiones, & ſanctitates, (licet omnes illæ vnũ ſint:) idcirco illæ omnes creaturæ, & illæ omnes perfectiones, ſunt ſanctitates in Deo ſplẽdentes. Iam cùm primum in ſua æternitate, Pater contemplatus eſt ſe, & ſuas perfectiones, & rerum naturas quas in ſe continebat: tunc illa omnia intellectui diuino ſplenduerunt: & pleniſſimè ſunt à diuina mente concepta. Ex quorum omnium notitia & intuitu, Verbum diuinum prodijt. Rectè igitur Verbum Dei genitum eſt, non in vno tantum ſplendore Diuinæ eſſentiæ: ſed in ſplendoribus omnium rerum ſanctarum quas pater continebat, & intelligebat. Et ideo

etiam

etiam egressiones eius dictæ sunt, quia filius non tantum è cognitione diuinæ essentiæ egressus est, sed etiam ex cognitione bonitatis, sapientiæ, potentiæ, & demum omnium creaturarum. Vides quàm meritò dictum sit, quòd egressiones eius sunt ab æterno.

Secundò colligi huius loci explicatio potest ex Psalmo 2. *Psalm. 2.* vbi dicitur: Ego hodie genui te, videlicet, etiam si Filius ab æterno a Patre sit genitus, verum ita ab æterno genitus est, vt continenter gignatur, vt hodie etiam dicatur gigni: ita igitur egressus est à Patre, vt semper egrediatur, & ideò egressiones, (quasi fluuij continenter fluentis) dictæ sunt.

Tunc Herodes clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus stellæ. Nusquam ergo Christus est tutus ab ijs qui dominari volunt. Maximè ab his qui ambitu dominiū quærunt, & ambitu quæsitū retinent. Hi ergo sunt qui Christo etiam recens nato insidiantur. Nec parcunt puerilibus lachrymis, & cum infantes timendi non sint, hi tamen eos timent, viderique volunt prudentes, si Christum exterminent. An non tibi videtur typus expressus huius rei: cùm prædicator principem admonet rei alicuius malæ partæ. Princeps verò latranti prædicatori offam iniicit, vt taceat, vt lapidem illum non moueat? extinguere is cupit Christum, sed non poterit. Venient dies mortis: tunc reuelabitur Christus.

Nec prætermittas Lector verbum illud: *Vt & ego veniens adorem eum.* O quorundam principum circa pietatem vanissima, licet fucatissima verba. Vbi negotium seculare est, audies ab eis verba, semidiuina firmitate suffulta: at vbi negotium Dei est, dicunt multa, præstant pauca: ibi leuissimi sunt vbi oportebat grauissimos esse. Admoniti ergo sint viri pij, nihil credant principibus, præcipue non pijs, cùm de rebus diuinis loquuntur. Magi audito Herode & concilij autoritate nihil cunctantur. Videlicet, quia nulla res antiquior esse debet viro fideli autoritate Concilij. Vbi videlicet, Ecclesiæ repræsentatur maiestas, vbi Spiritus sancti creditus adesse præsentia: discant igitur fideles & hæretici caput Concilio subdere, siquidem reges & sapientes, ita Iudæorum paruerunt autoritati.

Et ecce stella quam viderant. Sed cur stella rediit? an non sat diuina erat autoritas a Michæa dicta, à Iudæis declarata? O Christiani, ô fideles clamate ad Dominum, intelligentes nullam satis esse scripturā, nullam satis esse prædicationem,

nisi vobis diuina affulgeat gratia, diuinumque splendeat lumen. Scriptura siquidem, mentem erudit, sed voluntatem non erigit. At lumen diuinum, & illustrat intellectum &
Ioan. 1. inflammat affectū. Rogate ergo, vt is qui illuminat omnem hominem venientē in hunc mundum, (quasi dicas omnem hominem qui est in Oriente) dignetur etiam plenè illuminare eum quia iam est in Ecclesia, quique iam audit legem diuinam. Porrò quos nostra hæc vox excitat maximè sunt hi Sapientes, qui nouisse diuina contenti, Christum in præsepio non quærunt similes planè Iudæis, qui cum Magos erudierint, vacui ipsi manserunt.

Sed ô tu qui gratiā deuotionis in pectore tuo radiantem
Ierem. 32. amisisti, ne desperes: merces est operi tuo, spera, redibit stella, damnū accepisti, tantum thesaurū amittens, resarciri damnum potest, nec sine fœnore, gaudebis enim in reparatione, gaudio magno valdè. Imò verò fortè voluit tibi Dominus ad tempus abscōdere stellā, vt causam gaudij magni cordi tuo offerret, tu interim inquirere & satagere ne cesses,
Tobiæ 11. redibit stella, gaudebitque cor tuum, & si cum Tobia lumen oculorum amiseras, cum eodem recipies, lætitia multiplicata. Sed quia lumen aliquando fallit, & quæ videtur stella,
1. Cor. 11. non est. (Angelus enim Satanæ se transfigurat in Angelum lucis) ideo argumentum tuæ stellæ id tibi sume: Si stella antecedit te vsque ad Christum, vsque ad vtilitatem, paupertatem, & stabuli sordes.

Videntes autem stellam gauisi sunt, gaudio magno valdè. Audi
Sap. 7. Salomonem dicentem: Lætatus sum in omnibus, quia antecedebat me ista Sapientia. At qui lætatur in omnibus, in nulla te molestia sustinens, an non is tibi videtur gaudio magno gaudere? Sed quid mirum si vehementer gaudeat, qui diuino se credit duci magisterio, qui diuino ferè sentit se lumine fungi? Maximè si lumen illud homini reuelat
Lucæ 10. eius prædestinationem: Nullum hoc magis gaudium esse potest. Rectè enim dictum est: Gaudete quòd nomina vestra
Psal. 121. scripta sunt in cœlis. & alibi: Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi in domum Domini ibimus.

Nota: Turbatio manet cum Herode & Iudæis, nō inquirentibus Christum puerum & humilem: gaudium verò & gaudium magnum valdè datur ijs qui humilitatem Dei re-
Hebr. 4. quirunt. Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei: si enim gaudium vsquam est, in corde pio est: & si turbatio alicubi est.

est, in domo impij est. Profectò si turbatio est in corde iusti, non est turbatio magna valde: at si gaudium est, magnum valdè est, videlicet, quia gaudium hominis pij in terra, initium est, & velut semen & arra, futuri in cælo gaudij. Sicut enim cognoscere Patrem eiusq; filium vita æterna inchoata est: ita de testimonio conscientiæ gaudere gaudiũ æternum inchoatum est. Ioan. 17. Matth. 10.

Item nota: Si videre stellam pueri tantum gaudium est, quid erit puerum ipsum videre? & si videre in præsepio iacentem gaudium tantum est, videre in maiestatis throno sedentem, quantum gaudium erit?

Antecedebat eos vsque dum veniēs staret suprà, vbi erat puer. Quis non credat, stellæ radios, dum suo fonti accederent, creuisse: & stellam dum Soli appropinquaret suos radios multiplicasse? Et quis non credat iam Magorum corda cœpisse flagrantius ardere, cum æterno igni magnis appropiabant? Quis non videat Magorum corda magis ac magis illustrari luce cœlesti, ardere pia deuotione, calescere sacra affectione? Iam te precor, attende magnitudinem horum qui sunt adoraturi. Reges sunt, Sapientes sunt, cum satellitio, & apparatu veniunt. Rursum attende magnitudinem eius qui adorandus est. Rex est, Deus est: nunc perspice, an & illis, & huic, locus adorat oni conueniat, stabulum scilicet & præsepium? Certe si huc oculos tantum animales afferas, videbitur non quadrare locus regi adorando, nec regibus adoraturis. Sed si oculos sacros attuleris, videbis omnia tibi respondere. Sane vilent Deo omnes mundi pompæ. Humilia enim respicit, & alta à longe cognoscit. Ideo nascitur in stabulo, viuit in miseria, moritur in cruce: qualis ergo Deus est, tales suos quærit adoratores: qui adorent in spiritu & veritate humilitatis, non in vanitate superbiæ, aut fallacia diuitiarum. Profecto Virgo sacra vehementius amabat paupertatem & humilitatem, quàm diuus ille paupertatis amator Franciscus, aut alius aliquis Sanctorum. Crede mihi, non tulisset virgo palatia auro & bysso fulgentia. Imo nec Ioseph animus id sustinuisset. Fastidiunt sancti, horrent & fugiunt ea quæ nos ipsi miramur. Vt igitur Deus, Virgo, Ioseph splendentes fugiunt domos: ita & Magi, iam spiritu Christi afflati, non adorassent forsan Christum, si in auro iaceret: adorauerunt tamen quem in humilitate regnare videbant. Psal. 137. Ioan. 4. Matth. 13.



Igitur

Igitur spiritus pauper paupertatem adorat: vanitatem aut horret, aut certè habet suspectam.

Matth. 13. Et *intrantes domum inuenerunt puerum*. Quem multi ante reges, & Prophetæ videre quærebant. Inuenerunt illum, qui
Gen. 49. erat expectatio gentium, & desideriū collium æternorum.
Malac. 3. Inuenerunt dominatorem Dominū quem vos (inquit) quæritis, & Angelum testamenti quem vos vultis. Inuenerunt
Ioan. 1. Messiham, quem ita se inuenisse Philippus gaudebat, dicens: Inuenimus Messiham, qui vocatur Christus: demum inuenerunt illum, pro quo inueniendo tot lachrymas, gemitus & suspiria priores Sancti fuderunt: & inuenerunt eum pro quo tot pericula subierant, tot expensas fecerant: pro quo
Matth. 13. margarito & thesauro inueniendo omnia sunt diuendenda.

Et te Lector, obsecro, ne obliuioni tradas, quòd Reges non inuenerunt Puerum sine Maria. Itaque si tibi Christus mā suetus & puerulus inueniendus est, cum Maria inueniendus est. Sacra enim Virgo ministrat (intercedendo) in habi-
Eccles. 24. tatione sancta, (id est, in Ecclesia) coram filio suo, vt in Sapientia dicitur. Meritò igitur, ibi additur: Radicaui in populo honorificato, & in partes Dei mei hæreditas illius, &
Ecclef. 24. in plenitudine sanctorum detentio mea. Et rursum: Qui creauit me dixit mihi: In electis meis mitte radices. Certè nullus populus est honore dignus, nisi eorum qui Christum quærunt & inueniunt: nullus populus est pars & hæreditas Domini, nisi viri pij: nulli homines sunt plenitudo, nisi qui sancti & electi Dei sunt. In his igitur Virgo sacra egit radices deuotionis, & amoris: in his radicatur, detinetur, habetque suam hæreditatem. Voluit enim Deus, vt sicut Christo debemus & agnoscimus salutem, vt Patri: ita quodammodo Virgini deberetur intercessio salutis vt matri. Ne ergo stupeas cum vehemētissimas amoris flammas erga Virginem, in multis pijs agnoueris. Imò ne stupeas, si adeò occupari Ecclesiam in laudibus Virginis videris: vt ferè, eas preces quas Deo offert, Virgini etiam offerat.

Et procidentes adorauerunt eum. Sat ergo fuerit stella supra puerum fulgens, vt procidas & adores puerum: adeò est ille puer splendens, adeò est vultus ille diuinus, vt si eum tibi stella demonstret, vix fieri possit, quin pronus adores. Claritas & maiestas in Christi facie est. Sed parietibus domus occulitur, & tu auersos ab ea claritate oculos habes. Si intraueris domum, si stella tibi puerum ostēderit, videbis faciem

Chri-

Christi multo quàm Moysi illustriorem. Inquit Apostolus: *Exodi 34.*
Deus qui dixit, de tenebris lumen splendescere, illuxit in *2. Cor. 4.*
cordibus nostris, ad illuminationẽ cognitionis, maiestatis, & diuinitatis: quæ est in facie, (seu in persona) Christi. Igitur in persona Christi claritas maiestas est, & diuinitas. Cur ergo non adoramus? Num Sol iustitiæ non illuxit nobis, vt *Sap. 5.*
impij in inferno prætexunt? Forsan in Oriente illuxit, id est, forsan in tenera ætate fulsit nobis: at postea stella aut ipsa se subtraxit, aut, melius, nos nobis subtraximus, & ideo loco pueri adorandi, idola creaturarum adoramus.

Et apertis thesauris suis. Anima quæ Deum inuenit, omnes thesauros, & omnes sinus cordis sui Deo aperit, seq; totam Deo in holocaustum offert. Quid enim aliud faciat? videt Deum omnes thesauros amoris in hominem effudisse, nec ijs contentus, se ipsum etiam effudit: quid mirum, si & ipsa anima amori vicem rependat? Vide obsecro: Magi nullum thesaurum habuerunt quem non aperirẽt, & totos Christo offerebant, licèt Virgo id solum sibi sumpserit, quod suæ indigentiæ necessarium esse putauit. Indicatur ergo tibi, nullum debere esse in tuo corde sinum, quem Deo non aperias & offeras: si omnia Deo offers, vnicum tibi reseruans, aut honorem, aut amorem, aut quiduis aliud, planè in vno *Iacob. 2.*
offendisti, factus igitur es omnium reus, aperi ergo omnes thesauros, securus esto, solùm sibi Christus sumet, quantum indigentiæ suæ, aut potius suorum fuerit necesse. Non certè *2. Cor. 8.*
vt alijs sit remissio, & tibi tribulatio, vt Apostolus ait, sed vt tu qui plus habes, non abundes in superfluis: & qui indiget minus habens, non deficiat in necessarijs.

Obtulerunt ei aurum, thus & myrrham. Hoc iam perfectorũ est. Sed & sua quadã ratione, est etiam imperfectorum. Loquamur de perfectis. Sanè cùm tibi se Dominus largiore quodam lumine monstrauerit, adeò omnia cõtemnis, adeò omnis mundus vilet, vt facile à te omne repellas aurum, facile abijcias honorem qui Thuris nomine significatur. Demum facilè abijcias, delitias, quæ vnguenta sunt, quibus mundani, Deo mortui, vnguntur. Myrrha vnguentum est, sed mortuis adhibetur, ne puteant. Ita viri seculo deditι, qui verè mortui sunt, delitijs sese vngunt, hac ratione putantes euadere se posse corruptionem mortis corporalis: at qui Christum iam reperit, sicut reperière Magi omnes delitias mortalis corporis fugiunt, minimè optãtes seruare corpus

à cor-

à corruptione, imò cupientes vt corpus quod sua corru-
Sap. 9. ptione aggrauat animā, iam dissolueretur. Igitur Magi Deo
Philip. 1. offerentes aurum, & thus, & myrrham, omnia quę in mūdo
2. Ioan. 2. sunt obtulerunt: in mundo enim est concupiscentia carnis,
cōcupiscentia oculorum, & superbia vitæ, in quibus delitiæ
intelliguntur, diuitiæ, & honores, id est, myrrha aurum, &
thus. Habes igitur quantum obtulerint Magi. Secundò si
placet intellige per aurum, thus & myrrham, spiritum,
animam, & carnem: quæ diuus Paulus optat integra inue-
1. Thess. 5. niri in die Domini Iesu. Sed ô quàm arduum negotium est
spiritum, & animam, & carnem Deo obtulisse, nihilque sibi
ex illis seruasse! Imò & quàm multi putant hæc se Deo ob-
tulisse, cùm contrà sibi hæc illi seruarint. Sed non est hoc
huius instituti.

Non libet hinc adeò facilè discedere. *Obtulerunt*, inquit.
Nihil ergo hic mortua fides habet, scilicet fides quæ è the-
Galat. 5. sauris suis nihil Deo offert: aut si offert, parū offert. At viua
fides quæ cū dilectione operatur, magna facit, optima, quæ
Genes. 4. habet offert. Nō sicut Cain vilia, sed sicut Abel meliora. Sed
Hebr. 11. ô miseriam! Abel, id est, luctus & paupertas offert meliora,
Cain verò, id est, possessio offert viliora: itaque diuites, &
qui possessiones habent, vilia offerunt, & si aliquando offe-
runt magna, è corde impuro proferunt, & ideo vilia Deo
sunt. At pauperes aut offerunt magna, quia totum offerunt
Luce 21. quod possunt, aut certè cor illud quo offerunt, æra illa duo
Psal. 65. minuta facit multo pretiosa. Rectè igitur Psaltes dicit: Ho-
locausta medullata offeram tibi. non enim placet holocau-
stum quamuis fuerit magnum, nisi medullam habeat, id est,
non placet caro, nisi spiritus adhibeas pinguedinē. Tandem
Christus tibi obtulit suam diuinitatem, quæ aurū optimum
Cant. 4. est, obtulit suam animam, semper in oratione ad Deum
sublimem, sicut virgula fumi ex aromatibus. Obtulit etiam
Ioan. 19. & carnem suam, quam Ioseph in monumēto collocaturus,
myrrhæ & aloës centum libras adduxit: ita & tu offer Deo
carnem, animam & mentem, & omnia.

Et responso accepto ne redirent ad Herodem. Si ad Herodem
non sunt redituri, fit vt neque ad Iudæos qui cum Herode
sunt. In Herode totum seculum intellige. In Iudæis legis
cæremonias, legis literam, & corticem. Igitur qui puerum
illustri stella præcedente inuenerunt, admonentur, vt ni-
hil habeant cum seculo commune, nec cum legis antiquæ

cæremonijs, sed adorent Deum in spiritu, non in re terrena & in veritate, non in vmbris legis: nec in exteriori cortice. Dices, Quid? Iusti nihil debent habere cum seculo cõmune, nihil etiam cæremoniarum exteriorum attingere debent. Planè id Lutheranicum est: exercebit itaque cæremonias exteriores vir pius, tractabit secularia negotia: sed per aliam viam. Olim enim exercebat ea omnia, vt paruulus, qui lacte egebat. At inuento puero exercebit ea quæ necessaria sunt, vt factus iam vir: longeque maiori & illustriori spiritu. Id vnico verbo intellige: Olim exercebat spiritu timoris, nunc spiritu libertatis & amoris. Rom. 12. Galat. 5. Ioan. 4. 1. Cor. 13. Rom. 8.

Per aliam viam reuersi sunt in regionem suam. Christo Domino gratia, quod post pueri inuentionẽ licet in regionem nostram redire: imò nonnunquam redire iubemur. Sane Petrus postquam Pastor à Christo est institutus, ad piscatoriam artem redijt. Paulus post Christum visum, artem scænofactoriam exercet. Hi igitur Magi redeunt ad regnandum. Crede mihi Lector, non miror Petrum piscantem, aut Paulum suentem: at vehementer miror Magos ad regnandum redeuntes. Quid enim a Magis alienius esse poterat, quàm vbi puerum in tanta humilitate adorassent, ipsi in celsitudine regnare cogerentur? Miror ego quidem, quòd potuerunt à stabulo illo, & à tantæ dulcedinis gustu, quantam senserunt in pueri aspectu diuelli: quanto potius mirandum est, quòd regnaturi nunc in propriam regionem veniant? Discunt ergo, qui contemplationi addicti sunt, sua non deserere, sed Magorum exemplo ad regionem suam descendere. Video querelas iustas, videlicet, quòd lauarint stolas suas, & pedes suos, & quòd durum sit, rursum vestibus indui, aut pedes inquinare. Sed nihilominus redi ad regionem tuam, ad gubernandosque tuos, & quam inuenisti lucem, alijs prædica. Paulus illustratus non iubetur luci quam viderat intendere, sed ire Damascum, vt exinde portet nomen Christi inter gentes: & Apostoli post visam Christi ascensionem, cùm illi aspectui tenacius adhærerent, iubentur inde discedere, reprehensi his verbis: Quid statis hic aspicientes in cœlum? imò verò redite in regionem vestram, redite ad negotia vobis commissa, vt in eis laborantes præmia laboris reportetis. & quidam iam sanus cùm Christum sequi vellet, prohibetur: sed vade, inquit, ad tuos, & annũcia quãta tibi Dominus fecerit. Ioan. 21. Actor. 18. Cant. 5. Lucæ 8. Actor. 9. Actor. 1. Marci 5.

Crede

Crede Lector, nullus est efficacior aut fructuosior prædica-
tor, quàm is qui à Pueri visione (quantùm præsens vita fert)
2. Cor. 4. ferè discedit inuitus. Deus enim illuxit in cordibus horum
hominum, vt illi illuminarent, & illustrarent, (id est, nota
redderent,) claritatem quæ est in facie Christi: quam in
prius viderant.

Interim descende Lector ad minutiora: *Reuersi sunt per aliam vitam, ne redirent ad Herodem.* Herodes, ò Christiane,
rex peregrinus est. Deus natus rex tuus est: ne igitur redeas
Iudicum 3. ad regem peregrinum. Quid tibi cum Baal? Cur a Rege tuo
Ierem. 2. discedis? Cur deseris fontem aquarum viuentium, eligens
cisternam quæ continere aquam non valet? Cur prouocas
Deut. 32. in abominationibus & in dijs alienis, eum qui vere Deus
tuus est? Et ò quàm tuus! Ne igitur redeas ad Herodem.
Sed per aliam viam redi ad regionem tuam: regio tua est
vita spiritualis. Ex carne constans & spiritu: at regio tua
non est vita carnalis, sed spiritualis. Si ad regionem carna-
lem ieris, cupies siliquis porcorum satiari nec poteris: est
Lucæ 15. enim regio illa longinqua, nihil est in ea, quod satiare pos-
sit: redi igitur in terram promissam, sed redi per aliam viam,
id est, per desertum, per arctam viam, per angustam portam.
Matth. 7. Via angusta & arcta, videbitur tibi aliena & incognita, per
quam nunquam ambulasti: sed per eam viam redeundum
est in regionem tuam.

Ex hac sacra historia duplex accipe mysterium. Prius est:
Nato Saluatore venerũt homines distantissimi, vt intelligas,
Isaiæ 59 quòd etiam si peccata tua te à Deo distantissimum fecerint
& alienissimum: at natiuitas Seruatoris sat est, vt si veneris
admittaris. Imò culpa tua, & maxima est, si hæc locorum
distantia impedimento sit, quo minus venias. Iniquissimum
Ioan. 1. enim est vbi Deus caro fit, quòd caro Deus fieri non velit.
Venit de longè (quia à summo cœlo) Deus, vt homo fieret.
Tu etiam de longè (ab ipso inferno) veni, vt Deo coniun-
gare. Causaris fortè non tibi in regione longinqua distanti
stellam apparuisse, quæ tibi Christum indicaret: at Christus
Ioan. 1. natus statim stellam tibi produxit. Nam illuminat omnem
hominem venientem in mundum: & merito suæ natiui-
tatis, huius lucis radij fiunt copiosiores. Et demum si non
illustris tibi apparuit stella, ora vt appareat. Vbi verò appa-
ruerit, veni ad Herodem & Scribas, id est, subditus esto
Rom. 13. Potestati seculari, & Ecclesiasticæ. quibus ante ortũ stellæ

nequa-

nequaquam nisi forsan ob timorem subdebaris. Veni igitur & nunc subditus esto, non solum ob timorem pœnæ temporalis, sed etiam ob timorem conscientiæ, vt Paulus dicit: *Rom. 13.* A Scribis si docearis, rursum à Deo illuminaberis, id est, rursum tibi apparebit stella, & demum inuenies Christum, id est, pacem & gaudium inuenies, inquam, in humilitate & derectione. Hic enim pax est & regnum cœlorum: beati *Matth. 5.* enim pauperes spiritu, quia ipsorum est regnum cœlorum.

Alterum mysterium est: Si tibi Christus illuxit, horsum illuxit vt ad se venias: veniendum tibi est per labores, interim non deerunt gaudia, eaque magna valde. At si adorare Christum cupis, necesse est vt thesauros tuos, omnia, inquam, quæ mundus æstimat & attollit, paupertati & vilitati supponas. Exploratum igitur sit viris Christianis, meliorē esse paupertatem, quàm diuitias, dedecus, quàm honorem, crucem quàm delitias. Huius veritatis Christus testis fuit cùm nasceretur. Fuerunt & magi, cùm Christo pauperi suas subdunt diuitias. Hactenus.

Dicamus nonnihil de fuga Pueri IESV in AEgyptum, quæ nam fuit causa, vt recens adoratus Christus in AEgyptum descenderet? illa prior causa est: Norint qui adorantur vt reges, non se adorari, vt pacem & delitias habeant, sed vt peregrini sint, vt nunquam quiescant, vt nunquam dent oculis suis somnum: eo etiam tempore, quo maximè capiendus esset. Profectò Christi merebatur infantia, vt recens natus, infantiles annos in quiete duxisset. At non duxit: vt cùm tu rex fueris, & multò magis prælatus, eas etiam delitias fugias, ab eisque sis peregrinus, quas tu maximè merebare. Illius verbi memor: Nō veni ministrari, sed ministrare? *Matth. 20.* & quidem in operibus luti & laterum, id est, terrenis: tales enim Prælatorum curæ frequenter esse debent.

Secunda causa: Ioseph liber erat, & patri suo præ alijs fratribus dilectus: at in AEgyptum seruus descendit, fugiens *Exodi 1.* fratrum suorum inuidiam. Præsagium illud fuit, quòd semen Iudæorum futurum erat seruum in terra AEgypti. Ita & Christus liber cùm esset, & patri suo summè dilectus, in *Genes. 39.* hunc mundum, vt seruus descendit: quis enim seruus tam vilem habuit nascendi locum? Præsagium ergo fuit, Chri- *Matth. 3.* stianos omnes, (qui semen Christi sumus) non futuros in hoc orbe dominos: sed quòd sumus laborum seruituti subdendi.

Tertiam & profundiorem causam dicam, si prius textum
Oseæ 11. illum Oseæ in natiuo sensu explicare potuero. Textus hic est: *Quia puer Israël, & dilexi eum, ex AEgypto vocaui filium meum*. Id est, maximo te honore affeci o Israel: quia cùm
Exodi 1. puer esses, (id est, nondū de Deo plenam habens notitiam, cumque esses in maxima seruitute luti & lateris, cumque odio esses Pharaoni, & seruis eius: tunc dilexi te, & manu
Psal. 104. extenta, maximisque signis eduxi te, & vocaui vt mihi seruires: & licet posteà seruires idolis in deserto, adhuc tamen portaui te in humeris, sicut nutritius tuus, mille beneficia contuli, laxaui tibi os, vt comederes, &c. Hic est natiuus literæ sensus. Vbi attende, quòd Iudæorum populus vehementer premebatur AEgyptiaca seruitute: eratq; desperata libertas, vt duritia Pharaonis locuplex testis fuit. Acquisiuit igitur sibi Dominus nomen & honorem, seruos iam conclamatos, liberos reddens & diuites. En pondus prophetiæ textus. Iam perspice. Cùm Christum audis, non eum vt singularem intelligas hominē: sed nos omnes in eo intellige. Ergo cùm fugit ille in AEgyptum, nos omnes in AEgypto esse conclude. Nunc reliquum est nosse, cur voluit Dominus nos omnes in AEgypto esse, & ab AEgypto vocari? Causam tibi adduxit Paulus, dicens: Lex subintrauit vt abūdaret
Rom. 5. delictum. Vbi enim abundauit delictum, superabundauit & gratia: non igitur superabundasset gratia vocationis, nisi abundasset sub delicto captiuitas. Quòd si nec dum penetras, audi eundem Paulum: Conclusit Deus omnia sub peccato, vt omnium misereretur. Ac si diceret: Conclusit
Rom. 11. Deus omnia sub AEgyptiaca seruitute, vt inde ad gratiam filiationis vocaret, vt igitur in die iudicii, resurrectio Christi erit causa resurrectionis nostræ, & mors Christi fuit causa
Rom. 6. ne peccatum viueret in nostro mortali corpore, (siquidem mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo
Matth. 4. reparauit,) & sicut victoria tentationū in deserto, causa est nostræ victoriæ, cùm tribulamur: ita & vocatio Christi ab AEgypto fuit causa vocationis nostræ à peccato. Vt igitur maximum sibi nomen Deus comparauit, educens Iudæos ab AEgypto: ita existima, multò maius apud cœlicolas sibi comparasse, vocando Christum, (hoc est, in Christo omnes homines) ab AEgypto. Maius enim opus est vocare peccatores, ex AEgypto, quàm vocare lucem ex tenebris. Et quidem (quantum coniecto) quàm mirabile fuit, vocari Christo

Christo omnes homines ex AEgypto, tam mirabile fuit Christum descendere in AEgyptum, id est, personam peccatorum qui in peccato iacent accepisse, vt eorũ à peccato vocationem operaretur. Per AEgyptum enim peccatum intelligi nemo est qui nesciat.

Quarta causa est: AEgyptus dicitur domus seruitutis. Si igitur vocandus es Christiane in regnum, e domo seruitutis vocandus es. Sicut Christus tuus, prius intrat in domum seruitutis, factus seruus omnium laborum & dolorum propter nos. Exodi 13.

Quinta causa est: Abstulerat Deus ab AEgypto omnia primogenita: en reddit illi primogenitũ suum, qui valorem omnium primogenitorũ habet. Sat igitur facit AEgypto. Exodi 12.

Sexta causa: Ne credat Christianus, recens Deo natus, quòd statim liber esse debet a lege peccati & mortis, quòd statim liber esse debet ab omni peccato. Fallitur si id credit, seruiendum est interim carni: seruitus hæc AEgyptiaca est, ab hac vocabitur ad maiorem libertatem, per Domini gratiam. Si enim dixerimus quòd peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. & Paulus dicit, mente se seruire legi Dei, carne verò legi peccati. Fiat igitur per carnem in AEgypto. Rom. 7. 1. Ioan. 1. 1. Ioan. 1. Rom. 7.

Vltimam causam adhibeo, quam minime assertam esse volo. Dominus detinuit filios Israel annis quadringentis in AEgypto, & cùm vocauit Israelem extra AEgyptũ, ingentibus eam percussit plagis, triumphauitque in vrbe deuicta: forsan ergo significatũ est per ingressum Christi in AEgyptum, quòd fideles Christi erunt in hoc mundo: per annos quos Pater posuit in sua potestate. Et quod cùm in gloriam vocandi erunt, tunc summis plagis mundus afflictabitur. Bellis, scilicet, fame, terræmotibus, & his tribulationibus quas infra cap. 24. Dominus prædixit. Igitur mansio Iudaici populi in terra AEgypti, fuit figura mansionis Christianorum in AEgypto huius mundi, &c. Exodi 12. Actor. 1. Matth. 24.

Sed interim considera pressius, quam afflictam duxerit Virgo modestissima in AEgypto vitam, sine domo, sine amicis, sine cognatis, sine pecunia: iam partem laboris puer delicatus passurus erat. Cur ô dignissime puer nondũ natus es, & iam exulas: pateris famem, & eas miserias, quas peregrinatio habet comites? Plane si puer futurus est pastor, necesse est assuescat hisce miserijs. Si futurus es miles, necesse est carne sit dura. Duretur ergo nunc à puero. Sed quid, an

non poterat in sua regione durari? Non poterat inter suos, malis assuescere? Certè, quia tutior est sanctitas inter eos, quia nihil de ea nouerunt: quàm inter eos, qui cùm illam
Titum 1. nosse profitentur, factis negant. Minimè tutum est tibi, si sanctus es, inter non sanctos (si se sanctos putant) viuere. Fuge ergo vehementissimè sanctitatem pictam, sanctitatem hypocriticam: qualis in Herode erat & Iudæis.

Et demum voluit Dominus etiam exul esse, vt nihil esset amaritudinis in calice quod non ille gustaret. Voluit mori, lachrymas fundere, voluit etiam exulare, vt cùm tu exul fueris, habeas exemplum ad quod respiciens, laboris temperes molestiam.

Tunc Herodes videns quod esset, &c. Quod sanctos vehementer torsit, id erat, qua ratione Christus passus fuerit innocentes infantes mortem prius gustare quàm vitam. Qua ratione qui pax est, & in cuius natali pax est decantata, tam
Lucæ 2. acre infantibus intulit bellum? Qua ratione is qui vitam
Ioan. 10. mundo, honorem suis, fœlicitatem patriæ venerat daturus contra fecit: vt vitam auferret infantili ætati, dolorem acerrimum, ijs qui genuerant intulerit, hostiumq; libidine grassari permiserit? Huic quæstioni innumeræ mihi se offerunt caussæ: deligam nonnullas. Et illa fuerit prior.

Deus vult gloriam suam & honorem propagari: in eam rem ijs vtitur instrumentis, quæ ille nouit accómodatiora, quæ si ipso vsu hebetentur & pereant, nullam illis iniuriam, imò honorem, irrogarit. Nec enim ego pennæ, quâ scribo iniuriam facio, si in meũ vsum accommodo: licet ipso vsu
Exodi 14. ipsa deteratur, & finiatur. Ita vsus est, Dominus Pharaone
1. Reg. 15 & AEgyptijs cum eduxit populum suum de AEgypto. Ita
Gen. 34. vsus est Amalechitis, ita & suam gloriam dilatauit per Sichem, & eius ciuibus. Igitur, quia erat accommodatissimus Herodes, ad famam de Messiha in orbē deferendā, crudelitas Herodis in pueros: illâ vsus est. Profectò crudelitas illa Romæ diuulgata est, & vbique terrarum. At si crudelitas diuulgabatur: necesse fuit diuulgari eius caussam, scilicet ortum Messihæ, aduentum Magorum, Herodisque tyrannidem. Nouit igitur magnus ille artifex Deus, è summis malis summa eruere bona. Quod si in hoc vsu infantes perierunt, num peccauit Deus? Ita profectò peccauit, ac peccat Rex, qui vt ciuitatem aliquam expugnet, fortissimos è suis in acie constituit, vbi hostium iaculis confodiuntur.

Sed

Sed age profundius nauigemus. Ex diuo Ignatio habemus, quàm ardenter optauerit martyrij coronam. Nempè adamantinum pectus, nihil aliud vehementius amat & ardet, quam sanguinem pro Christo fundere. Audi Dauidem: *Psal. 115.* Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ tribuit mihi? Calicem salutaris accipiam. Quem verò aliam calicem, nisi suo sanguine plenum? Audi Andræam: O bona Crux, iam dudum desiderata, & concupiscenti animo præparata! Audi demum quem attulimus Ignatium: O salutares bestias, quæ mihi præparantur, quando venient? quando mittentur? Quid mirum si Sancti ita concupiscant martyrij palmam, si Christum nouerunt, propriam mortem adeò sitientem, cùm diceret: Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec fiat? *Lucæ 12.* Si igitur in nostram ille salutem, adeò gliscebat suam effundere vitam, quid miraris si sancti, in ipsius gloriam propriam aueant oppetere mortem? Iam intelligis, non pœnam esse si Sanctorum Deus impleat desiderium, imò verò beneficium. Igitur Sancti, magni beneficij loco ducunt Martyrio coronari: & Deus magno beneficio coronat, quem martyrio coronat. Habes ergo non iniuriam Deum fecisse infantibus, imò verò ingentissimam gratiam.

Sed precor te, oculos exacue. Manifestum est in eum finem venisse Christum vt dissolueret opera diaboli, & filios qui erant dispersi, in vnum colligeret: eriperetque è potestate tenebrarum & inferni. *1. Ioan. 3. Ioan. 11. Colos. 1.* Quis iam non intelligat summam Dei gratiam pueris collatam? Non est passus Christus pueros patriæ suæ, qui nati sunt eo biennio, quo ipse natus est, in infernum aut purgatorium descendere. O summam dignationem! Si vixissent, multi eorum condemnarentur, aut si non condemnarentur, in pœnarum purgantium locum cogerentur abire. Quid potuit Christus illis benignius impartiri, quàm grauissimam purgatorij pœnam & diutinum tormentum, pro leui & momentaneo commutare? Demum noluit puer natus, pueros secum natos potestate diaboli subiacere. Legitur 2. Regum 6. quod cum Dauid intulisset arcam Domini in Bethlehem, immolauerit hostias & pacifica Domino. *2. Reg. 16.* Recte igitur cum Pater æternus intulit humanitatem Christi in Bethlehem, etiam illi immolatæ sunt victimæ puerorum: & si idolo Moloch Iudæi immolabant pueros suos, sicut dicitur in Psalmo:

Psal. 105. Immolauerunt filios suos, & filias suas dæmonijs: quid mirum est, si vero Deo immolentur Iudæorum filij? tanto certè discrimine: quia filij Idolo immolati, peribant: filij Christo immolati coronantur.

Exodi 12. Sed porrò progredere: cùm Deus eduxit Israëlem de AEgypto exijt & ipse de AEgypto. Habitat enim Deus in
Matt. 23. fidelibus per gratiam: illisque abeuntibus, abit & ille. Quid igitur est, quod exiens de AEgypto occidit omnes primogenitos AEgypti? Nunc verò intrãs in AEgyptũ, permittit occidi omnes pueros in Bethlehẽ? In egressu plangũt omnes matres: in ingressu item plangunt. Reddit certe Dominus vicem, nusquã res in eodem figuntur statu. Plorarunt olim AEgyptiæ matres, exultaruntq; Iudææ: at nũc flent Iudææ, & non dubito quin AEgyptiæ multæ exultarint, quando Christus AEgyptum ingressus est. Sed attende: ideo occidit Dominus AEgyptios pueros, quia sui parentes Deum adeò mirabilẽ agnoscere noluerunt, ideoq; puniuit eos Dominus in ea re, quæ illis erat maximè chara: igitur & ideò occidit Dominus omnes pueros Bethlehemiticos: quia parentes eorum, suum Messiham quem Magi adorauerunt, non curarunt agnoscere. O igitur parentes, adnitimini Christum agnoscere & colere: aliòqui periculum vobis est, quod in re charissima, id est, in filijs vestris, vulneremini.

Sed ne lasseris precor hæc penetrando. Cùm se Dominus Deum peculiarem Iudæis constituit, voluitque peculiariter
Num. 8. Iudæorum Deus agnosci & haberi, exegit ab eis omne primogenitum: omne enim masculinum adaperiens vuluam sanctum Domino erit. Quod si parens primogeniti [illegible] optabat filium, siclis quibusdam Deo oblatis, puerum redimebat. At nunc cùm Deus voluit noster Deus esse, peculiaremq; se omnium fideliũ Deum declarauit, infantes exegit, nec eos redimi posse voluit: sed à parẽtibus penitùs abduxit. Quid nobis res hæc grandis insinuat? Id certè quod cùm Dominus Iudæorum Deus fuit, passus est amorẽ Iudæorum (amor enim primogenitus noster est,) Deo primum offerri, sed postea in secularia & terrena negotia diffluere. Pa[illegible] est Iudæos terrena amare, & terrena maximè ambire. At cùm Christianorum Deus est, vult amorem nostrum, (qui est, filium nostrum) penitùs mundo occidere, Deoque soli viuere. Sed nihil te terreat si amor tuus mundo occiderit, si mortificatus est carne, si corpus mortuum est propter

peccata, certè spiritus viuit, & vita eius abscondita est cum Christo in Deo. Isaac videbatur occisus, sed vixit. In huius magnificæ doctrinæ figuram, voluit infantes patriæ suæ Christus interfici, vt amores Christianorum, omniumque fidelium voluntates mundo occidant: vt Deo viuant. Nec enim immeritò Petrus iubetur, occidere & manducare: quos enim fideles assumit, eosdem Petrus occidit. 1. Petri 3. Rom. 8. Colos. 3. Gen. 22. Actor. 10.

Age & hoc intellige: Cùm Christus nascitur, infantes occiduntur, non propria, sed aliena culpa: non sua iniquitate, sed Herodis crudelitate. Porrò cùm Christus moritur, occiduntur duo latrones, non aliena, sed propria culpa. Quid est, quòd Natalis dies Domini, & funereus, sanguine fœdatur humano? certè iudicio id meo innuitur, quod tam innocentes, quàm nocentes, vitam debeant deponere priorem, si vita volunt viuere æterna. Deponite, inquit Paulus, vos veterem hominem, & induite nouum, qui in iustitia & sanctitate creatus est. Vetera abitura sunt, si noua debent fieri omnia. Non sat est nasci, sed oportet renasci. Porrò si renascendum est, moriendum prius est. Itaq; confessio latronis in cruce pendentis, latronem veterem exuit, & nouum iustum effecit: & ita sanguis quem Innocentes effuderunt pro Christo, veterem deposuit Adam, nouumq; in illis Christum formauit. Lucæ 23. Ephes. 4. Colos. 3. Ioan. 3.

Demum & hoc tecum expende. Si infantes hi vixissent, & ad cœlum ire voluissent, ò quoties erat sibi necesse gladium e vagina eximere, seque ipsos iugulare! quoties enim tentatio concupiscentiæ in pios homines irruit, toties est ipsis necesse, gladium spiritus eximere, carnis appetentiam iugulare. Quid verò? An non melius est semel aliena crudelitate perire: quàm toties me contra me esse crudelem, semelque alienam manum sentire, quàm toties propriam experiri? Nouunt qui viam Domini post multa peccata aggrediuntur, quàm dura contentio sit diligere Deum: quamq; necesse sit sæpe mori, & quotidie mortificari, cum qui viuere velit.

At dices: Cur non mortui sunt item grandiores, sed sola tenera ætas, gladio succubuit alieno? Et quidem quia nō est speciosa mors nisi sanctorū, alióqui mors peccatorum pessima? Si enim pateris quia fur es, aut adulter, quę tibi est gratia? Sed si benè facientes, patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deū, vt Petrus dicit: Habes igitur causas cur voluerit Psal. 115. Psal. 33. 1. Petri 2.

Christus natalem patriam, innocentum sanguine rubescere.

Porrò vt liceat mihi sensum morale integrè texere, libet iterum rem aggredi. Audi igitur. Cùm peccator es, & a stella illustraris, quærisq; viros doctos, qui te Christum doceant: tūc Magus es: qui luce præuia adscribas venisti. Cum autem tecum disputas, si perseuerare poteris in sancto proposito & nonnunquam tecum ita decernis. Aliquando redibo ad meas delitias, ad priorem vitæ statum: tunc velut pacisceris cum Herode de reditu. At si Christum inuenisti, ille te firmat & admonet ne redeas. Tunc diabolus, (cuius Herodes figuram gessit,) illusum se sentit à te, irascitur tunc vehementer contra te, parat tibi bellum, & vt Christum in te occidat omnes tuos infantes cōnatur extinguere. Infantes tui sunt honor quem diligis, amicus tui vnanimis, vxor sinus tui,

Psal. 127. filij quos vt nouellas oliuarum habes. Denique quot sunt res quas amas, tot amores habes totque filij tui sunt, paruuli & innocentes: paruuli, quia nondum progressus es ad perfectionem: innocentes, quia hos omnes amores amori Christi subdidisti, atque in eius patria (id est, charitate) re-

Iob 1. nati sunt. Si igitur hos filios habes, contra hos Herodis sæuitia armatur: & te velut alterum Iob omnibus his amoribus & pignoribus spoliare contendit, & ita facit, & per se & per satellites suos, scilicet per viros impios, qui honori tuo insidiantur, quique insidias parant sanctitati. Tu vero perspice, bellum hoc non tibi, contra te parari: sed rabiem hanc diaboli, contra vnicum Christum esse. Esto igitur Ioseph qui Christum nullatenùs permittas occidi, etiamsi cuncta tua pereant.

At dices: Habeo quòd amores mei, infantes mei sunt. Sed quid sibi vult quòd occidūtur à bimatu & infra? Arbitror sensum esse: Illi soli dicūtur occidi, qui dicuntur viuere. At amores nostri non dicuntur viuere, antequam nascatur

Ephes. 2. in nobis Dominus: cùm enim tunc nos mortui simus, quis nostrū viuet? Igitur ab eo tempore affectiones nostræ viuæ sunt, à quo Christus viuit in nobis, & nos viuere facit. Si igitur a bimatu viuit in nobis Christus, à bimatu viuunt in

1. Reg. 13. nobis affectiones. Porro sicut regnum temporale Saul aggreditur, cum esset filius vnius anni: ita Christus regnum spirituale inchoat à secundo anno. Quia non prius quod

1. Cor. 15. spirituale, sed prius quod animale est.

Vel secundò ita intellige: Primus annus ex quo Christus in no-

in nobis nascitur, est annus incipientium, secundus est pro-
ficientium: hi occidi possunt. At in anno tertio qui est perfe-
ctorum, iam non sunt in nobis pueri occidendi: nihil enim in
viro perfecto infantile est. Imò in viro iam absoluto nō sunt 1. Cor. 13.
multi infantes, id est, multi amores, vnicus est amor, qui om-
nes alios amores absumpsit, sicut virga Mosi omnes alias Exodi 7.
virgas deuorauit: sicut enim dictum est Marthæ: Turbaris Lucæ 10.
erga plurima, vnum verò tibi est necessarium, ita vir perfe- Philip. 3.
ctus dicit: Omnia detrimentum feci, & arbitror, vt stercora,
vt Christum lucrifaciam.

Occisis igitur amoribus tuis, vox in Rama auditur. Nihil
enim est quod tantopere in excelso cœlo audiatur, quàm
vox & fletus piorum: quorum pignora Herodis & satelli-
tum inuidia, occisa iacent. Audit Deus lachrymas seruorum
suorum, qui eius causa charissimis sibi rebus spoliantur,
quarum amissio adeo illis est tristis, ac violenta mors. Vbi
nota nō esse culpabile, si viri pij rerum etiam temporalium
iacturam defleant.

Sed me pulsat quæstio, cur dicit: Rachel plorans filios
suos, & non potius, Lia plorans filios suos? Huius causam
hanc arbitror esse: Manifestum est, eos qui Christo seruire
volunt, prius vitæ actiuæ debere intendere: quàm se totos
vitæ tradant contemplatiuæ. Sint igitur prius Lia, multos
pariens filios, quàm pulchra Rachel, sterilior. Quod igitur
diabolus infantes Liæ extinguat, quódque Lia amissos ge-
mat infantes, nihil mirum videri poterat: qui enim actiui
sunt, aliquando imperfectiores sunt, ideo casus dolent tem-
porales. Porrò quod etiam diabolus sæuiat in contemplati-
uorum filios, quódque etiam contemplatiui suos gemant
filios amissos, id multo est mirabilius. Sed ita rursus con-
tingit. Inuenies viros contemplationis excelsæ, nonnunquā
in languores cordis, pectoris & capitis incidere: inuenies
rursum mille eos scrupulis irretitos, sine lætitia, sine alacri-
tate. Quid illud est? Plane desæuijt diabolus in filios Rachel
contemplatricis. Ac ideo illa non potest cohibere lamenta.
Et quia anima, quæ se a prioribus dilectis [illegible] fletu, reme-
dium non sibi vllum patere putat, ideo dicit: Noluit consola-
lari quia non sunt. Videt enim priores suas dulcedines, gu-
stus, iubilos iam non esse, putatque iam non amplius fore: Psal. 76.
ideo renuit consolari, quia non sunt illa priora. Arbitratur
enim Deum sibi abesse, in AEgyptumque a se fugisse. Noluit

igitur consolari. Qui enim consolabitur anima, quæ prioribus Dei caret consolationibus?

At Ieremias obijcit se Racheli deflenti, & ita loquitur: Ierem. 31. *Quiescat ô Rachel vox tua à ploratu, est merces operi tuo: reuertentur filij tui de terra inimici.* Quid o Ieremia? Si Rachel filios suos genuit defunctos, num defunctis est spes reuertendi in terminos suos? Ita planè. Humanis viribus, mortui reduces Rom. 4. esse non possunt. At Deus vocat quæ non sunt, vt quę sunt: Genes. 22. & ideò Isaac qui vita functus videbatur, mortuus non est. Et quidem Abrahamus credebat esse defunctum, cum contra eum suum distinxit gladium. Iam quis credidisset Christum Marci 15. sepultum, & triduanum, & lapide cõclusum, ad vitam posse reuocari? At viuit & regnat. Et nescio quem odorem ex Ioan. 11. fœtente Lazaro concipio. Ideo enim credo Marthæ & Mariæ fratrem obijsse, & reuixisse: vt intelligamus fieri posse vitæ actiuæ & contemplatiuæ præsidia, si defuncta fuerint, Iob 43. ad vitam, Christi imperio, posse reparari. Quocirca existimo, quòd sicut cuncta quæ Iob perdidit Dei causa, Dei etiam causa illi fuisse multiplicata: ita & infantes pro Christo occisos, suis fuisse parentibus multiplicatos. Illa enim Dei summa pietas, nihil suis, sui causa amissum, omnino perire sinit.

Defuncto verò Herode, Angelus Domini Iosephum monet, vt Ioan. 1. *Christum ad terram reducat Israël.* Vides quam sit Christus Ioan. 12. sol iustitiæ, & lux vera illuminans omnem hominem venientem in mundum, quamque merito sibi ipse lucis mundi nomen vsurpauerit. Lux certè statim ac aufers obiecta impedimenta, ipsa se, etiam ferè nolenti, insinuat, & sui copiam facit. Statim igitur ac mortuus in te fuerit Herodes, & ij qui Christi animam quęrunt, sese Christus tibi insinuat. Tolle tu cupiditates noxias, & ingeret se tibi sui prodiga charitas. Attende verò, an in te mortuus sit Herodes, & Herodis complices mundus & caro, vt intelligas an in te sit Christus, an non.

At mecum introspice: Peccata sunt, quæ quærunt animam Christi: & Dominus cum morti proximus est ad pec-Ioan. 18. catores dicit? Quem quæritis, si me quæritis ego sum? Planè peccata nostra quæsierunt Christum, vt sibi aduersantem. Rursum quæsierunt Christum, vt agnum qui peccata Ioan. 1. morte sua emundaret: quęsierunt Christum peccata nostra vt satisfactorem & reparatorem earum ruinarum quas ipsa fecerant

fecerant peccata. Et quidem quæ sierunt Christum & inue-
nerunt eum, peccata enim & iniquitates nostras ipse porta- *Isaiæ 53.*
uit. Inuenerunt, & eorum graui pondere pressus mortuus
est. Sed morte sua vt alter Samson peccata destruxit. Iam
ergo defuncta sunt peccata quæ quærebant Christum: iam
eiectus est foras princeps mundi huius: crucifixus etiam est *Ioan. 12.*
vetus homo noster. Si igitur defuncti sunt ô Christiani, qui *Rom. 6.*
quærebant animã pueri, quid causæ est, quod Christus non
est in terra nostra? Quid est quòd peccata, sicut aquæ diluuij, *Gen. 8.*
obtinuerunt terram: Quid est quod Christus vix est, in pau-
culis hominibus?

Porrò quod additur, Iosephum timuisse ire in Israëlem,
audiens quod Archelaus Herodis filius regnaret, non est le-
uiter auscultandum. Enimuerò, licet Deum habeas, timen-
dum tibi est eo ire, vbi iniquitatis filij regnant. Imo vero,
quia Deum habes, ideo timendum est. Vt enim nullum lu-
crum maius est, quàm Christum habere: ita nulla iactura
maior, quam illum amittere. Iam admonentur ij quibus
aliorum cura commissa est, ne teneros agniculos, dum te-
neri sunt, in eas deferant regiones vbi plerumque nequitia
valet. Ideo Ioseph Christum tenerum adhuc custodiens, ab
Archelao cauet.

Veniens habitauit in ciuitate quæ vocatur Nazareth. Incidi-
mus tandem in locum, qui adeo eruditorum ingenia torsit.
Duæ se nobis offerunt difficultates: altera est vbi habere lo-
cum, vbi Christus prænuntietur vocandus Nazaræus: altera
vero, quid contineat mysterij, quod Christus habitauit in
Nazareth? Prior difficultas vita est etiam vsque tempora nostri,
hactenus indecisa. Nullus siquidem Doctorum exhibuit pla-
num locum in Prophetis, vbi Christus Nazaræus vocetur.
Sunt ergo non homines qui locum proferant, ex Iudicum
cap. 13. vbi Angelus loquens ad vxorem Manue, prænunciat
ei se parituram Samsonem qui erit puer Nazaræus Dei. En
locus mysticus vbi ex Samsone nomen ad Christum trans-
fertur. Triumphabam ego quidem olim hoc loco reperto:
Cui locus similis est Genesis 49. Fiant in capite Ioseph, & in
vertice Nazaræi, inter fratres eius. Porrò hi loci non satisfa-
ciunt: quia, Nazaræum habent scriptum per S, quæ Hebræis
est Sain. At Christus non prænuntiatur vocandus Nazaræus,
per Sain, sed Nazaræus per Zade. Ita enim in titulo crucis
Romæ scriptum inuenitur: Iesus Nazaræus rex Iudæorum.

Vbi

Vbi non dicitur, Nasaræus per S, sed Nazaræus per Z, quæ duo Hebræis sunt differentissima, & diuersissimæ significantiæ. Siquidem Nasaræus significat sanctum, at qui Nazareus significat primò quidem custodem, secundo vastatorem, tertiò germen, plantulam, aut etiam florem. Exhibendus est igitur nobis locus vbi Christus Nazaræus dicatur, & quidē si prior significatio ex tribus propositis tibi placeat, planus est locus in Iob: Quid faciam tibi ô custos hominum? Vbi Hebræis habetur Nozer, id est, Nazaræus, vt Iob 7. est videre: erit igitur sensus Matthæi: Habitauit in Nazareth, id est, in custodia, vt impleretur dictum Prophetarum, quòd Nazaræus, id est, custos vocaretur. Vbi statim magnitudo mysterij sublucet. Quid enim maius esse potest, quam quòd Deus custos noster sit? Magni enim honoris loco dicit Deus ad Abraham: Ego protector tuus, & merces tua, & magnum honorem exhibuit Deus Israeli, custodiens eum in nube per diem, & in columna ignis per noctem.

Iob 7. *Gen. 15.* *Exodi 13.*

Sed si secunda significatio Nazaræi, id est, deuastantis seu deprædantis, placeat, en tibi locus Isaiæ 8. Voca nomē eius, (id est, Messihæ,) Accelera, spolia, detrahe, festina prædari. Vocatur igitur Christus spoliorum detractor, & prædator. Vbi grande & magnificum mysterium indicatur: videlicet quātæ fortitudinis erit puer, qui tam citò predatur eas opes, quas sibi diabolus longissimo tempore cōgesserat. Dictum enim est: Vniuersa eius arma auferet, & spolia distribuet.

Isaiæ 8. *Luce 11.*

Porrò quia maioribus nostris visa est tertia significatio huic loco commodior, labor mihi incumbit exhibendi locum, vbi dictum sit, quòd Messihas sit vocandus Nazaræus, id est, germen. Exhibeo tamen testimonium Zacharię 6. vbi dicitur: Hæc dicit Dominus, Ecce vir, Oriens nomen eius. Vbi Hebræis est: Ecce vir, Zema schemo, id est, germen est nomen eius. Sensus ergo Matthæi est: Habitauit in germinante, siue pullulante, vt impleretur, quòd germen, siue crescens, siue proficiens, erit nomen eius. Video non esse apud Zachariam verbum Nezer: sed Isaiæ 11. habetur vocabulum Nezer, cùm dicitur: Et flos de radice eius ascendit. loco floris est Nezer.

Zachar. 6.

Reliqua est posterior dubitatio, quid mysterij nobis insinuent Matthæus, & eo prior Zacharias, & Isaias, asserentes Christum vocandū plantulam germinātem & crescentem.

Scio me huic difficultati non sufficere: aggrediar tamen & primùm vocatur Christus germen, eadem ratione qua vocatur filius, vt enim primogenitus omnium rerum est Christus à Patre, ex cuius filiatione, & germinatione acceperũt cuncta vt generarentur & germinarent: ita primũ omnium germen, ab illo Patris æterni trunco, Filius est, neque enim Spiritus sanctus germen est, quia non natura, sed voluntate producitur. Porrò reliqua omnia licet germinent, & producantur, at non sunt Dei germina: nihil enim Deus per naturam producit, nisi Filium suum. Eadem igitur confessio est, confiteri Christum Filium Dei viui, vt Petrus confessus est, & confiteri eum germen esse Dei, vt Matthæus hoc loco testatur. *Matth.16.* *Matt. 2.*

Secundò: Germen hoc in æternitate prodiens à Patre, plantatum est in terra Mariæ virginis matris, prodijtque ex ea vt germen, non discindens neque corrumpens vterum matris: sed sicut germẽ perpetuò cœlum spectans, quà nulla maior dignatio esse potest. Idem ergo est fateri Christum germen, & fateri Christum primo quidem Dei Filium: secundò verò matris sobolem & fœtum. Cùm ergo audis Christum germen intellige germen Dei, & germen Mariæ, vt simul intelligas, Christum Deum esse, & hominem.

Tertiò intellige Christum in ciuitate Nazareth vixisse ad annos triginta, vixisse verò ea mentis & corporis puritate, vt nisi iam summam gratiã in sua conceptione nactus esset: summam gratiam suis meritis comparasset, tanta erat vitæ suæ annis illis celsitudo. Germinabat igitur & proficiebat (vt Lucas testatur.) ætate & gratia, apud Deũ & homines. Idẽ igitur est, quod Lucas dicit: Proficiebat gratia, & quod Matthæus, Nazaræus vocabitur: id est, pullulans, germinans & crescens. Sanè nos licet aliquando crescamus in gratia, frequenter in crescimus, frequentius languemus, frequentissime à cremento cessamus. At ea fuit Christi virtus, vt nec vel momentum à germinatione desisteret, vt qui nunquam non ardentem gereret in pectore flammam. *Luc. 2.*

Quartò intellige, quòd Christus illatus in AEgyptum meruit, quòd gratia inferatur in peccatores. Quod verò Christus vocatus fuit ex AEgypto, meritum fuit, vt peccatores vocarentur ad iustitiã, & vitæ sanctitatẽ: ergo, quòd Christus in Nazareth, id est, in germinante proficiat, meritũ fuit, vt homines vocati ad sanctitatem, in ea proficerent, vt

possent

possent comprehendere, quæ esset sublimitas, longitudo & latitudo mysteriorum Dei. Christus ergo proficiens in Nazareth causa fuit nostri profectus in Ecclesia. Quantæ verò maiestatis hoc meritum fuerit, intelligit qui expertus est quot impedimenta sese obijciant ei qui proficere in Dei via conatur. An non tibi videtur grandis virtus proficere & sursum aquam deuehere, contra impetum carnis, mundi & dæmoniorum? Igitur meruit Christus vt nihil horũ possit obesse, ei qui progredi nititur.

Ephes. 1.

CAPVT III.

In diebus autem illis venit, &c.



GGREDITVR Matthæus prædicationem Ioãnis hoc modo: *In diebus illis venit Ioannes, &c.* Illa porrò dictio: *In diebus illis*, non vacat mysterio. Valet enim ac si diceret: In diebus illis, qui erant finis antiquæ legis, finis timoris & terroris, finis tenebrarum & vmbræ, finis peccatorum & inferni, qui erant initium nascentis Ecclesiæ, initium prædicationis Euangelicę, initium gratiæ copiosæ & demũ initium omnium spiritualiũ diuitiarum. In diebus illis, qui erant aurora solis iam iam exorientis: qui erant vexilla venientis Regis. In diebus igitur illis, venit Ioannes: & certum est, quòd venit ab interiori, in exteriorem desertum. Iuxta illud: Antra deserti, teneris sub annis, Ciuium turmas fugiens petisti.

Iam pulsat animum dubitatio. Cur Ioannes nutritur in deserto, & de deserto prædicaturus venit: porrò Christus nutritur in ciuitate Nazareth, vbi vsque ad annũ tricesimum ætatis suæ peruenit? Ad hoc respondeo: Quòd Christus debuit per omnia fratribus assimilari: homines verò inter homines nutriuntur, est enim homo animal gregale, & sociale, gaudetque hominum consortio: merito igitur Deus factus homo, inter homines nutritur.

Hebr. 2.

Secundò: Qui fieri poterat vt qui propter hominũ amorem ad homines venerat, hominum præsentia per annos triginta careret? Diuelli non potest amans ab eo quẽ amat, quo-

quomodo diuelli poſſet ab hominum conſortio Chriſtus? Ioannes vt non adeò homines amans, hominum abſentiam patitur, imò hominum præſentiam fugit. At Chriſtus, in terris viſus ex amore, cum hominibus debet conuerſari ex eodem amore. Baruc 3.

Tertiò: Ille fugiat ciuitatem, qui in ciuitate habet quòd fugiat: & quo, niſi fugiat coinquinetur. Ille verò in ciuitate maneat, qui nihil habet in ciuitate quo maculari poſſit, imò qui multum ciuitati prodeſſe poteſt. Ioannes homo eſt, in peccato genitus eſt: à peccato igitur maculari in ciuitate poteſt. Christus homo eſt, ſed Deus homo eſt: ideò maculari à ciuitate nequit, ſed ciuitatis maculas agnus immaculatus tollere poteſt. Ioan. 1.

Quartò: Nutritur Dominus in ciuitate, ne haberēt Phariſæi occaſionē exiſtimandi, quod in deſerto Dominus ab aliquo eſſet edoctus, aut cum dæmonibus cōuerſatus. Si enim in ciuitate nutritus, vitā omnibus expoſitā viuens, euadere calumniam non potuit, qui enim diceretur dæmonium habere: quantò potius id dicere auderent, ſi in deſerto vixiſſet? Ioan. 7.

Quintò: Naſcitur Ioānes in ciuitate, prædicat & moratur in deſerto: repræſentat igitur Adamū, & omnes filios eius, natos quidē in paradiſo, ſed eiectos in deſertū: natos ferè in gloria, ſed nutritos in vita hac, quę ferè infernus eſt, & quos infernus excipiet, niſi Chriſti gratia adſit. At Chriſtus naſcitur in ciuitate, & moritur in ciuitate. Repræſentat igitur Chriſtianos qui extorres non ſunt aut exules: ſed ſunt ciues ſanctorum & domeſtici Dei: non enim acceſſimus ad Sinai montē in deſerto fumantem, ſed ad ciuitatē primitiuorum, ciuitatem Dei viuentis, & Ieruſalē cœleſtem, vt Paulus dicit. Geneſ. 3. Ephef. 2. Heb. 12.

Sextò: Quod natiuum eſt, quærit quiſque ſibi. Quærunt aues aërem, piſces aquam, beſtiæ deſertum. Chriſtus igitur natus in ciuitate cœleſtis gloriæ, ciuitatem quærit vbi nutriatur. Ioannes verò natus in huius mundi exilio, exilia deſerti quærit.

Septimò: Ioannes totus in deſerto. Chriſtus cùm prædicat, prædicat in ciuitate, in deſertis, in templis, in ſynagogis, in caſtellis. Quia cum eſſet Deus implere voluit omnia. Ephef. 1.

Sed iam hinc oritur altera dubitatio, quid cauſæ eſt, quòd Ioannes nunquam dicitur prædicare in ciuitate, ſed ſolum in deſerto: at Chriſtus non prædicat modo in deſerto, ſed & in ciuitate & in templo? Ioan. 8.

Primum.

Primum, predicat Dominus in templo, sicut Dominus
Hebr. 2. domo sua: serui versantur in agro, at qui dominus est, f...
tatem habet etiã eorum que sunt intima domus. Ideo Ch...
stus tãquam filius, & Dominus templi prædicat in temp...

Secundò: Christus inuenitur in his quæ Patris sui su...
Lucæ 2. videlicet vt qui nihil peccati habet, quo patris sui vult...
fugiat, aut timeat. Ioannes vt qui peccare, saltem veniali...
poterat, (& ideò coram patris aspectu verecundari,) n...
audet templi pinnam conscendere, vt prædicet. Iam si...
prædicamus in templo, locum Christi occupamus, vice e...
prædicamus, non nostra.

Tertiò: Magni prædicatores in ciuitatibus frequent...
ribus habitant, rusticiores in oppida reijciuntur. Chr...
ergo, & qui eius loco prædicãt, prædicent in ciuitate, Ioã...
verò collatus ad Christum rusticus prædicator est.

Quartò: Ioannes ea sola prædicat, quæ hominibus à P...
desertis, & a Deo longè remotis quadrant. Ideo prædicat...
deserto. Christus verò non tantum prædicat hæc, sed et...
ea quæ ciuibus Dei congruant, & ideo prædicat in dese...
& in ciuitate.

Quintò: Etiam si Ioannes prædicasset in ciuitate, v...
tamẽ predicabat in deserto. Nec enim sua predicatione g...
tiam audiẽtibus dabat. Vt qui nõ prædicaret, sicut pote...
habens, gratiæ exhibendæ: at Christus, de cuius plenitu...
nos omnes accipimus, prædicãs in deserto, verè præd...
Ioan. 1. in ciuitate, vt qui audientibus gratiam præstabat, & ci...
sanctorum efficiebat.

Sextò: Ioannes prædicat in deserto, quia in ciuitate ...
sunt peccata, tot sordes, vt Ioannes ea ferre nequeat. Ex...
stomachum habet Ioannes ad hominum ferenda pec...
adeò vt cùm videret Pharisæos, eos ferre nequiuerit, ...
euomuerit, dicẽs: Genimina viperarum, &c. Porrò Chri...
Matth. 3. grandiori stomacho est: iniquitates nostras ipse fert, ...
Ysaie 54. gnores nostros propius curat vt qui magis amat, ...
Deus est, dissimulans peccata hominum propter pœnit...
Sap. 11. tiam. Sed audiamus quid Ioannes in deserto prædicet.

Pœnitentiam (inquit) *agite*. Vbi iam occurrit locus ...
tandi. Quid ò Ioannes omnibus pœnitentiã à peccatis p...
dicas, cùm non omnes eo tẽpore essent peccatores? An ...
tunc erat sacra Virgo, eiusque sponsus Ioseph, & alij in...
cur his etiam pœnitentiã indicis? Certè quia status ille le...
antiqu...

antiquæ, cuius extremum erat Ioannes, erat status peccatorum, erant tunc omnia sub peccato conclusa. Omnes erant, (quantùm erat ex lege) peccatores quos ita peccatum inuaserat, vt necesse esset totā vitam dolere, ac pœnitentiam agere. Notandum enim magnopere est, quòd Ioannes non dixit: Pœnitentiā per tres aut quatuor dies, aut per annum agite, sed absolutè, Pœnitentiam agite. quasi dicat: Tota vita vestra pœnitentia sit, An non miserum est, ita Deum offendisse, vt oporteat vitam vniuersam pœnitere? Rom. 11. Rom. 3.

Secundò sentit Ioannes: Iam appropinquat vester medicus, vestram procurate medicinam, imo vero vestrum sentite languorem, vulnus vobis doleat vestrum, dolorem habete. Agite igitur pœnitentiam, siquidem appropinquat, qui dolorem vestrum curet & sanet. Nec enim vester languor terrena medicina curari potest, imò totum regnum cœlorum appropinquare debet, vt sanemini. ô peccati grauitatem! ô medicinæ pretium! ô medici largitatem!

Tertiò: Appropinquat in animā vestram regnum totum Dei: tollite igitur per pœnitentiam cordis vestri lapideam duritiam. Et quia qui auertitur à Deo per superbiam auertitur, (& superbia mons est,) complanate montem hunc, ne impedimento sit regno venienti. Ioan. 11.

Quartò: Nemo dignè pœnitere potest, nisi à gratia Dei præuētus: en vobis gratia Dei appropinquat, videte ne quis gratiæ huic desit, ne vobis miseriā, gratiæ iniuriam, Deoque gratiæ collatori, contumeliam concilietis. Hebr. 2.

Quintò: Quis credere posset, futurum aliquem, qui opes regni, & regni cœlorum iam proximi, despiciat & contemnat? En vobis opes regni vili pretio conceduntur, sola pœnitentia numus est, quo opes tantæ parantur. Si regni opes tibi tradantur, rex futurus es: & quo tutiùs regnum possideas, intra te regnum erit, hoc enim regnum est Deus ipse, vita quædam cœlestis, lex spiritus, & vitæ, lux, ignis, amor, iustitia, pax, & gaudium in spiritu. Lucæ 17. Rom. 8. Rom. 14.

Et nota rerū consequentiam: Pœnitentiam, inquit, agite, quia appropinquat regnum cœlorū. Sane eo ipso quo Dominus incarnatus est, factus est Deus propinquus toti generi humano, & ideo velut factus est obligatus auxilium suū copiosius homini impēdere. Cum ergo Deus iam auxilium gratiæ offerat, quo saluemur: rectissimè dicitur, Pœnitentiam agite: en vobis gratia, qua pœnitentes saluemini.

Paul. de Palacio.

f Nolo

Nolo hîc silentio prçterire, eam quæ me & multos tor-
quæstionem, quid causæ est, vt Deus à peccatoribus pœ-
tentiam, dolorem, & afflictionem exigat? An non erat s-
tius amorem in Deum, & in proximum exigere? cur De-
contristare vult peccatorem, eius peccatum, (si non con-
stetur, (non remissurus? Torsit quæstio hæc Luthera-
adeò vt dicerent: non a nobis Deum tristitiam pro co-
misso crimine requirere, sed solam vitæ nouitatem. For-
2. Cor. 7. stat sententia: Si vultis appropinquet in vos regnũ, dole-
tristitiam secundum Deum habete. Sed cur ita? Sanè q-
tam malum, tam pestilens est peccatum, vt fas non sit, q-
1. tu de te vindictã sumas, doleasque, quod ea pestis, anim-
tuam inuaserit? Est tam graue vulnus, quod tibi peccat-
inflixit, vt nefas sit te non exardescere, & non irasci, do-
remque velut gladium arripere, quo peccatum interim-

Secundò: Sicut in Christo factũ est, ita & in te fieri op-
Rom. 6. tet. Christus non resurrexit, nisi mortuus, nec mortuus
sine acerrimo dolore: ita fieri nequit, vt in nouam vitã
gas, nisi homine vetere mortuo, nec vtcunque mortuo
summo dolore crucifixo. Diffiniunt enim Theologi, q-
dolor esse debeat summus (saltẽ appretiatiuè,) qui pe-
Genes. 3. mortale deleturus est. Vt igitur Eua sine dolore non
filios: ita quæ peccauit anima sine dolore nõ pariet Ch-

Tertiò: Licèt Deus misericors sit: ita tamen mise-
est, vt & iustus sit. Dicitur enim in Sapientia: Misericor-
Eccl. 5.16. ira ab illo citò proximant. nunquam igitur voluit Do-
ita suæ misericordiæ indulgere, quin suæ iustitiæ r-
seruaret illæsum: id tibi persuasum sit, ex misericordia
generis humani misertus est, sed non sine summo r-
iustitiæ, in Filij sui passione monstratæ. Ita igitur D-
vult peccatoris misereri, vt rigorem suæ vindictæ non
tereat: non præterit tamen, vbi ipse peccator sui v-
est iustus.

Quartò: Mihi videtur Deus gaudere, videns suum
tuum aduersarium, quem prius colebas vt Deum, nunc
vt hostem damnari. Peccatum coluisti vt idolum, d-
est, vt cùm arcam Dei velis in animam tuam inducere, D-
1. Reg. 5. gonem prosternas ad terram, caput ei & manus discin-
vltionemque de inimico recipias.

Quintò: Hic est naturæ ordo, hæc lex vt nunquam o-
sum tibi concilies, nisi de offensa dolere te asseras: & q-
De-

Deus corda videt, ex eadem naturæ lege, non patitur tibi conciliari, nisi verè doleas, quod eum offenderis.

Sextò: Hic item est naturæ tenor, vt antea imperfectum sit quàm perfectum: ante ver, est hyems, ante festũ vespere, ante gratiam lex, ante amorem timor: ante gaudium dolor: nolis igitur sine dolore gaudere. 1. Cor. 15.

Septimò: Delectatione offendisti, & delectatione tibi mors incepit in anima. Contraria igitur contrarijs curentur: dolore in gratiam Dei redi, dolore vita animæ incipiat. Sed hic te obsecro nota: Ne credas prius esse dolorem in te, quam tibi Dei gratia adsit. Imò verò à gratia quam tibi Deus infudit, est dolor in anima tua: ideo enim dicitur: Pœnitemini, quia regnum appropinquauit. Nec enim fieri posset, vt pœniteremini, nisi appropinquasset. Sed ita Deus hanc tuam iustificationem temperauit, vt etiam si gratiam ipse tibi conferat, quicquid aliud agas nisi dolueris, gratiam auferet quam dedit. Sed progrediamur. Concilium Trident. sess. 6. c. 5.

Hic est de quo dictum est. Hanc Ioannis prædicationẽ confirmat Matthæus asserens, non prædicasse Ioannẽ, nisi quæ prædicta erant, quòd esset ipse prædicaturus: vt videlicet respondeat res vaticinio. Sicut enim æquum erat, omnia quæ Christus gessit prius vaticinijs fuisse decantata: ita etiã fuit, vt quæ Ioannes prædicauit, vaticinijs etiam prædicerentur. Igitur Ioannes prædicauit: Pœnitentiã agite. Porrò pœnitentiæ duæ sunt partes. Altera est dolor de commisso scelere: altera est propositũ cauendi in futurum. Qui igitur dolet de culpa, is parat viam Domino. Ille enim viam Domino parat, qui cùm prius à Deo fuisset auersus, nunc ad ipsum conuertitur. Qui verò proponit cauere, is rectas facit semitas Dei. Sanè dolor de peccato ampla via est, nec difficilis nimium. At cauere in posterum, ea angusta semita est. Facile est sanè, de nequitia dolore, siquidẽ ad id, ipsa natura propendit. Sed tecum statuere amplius nunquam peccare, semita est angusta, & difficilis est. Porrò quia tam dolor, quàm propositum debent esse propter Deum, vt Deo placeant, ideo meritò dicitur: Parate viam Domini, rectã facite semitam eius. Nec enim quáuis via, aut quáuis semita Deus vult venire. Igitur Ioannes prædicans pœnitentiam, nihil aliud prædicat, quam Parate viam, dirigite semitam, sicut Isaias prædixerat eum prædicaturum. Concilium Florent.

Sed quid est, quod Isaias addit: Parate viam, rectas facite

in solitudine semitas? Num egrediendum nobis est in de-
sertum, ad parandā viam & dirigendam semitam? Ita pla-
Cùm enim proponit animus hominis cauere ab omni pe-
cato, tunc solus manet homo, cum solo Deo. Statuit en-
in corde suo, Deum super omnia, abijcitque omnia prop-
Deū, dicens: Si omnia sine Deo habiturus sum, malo De-
sine omnibus, quàm omnia sine Deo. Illa reuerà solit-
est, cùm dicit homo Deo: Domine deserant me omni-
desero ego omnia, vt te habeam. Mundus mihi crucifig-
Galat. 6. & ego mundo, ne caream te.

Secundò: Rursum, tantum negotiū est dolere de pecca-
Isaiæ 38. & recogitare annos præteritos in amaritudine animæ,
Gen. 24. dignissimum sit in agrum exire, ad meditandum cum Do-
ne negotia popularia perstrepentia, animum cogitan-
interpellent.

Tertiò: Quòd si in agrū exire non licet, certè ita in do-
tua te para, ac si esses solus in agro: grauissimum nego-
facere te puta, cùm parare viam Domino instituis, te sol-
Matth. 6. cum Deo solo constitue. Ita fiet, vt in clauso cubiculo
perinde sis, ac si in agro & solitudine esses. & in hoc agro
Matth. 13. solitudine inuenies thesauros absconditos. Nec enim a-
facilè reperiuntur.

Quartò: Intellige etiam ex verbis illis Isaiæ, terram qu-
Tren. 1. habitamus solitudinem esse, licet aliôqui sit plena pop-
Si paranda est in terra hac via Domino, & dicit Isaias, p-
dam esse in solitudine: igitur terra solitudo est.

Quintò: Demum intellige, animam subditam pecca-
vere solitudinem esse, & in ea viam Domino esse para-
O misericordiam eius, qui per talem solitudinem veni-

Ipse verò Ioannes erat vestitus ex pilis camelorum. Id est,
cilicio, seu sacco pilis camelorum contexto. Nam ex p-
caudis equorū detractis, solent cilicia texi. At Ioannes p-
camelorum deligit, ex quibus sibi vestem textam pa-
Hic aduerte, Adam vestitum è pellibus seu corijs anim-
defuncti. Ioannem verò vestitum e pilis cameli: anim-
quidem viui, sed duri & setosi. Christum porrò intuere
stitum veste communi, nec admodum vili: siquidem mi-
Matt. 27. super eius veste sortiuntur. Igitur Adam vestitus corio a-
mantis mortui, repræsentat hominem è gratia lapsum
peccatum: ac proinde totū, ipsamet morte vestitū. Dict-
Genes. 3. enim est: In quacunque hora comederis morte morier-

Erit videlicet ipsa mors vestis tua. Porrò Ioannes pilis viui
animalis, sed asperi, vestitus, figura est Iudæorum lege sua
sanćta quidē illa, iusta & bona, vestitorum: at lex ipsa sanćta,
aspera erat, adeò vt iugum ipsa esset, quod nec nos (inquit Rom. 7.
Petrus) nec patres nostri portare potuimus. Quis enim cili-
cium pro veste ferat? At Christus leui habitu indutus, vitam Actor. 15.
Christiani hominis ciuilem, blandam, & ex viuo animali,
Christo, profećtam indicat.

Iam si ad mores hæc conuertere libuerit, manifestum est,
camelos esse diuites, qui adeò difficile regnum Dei intrant,
sicut cameli foramen acus. Profećtò pili (qui superfluitates Matt. 19.
nostræ sunt) diuitum superflua repræsentant. Quòd igitur
Ioannes affligat carnem suam pilis cameli, figura est, quod
prædicator debet affligere animam suam, videns diuites tot
habere superflua. Interim tamē sicut Ioannes vestitur ex eo
quod eius carnem pungebat: ita prædicatori licebit edere,
bibere & vestire ex diuitum superfluo. Si enim nos eis spiri-
tualia seminamus: quid mirum est, si eorum carnalia meta- 1. Cor. 9.
mus? At quia quiuis prædicator debet pauperes vt propriā
carnem diligere: ideo meritò Ioannes induitur pilis came-
lorum, ostendens prædicatoris curam hanc esse debere, vt
pauperes, id est, carnem suam superflu s diuitum induat.

Quòd verò zonam pelliceam super lumbos suos collo-
cauit Ioannes, indicium esse credo magnæ rei. Pellis vt dixi,
defunćti animalis est. Mortem igitur propter peccatum, &
ipsum peccatū indicat. Lumbos verò certum est, esse locum
cogitationum: sicut & renes. Admonetur igitur prędicator Psal. 37.
vt semper cogitet, quot sint hominum peccata: quotque & 15.
propter peccata, miseriarum turbæ in homines irruant: hac
ratione pellem in lumbis habebit, nec habebit vtcunque, sed
ea cingetur, strićte viuens & caste. Nihil enim adeò cingit
lumbos nostros, quàm mortis & pœnarum (quæ propter
peccatum intrarunt in mundum,) continua cogitatio. Rom. 5.

Quòd etiam Ioannes locustas manducat, non caret
mysterio. Locustæ sunt herbarum, & terræ nascentium
præsentanea pestis: significant igitur peccata nostra, quæ
sunt pestis animarum & corporū nostrorum. Voluit igitur
Ioānes prædicatorem officij sui admonere, vt prædicator
peccata populi voret, Deum orando, vt ea populo condo-
net: populum admonendo vt reijciat: seipsum exemplum Oseæ 4.
prębendo, vt peccata omnino dispereant. Sit igitur vorator

& destructor peccatorum, qui prædicare cupit, vt dec
Demum Ioannes mel edit syluestre indicās quàm deb
prædicator amare secessus & solitudinē, vbi cum Bernar
Benedicto, & alijs patribus, plus melleæ, dulcedinis ex qu
cubus & fagis contemplando percipiat: quam eximiæ e
ditionis ex libris & doctoribus legendo decerpat. Ig
mel dulcedinem contemplationis designat. Sed Sylue
mel non nisi in solitudinibus ferè inueniri demonstrat.
Tunc exibat ad eum omnis Ierosolyma. Certum enim est,
prædicatorem, qui ita vt Ioannes vixerit, exituros omn
confitētes peccata sua, & baptismū ab eo suscipientes. Sa
multi sunt prædicatores, qui auditorum corda emolliu
vt eleemosynas largiantur, vt templa ædificent, vt op
misericordiæ exerceant. Sed cùm prædicator suos cont
auditores, habetq; vocem, quæ sicut malleus cōterit petr
Ierem. 23. (id est, corda in peccatis durata, in contritionis pulue
redigit,) ille ille prædicator est Ioanni similis: qui Iuda
durissimos, carnales, & legi ferè temporali subiectos ad n
tantam adegit: vt illos, ad confessionem & baptismum
duceret. is ergo diuinus prædicator est, qui peccatore
confiteantur inducit: vtq; vitæ suæ rationē, secundùm p
dicatoris regulas, suscipiant. Id enim est à Ioanne bapt
Hic aduerte solennem fuisse Iudæis baptismum, adeò
venientes è foro non manducarent, nisi prius baptizat
Marci 7. traditur Marci 7. vt enim credebant, ea peccata sibi di
Leuit. 10. quæ in hircū Sacerdos imprecabatur, videbanturq;
peccata in hircū reijci: ita videbātur, si lauarētur, cum è fo
redibāt, peccata in foro cōtracta, in aquā deijci, ac si ma
animi essent maculis carnis similes. Idcirco facile fuit Io
Iudæos ad baptismum prouocare, tot videlicet bapti
Leuit. 10. assuefactos. Rursum nec fuit difficilè eos ad confessio
allicere: quia vt nunc dicebā, adducebat Pontifex hircum
confitebatur peccata sua, simulq; populus sua etiam pec
confitebatur, quæ in hircū injciebantur. Erat igitur Iu
sua quædā confessio, licet non sicut nostra. At licet Ioan
vsus sit facilibus rebus, scilicet baptismo & cōfessione
tamen erat viri maiestas, vt ad quiduis prouocare, etiā d
cilimum, si voluisset, potuisset. Da mihi virū adeo sanct
vt fuit Ioannes, & videbis populum, res etiam difficil
aggredientem. ergo nostra mollitudo molles reddit au
tores. Nec mihi est incredibile, multos auditorum Ioan
pecca

peccata sua publicè cōfessos: quid enim non faciat sanctitas
tam cōspicua? Quod si factum est, apertum etiam est, quam
munierit Ioannes viam confessioni Christianæ.

Videns autem multos Pharisæos & Sadducæos venientes ad se, ait: Progenies viperarum. (Ac si diceret: Viperæ, hominesque viperæi,) *quis vobis demonstrauit fugere à ventura ira?* Porrò
vocauit eos viperas, quia extimè erant speciosi, vt sepulchra Matth. 23.
dealbata, sed intimè erant pleni veneno, id est, iniquitate &
rapina. Tum, quia sicut viperæ viperas pariunt, ita & hi cir-
cubant mare & aridā, vt facerent vnum proselytum, quem Matth. 23.
vbi effecerant, faciebant duplo venenatiorem viperam. &
tandem si libet nosse causas cur Dominus, & Ioannes voca-
uerint viperas, lege Matthæi cap. 23.

Porrò miratur vehementer Ioannes, quis docuerit Pha-
risæos, & Sadducæos fugere ab ira ventura. Causa verò cur
admiretur, non est adeò clara. Sed prior quæ mihi occurrit
ea est: Quia cùm Sadducæi negarent resurrectionem mor-
tuorum, & hæc eorum professio esset: nunc dictis Ioannis
à suámet professione diuelli, miraculum est. Mirabile enim
est, quod qui negat seculum futurū, timeat iram venturam,
fugiatque quod esse non credit. Iam licet Pharisæi confi-
teantur seculum aliud, credo tamen eos putasse nullum
Iudæum in infernum abiturum, adeò fidebant Abrahæ, qui
filios suos nullatenùs sineret in infernum abire. Hoc enim
existimo, voluisse Ioannem admonere, cùm dixit: Nolite
dicere, Filij Abrahæ sumus. Cum igitur ita Pharisæi essent Ioan. 8.
persuasi, an non meritò miratur Ioannes, dicens: Quis vobis
persuasit, vt timeretis, & fugeretis rem, quam aut negabatis,
aut certè nihil ad vos attinere credebatis? Vbi nota quā sit
difficile eos qui non sani sunt in fide, ad veritatem reparari:
miratur enim Ioannes, quòd à sua persuasione discesserint.

Secunda causa illa est: Miratur meritò Ioannes homines
vitijs assuefactos à multis retro diebus, ad lucis splendorem
accedere. Quasi dicat: Cùm tam longè à Deo fueritis disiecti,
quænam tanta illa fuit Dei misericordia, quæ vobis appro-
piauit. Cumq; ira ventura ius, & velut potestatem habuerit
in vos, quis fuit tam pius, qui ex faucibus iræ, diaboli, & in-
ferni, extrahere voluit? Intelligant igitur qui vitiorū callos
habent, quam miretur Ioannes si ad Deum conuertantur.

Tertia causa est: Quia difficilimū est homines religiosos,
si mali sint, ad sanctimoniam reuocari: hortet Deus doctam

malitiam. Sed multò magis horret malitiam, religio[...]
habitu contectã. Ideo enim adeò vehemẽter excandescit
Matth. 23. Dominus contra hypocritas, vt contra eos, qui sub spe[cie]
sanctitatis arma cõtra Deũ gerunt: ipsis enim armis qui[bus]
erat Deo seruiendum, ipsis armis Dei, contra Deum ab[utuntur]:
hæc verò grauissima culpa est, ac ideo difficillime sana[tur]:
adeò vt Ioannes miretur, si curam recipiat. Recte ig[itur]
eorum qui viperæ sunt, miratur Ioannes conuersionem.

Quarta causa est: Viperã si tractes, eius morsu morie[ris].
O summum miraculũ, quòd Deus velit vipereos hom[ines]
tractare, manibus contrectare, & licet ab eis mordendu[m]
se, & moriturum eorum morsu sciat, tractare tamen no[n]
destitit. Certum est morsibus, id est, pœnis, peccatoru[m]
Isaiæ 53. nostrorum Christum mortuum esse. Peccata enim ip[se]
tulit: ab eis dilaniatus est. Quis igitur fuit tam pius ò vipe[ræ],
vt propriæ mortis periculo, vos tractare, & a ventura i[ra]
fugere demonstrarit?

Demum causa vltima est, quæ nõ solos Pharisæos tang[it],
Psal. 16. sed & omnes homines auersos a Deo. Cum enim statue[rint]
oculos suos declinare in terram, cum toti ad præsentia co[n]
uertantur: miratur Ioannes quis tam potens fuerit: vt ho[mines]
mines nihil aliud curãtes, quàm præsentia & terrena, time[ant]
& fugiant futura, & æterna. Certò sciat omnis qui à De[o]
auersus est, tantam potentiam Deum exercere, cùm e[um]
Ephes. 1. d. excitat, vt iram futuram timeat quantam exercuit in [ip]
sui Christi Domini nostri resurrectione.

Facite ergo fructus dignos pænitentiæ. Sensus est: Si Dom[inus]
demonstrauit vobis fugere, si lumen in vobis accend[it],
auxilium gratiæ contulit: accurrite, properate, facite fru[ctus]
Apoc. 3. pœnitentiam decentes, tenete quod habetis, ne alius ac[ci]
piat coronam vestram. Fecit Deus quod non tibi debe[bat],
tu fac quod illi, & tibi, & rationi debes. Vnde tibi inno[tes]
cebit, quòd demonstratio qua tibi Deus illuxit, arbor e[st]
Concilium quæ fructus faciat, & quod faciat in manu nostra situm e[st].
Trident. Est igitur hic ordo verborum: quia, Deus tibi illuxit, arbo[
sess. 6. rem in anima tua seuit, vt faciat fructus: tu fac vt cum fru[
Cantic. 4. ctibus respondeas.

Quæres tamen, quis sit fructus pœnitentia dignus? Ego
Concilio tibi respondeo: fructus pœnitentiæ dignus est, si doleas de
Florent. commisso scelere, non propter infamiam, non propter ti[
morem pœnarũ, sed propter amorem Dei quem offendisti.

rursum si proponas emendare vitam, nouamque vitæ rationem instituas, propter eundem Dominum. item si castiges in te quantum deliquisti: si amputes peccati occasiones. Hi sunt pœnitentiæ fructus genuini & natiui, & quos Theologi vocant elicitos actus: alij verò virtutum actus à pœnitentia non eliciuntur, licet imperari possint.

Iam est peccatum res adeo grauis, vt licet vitam totam doleas, nihil aliud fecisti, nondum fructum pœnitentia dignum exhibuisti, & nisi passio Domini intercessisset, quæ meritum operi tuo præbuisset, nō erat tuum opus pœnitentia dignū. Christo igitur gratia, qui succū & virorem fructui præbuit, vt dignus esset tali arbore. *Concilio Trident.*

Facite fructum dignum pœnitentia, is enim erit dignus, quem edat Deus, quemque carpat ex arbore gratiæ, quam in anima plantauit. Vide igitur ne fructus tuus sit vanus, quem sibi gloria vana præripiat: vide ne sit præcox, vt ante tempus cadat. Non est igitur fructus pœnitentia dignus qui vel est adeo mollis, vt asperam pœnitentiæ arborem non deceat: vel est adeo præcox vt ex asperitate mandi non possit. Sit igitur pœnitentia ratione & prudentia moderata; vt nec maior sit & asperior quàm ferre possis, & cadat: nec minor, vt degenerasse ab arbore videatur. Sit ergo rationabile obsequium vestrum.

Et quia pœnitentia virtutibus omnibus connexa est, proximæq; ex charitate procedit, vide vt fructus tuus sit a pœnitentia, virtutibus germana, profectus. Si enim pœnitēs es, hinc verò intractabilis es, & asper, non est fructus pœnitentiæ amantis, sed est spina pœnitentiæ pungentis. Ita ergo pœniteas: vt virtutum aliaru ne obliuiscaris: quod si feceris, fructum pœnitentia dignum protulisti. *Rom. 12.*

Demum quia quæuis opera ab eo qui in mortali peccato est, opera inimici Dei sunt: & propterea Deus ea grata non habet, vt qui ea opera habeat grata, quæ a gratis hominibus proficiscuntur: respexit enim Deus prius ad Abel, inde ad opera eius & orationes impiorum non exaudiuntur, quia corū manus sanguine plenæ sunt. Hinc fit: vt opera omnia pœnitentiæ, quæ feceris, dum in peccato mortali es, non sint opera pœnitentia digna. Nec enim pœnitentiam habet, qui in peccata præterita labitur, nec resurgit. Si igitur dum pœnitens, cecidisti: iterum surge, vt pœnitentię opera, pœnitentia digna, perficias. *Genes. 4.* *Isaiæ 1.*

Et ne velitis dicere patrem habemus Abraham. Si patrẽ tan-tum habere, nõ prodest Iudæis ad salutẽ? quid vero proderit aliorum diuorum intercessio? Si Pater fidelium non iuuat peccatores, nec ergo iuuabit diuus Benedictus, Bernardus, aut Augustinus. Quid? Si Abrahæ intercessio non proficit Iudæis, num proderit Virginis sacræ, aut Christi redẽptoris nobis qui sumus Christiani? Plane si iniqui esse volumus nihil proficiet: porro si iniquitatem fugere libet, proderit vehementer. Imò vehementer verum est, his qui iniqui esse voluerunt, multum obfuisse patrẽ habere vel Abrahamum, vel Christum, maiori enim pœna punietur malus Christianus, quàm malus Gentilis: ille enim habuit, quem vt filius referret, hic verò non admodum habuit.

Sed grauis difficultas est, cur nõ confidere poterant Iudæi in patre suo Abrahamo? Cur Ioannes adimit gloriationem filiorum in patribus suis? An non Abraham intercedebat

Rom. 8. pro impijs Iudæis, sicut & modò Christus pro iniquis Chri-

Actor. 7. stianis? num Stephanus non intercessit pro Paulo, qui in suo peccato durus erat? Ambrosius pro Augustino? Cur igitur non licebit mihi etiam impio, remedium de Christo expectare? Ad hoc quantum ad Abrahamum spectat dici potest, Abraham eo tantũ tempore intercesisse pro Iudæis (vt eorum aduocatus,) quo nondum venerat Messihas, qui aduocandi officium pro fidelibus excepit, ipsi Abrahamo succedẽs. Est igitur Ioannis sensus: Iam nolite in Abrahamo gloriari, non ille iam est fidelium summus aduocatus, sed successorem habet Christum: eius quærite patrocinium, si quidem illud patrocinium Abrahæ iam cessauit.

Secundò dici potest, quòd cùm Deus propter peccata alicuius, decreuit illum delere: decreuit etiam nullius patroci-

1. Ioan. 2. niũ pro illo peccatore recipere. Ita noluit admittere preces Samuelis pro Saule, quem regno exautorare constituerat.

1. Reg. 15. Ita noluit preces admittere Ieremiæ pro populo, quem parabat abijcere. Cùm igitur Deus populũ Iudeorum (Christo

Ierem. 7. veniente) pararet relinquere, & Christianorum plebem

& 11. creare, patrocinium Abrahæ pro Iudæis futurum non erat. Iudæi igitur iam nolite Abrahamum iactare: eius oratio pro Iudæorum pace, non est ab eo proferẽda, ideo neque à Deo audienda: ne ergo confidatis in eo.

Tertiò magis ad rem dici poterit: quòd profectò Sancti in cœlo pro impijs intercedunt. Sed cùm eorum intercessio

Deum

Deum non obliget, vt faciat quæ illi petunt, consilium est prudentissimum, vt nemo illi baculo nimium innitatur, sed pro virili contendat iniquitatem fugere, ne in ea moriatur. Petrus dicit. Dabo operam, frequenter habere vos post obitum meum, vt horum omnium memoriam habeatis. Quod promisit in carne Petrus, præstitit in cœlo. Orauit & orat pro omnibus, sed non omnes eorum oratione saluantur: saluantur ij solum, qui sunt præordinati in vitam æternam. Quid ergo scis, an tu sis ex his quibus Petri oratio non proderit? noli igitur huic Sancto nimis hærere & confidere, si iniquus esse vis. 2. Petri 1. Actor. 13.

Vltimo dico, Sãctos in cœlo licet liberi sint, nihil tamen optare, aut cupere, nisi id solũ quod sciunt, Deũ velle quod optent. Quare nullus sanctorũ vnquã efficaciter intercessit, nisi pro illo, quem Deus volebat, sancti intercessione iuuari. Cõsultissime igitur Ioãnes cõsulebat Iudeis, ne sanctorũ suffragijs admodum fiderent, si ipsi mali esse vellet. Siquidem nesciebãt, quẽ ex malis, Deus ex malitia eripere destinasset.

Addit porrò causam Ioannes, dicens: *Potens est Deus ex lapidibus suscitare filios Abrahæ.* Quasi dicat: Putatis, quòd Deus non poterit vos Abrahę filios defraudare benedictionibus, Abrahæ promissis? at non est ita. Poterit Deus alios filios ex lapidibus formare, qui filij Abrahæ sint, & benedictionibus Abrahæ potiantur.

Sed iam ego requiro: Si Pharisæi lapides sunt, quia duri sunt, cur Deus ex eis non suscitat Abrahæ filios, sed alios lapides quærit, ex quibus suscitet? lapides sunt omnes mali, cur ex his lapidibus non eos delegit Dominus, qui in carne etiã filij Abrahæ sint? cur alios quærit, qui nihil ad Abraham spectent? Ad hoc prior causa erat, Quòd licet lapides essent Pharisæi, putabant tamen se non lapides esse, sed id solum sibi sat esse, si ex carne Abrahã descenderent. Vt ergo Deus falsam hanc amputet fiduciam, ostendatque nihil illi carnem sine spiritu placere, ideo abijcit eos qui ius videbantur habere, assumit verò eos qui nihil de se confidere poterant. Verissimè igitur Paulus: Deus non vocat diuites, sapientes, nobiles, sed stulta mundi vocat, & quæ non sunt: vt non habeat caro vnde gloriari possit, sed omnis gloriatio sit ex Christo. Gratia est quod vocaris, nõ est ex te. Ideo si putas te habere vnde voceris, nõ vocaberis: donec agnoscas, nihil in te esse, cuius merito voceris. Ne igitur Pharisæus putet 1. Cor. 1. Ephes. 2. Rom. 4. Ierem. 18.

Deum sibi debere gratiam: ideo gratiam illi negat: quærit̃ alium qui agnoscat, nulla ratione gratiam sibi deberi. Acerrimus est gratiæ suæ zelator Deus, negat eam illi qui aliquod ius se in illam habere confidit.

Posterior causa est: Lapides alios quærit Deus, reijcitque lapideos Pharisæos, adeò lapideam duritiam sanctitate simulatam abhorret. Deus simplex est, simplicitatem amat, Prouer. 3. duplices odit. Potius igitur eos deligit qui in malitia simplices sunt, quàm qui cùm mali sint, sancti videri volunt.

Hic primum nota: Qualis sit peccator antequàm à Deo excitetur: lapis est, & si lapidis inclinatio est ad terræ centrũ proruere, intelligis hinc, peccatoris grauitatẽ ad infernum pendère: nihil aliud obstat, quin ast infernum decidat, nisi quòd caro nostra a lapideo corde nostro diuellatur.

Secundò nota idem ferè miraculum esse peccatorem conuertere, ac ex lapide hominem formare: planè vtrunque potentiæ Dei est. Potentiæ infinitæ est. Sed peccatorẽ conuertere maioris misericordiæ est. Ad formandũ hominem ex lapide, sola potentia sufficit: sed ad formandum ex impio iustum, & potentia & misericordia requiruntur. Cur igitur homines adeò facilè peccamus?

Tertiò nota, quòd si (vt Sancti dixerunt) Ioannes loquẽs de lapidibus, eos designabat qui erãt in Iordane, ea designatione monstrauit, per aquam baptismi lapides in filios excitari. notanter enim dixit de lapidibus his, non verò de alijs, sed de his quos tingit vnda Iordanis. Est enim aqua baptis- Iosue 4. malis adeò potens vt lapides conuertat in filios, sicut de quibusdam fluminibus legimus, quod ligna vertunt in lapides. Sed hoc potentiæ naturalis est: illud verò potentiæ diuinæ, conuertentis lapides, imò dæmones, in filios Abrahæ, imò in filios Dei. Subiungit Ioannes:

Iam securis ad radicem arboris posita est. Vbi non est leue extricare quænam sit hæc securis? & iudicio meo, expendenti verborum Ioannis consequentiam, non aliud videtur securis apud Ioannem, quàm gladius anceps apud Paulum, id Heb. 4. est, sermo diuinus: vult ergo Ioannes dicere: Hactenus in veteri lege lex diuina non admodum exigebat interioris hominis cultum, requirebat circuncisionem, cibos, potus, Hebr. 9. variaq; baptismata, & nescio quas alias iustitias carnis. Lex igitur vetus ramos consectabatur, non penetrabat hominis Luce 17. intima. At nunc longè diuersa ratio est. iam Christus venit, iam

iam regnum intra nos est: iam lex diuina ad viuum hominis cor penetrauit, iam exigit radicalem iustitiam. Ad radicem securis constituta est.

Est igitur homo arbor, voluntas & intellectus sunt arboris radices, sed potissima arboris radix, volūtas est. Ad hanc, securis Euangelij collocatur. Ipsa est anima, truncus, exteriora hominis, folia sunt & rami. Sugit anima succum per voluntatem, sugitq; succum, aut cœli aut terræ. Sed alia hic ratio est, quàm in arboribus: arbor conuertit quem succum haurit, in se, sed homo conuertitur in succum quem recipit. Si enim amas terram, in terram conuerteris: si cœlum, in cœlum adduceris. Vide igitur hominem affectibus è cœlo pendentem, & videbis arborem auersam, radices sursum, corpus arboris habentē deorsum. Psalmus dicit: Plantati in domo Domini, in atrijs Dei nostri florebunt. videlicet: quia sancti plantationem suam, radices suas, & voluntatem suam habent in cœlo, vbi palacium Dei est. Huius verò palacij atrium & vestibulum est nostra Ecclesia, in qua flores & fructus reddunt viri pij. Mirum verò est quàm gaudeat Scriptura hominem arbori comparare: dicit enim de viro pio, quòd est sicut lignum plātatum secus decursus aquarum, & quòd est sicut oliua fructifera. de impio dicit: Vidi impium exaltatum & eleuatum sicut cedros Libani, & alia multa. Est igitur homo arbor: & quidem plantauit Deus arbores in paradiso, è quibus ederet homo, & plantauit hominem in mundo, ex quo ederet Deus: ederent Angeli, ederet & ipse homo. Caueat verò ne & dæmones edant.

Psal. 51. *Psal. 1.* *Psal. 51.* *Psal. 36.* *Gen. 2.*

Secundò, arbor expectat è cœlo solem & pluuiam: vt fructum reddat: & homo nullatenus dignos fructus reddet, nisi luce & gratia cœlesti adiuuetur.

Tertiò, arbor fructus fert excelsos, & quos non facilè sit contingere: plantulæ enim & herbæ, terræ committunt fructus suos. At nobilis arbor cœlum videtur inuitare, vt suos fructus carpat: ita & nobilis anima suos offerat cœlo fructus, nullum terræ dimittat, thesaurizet sibi in cœlo thesauros, vbi fures de fructibus percipere nequeant. Sed quid huic loco hæreo? progredior. *Matth. 6.*

Iam, inquit Ioannes, securis ad radicem hominum posita est, nolite in exteriori iustitia exultare, nolite in Abrahæ fiducia gloriari: hæc iustitia ramis tantū inest & corticibus: at nisi abūdauerit iustitia vestra plusquam hęc exterior, non *Matth. 5.*

intra

intrabitis in regnum cœlorum. securis Verbi diuini & legis diuinæ non contenta est folia & ramos discindere, ad radices peruenit, vt vitia radicis amputet: certa, quòd si id fecerit arborem habebit fœlicem. Quid verò interim profuerit ramos habere putatos, si radix fuerit infirma?

Omnis igitur arbor quæ non fecerit fructum exscindetur. Quem quæso fructum? quem nisi eum, quo agricola fruatur? laborantem enim agricolam oportet primum de fructibus percipere. Sed num non etiã caro fructus suos profert? proferet quidem, sed hi nõ sunt arboris, sed carnis fructus. Caro verò non est arbor, sed arboris cortex. Profert quidẽ caro fructus, sed quibus exiccatur arbor, licet eius folia vireant. Profert quidem fructus, sed qui fructus dici non merentur. cùm sint potius arboris venena. Illi verè fructus sunt quibus frui liceat: at carnis fructibus frui non licet. Demum illi fructus arboris sunt, ad quos ferendos arbor nata est, & plantata. Vide nunc: an ad ferendos fructus carnis homo natus sit, an ad ferendos animæ fructus?

2. Tim. 2.

Galat. 5.

Cur igitur Ioannes non dixit quem fructum arbor producturа esset? Certè quia cuiq; arbori datur specialis succus, vt speciales proferat fructus, nec enim spinas ficus profert. Ita cuique diuisit Deus mensuram spiritus, vt non omnes eundem ferant fructum. Cùm igitur vides mundum hominibus plenum, præsertim vbi vides Ecclesiam hominibus refertam, nihil aliud te videre putato, quàm horum diuersis arboribus consitum: cuius emissiones sint paradisus, quod enim arbores bonæ emittunt, paradisus est.

Lucæ 6.

Rom. 12.

Cantic. 4.

Si verò arbor fuerit infructuosa (dicit Ioannes) exscindetur. Cur non dixit cremabitur? certè quia multæ arbores etiam combustæ, nisi exscindantur, non nihil ferunt, certe folia. At cùm mala arbor in infernum deijcitur, priuata omni potestate volendi, & intelligendi aliquid boni, nihil perinde anima illa excisa est, ac si anima non esset, nihil enim Intelligere aut velle illa anima potest, nisi malũ, cùm ipsa ad bonum nata fuerit. Sanè quia nec opus, nec ratio, nec consilium, nec sapientia est apud inferos quò tu properas.

Ecclef. 9.

Secundò dicit Ioannes arborẽ exscindendam. quasi dicat: Violenter & durè. Quia omnis malus, & omnis qui cœlum non requirit, cùm ex hac vita diuellitur nõ volens discedit, sed inuitus, velut qui exscinditur. Porrò iustus volẽs, libens, & lubens à vita discedit: vt qui in vita durabat inuitus

Simeon dicebat: Nunc dimittis seruum tuū Domine. quasi *Luce 2.*
diceret: Hactenus inuitū detinuisti, nunc iam dimitte. Sanè
qui in terra egerat radices, à terra discedere nisi violentè nō
potest. Sed qui in cœlo egit, in terra libens detineri nequit.
& id est quod infra docuit Dominus, dicens: Cum venerit *Luce 12.*
fur, domum impij suffodiet: at pij domum non suffodiet,
cùm apertam habeat pius Domino suo ianuam, non igitur
pius sinit perfodi domum, quia statim ei aperit ianuam. At
impius qui ianuam aperire non vult, aut aperire non nouit,
suffodi domum patitur: igitur pius pacificè à mundo disce-
dit: at impius non nisi, multis ictibus deiectus.

Tertiò, non dicit Ioannes arborem eradicandam, sed
exscindendam. Planè quia vir impius (cùm moritur) radices
relinquit in terra: radix hominis est volūtas & affectus. Hec
in terra manent, cum vita defungitur impius homo: licet
enim pereat, at quia dum viueret, desideria sua in terra col-
locauerat, desideria sua in terra manent. Ideo enim impij
dicuntur obstinati, quia semper optabunt, quæ optauerant
terrena peccata: superbia enim eorum ascendet semper. At *Psal. 73.*
pius quia quæ optauerat erāt cœlestia, radices suas nō relin-
quit in terra, non exscinditur, sed totus in cœlū euolat. Nihil
in terra dilectum relinquit, siquidem nihil in terra cupiuit.

Atqui tolerabile videbatur exscindi, si nōn in ignē arbor
mitteretur exscisa. At teste Ioanne, & exscinditur & in ignē
mittitur. Et nota quòd Psaltes dicit: Cùm exorti fuerint
peccatores, sicut fœnum: vt intereant in seculū. Igitur impij *Psal. 91.*
adeò citò ab igne penetrabuntur, vt fœnum: adeò tardè
(imò nunquam) consumentur, vt arbor, cùm magna & vi-
rens fuerit. Omnis caro fœnum, & omnis caro arbor sine
fructu: ardebit igitur facilè sicut fœnum, tarde consumetur *Isaiæ 40.*
vt arbor. Rubus ergo est quē Moses vidit, qui semper ardet,
nec absumitur tamen. *Exodi 3.*

Secundò in ignem mittitur, vt arbor, quæ igne bono &
cœlesti calescere noluit: igne malo & infernali cōburatur,
imò verò arbor quæ malo igne & carnali arsit: igne vehe-
menti licet terreno torqueatur.

Tertiò in ignem mittetur, inquit, vbi eam potentiam
eamque facultatem habebit ab igne euadendi, quam habet
arbor in rogum coniecta. Vt igitur arbor in ignem demissa,
per se euadere ignis complexum non potest: ita nec misera
anima, vbi in infernum descendit.

Quartò

Quartò in ignem (inquit) mittetur. Dum anima in hoc seculo est, ipsa se in infernum conijcit: hac tamen lege, vt retrahere pedem ab inferno velit, possit. At in infernũ post mortem ipsa si posset: non introiret, videt enim quod dum viueret, non videbat, loci, scilicet, atrocitatem: inuita igitur in ignem mittitur.

Quintò in ignem mittetur. Vt enim arbor in rogum deiecta furentem, nihil habet quòd exurens flamma non deuoret: deuorat enim radices, truncum, ramos, folia, fructus: ita nihil misera anima habet in infernum detrusa, quod non à prærapidis flammis exuratur, ipsa, scilicet, anima, suæ potentiæ, sui actus, quæ cogitauit, quæ dixit, denique omnia.

Sextò in ignem dicit. Rogas, quem ignem? illum videlicet paratum diabolo & angelis eius, quibus hominis anima collata exigua est palea: Quid igitur sentiet anima ab igne vorata, qui diabolum sufficit deuorare? misera potius quæ eodem igne torretur, quo magni illi titiones torrentur sunt.

Matth. 25.

Septimò in ignem illum dicit. Vt quos ignis tanti amoris, quantus Dei amor est, non calefecit, ignis tanti doloris exurat, vt quos ignis charitatis & amoris, quem sequebatur caminus æternitatis non excipit: excipiat ignis ille furoris & indignationis Domini. Quis verò ferre queat ignẽ, quem furor Dei accendit? dicit enim: Flatus Domini sicut torrens sulphuris succendẽs ignem. Si coram Deo quantus, quantus sum, ferè nihil sum, quomodo flammis sua indignationis succensis sufficere potero?

Isaiæ 31.

Ego baptizo (inquit) *vos in aqua*, in pœnitẽtia vos inducens, pœnitentiam vobis suadẽs: *at qui post me venturus est, fortior me est*. Non est autem simpliciter legendum illud: Qui post me venturus est. Cùm enim Ioannes repræsentaret Heliam illum, de quo Malac. 4. dicitur, quòd sit ante Christum venturus: & cùm ipse sit Angelus ille de quo Malach. 3. dicitur, qui præparabit viam ante Dominum: igitur ille Christus post me veniens verus Messihas est, verus Deus est.

Secundò post me, inquit, venturus, velut sol post auroram, velut vita post præparationes ad vitam. ac si diceret: Hactenus lex in aluo suo, sicut mater in vtero puerum formans, hominẽ præparabat, & disponebat: post me venit in plenitudine temporũ, vita ipsa, gratia, & veritas. Post figuram venit veritas, post vmbra lux, post noctẽ dies appropinquauit.

Galat. 4.
Rom. 13.

Tertiò

Tertiò: post me venturus. Ego legē quidam repræsento, si ille post me veniet, reiiciet igitur Deus legis statum, & reprobabit. Id enim mirabile est, priora adijcit Deus posterioribus gaudet. Vide obsecro, abiecit Luciferum, qui primus fuit omnium Angelorum: abiecit Adam terrenū, suscepturus Adam cœlestem: abiecit Cainum recipiens Abelem & munera eius: abiecit Ismaelem, Esau, Ruben primogenitos. & tandem cum Dauid multos haberet filios, statuit legem, eum futurum regem, qui esset natu postremus. Ita igitur si post Ioannem Christus, si Christus natu minor, nō regnabit Ioannes. Ioannem oportet minui. Christum verò crescere. *Hebr. 7.* *1 Corint. 5.* *Genes. 4.* *3. Reg. 1.*

Quartò: At qui ô Ioannes, si inter natos mulierum non surrexit te maior, quorsum erat necesse aliū post te venire? certè, quia si ex mulieribus natus nō surrexit maior, ex Deo natus, te erit maior. Erat verò dignum, vt sicut ante omnia nascebatur filius Dei ex patre: ita & post omnia, nasceretur idem filius, ex matre: vt idem esset Alpha & Ω, principium & finis. Ioannes igitur extremum perfectionis humanæ. Christus consummator & autor creatæ perfectionis, diuinę & humanæ. *Ioan. 3* *Apocal. 1.*

Quintò: Porrò cùm audis, post me venturus, intellige neminem post Christū venturum. Venit primū, hominum innocentia, inde lapsus, post lapsum lex naturæ, sequuta est lex vetus, omniū finis venit Christus, post quē nemo alius in hominum salutem veniet. Veniet sanè Antichristus, sed is erit fur & latro: veniet vt dissipet, mactet, & perdat. Putabant quidam post Christum venturum Spiritum sanctum. Sed error est, est enim Christus, in quo Patri complacitum est, ipsum audite, inquit Pater, si nihil filius habet, quod non placeat Patri, igitur nunquam reijciet filiū Pater. Rursum, si Filium proposuit orbi Pater, in magistrum, nullus iam erit audiendus. Igitur post me veniet, post quem nemo veniet. *Rom. 10.* *Ioan. 10.* *Matth. 17.*

Sextò demum post me veniet, qui hominum opinione, post me tanquam mihi inferior esse videbitur. Post me veniet, quia sanctior videbatur Christo Ioannes. Post me quia viliore morte morietur. Post me, quia in negocio humilitatis, humilior erat, & humilior videri volebat Christus, quàm Ioannes. Ideo communem Christus delegit viuere vitam, vt post Ioannem, id est, humilior quàm Ioannes videretur. At is qui post Ioannem esse videtur hominum oculis, Ioanne fortior est.

Paul. de Palacio.

Primò, primum quidem fortior, quia eum figurauer omnes viri fortes qui in antiqua lege fuerunt: figurauit
1 Reg. 16. Dauid, qui fortissimus robore dicebatur, Samson, qui m
Iudic 16. sua mortem intulit suis inimicis, Gedeon virorum for
Iudic. 6. mus vt ei Angelus asseruit. figurauit tandem Iacob, qu
Genes. 22. gnans cum Deo, Deum ferè vicit, licet emarcido semen
fuit Christus, qui vere Deum, in hominum profectum
licet in ea victoria Christus mortuus fuerit.

Secundò, fortior sane esse debuit Ioannes is qui era
seraturus cœlum, impleturus orbem, mūdaturus pecca
Ephes. 4. prostraturus diabolum, spoliaturus infernum, excita
D. Thom. seipsum è sepulchro: & secum pios omnes.
3. part. q. Tertiò, an non debuit esse fortior qui contritione
46. corde, loco omnium nostrum, sensit: calicem amaritu
Mat. 25. pro nobis ebibit: tormentum crucis sustinuit?

Quartò, an non erat necesse Christum esse Ioanne
Isaiæ 53. tiorem, qui nostra scelera, peccata & neglīgētias sust
Sap 11. & propter pœnitentiam dissimularet? nisi enim in Ch
1. Cor. 13. illa esset charitas quæ omnia sustinet, fieri nequiret o
no, vt tot orbis peccata, nō ita eum peruocassent, qui
redegisset in nihilum.

Isaiæ 93. Quintò, ita planè necesse erat Christum fortem esse
sicut Deus pater, quia pater est orbis, debuit omnipot
Isaiæ 9. esse, ita & Deus Christus, quia pater est futuri sæculi
Heb. 1. fortissimus esse, vt verū sit, quod Paulus dicit: Portās o
Verbo virtutis suæ, & purgationem peccatorum fa
quod mundum tanto maiorē arguit in Christo pot
quàm primum: quanto maius est confractū reparare,
ex integro fecisse: & quanto maius est, peccatorem
care, quam mundum condere.

Sextò, an non tibi videtur fortis Christus, qui cœlum
Actor. 20. terram inclinauit, qui terrā cœlo intulit? An non fortis
ita animos suorum ad se suspendit, vt potius vitæ pro
Ioan. 12. quàm gratiæ Christi, facere iacturam patiantur? An
fortis, qui in infirmitate crucis suæ, omnia potuit tra
Ephes. 4. ad se? An non fortis, qui ascendēs in altum captiuam d
captiuitatem? An non fortis, qui expandit alas suas sup
Deut. 32. supposuit humeros (velut grandium alarū aquila) & po
omnes Christianos? expandit, inquit, alas suas, & assum
eum, atque portauit in humeris suis. An non fortis p
Luce 15. qui errantes omnes nos imposuit in humeros, & gaude

quod errantem inuenerit? verè fortis, qui tot oues portare valet. Imò verissimè fortis, qui totius mundi scelera portauit, verè enim languores nostros (qui numero carent) ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Dominus enim posuit super eũ iniquitates omniũ nostrûm. Hæc vt arbitror causa fuit quod Ioannes dixit Christũ fortiorem, non verò dixit meliorem, sanctioremve. Sed fortiorem, videlicet, quia cùm nemo ascendat in cœlum, nisi filius hominis, qui est in cœlo, nos igitur ascendere nequimus in cœlum, nisi portemur à Christo, fortis igitur qui adeò grauem sarcinam cœ'o inferre valet. 1. Petri 2. Isaiæ 53. Isaiæ 53. Ioan. 3

Sed age progrediamur. Addit Io ̃ nes: *Fortior, inquit, me est, & non sum dignus eius calceamenta portare.* Hic me tenet admiratio, cur non dixit: Non sum dignus eum adorare, quem adorabũt reges terræ? Non sum dignus ei seruire, cui omnes gentes seruient, non sum dignus eius lambere puluerem, de quo dictũ est, quod inimici eius terram lingent. Cur igitur placuit dicere, cuius non sum dignus calceamenta portare? & quid tandem id verbum significat? Psal. 71. Ibidem.

Primum quidẽ id Ioannes verè dixit, cùm enim Sanctorũ sudaria & semicinctia adeò veneremur, vt vix ea contingere audeamus: quanto verius Christi calceos venerabitur orbis, qui carnẽ Christi tangere soliti fuerant? an non est dignius Christi calceos adorare, quam alicuius viri sancti capillos?

Sed age penetremus hoc: Cùm Dauid dicit in Idumæam extendam calceamentũ meum: sensus est, in Idumæam extendam dominiũ, ius & imperiũ, quo Idumæos subigam, ac si calceatus super ipsos ambularẽ. Igitur cum Ioannes dicit: Nõ sum dignus calceamentũ Christi portare, sensus est non sum dignus illud habere ius & imperiũ, quod Christus habebit in orbe, quo omnes subiugabit fideles. Quid non modo nõ est dignus Io ̃ nes portare, imò nec intelligere potest humanũ ingeniũ, quã verè sibi subiecit Christ⁹ mũdũ, terrestria, inferna & cœlestia: in nomine enim Iesu omne genu flectetur, vt calceis suis videatur Christ⁹ super omnes ambulare. Psal. 59. Philip. 2.

Alter sensus est: Cùm Deus parabat educere Israelem de AEgypto, instituit agnum paschalem manducari ab his qui calceati essent, & baculos in manibus haberent. Cuius rei significatio erat, vt hi soli ederent agnũ, qui calceati essent, id est, ad iter parati, & velut accincti: igitur calceatio præparatio ad iter est. Iam ergo sentit, Non sum dignus eam Exod. 12.

præparationem intelligere, quàm animus Christi habuit, ad negociũ redemptionis peragẽdum. Baptismo, inquit, habeo
Lucæ 12. baptizari, & quomodo coarctor, donec fiat. Quasi dicat, paratus sum, calceatus sum, omnis mihi mora molesta est. Quia sponsus procedens de thalamo, exultat ad currendam
Psal. 18. viam suã. At sponsi calceamenta in pedibus habent maximè cum de thalamis exeunt.

Exod. 3. Mysterium tertium est: Cùm Moses videt rubum ardere accedere volens, iubetur excalceari. quia terra, inquit, vbi stas sancta est, ac si dicat, prius teipsum pugna, prius te sanctifica: quàm hanc terram contingas: igitur excalciare, est purgare. Porrò qui alterius calceos portare vult, eum excalciare debet. Dicit igitur Ioannes, non sum dignus excalciare, aut purgare Christũ. Nec enim ego sanctificator sum vt quidpiam possim sanctificare, ipse Christus sanctificator est: à quo ego & sanctificari & excalceari debeo.

Genes. 3. Mysterium quartum est: per calceos peccata significantur propter peccatũ enim corijs vestitus est Adã, & ita propter
Psalm. 21. peccatum calceatus est. Christus verò peccata tulit, non sua sed nostra. Calceamento habuit non propria, sed aliena. hæc peccata Ioannes portare dignus non est, imò nemo hominum portare sufficit. Solus enim Christus portare & satisfacere pro peccatis nostris dignus est, quia Deus & homo est.

Mysterium quintum est. Calceamenta sunt extremum hominis ornamentum, at extremum Christi ornamentum fuit passio sua & mors. has passiones & morte ferre Ioannes non est dignus. Si enim Christi mors adeo fuit gloriosa, vt
Philip. 2. per eam meruerit nomen, super omne nomen: manifestum
Galat. 6. est, Ioannem non fuisse tanta gloria dignum. Quare nec fuit dignus passiones Christi portare. Gloriari in cruce Christi nis datũ est, partem crucis post Chr stũ portare etiã licet. Sed crucem totam portare solus ille fuit dignus, qui tulit. &
Matth. 16. rursum: Christus moritur innocens: quia nunquã peccauit. Hac morte mori Ioannes non fuit dignus, cum peccatum originale, cui mors debetur, commiserit. Igitur calceamenta
Rom. 5. illa tam pura, tam sancta portare Ioannes non meretur.

Mysterium vltimum est: Calceamẽta sunt, quibus terram calcamus, & terræ hæremus. Illa igitur conuersatio, quam Christus terrena tangebat, edens, bibens, dormiens, timens, pauens, calceamenta Christi dici debẽt. Hanc verò conuersationem licet humanam, ita Christus moderabatur, vt cùm decebat,

decebat, qui Deus erat: plus igitur sanctitatis habebat Christi manducatio, potus & somnus, quàm cuncta quæ Ioannes gerebat. meritò igitur tantam sanctitatem Ioannes portare dignus non est. Sub ungit Ioannes.

Ipse vos baptizabit Spiritu sancto & igni Vbi primum nota, cùm baptizat minister Christi, Christus ipse baptizat. quare cùm absoluit, cùm vngit & alia sacramenta exhibet sacerdos, ne eum præcor attendas, attende illum, qui per ministrum ea opera facit. Ipse igitur baptizat, sed quos? ipse vos (inquit) vt si miraris quod Christus Petro lauerit pedes, multò mirere magis, quod omnium hominum carnem lauat in baptismo: & quod maius est, peccata lauat in Sacramento. Et quo fœdiores sunt animę quàm corporis sordes, eo grandius est opus, quo lauantur animæ, quàm carnis immundiciæ. 1. Corin. 3. Ioan. 13.

Sed redeamus ad Ioannem. Inquit, *ipse vos baptizabit Spiritu sancto & igni* Quod non solum intelligas fieri in solo baptismo. Sed intellige fieri, per totam hominis vitam: sanè per Mosen omnes Iudæi baptizati sunt in nube & in mari. Quia omnes Iudæi in nubem intrarunt, Angelus enim qui in nube eos præcedebat, per eos regressus est, vt eos sequeretur. Itaq; nubes quæ sequebatur Angelum, totos repleuit Iudæos, & ita in nubē ingressi sunt. Vt igitur per modicum tempus intrarunt Iudæi in nubem: ita & Christiani intrant in Spiritum sanctum, per totum tempus quo sancti sunt. Et sicut pisces toto vitæ tempore natant per mare, in mari submersi: ita & viri fideles, toto vitæ suæ tempore velut natant in spiritu, spiritu habitāte in eis, nec solum habitāte, sed etiam obumbrante, operiente, & replēte. Submersi sunt igitur pij in spiritu. hoc igitur est, baptizabit vos in spiritu, faciet vt tota vita vestra spiritualis sit, faciet vt opera vestra spiritualia sint vt spiritum ametis, diligatis, & velut nihil aliud tractetis quam spiritum. 1. Cor. 10. 1. Cor. 12. 1. Cor. 6.

Et eadem ratione intellige, id quòd addit: Baptizabit vos in igne, videlicet in amore & dilectione. Quia si fidelium (eorum qui puritati intendunt) vitam spectes, nihil aliud videbis quàm amoris flammas, ignemq; vehemētem, & quia nihil dignius quàm in spiritu ambulare (& non secundum carnem) nihilque dulcius quàm ambulare in dilectione, ideo Dominus vtrumque, coniunxit: baptizabit vos in spiritu: qui sicut est ipse amor, & ignis: ita faciet vos in spiritu & Ephes. 5.

1. Cor. 10. dilectione ambulare. Quod igitur Apostolus inquit: Siue comeditis, siue bibitis: siue quodcunque aliud facitis omnia in nomine Iesu Christi facite, id est, ambulare in igne & spiritu. Sicut enim qui terrena quærunt, & hæc sola curant, submersi dicuntur & sepulti in terra: ita qui spiritualia
Cant. 2. 5. requirunt indilectique languent amore, hi baptizati & immersi dicuntur in spiritu & igne.

Et hinc fit, vt qui reuera pij sunt, hi spirituales sint. Ita vo-
Galat. 6. cātur à Paulo, vos, inquit, qui spirituales estis. Rem profectò mirabilem. Quia membrum Christi es, Christianus diceris. At quia Christum moribus refers, velut quidam Christus es. At id non fuit sat Christo, sed ita nos in spiritum immergit, ita nos à spiritu penetrari voluit, ita à spiritu imbibi, vt spiri-
Rom. 12. tuales diceremur, quasi quidam spiritus, quasi qui caro esse desierimus, & in Deum translati simus.

Si igitur Christiani baptizantur, & ambulant in spiritu, feruēāt igitur, procul sit omnis segnicies, nihil spiritui flanti magis aduersum quàm torpor. Et rursum, si baptizantur in
Psal. 103. igne, procul ab eis omnis frigiditas, nihil enim magis igni inimicū, quàm tepor & frigus. Vere ita est, quòd Deus facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignis flammas: scilicet, quia Angeli nihil habent segniciei, sed sicut ventus ita facilè cuncta munia peragunt: rursum nihil habent teporis qui sicut ignis ardent. Hanc angelorum conditionem transfudit in nos Christus, baptizans in spiritu & igne, faciens nos vt angeli essemus, sicut spiritus, & sicut ignis. Quis igitur audebit comparere frigidus Christianus & torpens?

Item si Christiani baptizantur spiritu, procul sit ab eis omnis puluis, si baptizātur in igne procul paleæ. Enimuero puluerem ventus proijcit à facie terræ. paleas ignis redigit
Psalm. 1. in cinerem: per paleas vanitatem superbiæ: per puluerem
Exod. 5. peccata terrena intellige, quæ exigit Pharao. Nisi per paleas
1. Corin. 3. velis accipere peccata venialia, sicut accepit Paulus, & per puluerem grauem, peccatum mortale.

Porrò quod dicit, baptizabit vos in spiritu & igni, Christianum modestiā intellige. siquidem ignis ardet, feruet, est velut impatiens, furitque. at ventus fere tepefacit, & infrigidat, vt intelligas, amorē in pectore Christiano furentē, sed
Rom. 8. spiritu sancto temperatū & moderatū. Filij enim Dei spiritu agūtur & regūtur. Quis nō videat eremitarū qui in Aegypto, Scythia & Palestina vixerūt, vehementē amorē? At quia etiam

etiam non videat quam moderabatur eos spiritus Domini?

Iam si spiritu agimur, si spiritus nos replet, & gubernat, procul igitur sit nostra volũtas vt mandet: si sit, sit vt obediat alioqui, si voluntas nos nostra gubernat. resistet igitur flatui spiritus: ibi cõtra spiritũ. quæ vero maior iniuria quã tantò gubernatori contra niti, quasi ipse male gubernet?

Et cum tanta sit dignitas hoc spiritu vestiri, repleri, & gubernari. cumque sit tanta dulcedo, hoc amore exuri & ardere, quanta erit miseria ab hoc spiritu deficere, hunc ignẽ extinguere? Certe si spiritus Christi habitat in nobis, qui excitauit Christũ à mortuis, excitabit & mortalia corpora nostra, propter inhabitantem spiritum suum in nobis, nec enim Deus patietur, illud corpus perpetuò iacere defunctũ, in quo ipse spiritus, (qui ipsa vita est,) habitauit & contra, omnimoda mors penetrabit corpus & animam illam, in qua is qui est omnimoda vita non habitauit. Rom. 8.

Cuius ventilabrum in manu sua Hic Christi maiestas maxima reuelatur. Sanè quod ille dederit spiritũ nobis suum, suumq; igneum amorẽ magis muneris sui est, quam meriti nostri: at quod operemur hoc Spiritu, & hoc igne, hic iam diligẽtia nostra requiritur. Porrò quòd Christus eos habeat oculos, quibus apertè omnia, omniũ opera vbique locorũ videat, mirari potius possum quam capere. Id verò est ventilabrum in manu habere, omnia opera dispicere, omnium operum bonitatem & malitiam expendere: cuiusuis operi meritum aut pœnã taxare. Idq; non vnius hominis solum, sed omnium quæ habitant in mundo, quis non stupeat tam lucentes cõsiderans oculos? Quòd vero ventilabrũ habeat, quo grana & paleas sursum subleuet, vento que exponat, intelligo Christi potestatẽ, potentem homines sursum attollere. Vbi intelligo, neminem esse adeò deiectum hominem, quem Christus aliquando non attollat in aliquam fœlicitatem. hoc enim est grana paleasque sursum ducere. Porro si sursum Christus te attulit, certo scias, eò te in locum altum sublatum, vt vento esses expositus, ventusq; te exagitaret. Caret igitur, locus humilis ventorum (id est, tribulationum) exagitatione. non potest vero locus excelsus vento carere doloris. Sunt ergo tria Christi officia: primũ, posse homines attollere. Secundum quod reuera aliquando attollit, nec enim perpetuò patitur quenquam (dum viuit) in miseria iacere. Tertium: at si subleuat, ideo subleuat vt tenteris.. Hebr. 2.

Interim tu in fœlicitatem actus, & tribulatione c-
cussus: vide granum sis: caue sis palea. Sanè grana ad pe-
ventilantis suo pōdere cadunt. palleas aliorū ventus di-
lit. Si igitur in tribulatione, ad Christi pedes cadis, e
voluntati penitus subiectus, granum es. Si verò te à Chr-
tribulatio remouit, palea es. Si pondus habes veritatis i-
granum es: Si vanitatem concepisti, palea es. Euent-
Christum tribulatio dum erat in horto, procidit in fa-
Mat. 26. suam, dicens: Pater non mea, sed tua voluntas fiat. A-
apertè vides granum ad pedes euentilantis proiectum
tur cum te tribulatio ad Dei voluntatem recto deijcit
mite, granum es. At ô miseriam, si non ad Dei volunt-
procidis, palea es.

Vbi grauissimè nota: Si qui in sua tribulatione, non re-
ad Dei pedes descendunt, paleæ sunt igni inexting-
cōburendæ, quid erit de his, qui nulla tribulatione acti m-
committunt? Et quo igne comburentur, qui ex propria v-
luptate vitijs se tradiderunt.

Secundò nota: quàm est hæc misera vita: vbi nulla fe-
citas pura est: nulla est, quæ non ventis dolorum ag-
Sap. 11. & excutiatur. quàm verè ergo dictum est: Omnia fe-
pondere, numero & mensura, vt nunquam mensura sit fe-
licitatis, sine taxatione doloris.

Tunc venit Iesus. Ea mihi prior cōsideratio succurrit,
est quod tam exactè Mattheus recensuit, Dominū è Ga-
venisse, & in Iordanem, & ad Ioannē, an non sat erat d-
venit ad Ioannem, aut venit vt baptizaretur? Ad ho-
fortassè curiosum videri potest (nec tamen est, cùm
nec iota, superfluat in sacra Scriptura) id dicendum m-
detur, quod meritissimè Matthæus dixit Dominū è Ga-
venisse Galilæa reuolutionem & rotationē significat.
igitur audis Maiestatē Dei, Deū ipsum venisse, ac si pecc-
esset ad Ioannē: vt ab eo baptizetur, an non intelligis tot-
mundum reuolui, totam mundi machinam rotari? Ioa-
& quiuis hominum debuerant ad Deum venire, vt ab
baptizarentur: quia verò homo ad Deū non venit susce-
rus baptismum ab eo: venit Iesus ad hominem baptiza-
ab homine. ô mundi reuolutionem! ô leges rationis, le-
prudentiæ reuolutas? quis hæc audiuit, Deus venit vt p-
cator, baptizandus ab homine? Abyssus bonitatis & gr-
petere videtur remissione culpæ, ab homine quia abyssus
miser-

miseriæ? Planè rotatur mundus, & quæ superius esse debuerant, rotantur inferius, ita quidem placuerat Deo, hominem qui in rotæ infimo cardine iacebat, in locum summum euehere. At, vt rotæ ima subleues, necesse est eiusdem rotæ, summa deprimere. Nec enim ascendūt infima rotæ, nisi eius summa descendant. Vt ergo ascendat homo ad Deum, Deus descēdit ad hominem, hoc significat verbum reuolutionis: maximè cum Iordanis significet descensum, significatum ergo est summa rotata esse, & in locū humilem descendisse, vt ima in summum locum conscenderent.

Secundò, per verbum rotationis & reuolutionis significatum est, quòd lex deuoluebatur ad gratiam, in quam lex descendit, & ibi defecit, quo ad literā: licet quo ad spiritum, ex gratia ascēderit perfectior, & melior quàm antea fuerat.

Tertiò significatū est, quòd Christus qui eatenus vixerat vt priuatus homo, rotabatur in descensum & humilitatem baptismi, vt inde ascenderet, id est, declararetur totius orbis seruator.

Secunda consideratio pulsat animum, quę causa mouerit Christū: vt baptizaretur à Ioanne? Expende obsecro cuncta: Christus veniens Deus est, fons sanctitatis & gratiæ. Venit ad Ioannem, qui homo est indigens gratia, certè gratiā dare non potens, siquidem gratiam & gloriam dat Dominus. *Psal. 83.*
Venit verò Christus ad Ioannē, vt baptizetur, ac si diceres: Profitetur se Christus peccatorem, profitetur se optare remissionem criminum, venitq; ad Ioannem, vt eius Ioannes, crimina lauet. Quid sibi vult negotium hoc? Sanctus & sanctitatis fons petit mundari, ab ea quæ mundare nequit? Quis intelligat miraculum istud?

Quod si hoc vix intelligi potest, age mecū altius penetra. Sane tria fuerūt aut quatuor opera summæ humilitatis, quæ Christus in hac vita peregit. Primum fuit circuncisio, quâ se peccato originis obnoxium, sicut reliqui pueri, ostendere visus est. Alterum fuit hic baptismus, quo se vt cæteri peccatores, mundari vult. Tertium fuit cùm lauit discipulorum pedes. Quartum cùm fuit crucifixus, Inter hæc 4. opera. *Ioan. 13.*
Primò aspectu summum humilitatis gradum videtur obtinere, quòd pedes piscatorū Deus maiestatis lauerit: at, quam mundari tanto est humilius, ostendere se mundari a peccatis: quàm peccata mundare. humilius ergo est à Ioanne requirere mundiciam, quàm discipulis eam elargiri. Rursum,

quanto vilius est peccato actuali inquinari, quàm origin[ali]
tanto videri potest humilius à Ioãne peccatorũ baptismu[m]
quærere, quàm effusionem sanguinis in circuncisione [per]
ferre. O igitur summam animi humilitatem! ó verissim[um]
sui despectum: videri vult peccator oculis hominum! vid[eri]
vult immundus in tot hominum theatro, in hominum ta[m]
frequentissima turba.

Cum igitur requiris, quid mouerit Christum vt baptiza[-]
retur? Certè, vt amicus humilitatis & deiectionis, qu[am]
optabat in animo, videret in opere. Sanè mercator vbi [il-]
lucet spes, currit, accurrit, nihil relinquit, quò non prope[ret:]
ita & Christus vbi humilitatem assequi potuit, accur[rit,]
properauit, vt hanc sibi sponsam copularet. Hæc prior [dif-]
ficultatis explicatio.

Altera est: Certè cæremonia fuit, quòd Ioannes bapti[za-]
ret. neque enim ille baptismus ex se gratia dabat. Vt ig[itur]
Christus notaret sacras cæremonias non esse à populo [ne-]
ciendas, eas ipse primus suscepit.

Tertia causa fuit: Meruit hæc Christi summa deiect[io]
(qua Ioanni in remissionem peccatorum, ille se subdit, [qui]
peccato carebat,) vt Deus obligaretur, & astringeretur [ad]
gratiam per ministros noui Testamenti, etiam si mali, [&]
etiam si Satanici sint. Si enim autor gratiæ, & fons, & p[rin-]
cipium gratiæ, petit gratiam remissionis, ab homine, qu[i]
se gratia caret: iustum fuit vt Deus necessariò assisteret [mi-]
nistris noui Testamẽti, dando per eos gratiam, (etiam [si]
ipsi careant) his qui gratiam petierint, si caruerint: & dando
augmentum gratiæ his qui petunt, si eam habuerint.

Quarta causa est, & huic tertiæ cõsequens. Dei ma[iestas]
petit remissionem & emundationem a Ioanne, vt tot[um]
genus hominum in summa iacens miseria, se remissio[nem]
Lucæ 11. habiturum confidat, si à Christo eam vere requirat. Si e[nim]
nos qui sumus mali, nouimus bona data filijs nostris d[are,]
quanto magis Pater dabit bona, petentibus: Si Ioannes no[n]
negat mundationem petenti, quanto minus Pater neg[abit?]

Quintò: Attende obsecro, quòd Christus venit è Ga[lilæa]
in Iordanem, ad Ioannẽ. Ioannes significat gratiã. In[dicat]
ergo nihil esse relinquendũ homini, quòd non aggre[diatur,]
nihil nõ tentandum, vt gratiam assequatur. Christus nu[da-]
uit se, in aquam mersit se, hyemis frigori subdidit se, Ioa[nni]
tanto inferiori subiecit se. nihil igitur non faciendum, vt
[Ioan-]

Ioanni, id est, gratiæ subdamur: etiã vestes perdamus etiam si frigora patiamur, etiam si honorem amittamus.

Sexto: Obsecro te Lector, ne Christũ vt priuatũ hominẽ contemplere, sed in Christo omne genus hominum (vt in corpore mẽbra,) intellige. Iam quod celebrius spectaculum esse potuit, quam Deum & hominem Christum, totumque genus hominũ supplices à Ioanne Dei vicẽ gerente, emundationem postulare? Planè postulat Christus & homines in Christo, quia neque Deus ex se postulare gratiam poterat, neq; homo ex se eam impetrare: ideo Deus postulat in homine, vt possit postulare & homo postulat in Deo, vt possit impetrare. Non erat Deitatis aliquo egere, nõ erat humanitatis gratiã promereri: iungitur ergo Deitas cũ humanitate, vt & petat & promereatur. Quod verò à Ioanne, id est, à gratia, gratia requiritur mundationis, indicatur quòd nullus Christianus gratiã, nisi à gratia accipiat: id est, nullus gratiã recipiat, nisi gratis. iuxta illud Isaiæ: Emite absque argento & vlla commutatione. & Pauli: Si gratia non ex operibus. *Isaiæ 55.* *Rom. 4.*

Septimò: Solet dici, & ita D. Augustino doctore suscepimus, quòd Ioannes Testamentum vetus repræsentat. Iam certũ est, quod plerisque hominibus, non infidelibus modo, sed etiam fidelibus, Christus & quæ Christus gessit in corpore, videntur vilia, sordida, & immunda: vt cùm audiunt Christum cõspui, flagellari, mori, sepeliri, tum etiam edere, bibere, dormire, irasci, pauére & timere. Cum igitur Christus nosset se vilem hominibus videri posse: recurrit ad Ioannem, id est, ad Testamentum vetus, a quo lauetur: vt orbi mũdus appareat: & ita factum est. Cùm enim lex vetus prædixerit cuncta quæ Christus in corpore fecit, vilia & immunda videri non possunt, quæ tanto antea de Christo erant prænunciata. Venit igitur Christus ad Ioannem, id est, ad legem veterem. Scrutamini, inquit Scripturas, quia illæ testimonium perhibent de me, id est, illæ lauant, illustrant, tolluntque sordes, quas vos mihi objicitis, & quidem lex vetus pro reuerentia quàm Christo suo consummatori debet. Christo (ab ea testimonium petenti,) respondet: Ego à te debeo baptizari, illustrari, & perfici: at Dominus, sine modo, ita decet nos implere omnem iustitiam. Sanè iustitia erat credere Christo, tanta signa facienti: nec enim aut sic loquutus est homo, aut sic operatus est homo. iustitia erat ergo credere ei qui propheta tantum surrexit. *Ioan. 5.* *Ioan. 7.* *Ioan. 17.* *Lucæ 7.*

At

Luca 7. At omnis iustitia impletur, omnisq; iustitia præcipit, vt cre-
Ioan. 12. damus ei, qui tot miracula fecit, & de quo vetus scriptura
prædixit. Si enim miraculis Iudæi non credunt, an non con-
tra omnem iustitiam insurgunt, qui tam apertis scriptu-
Luca 7. contradicunt? Sine igitur, inquit Dominus, vt Sapientia iu-
stificetur a filijs suis, sine vt homines intelligãt me omnem
iustitiam ab eis exigere, cùm fidem in me ab eis exigo.

Quòd verò textus dicit: quòd baptizatus Christus con-
festim ascẽdit de aqua, denotat mysteriũ, quod, scilicet, si
quis contulerit, & velut merserit opera Christi in legem
terẽ, scrutator an Christus sit ille promissus Messias, per-
fectò inueniet opera Christi non lege inferiora, nec mi-
ijs quæ in lege, de eo scripta erãt: imò inueniet ipsa lege
maiora, ascendentem ergo Christũ inueniet, non de...
Iam quod dicit, Confestim ascendit, indicat non m...
negocio, neque magna mora Christum verum Mes...
inueniri, ab eo qui Christum cum lege contulerit: mo...
cæcus non sit, aut esse velit.

Octauo: Si Ioannem non solum capias pro lege, sed
ipsos cæcos Iudæos repræsentet, aliud miraculum inue...
Petit Christus à Iudaismo, (per Ioannẽ figurato) bapti...
is baptismus in aqua, baptismum significauit in sang...
Sicut & mergi in aqua, sepulturam significauit. Docet e...
Rom. 6. Paulus, per baptismum, mortem & sepulturam sign...
Cùm igitur venit Christus ad Ioannem vt baptizetur, ...
lige eum venisse in Iudæam: vt ab ea occidatur. & q...
si Synagoga quæsisset à Domino, quorsum veniret: Re...
deret, vado crucifigi pro te. Tunc æquum erat vt tota...
re ponderet Christo, minime Domine, decet te, propter
dæam mori, quin potius decet nos mori pro te. Satius e...
est vt nos tui causa baptizemur à te in sanguine nostro, q...
vt tu, nostri amore, baptizeris à nobis in sanguine tuo...
Dominus: Sine modo, ita decet nos implere omnem iusti...
ita decet, vt ego, & homines in me, soluamus omne de...
quod pro peccatis hominum Patri debetur, ita decet vt...
me & in hominibus, qui membra mea sunt, exerceatur om...
iustitiæ rigor, & exigatur à me vsque ad nouissimum qu...
drantem: & iustitiæ diuinæ fiat plenissima satisfactio. Bapti-
zauit ergo Iudæa in sanguine Christũ. Sed confestim ex...
de aqua, quia tertia die surrexit à mortuis, iuxta quod n...
Act. 2. possibile erat, teneri illũ à morte & inferno, vt Petrus in...

Non...

Nonò: Si Ioannes non solum repræsentet Iudæos, sed omnes viros, maxime pios, surget alius sensus, licet non admodũ à prędicto alienus. Cùm venit ad Ioannẽ Christus, intellige venire Christum ad homines, cùm verò petit à Ioanne baptismũ in aqua, intellige, quòd petit pro hominũ amore, mergi in angustias & tribulationes. Solenne enim est in scripturis, aquã pro tribulatione recipere. Petit igitur Christus ab hominibus, & pro hominibus tribulationes. Respõdent pij: Nos pro te decet tribulari, & in angustiarum tempestatẽ demergi, cur tu venis idem passurus pro nobis? At Dominus: Sinite modò dum in hac mortali vita cõsisto, vt pro vobis patiar, nullatenus passurus post mortem. Permittite vt patiar, & vos mecũ patimini, ita enim decet nos omnem iustitiam implere. Licèt enim iustitia sit viro pio cœlum tribuere: at omnis iustitia est, viro pio pro pietate patienti, & in tribulationem aquas demerso, cœlos aperire. Patientia enim opus perfectum habet. & ideo omnem iustitiam habet, tritum enim illud Pauli est: Hæredes erimus Dei, & cohæredes Christi, si tamen compatimur, vt conregnemus, vt videatur Paulus sentire iustitiã regni, in patria consistere. Sinunt viri pij vt Christus baptizetur in tribulationibus: at ille confestim ascendit de aqua dolorum, quia omnis tribulatio momẽtanea est: iuxta Paulum, quod momentaneum & leue est tribulationis nostræ, &c. Confestim etiam ascendit vir pius de aqua, quia aquæ non possunt extinguere charitatem. *Psal. 17.* *Rom. 6.* *Iacobi. 1.* *Rom. 8.* *2. Cor. 4.* *Cant. 8.*

Decimò: Sicut Christus à Ioanne hyrto, & in deserto, baptizari petijt: ita à peccatore hyrto, & deserto, Christus petit baptizari, id est, petit ab eo lachrymas, quibus libẽtius Christus mergitur, quàm in aquis Iordanis, si eas solas spectes. Porrò peccator respondet: Domine cur petis à me lachrymas meas, quin potius sat mihi sint lachrymę tuæ. At contra ait Dominus. Sine modò, tu permitte: vt ego dolorem & lachrymas tuas accipiam: ita enim decet nos implere omnem iustitiam. Si enim solus ego sine te, te saluarem & conuerterem: non viderer iustus, qui penitus indispositum iustificẽ, at cum me operãte & dante tuis lachrymis fauorẽ, tu me illis persuadis dum iustifico impium, iustus appareo. *Rom. 3.*

Vndecimò: Sicut à Ioanne petijt Dominus baptismum, ita petit à quouis homine pio: cùm ab eo eleemosynas & opera pia exigit: quibus libenter mergitur Christus, quibus

refrigeratur & gaudet. Petit igitur in paupere Christus [illegible] uite pio aquã qua baptizetur, & lauetur à sordibus pa[illegible] tatis. Tunc pius vir, Domine, inquit, da tu mihi, tu me [illegible] za, tu nosti quã his quæ habeo egeã, da tu aquas quas p[illegible]

Lucæ 21. at contra Dominus, sine modo, da etiam ex eo q[illegible] videtur necessarium. Sic enim decet implere omnem [illegible] tiam: iustitia est dare ex abundanti, omnis porro [illegible] bonitas est: dare ex illo quo egemus, sicut vetula [illegible]

Lucæ 21. Euangelium laudat, suo exemplo mõstrauit. Veniens [illegible] Christus ad Ioannem, & ab eo aquam requirens, in[illegible] se, nostra aqua indigere, vt suum ignem nobis elargi[illegible]

Duodecimò: Hanc prosopopeiam accipe Lector Io[illegible] est gratia, Christus omnium hominum personam [illegible] Christus igitur in persona hominum ad gratiam ven[illegible] gans eam, vt homines in gratiæ fontem mergat. Tunc [illegible] Christo respõdet: Quid à me poscis gratiam, cùm tu [illegible] gratiæ? Imò verò tu imple alueos meos: vt abundan[illegible] homines fluam. At Dominus: Sine modò, quando pec[illegible] res repræsento, & eorum vices gero, ita decet me im[illegible] omnem iustitiam: omnis enim iustitia est, vt Christo [illegible] peccatoribus gratiam petẽti, & peccatorum nomine [illegible] dationem imploranti gratia tribuatur: non sibi, sed pecca[illegible] toribus pro quibus rogat, non est iustitia vt peccator [illegible] tribuatur. Sed omnis iustitia est vt Christo causam [illegible] toris agenti, gratia non denegetur. Hactenus.

Baptizatus autem Iesus confestim ascẽdit de aqua. Plan[illegible] est in aqua Christus non videt cœlos apertos, non [illegible] Spiritum, non audit vocem Patris. An non igitur asce[illegible] ex aqua festinus & properans: vt tam pulchrum spec[illegible] lum videat, cœlos scilicet apertos, columbam ven[illegible] taméue dulcem vocem audiat: Tu es filius meus [illegible] quo significatur, quàm debeant festinare viri pii, qui [illegible] mentis vtuntur in hac vita, vt ascendant, vt exeant [illegible]

Philip. 1. cupiant dissolui & esse cum Christo, vt tam ineffabiles [illegible]

1. Cor. 13. tias quales sunt in cœlis, oculis contemplentur: nunc [illegible] non videmus, sed ambulamus in fide, solo auditu illa [illegible] mia credentes.

Secundò: significat illa festina Christi ex aqua ascen[illegible] quam festine debuit Christus rapere cœlos, colum[illegible] vocem patris: nam dictũ erat de Christo: Voca nomen [illegible]

Isaiæ 8. Festina, spolia detrahere, cito prædari: quod Prophet[illegible]

dixit, Dominus suo properanti ascensu significauit: breuis fuit plane mora, qua inter homines conuersatus est, breuis fuit mora, qua in aquis huius vitæ iacuit demersus, sed cum ascendit è vita, sine mora aperti sunt ei cœli, vt cœlorū hæredi columbā vidit pacis annunciatricē. iam enim Christus non moritur, iam non patitur, iam illi aquæ diluuij cessarūt. cessarunt enim omnes dolores & tribulationes Christi. *Rom. 6.* *Genes. 8.*

Tertio: illa festina ascensione denotatum est, quòd qui è baptismo festinus discesserit ex vita, confestim videat cœlos, nulla mora est. Baptismus omnia peccata diluit, si baptizatus rursum non peccat, statim vt moritur euolabit in cœlum. *Concilio Trident.*

Quartò: Si intelligas per apertionem cœlorum, ius ad cœlū, vt sancti intellexerūt, tunc multa erunt tibi notanda. Primū. is qui (cum baptizatur) manet in suo peccato mortali, is sanè non ascendit de aqua versus cœlum, sed ruit sub aqua versus infernum. non ergo illi aperiuntur cœli, siquidem non ascendit de aqua. Secundum: Si verò ascendis de aqua, & oras vt Christus fecit, non potest (ex lege sua) Deus non tibi cœlos reserare. non continet se spiritus quin ad orantem veniat, & quod summè notandū est. Si tu humilias te, & profiteris te peccatorem, ascendisq; à peccato, securus esto, Deus exaltabit te. & sicut tu coram omnibus curas te deprimere: ita Deus coram omnibus curabit te exaltare, & aperta voce intonabit, Tu es filius meus. Tertiū: dicit scriptura aperti sunt cœli. Igitur aperti durabunt, donec veniat sponsus media nocte, id est, in die iudicij, & claudatur ianua. Vbi intellige, quòd eo modo aperti nūc sunt cœli, sicut tunc claudetur. Tunc clauditur, quia iam non est locus merendi: ita & nunc aperti manent, quia quantumlibet peccator sis, quamuis tempore multo in peccato duraueris, adhuc tamen cœli aperti sunt: tibi ianua patet, tantum ascende de aqua. Quartum: Christo orante cœli aperti sunt, vt quæ in cœlo sunt, omnia fluant ad nos: & quæ apud nos, in cœlum conscendant. Dixit Paulus: Benedictus Deus qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus. Igitur omnis benedictio spiritualis & cœlestis in nos descendit. Rursum inquit ad Corinthios: diuites facti estis in illo, ita vt nullum donum vobis desit. Si nullū donum deest, igitur benedictiones cœlestes omnes, velut impetu in nos defluxerūt. Vtinā sicut illa ad nos spōte decurrūt: ita & nostra illò properent. *Matt. 25.* *Ephes. 1.* *1. Cor. 1.*

Viditq;

rerum autor liceat tecum colloqui. Cur affirmas Christum tibi placére? An non vides nos illi coniunctos, nos illius esse
1. Corin. 6. membra? Quod si vides: tu posuisti in eo iniquitates omnium
Isaiæ 53. nostrúm. Quomodo igitur placet is tibi, in quo sunt scelera nostra? Verè Christus läguores nostros tulit: quomodo tibi
Isaiæ 53. placebit tot languoribus oneratus? Verè Christo lepra hæc
Psal. 93. sit nostra: cur tam leprosus, tantopere placet? Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis, dicit Psalmus: Nũ ergo Christus, in quo omnes nostræ iniquitates sedem habuerunt, placere & adhęrere potuit tuæ tantæ puritati? Sed equidē tantus est
Psal. 41. in Filium Patris amor, vt hũc amoris abyssum, iniquitatum nostrarũ abyssus inuocare, non siccare possit. Fluit in Filium
Genes. 27. amor quasi fluminis impetus, hunc impetum nostrorum peccatorũ riuuli transuersum agere non possunt. Est tantus odor Filij, vt odor agri pleni: vt iniquitates nostræ: nares Dei non perturbent: est tanta Filij claritas, vt tenebras nostras facile dispellat. Quòd si omnium nostrum iniquitates robur non habent, vt Dei placitũ à Christo auertere queant, ego peccator cur timeo, si in Christo reperior? Si omnium hominum scelera, non aduertunt oculos Dei à Christo iuste, quomodo meæ iniquitates oculos Dei aduertent? Certus sum, quod si in Christo reperior & Christo vnior, non mihi meæ quarum pœnitet nocebunt iniquitates.

Sed te obsecro animum mihi aduerte. Vt nunc dicebam non dicitur Christus placuisse Patri, nisi baptizatus, vt videri possit, Christus ante baptismũ velut displicuisse. Placet Christus in se Patri placuit semper: at Scriptura non dicit eum placuisse (vt nostri personã gerit,) nisi post baptismũ. Quia in illo baptismo, sua summa humilitate promeruit, vt baptizatis in Christo, omnis culpa remitteretur & pœna: & ideo verè in eis Patri placeret. Meritò igitur post humilitatem baptismi Christi, Christus, id est, nos in Christo Patri verè placemus. Quam complaçentiã testatus est illa suauissima voce: in quo mihi complacui. Quod si non penetras memento quòd Iudæi infideles, (iuxta Paulum,) licet nunc Deo displiceant, at propter Patres suos diliguntur à Deo
Rom. 11. (inimici, inquit, propter vos, dilecti propter Patres) ita & nos in nobis sumus peccatores & inimici, & ideo odio habiti: At in Christo & propter Christum, adeò diligimur, vt Pater dicat: Hic est Filius meus in quo mihi complacui.

Residua mihi hoc loco est dubitatio: Cur tēpore passionis Christi

Christi, cœli non aperiuntur, sed ferè obscurantur, & clau-
duntur, cur columba tunc nō venit, nec vox Patris auditur? *Lucæ 23.*
Et quidem ianuæ cœli non patuerunt in baptismo, sed in
passione: nam nec Baptista cœlum intrauit, nisi post Christi
passionem. Cur ergo tunc cœli reserantur, cùm reuera non
reserantur? cur nos dicimur in eo dilecti, siquidē ex integro
non summus dilecti (quantum ad pœnæ solutionem) nisi
iam Christo defuncto: per cuius mortem soluta sunt omnia
debita nostra, solutum est pretium iniquitatum nostrarum:
ac ideo & cœlum tunc patuit, non antè: & quidem in cruce
cœlos apertos Verbum Domini ad latronem testatur, di-
centis: Hodie mecum eris in paradiso, quia videlicet hodie *Lucæ 23.*
paradisi ianuæ patuerunt. Cur igitur Sol & Luna obscuran-
tur & tegunt cœlos, dum patitur Christus, cum reuera tunc
cœlum aperiretur, at in baptismo, cùm cœli non aperiātur,
aperiri visuntur? Responsio quæ animo meo quadrat, est
desumpta ex illo verbo, *Aperti sunt ei cœli.* Vbi indicatur,
quod quantum fuit ex merito Christi, tunc cœli patuerunt
tantum enim fuit meritū illud, tanta humilitas, vt vix Pater
cohibuerit se, quin aperiret cœlos, Christo se sub aquas
immergenti. Vix pater cohibuit se, quin regnum vitæ ape-
riret ei, qui viuum se sub aqua sepeliebat. Igitur ex Christi
merito, tunc cœli aperti sunt. Sed quia placuit Christo im-
pendere se, & superimpēdere, placuit, inquam, Christo non
solum implere omnem iustitiam coram Deo, sed etiam co-
ram hominibus: vt homines per crucem viderēt sua scelera
redempta, ideo cœli nō tunc reuera aperti sunt, licet aperta
monstrarētur. At in die crucis cœli non mōstrantur aperti:
quia dies illa fuit iræ, dies vltionis Domini quā vindictam
sumpsit de peccatis nostris in Filio suo. Ita enim Isaiæ 63.
Dies vltionis, annus redēptionis dicitur. Vltio enim iustitiæ
Dei cōtra nostra peccata in Christo annum æternæ redem- *2. Cor. 12.*
ptionis adduxit.

Quod si perstas & vrges, cur baptizato aperiuntur cœli,
qui clausi videntur morienti? Ego tibi ex eodem textu
respondeo. Dicit textus: *Ecce aperti sunt ei cœli.* At cùm Do-
minus moritur, dicit: Hodie mecum eris in paradiso. Igitur
cùm baptizatur alius, ei cœlos aperire dicitur. Nec enim ibi
ipse dicitur aperire: sed quod aperti sunt ei cœli: at cum mo-
ritur, ipse aperit non sibi, cui iam erant aperti, sed omnibus
etiam latronibus, dicit enim: Hodie mecum eris. Erat ergo

tanta illius passionis celsitudo, vt æquum non esset, quòd manu Patris cœli reserari dicerētur: sed quod illemet homo qui patiebatur, illemet sua manu cœlum aperiret, cœlum polliceretur cui vellet: & quidem si latroni pollicetur & præstat, quanto magis promissum sibi confident, qui per vitam, contenderunt Deo in veritate seruire?

Adde & aliud: Responde mihi, te precor, quódnam præstantius cœlum credis esse, num Christi corpus, an cœlum hoc quod stellis insignitū conspicimus? Plane respondebis Christi corpus. Si igitur cœlum adeò nobile rumpitur & aperitur in Christi passione ne perconteris, neque requiras alterius cœli apertionem. Vbi enim maiora aperiuntur non fuit necesse aperiri minora. Porrò vt intelligas Christi carne rupta, cœlos etiam esse clausos: audi Paulū ad Hebræos 10. vbi tria velamina Deum tegentia mutuo confert. Velamen primum est cœlum quod tegit gloriam Dei. Secundum est velum templi, quod arcam & sancta sanctorum tegebat. Tertium est caro Christi, eius deitatem cōtegens. Iam sicut in passione caro rupta est, ita & velum templi scissum, & proinde multò magis cœli aperti sunt. Ille gloria qui per carnem suam, introitum nobis dedit in cœlum.

CAPVT IIII.

Tunc ductus est Iesus in desertum.



ONSIDERATIO hæc mihi prior occurrit, cur Dominus in desertum contendat: an indignus est ciuium conuersatione, cui vix cœlum est pro dignitate? An timet sibi ne in ciuitate lubricū casus patiatur, qui sanctitatis fons est? An bestialis homo est, qui bestiarum familiaritatem expetit, cum sit ipse Deus?

Rom. 8. Ad hoc prima responsio est: Quòd qui baptizatus est & spiritum accepit grandiorem, atque spiritum, spiritus illi grandior testimonium reddit, quòd filius Dei sit: is nihil mirum si in desertum, mundum exhorrens, cōtendat. Imò maximè mirum si in mundo permaneat, tantæ maiestatis est illa diuina vocatio, illa Spiritus sancti infusio, tam vehemens, vt hominem fere nō sibi permittat: sed velut attonitū reddat & vt

& vt illo gustu, (quem accepit,) fruatur, locū quietum, non
impeditum, sed vacantem cupiat & requirat: atque ideo de-
sertum contendat: vere enim dictum est: Quis dabit mihi Psal. 54.
pennas sicut columbæ, volabo, & quiescam? credit tunc
anima se nouo quodam statu fœcundam, cōiectat se a Deo
vocari, nullum tempus ideo putat sibi vacuum, vt diuinæ
gratiæ vocanti respondeat.

Secunda responsio est: Docuit Dominus hoc loco id quod
vix hominibus erat antea notum, videlicet quid sit seculo
renunciare, desertū colere, non tam corporis quàm animæ.
Sicut igitur in deserto est omnium rerum carentia, quæ ad
vsum humanum necessariæ sunt, quantum videlicet ad cor-
pus: ita & multo abundantius, Christus qui spiritus, & veri-
tatis magister erat, desertum corporale requirens, desertum
spirituale colebat, vbi nulli rei corporali affectus, soli Dei
vnice hærebat. itaque nihil in Christi anima erat, nisi Deus.
O vere vnicā philosophiam. O vere the aurum absconditū. Matth. 13.
Si ita Deum exquiris, vt ex toto mundo nihil penitus ames,
nihil cupias nisi Deum, ea est solitudo animi. Si discessisti
penitus ab honoris, diuitiarum, & deliciarū amore, vt nihil
mundi tuum tangat affectum, id verè desertum est paucis
notum de nomine, multò paucioribus de re. Hoc desertum
Antiqui nominabant, sui negatione, seculi renunciationem,
à mundo peregrinationem. Iam si Dauid desertum hoc
agnoscebat, dicēs: Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui Psal. 72.
super terram? & rursum: Renuit consolari anima mea. & Psalm. 76.
item: Vnā petij a Domino hanc requiram. & demum: Fue- Psal. 26.
runt mihi lachrymæ meæ panes, dum dicitur mihi quotidie.
Vbi est Deus tuus? Si hæc Dauid dicebat (quæ sunt verba Psalm. 41.
animi in deserto spirituali habitantis) quanto potius credis
Christum omni rei terrenæ renunciauisse, & in signum de-
serti spiritualis, desertum corporale quæsisse?

Tertia responsio est: desertū contendit quia sciebat fu-
turos multos Christianos, qui deserta essent habitaturi, voluit
illis esse exemplo, in ieiunio, in rigore, in tentatione, in An-
gelorum ministerio: ostendens eum qui desertum colit, si
Angelorum obsequijs non perfruatur, vix desertum in veri-
tate coluisse. Etenim, qui animo deserta excolit, vt homines
deserit, & humana: ita Angelis fruitur & Deo.

Quarta responsio est. Mandabatur olim, vt Pontifex hir-
cum acciperet, superque eum peccata populi imponeret. Levit. 20.

Peccatisque hircum onustum, in desertum abigeret. Certè
Isaiæ 33. Christus est, super quē Dominus posuit iniquitates omnium
nostrum, & ideo, vt personam nostri gerentem, Spiritus
Marci 1. sanctus in desertum expulit, vt Marcus ait: Iustitia enim di-
uina velut irata contra Christū, eum in desertum relegauit,
vt ibi peccatorum nostrorum ageret pœnitentiam. Is igitur
quem cœlum non meretur recipere, (adeò est purus in se)
in desertum expellitur, vt terra indignus, non merito suo,
Matth. 11. sed nostro. Quàm igitur humilis animo, quam deiectus &
contritus, actus in desertum Christus est?

Isaiæ 14. Quinta responsio: Collocatur Lucifer cum Deo in cœlo,
& ibi peccauit. Collocatur Adam cum Eua in paradiso, &
Genes. 3. ibi etiam peccauit. Si igitur per societatem, per delitias, per
fœlicitatem non cognouit mundus Deum, placuit Deo per
1. Cor. 11. stultitiam deserti, per familiaritatē cum bestijs, viam osten-
Ierem. 17. dere qua salui fierent credentes. Prauū sanè est cor nostrum,
quod cum delitias habet & diuitias, illis afficitur, illis cor
Psal. 61. apponit. Fruiturque illis, quæ ad vtendum sibi erant à Deo
concessa: quodque datum fuerat in hospicium, accipitur vt
domus, & via pro habitatione. Placuit igitur diuinæ sapien-
tiæ, desertū ad salutem homini proponere, docēs neminem
nisi per desertum, id est, sui, & sęculi abnegationem esse sal-
Lucæ 9. uandum. Qui enim vult venire post me, abneget se: vel &
rex volens a rusticis, videri: aufert à palatio suo tapetia, &
omnes diuitias, ne rustici, si hæc viderint, hæc vidisse con-
tenti, regem videre contemnerent.

Sexta responsio est: Docuit Dominus desertum requirendo,
quod tantum sit bonum æternitas, & gloria cœlestis, vt di-
gna sit, pro qua conquirenda, totum mundum relinquas. Si
ergo pictores cùm egregiam sunt imaginem depicturi,
campum à turba semotum secedunt. quique grauissimum
negotium tractat, solitudines petit, vbi commodius de ne-
gotio meditetur: ne aliorum negotiorum turba, à sua cura
deturbetur: ita docuit Dominus, pro cœlo conquirendo,
debere nos in agrum exire ad meditandum cum Isaac, & ad
Genes. 24. exigendam à nobis ipsis rationem, si sint nobis facultates
ad tantum negotium inceptandum. Qui igitur cœlum vult,
Lucæ 14. sedebit solitarius & tacens, expendens si ædificium quod
Trenor 3. inceptat, perficere queat.

Septima responsio est: Voluit Dominus in deserto esse, vt
respōderet figuræ: Filij Israel fuerunt in deserto, & inde va-

eantur ad hæreditatem terræ promissæ. Ita dicit Psalmus: Inuenit enim in terra deserta, in loco horroris & vastæ solitudinis. Circumduxit eum, & docuit & custodiuit: vt pupillam oculi sui, &c. Ita & voluit Deus pater inuenire nos (in Filio suo) in terra deserta, in loco horroris & vastæ solitudinis. Cuius causam si penetrare contendas, hæc videtur esse. Sanè omnia Dei effecta sibi inuicem in proportione respondeat. Cum igitur creauit Deus res mundi: ante creationem mundus erat nihil, desertum inane, & vacuū: ex illo deserto, & nihilo vocantur res ad hoc pulcherrimum esse quod habent. Hac proportione factum etiam est, vt Israel esset in deserto, & in nihilo rerum omnium, vbi deficiebātur aqua, pane, & reliquis vitæ rebus. Vbi abundabat mors, Deerat vita. Ergo igitur proportione fideles qui eramus in Christo, in eodem Christo, ad desertum adducimur: vbi nihil est vitæ, vbi multum est tentationum, multum dæmonis: & ideo mortis multum, vt correspondenter postea & huius mundi deserto ad cœlestem patriam vocemur. Res hęc est consideratione dignissima. Non vult Deus opes suas effundere, nisi in vacuos, desertos, & qui ferè sint in morte, à vita alieni.

Deut. 32.

Genes. 1.

Num. 21.

Sed quid contendo causas afferre, cur ductus Dominus sit in desertum, cùm expresse dicat Euangelista, *Ductus est Iesus vt tentaretur à diabolo?*

Matth. 4.

Iam secunda se prodit consideratio, & ea quidem grauissima. Si spiritus est qui ducit, & Christus, qui ducitur, & diabolus ad quem ducitur, non nisi res summa est hinc expectanda, siquidē summus est in bonitate spiritus, summus in mansuetudine Christus, summus in iniquitate diabolus. Quid sibi vult res hæc adeo mira? Ego quidem sub aliorum censura ita censeo, Christū à diabolo, nō ita fuisse tentatum vt communis solet hominum opinio censere. Sed traditum fuisse Christum potestati tenebrarum, quodque permissus fuit diabolus in Christum sęuire. Itaque sicut tempore passionis Christus fuit traditus potestati Iudęorum, imò verius dæmonum: qui per Iudæos & Gentiles, sæuissimam crudelitatem, (id est, dæmoniacam, & infernalem) in Christum exercuerunt: (nec enim illa sæuitia, nisi ex inferno prodire poterat, siquidē in terra non erat eatenus inuēta) ita & tempore tētationis huius, cōcessus est Christus diabolo: vt tentaretur. Nam & Iob fuerat diabolo ante cōcessus. Illa igitur sacra redēptoris humanitas tentationi à Patre permittitur.

Lucæ 22.

Iob 1.

Psal. 68

Psal. 21. vt sicut in passione doloris aquæ intrarũt vsque ad animam
eius: ita in tentatione omnia dæmonis machinamenta pe-
netrarent ad totũ quod penetrare poterant. Quocirca, non
mihi videtur sanæ fidei repugnare, quòd in hac tentatione
Christus cœperit pauere, & tedere, & tristitiam grandem
habere. Aliòqui, nisi tentatus fuisset per omnia, vt Paulus
ait, sine peccato, quomodo exemplum fuisset, his qui cum
mœrore & pauore tentantur? Iam mihi persuasum est, ea
omnia quæ Christo acciderunt, ferè fuisse summa, quæ illi
cõtingere poterant. Fuit igitur hæc tentatio summa. At nõ
Marci 1. poterat esse talis, si leuicula fuisset: & fortè id significauit
Marcus, cùm dicit: Expulit eum spiritus. Ac si diceret: Eum
ad tentandum diabolo permisit. Et demum, quòd diabolus
assumpsit Christum in templi pinam, huic attestatur sen-
tentiæ. Sed hoc infrà exponetur.

Adijcio præterea & aliud, quòd Christus tentatus est per
Marci 1. omnes quadraginta dies. Id quod expresè videtur ex Mar-
co colligi, dicente: Erat quadraginta diebus & quadraginta
noctibus in deserto, & tentabatur à Satana. cui textui, nisi
violenter responderi non potest. Adde quod hæc senten-
tia non displicuit Remigio, Bedæ, Thomæ, & Caietano. In
quibus habetur, quod sicut Antonius Abbas passus est in-
numeras à dæmonibus afflictiones, visiones, & tor-
menta: ita & Christus passus est. Lege D. Thomam 3. part.
quæst. 41. artic. 3. ad secundum: & ibi Caietanum. Huic sen-
tentiæ adstipulatur quod Lucas dicit: Expleta omni tenta-
tione, recessit diabolus. At non erat omnis tentatio
triplex, quæ post quadraginta dies euenit. Dubium ergo in-
telligi potest, quòd nulla non arte & machinamentis,
quadraginta diebus diabolus in Christũ sęuijt. Cui sententiæ
Hebr. 4. iterum Paulus suffragatur, cùm dicit: Christum tẽtatum per
omnia, per similitudinem absque peccato. Si tentatus est
per omnia, nullum igitur tentationis genus nõ est expertus
ab hoste, sine peccato tamen. Demum qui omnibus tentatis
futurus erat exemplum, auxilium, & meritum, omnes ferè
tentationes experiri debuit. Quid igitur absurdi erit, si dica-
Marci 14. tur, quòd sicut caro Christi timore mortis expauit, & mœ-
sta fuit, & tristis erat illi anima vsque ad mortem: ita & vi-
sionibus dæmonum, (quas naturaliter quilibet horret)
mœstus erat, & affligebatur. Quis enim circa se infernum
Psal. 21. videre non recuset? Vere igitur dicere poterat: Circunde-
derunt

derunt me canes multi. & : Salua à cornibus vnicornium animam meam. Ex his intelligere licet causam, cur spiritus adduxit Iesum, vt tentaretur: Causa verò est, vt Christus inciperet pati à dæmone eam sæuitiam, quam in passione à dæmonis membris passus est: vt scilicet videret se manibus dæmonum assumi, rapi, & quo illi vellent abduci. Videlicet, vt cùm fidelis se ita viderit a dæmone tractari, non despondeat animum, credens omnia iam perijsse. Non perierunt, sed fœliciter succedent. Lege Vitas Patrum, & intelliges nonnullos Sãctorum dæmonibus permissos, ita vt quidam ruerent præcipites à dæmonibus acti: quidam caderent in puteos, &c.

Dices: Cur diabolus desuper tantã potestatem in Christum accepit, cur permissus est tam aciter tentare? Ad hoc prior responsio est: Sane Deus disponit omnia suauiter, nulli faciens iniuriam aut violentiam: suumque cuique ius seruat illibatũ. Sicut ergo sanctus Iob petenti diabolo permittitur Deo nolente ius tentandi diabolo denegare, ne diabolus de Deo quæreretur, quòd sine causa seruos habet, quos sibi eripit: ita & ego arbitror, diabolum, qui non cognoscebat Christum esse Deum, a Deo expetisse, vt sibi liceret arma contra Christum sumere, alioqui vim sibi a Deo factam iactaret, sibi Christum a suis telis eripiente. Iob 1.

Altera causa est: quam Dominus indicat apud Ioannem, dicens: Venit ad me princeps mũdi, & in me nõ habet quicquam. Venit sane cum omnibus artibus suis, ad Christum Luc. fer cũ asseclis suis, venit vt tẽtaret, & tentare permissus est, sed nihil in eo reperit suum, quis quid reperit diuinũ fuit. Vt ergo nosset dæmon esse in terra hominem, in quem nullum ipse ius haberet, ideo tentari Christus permissus est. Ioan. 14.

Tertia causa fuit: Vt tentationes dæmonis hebetarentur in Christo: vt furię & artes diaboli, quibus velut telis igneis in nos sæuit, suum rigore & acumen in Petra, quæ est Christus remitterẽt. Sane sicut in crucis sanguine, flammeus ille gladius quo custodiebatur paradisus, extinguitur: ita & visiones dæmonũ, eius: machinamenta, in Christi tẽtatione flaccescunt. Quis posset ferẽtẽ impetu diaboli sufferre, nisi cum prius Christus in se cõfregisset? Igitur tentatio Christi promeruit, quod verè, & confidenter Paulus asseruit, quod scilicet Deus nõ permittet nos tentari supra id quod possumus; Videlicet id Christi in tẽtatione patiẽtia promerente. Ephes. 6. 1. Cor. 10. Genes. 3. 1. Cor. 10

Quarta causa fuit: vt iam intelligeret dæmō esse potestati in terra, contra quam tota inferni machina nihil posset, vt qui iactabat se posse conturbare terram, concutere regna, & orbem in desertum ponere, iam sicut vnus ex hominibus & in victus & vulneratus sit. Tum vt intelligeret homo, se in homine Christo, omnes vires diaboli posse contringere, & omnes eius artes superare. Vt iam audenter & vere dicat Paulus: Neque Angeli, neque principatus, neq; vlla creatura poterit nos separare a charitate Dei. & alibi: Omnia possum in eo qui me confortat. & demum: In his omnibus superamus per eum qui dilexit nos. At vnde Paulo confidentia tanta? Sanè quia homo per Christum vincere diabolum potest: & si nolit ab eo vinci non potest.

Esaiæ 14. Rom. 8. Philip. 4. Rom. 8.

Quinta causa est: Tentatur Petrus, initio sui Pōtificatus, cùm scilicet Christo succedebat in sede. Tentatur quidem, certè & à voce puellæ tremit & perit. Cur tentatur Petrus? certè vt tener sit, & blandus ad oues quæ perierunt, cùm ipse perierit. Tentatur & Christus initio sui Sacerdotii, cùm videlicet à Patre summus Pontifex declaratur. Cur tentatur, & cur acerrime tentatur? Certè vt misericors fieret, & fidelis Pontifex. Nec enim blandi sunt ad miseros, qui miseri non fuerunt. Ergo pontificis, curati, & confessoris prima virtus est misericordia, quam vt experimento sciat Christus, tentatur.

Lucæ 22. Matth. 3. Hebr. 4. Heb. 5.

Tres alias causas exhibuit nobis Paulus ad Hebr. 5. cùm dixit: Ex his quæ passus est didicit obedientiā, & cōsummatus factus est omnibus sibi obtemperantibus, causa salutis æternę. Priorē causam explicat verbū illud: Didicit obedientiam. Sanè erat docturus homines, vt essent in tentatione cōstantes, neque ab obedientia Dei discederēt, neq; diaboli obedientiæ subderentur. Qui igitur huius obedientiæ erat futurus magister, prius experimento, id discat in se. Alteram causam explicat verbum illud, Et consummatus: Planè non consummatur per tentationem Christus vt Deus, nec vt homo. Sed apparet nobis consummatus, victor & triumphator: vt quiuis confidenter accedere possit ad thronum gratiæ ipsius. Vltimā causam exponit verbū, Factus est omnibus causa salutis æternæ. Sicut enim baptismus Christi fuit causa quòd nobis cœli aperirētur: quòd in nos Spiritus sancti columba descendat: quodque voce Patris filii Dei designemur ita & Christi tentatio & victoria, causa fuit quòd ...

Hebr. 5. Matth. 3.

tentati vincamus. Vt enim in Adam tētato & victo, omnes
tentati, & victi sumus: ita in Christo tentato & victore, omnes tentati possunt esse victores. Sed vnā aut alterā causam ne graueris Lector audire. Tentatur Abrahā, cùm fidelium Pater constituitur, & tentatio fuit, si propter Deum vitam *Genes. 22.* filij vnici contemneret. Et quia contempsit, dictum illi est. Quia fecisti rem hanc, multiplicabo semen tuū super arenā, semen tuum possidebit portas inimicorum suorum, & in semine tuo benedicentur omnes tribus terræ. Multò igitur maiore merito debuit tentari Christus, vt esset Pater futuri seculi. Et tentatio esse debuit talis: vt propter obedientiam *Isaiæ 9.* Dei, potius se fame conficeret, quàm panes produceret: & ministeria Angelorum contemneret potius, quàm se è pinna præcipitaret: & demum omnia regna, & omnem creaturam despiceret, antequā diabolū adoraret. Contempsit Christus in primo, propriam vitam, in secundo, Angelos, in tertio, omnia despexit: vides quàm rectè benedictio Patris descendet in Filium? Rectè ergo benedicentur in Christo, omnes gentes & qui ministeria Angelorū despexit, recepit, vt eius semen possideret portas inferni. Et qui omnia regna & regnorum gloriā contempsit, dono accipit, vt multiplicatum habeat semen super arenam maris: & neque id modo, sed quod tale semen pro sui Christi adoratione, omnia mundi regna, & eorum gloriam negligat. Demum merito tentationis Christi, factum est vt sacerdotes Christi, (qui eius semen sunt speciale) possideant reuera portas inimicorum, absoluentes peccata, quæ vere sunt portæ inferorum.

Et cùm ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Hic tertia occurrit consideratio, cur vitam spiritualem Christus a ieiunio auspicatur? Planum hinc mihi contra nouatores sumitur argumentū. hi reiiciunt ab Ecclesia omnia ieiunia, omnemq; rigorē. At verò Spiritus sancti instinctus est ad ieiuniū. Christus enim a Spiritu agitur ad ieiunandū. Sane cùm Spiritus concupiscat aduersus carnem, nihil an- *Galat. 5.* tiquius habet spiritus, quàm statim carnem domare, nullo verò id commodius & facilius modo, quàm per ieiunium.

Secundo Christus ieiunauit. Certe quia eius animus & voluntas erat vitam degere multo quàm Ioannes, feruentiorem: vtpote qui tanto quàm Ioannes, sanctior erat. Et ita ego asseuerare contenderim cibum potumq; Christo (ante eius baptismum parcissimum fuisse. Indicarunt hoc quadra-

gīta

ginta dies ieiunij sui: nec enim ita ieiunasset, qui lautius an-
teà vixisset. Igitur institutū & animi feruor in Christo, erat
ieiunare. At quia tam angustum ieiunium non conueniebat
prædicatori, qui publicanos & peccatores ad se adducebat,
idcirco ab animi sui instituto discessit, & rigorē temperauit.
Igitur animi impetus rigori manus victas dabat, sed neces-
sitas à rigore subtrahebat.

Tertio: Dominus ieiunās in deserto, edens verò & bibens
in ciuitate, docuit, quàm aliena debeat esse vita Christiani
ab omni fraude, fuco, & hypocrisi: hypocrita, vbi videtur,
ieiunat. Cùm verò testis abest ieiunio, abest & ieiuniū: at ne-
Matth. 6. ita qui ex animo pius est, is claudit cubiculū suū, cum opus
bonum facit: cùm verò edit aut bibit, id operatur in aperto.

Quartò: intelligat Pontifex qui Christi gerit vices, quàm
modico debeat esse contentus. Si enim desertū & ieiunium
sunt pontificia supellex, hæc non caro continerent prætio.

Quinto: ieiunauit tēpore tanto, vt indicaret carnē suam
leges naturæ posse superare. Licet enim anima Christi Deū
videret, eius tamen gloria non redundabit in carnē, ac ideo
eius caro, naturæ legibus subiacebat. At cum Moses videret
Deum, ita eum illa visio abstrahebat, vt tunc naturalibus ne-
cessitatibus nō subderetur. Ac ideo si quadraginta dies per-
stat ieiunus, nihil mirum erat. Rursum si Elias quadraginta
diebus sustinet inediam, plus tamen gratiæ Deo, quàm illi
3. Reg. 19. debetur? Si enim datus est illi cibus qui eum per id tempus
aleret, & in cuius fortitudine ambularet: non fuit adeò mi-
rum non edere, qui edere nō egebat, vtpote cibo illo satur.
At Christus vitā agens sicut nos, nullo interea hausto cibo
robusto ieiunio perseuerat: indicat igitur iam in terris car-
nem esse, quæ naturam cœlestem sapiat, datur ergo signum
qualis futura erit nostra caro in cœlo, quæ talis esse cœpit in
terra. Et rursum monstratur, non fore impossibile si viri
(maximè qui in deserto vitā agunt cœlestem) multis diebus
non comedant, dulcedine contemplationis allecti.

Sextò: ieiunat docens, ante tribulationes, cum imminent,
esse ieiunandum. Siquidem ipse ante omnes tentationes
tam graui armatur ieiunio: cuius causam si requiris hæc est,
Psal. 144. Dominus morem hunc habet, alleuandi omnes elisos, &
pauperum non obliuisci: cum igitur tu per ieiunium allidis,
& depauperas te, adueniet Deus, subleuat & ditat te.

Porrò dices: Cur verò tot diebus ieiunat? Primùm, quia

tunc dedit Dominus Christianæ religioni principium. At religionis primus feruor solet esse vehementissimus, vt postea habeat vnde flaccescere possit. Alioqui quod tepidè incipit, facilè gelatur, & in nihilum vertitur.

Secundò voluit Dominus, quod sui sectatores, nihil perfectionis, quam in alijs inuenissent, in suo institutore desiderare possent. noluit igitur eam laudē negligere, quam Elias & Moses habuerunt, ne Iudæi aut alterius sectæ homines, aliquid grande suorum fundatorum facinus iactarent: quod in Christo Christiani non inuenirent.

Tertio: Si vita nostra designatur numero quadragenario ieiunans Dominus quadraginta diebus, visus est ieiunasse vitæ nostræ tempore. Vt videlicet, quo nos tempore manducamus, ipse ieiunaret. Imitatus est Dominus exemplum Iob, qui, quo tempore sui filij conuiuijs, & voluptatibus vacabant, ipse Deo sacrificabat, ne fortè, inquiēs, benedixerint Deo in corde suo, adeò periculosa res est gula, vt Deo benedicere persuaderet. *Iob 1.* Vt igitur Iob pro edentibus filijs sacrificium Deo offert: ita & Christus pro edentibus Christianis, seipsum per ieiunium patri suo offert, ne fortè peccatum gulæ in despectum nos Dei adduxerit.

Et demum quarto. Si quadraginta significant dies vitæ nostræ, quibus è terra promissionibus peregrinamur, apertè Christus quadraginta diebus ieiunās significauit, ieiunandū nobis esse per totam vitam: & reuera nescio an religio vlla in orbe sit, quæ adeò familiare sibi habeat ieiunium, ac Christiana. Id tibi persuadebis, si religiones monachorū spectes, imò si viros spirituales aspicias. Quid si ieiunium spirituale dispicere libuerit? Quid aliud est vita spiritualis, quàm ieiunare, non solum à malis, sed etiam à bonis, non solum à terrenis consolationibus, sed etiam sæpè a cœlestibus: Sicut *2. Cor. 12.* gloriatur Paulus in tribulatione, & vehementer aliam glo- *Galat. 6.* riationem exhorret, quàm crucis.

Postea esuriit. Quarta consideratio est, cur Christus post quadraginta dies esuriit? verè enim caro quæ per quadraginta dies non esuriit, post illos esurire nō debuisse videtur. At illa prior ratio est: vt doceret, nihil carni quantumuis mortificatæ, & exhaustæ, esse fidendum. Si enim caro est, *Galat. 5.* concupiscet aliquando contra spiritum. Si Dalila est, machi- *Iudic. 16.* nabitur aliquando mortem Samsoni. Si Eua est, pomum *Genes. 3.* offeret viro suo. Rectè Paulus: Castigo corpus meum, & in *1. Cor. 9.*

serui-

2. Cor. 9. seruitutẽ redigo: ne fortè dum alijs prædico, ipse reprobus efficiar. Voluit igitur Dominus, quòd caro sua esuriret, vt admoneret nos, multo magis nostram esurituram, etiam post multos abstinentiæ dies.

Secundò docuit cõtra Stoicos, non esse culpabiles naturę affectus: non tibi vitio vertitur quòd esurias, sitias, timeas, doleas, gaudeas, si modò spiritus integer sit. Cœlestis vita est, quæ hos motus non sentit: dum in hac vita viuis, cos si sentias, nihil est quod turberis. Dictum mihi id sit contra quosdam immodicè sanctos, qui stuporem & insensibilitatem quandam optant in rebus huius vitæ: at Christus cibum ex fame, timet de morte.

Audeo & tertiò dicere, si tibi hoc infortunium inciderit, vt in lapsum naturæ corrueris: ne protinus despondeas animos, ne protinus desperes. Quid mirum si caro, cuius natura est esurire, aliquãdo comedat? Quid mirum si qui sitit, bibat

3. Reg 8. aliquando? non est homo qui nõ peccet, ne igitur protinus

Genes. 4. excidat cor tuũ, ne concidat illicò facies tua, surge, propera,

Psal. 102. vulneri inflicto adhibe medicinã, miserebitur tui Dominus, qui nouit figmẽtum tuum. Ergo si peccasti ne putes nauem iam penitùs in fundum abijsse, sed indue virum, & iter tuum quod cœperas prosequere.

Quartò docuit, Sanctos, etiam si in altissima contemplatione consistant, suæ carnis curã habere debere. necessitates sunt naturæ, non voluntatis, ideo curandę à nobis sunt, non

Cant. 5. reijciendæ. Profectò sponsa dolebat, quod cùm spoliasset tunica sua, cogeretur eam induere: at induenda tibi est, quam

Eccles. 45. nec dum stolam gloriæ induisti. Igitur qui Deo sese tradit, curæ carnis videtur renunciasse. at famem passurus est, sicut & Christus esurijt.

Quintò docuit, quod omnes nos curam carnis agere permittimur, modo prius ieiunauerimus, id est, modo mentis

Matth. 6. curam egerimus. Primum igitur regnum Dei quærendum, postmodùm corpori nostro prouidendum. Sicut Christus prius ieiunat, postea esurijt.

Sextò docuit, tunc maximè ingruere tentationes, cùm diabolus sentit nos esurire, & aliquid humanũ cupere: cùm esurisset Christus accessit tentator. Cùm aliquid quod nõ sit Deus cupimus, tunc maximè adcurrit diabolus. O si voluntas

Psalm. 41. nostra, nihil nisi Deũ esuriret! ô si lachrymæ nostræ essent panes nostri: dum dicitur, Vbi est Deus tuus? quam fugeret, quam

quam formidaret dæmon accedere ad tentandum? rectè dictũ, cupiditas est radix omniũ malorum. Sed progredior. 1. Tim. 6.

Accessit tentator, dicens: Dic vt lapides hi, &c. Reuera tẽtator diabolus est. quia maximè potens est ad tentandũ, maximè callidus. Erat enim serpens callidior cunctis animantibus, Genes. 3. demum maximè inimicus generis humani iuxta verbum Domini. inimicus homo venit, & superseminauit zizania. Matth. 13. Dices, nónne & alij homines tentant, nónne etiã alij diaboli tentãt? Certè tentãt homines, diaboli tentatoris furijs acti. tentant etiã & alij diaboli: verum quia (vt arbitror) Lucifer fuit, qui tentandi Christum prouinciam sibi sumpsit, ideo dictum est: Accessit tentator: ille videlicet summus in arte tentandi. Fuit etiam (vt opinor) Lucifer ipse qui Adamum tentauit: dictũ enim est, quòd serpens erat callidior cunctis animantibus, ergo callidissimus dæmonũ (scilicet Lucifer) fuit, qui parentes tentauit nostros, & ita verè tentator, quia primus tentationem inuexit in terram. Sed audiamus quid dicat: *Dic*, inquit, *vt lapides hi panes fiant.* Videtur mihi dæmõ intellexisse, solius Dei esse munus, lapides in panes conuertere. Et vt à terrenis assurgamus ad cœlestia, certè cùm Deus è terra producit triticum è quo panes fiant: an non terram vertit in panẽ? Si igitur è terra fit lapis, igitur è lapidibus (id est, ex materia ex qua fiũt lapides) Deus suscitat panes? quid? An non ex locis petricosis solet frequẽter panis prouenire?

Secundò, manifestũ est quod Christus est lapis. Apostolo asserente quòd sit petra: 1. Cor. 10. & ipso Christo dicente: Lapidem quem reprobauerunt, &c. Matt. 21. At solus ipse Christus est, qui se lapidem vertit in panem, ipsomet dicente: Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi. Ioan. 6.

Tertiò apertum est, corda hominum iniquorum esse lapidea, teste Deo per Prophetã: Auferam, inquit, à vobis cor lapideum. Ezech. 36. Hos lapides solus Deus vertit in panes, quos non alius edit, quàm Deus. planè ex corde iniquo edit diabolus, sicut edebãt corui ex panibus quos Pistor regis Ægypti in canistro super caput ferebat. Genes. 4. Sed cor, cùm sanctum est, Deo ipsi panis est. Ipso Christo dicente, cibus meus est, vt faciam voluntatem Patris mei. Ioan. 4. effecta igitur Patris voluntas panis Christi est, qui verò aliud est voluntas Patris in nobis, nisi cor nostrum cùm sanctificatum est. Hæc enim est voluntas Dei, sanctificatio nostra. 1. Thes. 4.

Quartò, an non durus est lapis auarus? qui nõ lapis modò

est.

est, sed ferrum, & calybs: habet enim cor conuersum in es quæ amat. Si lapides, & gemmas amat, si nummos & æs, quid non lapis est, & ferrum? hunc lapidē vertere in panes, quo proximi & pauperes edant solius Dei velut miraculum est.

Quintò, an non tribulationes sunt lapides, quibus dæmones, & mali, & aliquando boni, viros probos, & inculpatos lapidant? at hos lapides indulcissimos panes vertit Christus

Act. 7. Stephano, vertit & Laurētio, cæteris'q; martyribus: an non dulcis erat tribulatio Paulo dicēti: Mihi absit gloriari nisi in

Galat. 6. cruce? quis ita suauiter mordet ex pane, quā Paulus ex tribulatione? Iactat Dauid, quòd lachrymæ fuerint illi panes die ac

Psal. 41. nocte. Et reuera, lachrymæ fusæ corā Deo, dulcis panis fiunt.

Matth. 18. Sextò: an nō lapides sunt peccata, quæ admisimus? planè lapides mola sunt asinaria in collo peccatoris suspensa. Planè & onus

Zachar. 5. plumbeus sunt super humeros peccatoris sedens, & pondus

Psal. 73. graue super eum qui peccauit. Hos verò lapides in panes

Rom. 8. vertit Dominus, siquidem diligentibus Deum omnia cooperantur

Exod. 15. in bonum. Sicut enim Ægyptij qui priùs Iudæis erant terrori: suffocati posteà, sunt illis lætitiæ materia: ita & peccata, quæ peccanti erant lapides (vbi in virtute profeceris) sunt humilitatis, & moderationis, & lætitiæ causa.

Septimò: An non sapientia, (seu vita spiritualis) lapis est?

Eccles. 6. audi quid in Sapientia dicatur. Quàm aspera est nimium sapiētia indoctis hominibus, & nō permanebit in illa excors. quasi lapidis virtus, probatio erit in illis, & non demorabuntur proijcere illam. Ac si dicat: Sapientia est quasi lapis onerosus in principio: ideo ignaui, & excordes pondus sapientiæ à se excutiunt. Hunc pretiosum tamen lapidem

Eccles. 15. vertit Deus iucundissimum panem, dictū est enim: Cibabit

Ioan. 3. illum pane vitæ & intellectus, &c.

Secundò, hic nota, quòd cùm Deus vertit aquā in vinum: aut virgā in serpentem: aut nunc panem in corpus suum, planè facit, destruēdo naturā aquæ, producendo'q; nouā vini, aut serpentis. Itaq; res illa quæ in aliam vertitur, necessariò

Philip. 2. destruitur: & ideo cùm peccatorē vertit in iustum, destruit peccatorem, vt iustus oriatur. Contrà facit peccator, lapides ipsos, manentes lapides, vertit in panes: vult in hoc re peccator potentior esse Deo. Certè cùm peccator in suo gaudet peccato, lapidem qui lapis est, vertit in cibum. Quid? frequēter difficillima, & durissima peccata difficiliora ... lapides illi per quos Ionathas ad Philisthæos reptās ascendit.

1. Reg. 24.

peccator velut si panem ederet, aggreditur, conatur, & nititur? Profectò duriores sunt amores iuuenum, quam lapides: asperiores, quam asperrimi scopuli. At miseri, non adeo lætantur cum manducant, quam cum propter dilectam patiuntur. Quid numerum nauigationum difficultates, bellorum casus? at hos vorant homines quasi panes. Certè in hac re diabolum imitantur: quid enim asperius, quid minus edi poterat, quam illud: Conscendam super cœlū, & ero similis altissimo? Hunc verò lapidem, dulcem inuenit diabolus. *Isaiæ 14.*

Non prætereat Lector: quòd omnis tentatio, qua tentamur est similis tentationi Christi. Semper enim dicit diabolus animæ sanctæ: Dic vt lapides hi (scilicet, peccata) panes fiant, id est, ex his comede, non nocebunt, &c.

Pulsat porrò animum difficultas, quid dæmon hac tentatione prætendebat? nec enim tam videtur tentatio vafra, quam & tentante, & tentatio digna videbatur, imò videtur summa insipientia, lapides offerre famelicenti. An non erat facilius afferre illi veros panes, aut certè phantasticos? è quibus si ederet, facile erat argumentum, nō esse Deum, qui diabolo obtemperaret. Iam si Christum ad gulam diabolus prouocabat: quæ gula, imò quod peccatum, imò quod non mentum famelicentem comedere? Ego arbitror primum intentum diaboli fuisse, explorare: si foret Christus ea laude, quâ filium Dei, & miraculorum factorem, eum laudauerat, non nihil per vanam gloriam titillaretur, animumque gaudio vellicaretur. Nec enim credidit diabolus Christum esse Deum, licet nouerit esse Messiam, quamuis nec eo tēpore nouerat certo eum esse Messiam. *1. Cor. 2.*

Secundò prætendebat ea tentatione venari: num forsan Christus, ad diaboli vocem, non nihil de suo rigore laxaret: imo si non nihil ille virilis Christi animus, è sua constanti fortitudine deficeret. Si enim Christus cepisset tunc sibi commodū, & seipsum a [illegible] inclinare, peccatum inueniebatur in Christo, qui propter diabolum, è virili efficacia dimotus esset.

Sed profundior mihi hæc ars diaboli diluere. Finge obsecro, purum hominem fuisse Christum, nō verò Deum. Iam, vide eum hominem ieiunio quadraginta dierū exhaustum, & ferè deficientem [illegible] (nisi sibi prouideat) periculum sit: vide ex alia parte [illegible] sanctitatem [illegible] in Christo refulgentem. Tentatio [illegible] dæmō) nosti, quemuis

Paul. de Palacio.

debere sub pœna peccati mortalis, sui curã corporis agere, cùm extremè patitur. Cùm igitur non sit tibi iam periclitanti ad manum panis (nec enim tuus rigor alio cibo gaudebit) neque hic sit alius modus habendi panem, quàm ex miraculo Dei, Deo fide: qui in necessitatis tempore paratus
Psal. 144. est facere voluntatem timentium se: age, ergo iube, vt Dei imperio lapis fiat panis, alioqui, tu tui eris occisor, alioqui Deo diffides, & quomodo Deus non parebit tuæ voluntati, cui tu adeò paruisti? Dic tu nunc Lector quæso, an non ita in summas angustias virũ (qui purus homo esset) diabolus coniecisset? Si audet Deo fidere, diabolo obedit: si Deo non fidit, infidelis est: si non audet lapides mutare, se videtur occidere: si audet, Deum videtur tentare. An non hoc summum erat discrimen! hæc fuit iudicio meo diaboli astutia: virum quem non nisi hominẽ putabat in tantum discrimen adigere, vt conaretur lapides vertere in panes.

Sed interim ne prætereas hanc annotatiunculam: Quàm curat diabolus sensus Dei è rerum diuinarum consortio, in corporis curam detorquere? Dei studium est, nos è terrenis ad cœlestia prouocare: diaboli contrà, in carnis nos prouidentiã deflectere. Deus vult vt edamus ad Euangelizãdum:
1. Cor. 15. at diabolus, vt Euangelizemus ad edendũ. Deus mundum subdidit homini, vt è mundo ascenderet ad Deum: diabolus vellet, vt miracula omnia, & mundum ipsum ad edendum
Rom. 8. homo incuruaret. At prouidentia carnis inimica est Deo, legi enim Dei non est subiecta, neque enim potest.

Tentatori respõdit Dominus: *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo.* Qui locus intelligi potest aut specialiter de Christo, aut generaliter de quouis homine. Si intelligatur de Christo verificatur varijs modis. Primò, certũ est, quòd res
Heb. 1. nõ viuunt nec subsistũt ex se: sed Christus eas portat verbo
Ioan. 1. virtutis suæ, & verbum erat vita hominũ iuxta Ioannem.
Deut. 30. Igitur Deus est vita nostra, & rerũ omniũ iuxta Mosen, non
Actor. 17. ergo in solo pane viuebat homo Christus, sed in Verbo, in
Ioan. 14. quo viuimus, mouemur & sum⁹. Idq; secundũ esse naturale.

Secundò, quia verbum est via veritas & vita gratiæ: hic homo Christus non in solo pane viuit vita gratiæ, sed in Verbo dante illi summam gratiam.

Christus per verbũ viuit vita naturali et vita gra-

Tertiò, quia omnes sancti sunt beati in Verbo: igitur non in solo pane viuit homo Christus, vita gloriæ, sed in Verbo, reuelante se gloriosæ animæ Christi.

Quartò, hæc grandis gratia Christo facta est, vt eius humanitas, eàdemmet existentia singulari viueret, quâ viuit & Verbum, quatenus persona diuina est. Licet ergo nostræ humanitates viuant per panem, at humanitas Christi singularis, eâ vita viuit, quæ nullo vnquam eguit pane. Viuit, enim vita Dei, qui pane non alitur. *tiæ, & vita gloriæ, & vita Dei.*

Quintò, & quia hæc Christi humanitas, non viuit ex vna, aut altera Verbi conditione: sed viuit ex omni proprietate, quæ sibi Verbo conuenit, ideo non dixit: Non in solo pane viuit homo, sed in Verbo, sed dictum est: Non in solo pane viuit homo, sed ex omni Verbo, quod procedit de ore Dei. Id Theologi sibi peculiari vocabulo loquuntur, Verbum (dicentes) & homo sibi communicant idiomata.

Iam si illud, Non in solo pane viuit homo, sed in Verbo Dei, libeat generaliter de omni homine intelligere, verificatur apud me, primum hac ratione. Videre est frequentissimè homines, qui licet multum edant, nunquam satiantur tamen, nec ingestus cibus satiat edentem, videbis contra pauperem, ossula panis contentum: an non verum esse iudicas, quòd non in solo pane viuamus, sed ex Dei imperio & beneplacito. Sanè tempore famis nullus panis comestus satiat: at quouis alio tempore, exiguum etiam panis sat est ad satietatem.

Secundò verificatur, quòd cùm homo non sit caro: sed potius multò sit anima, hæc anima non viuit in pane solo (hic enim ad carnem spectat, & ad animã, quatenus in carne est) neque etiam viuit, in aliquo vno verbo Dei. nec enim sat est, vt anima tua viuat, si vnam vel alteram legem Dei impleas. Si vis viuere, in omni verbo Dei viuendum est. Id est, in impletione omnium mandatorũ, nam qui offenderit in vno, factus est omnium reus. *Iacobi 2.*

Tertiò verificatur: Existimãt homines, quòd cura panis, & cibi corporalis ea sit per quam viuãt. Et ideo obliti rerum Diuinarum toti se rebus humanis tradunt. Contrariũ docet nos hoc verbum Christi. quasi diceret: Non in cura rerum temporalium viuetis: imò contra, si primum quæratis regnum Dei, & eius iustitiam, hæc omnia adijcientur vobis. Si vultis panem corpori, non eum præcipuè quæratis, sed quærite primum panem animæ, & erit Deo cura de vobis. Viue Deo, & viues etiam tibi. *Matth. 6.*

Quartò explicat hoc verbum rem mirabilem. Panis res

est vsualis, quâ pascuntur homines: lapidibus nemo est qui pasci possit. Persuadeant igitur sibi viri pij, suam vitam non ex communi rerũ vsu pendere: sed ex Dei beneplacito, qui etiam ex rebus repugnantibus suos pascere solet, quis credi-
Num. 20. disset, aquam erupturam ex petra, aut maria dulces posse
Exodi 15. aquas effundere? at non in communi rerum ordine vita spiritualium consistit: sed ex Dei volũtate. Ita equidem cùm te in discrimine extremo conspexeris, nec est tibi panis, aut alia res mundi, in quâ sperare queas, intellige Deum esse adeò potentẽ, vt sine pane, aut re alia, in qua sperare possis, imò ex lapidibus, id est, rebus desperatis, te pasturus sit.

Quintò docuit Dominus, eo ipso quod quis est filius Dei, non in solo pane viuere, imò nec in eo viuere præcipuè: sed viuere in hoc maximè, quod ex Dei volũtate depẽdet. Cuius voluntas si fuerit, vt moriare, hoc ipsum filio Dei, viuere est: hæc ipsa mors, & illi vita. Dicit ergo Dominus: Non est mihi de solo pane corporali cura, cura est de voluntate Dei, ex eius ore dependeo. Hoc est mihi viuere, in æternũ enim
Psal. 118. non obliuiscar, sed sollicitè curabo iustificationes tuas, quia in ipsis viuificasti me. Habẽt igitur viri spirituales rationem viuendi spiritualiter, scilicet si pendeant ex omni verbo, non solùm præcepto, sed consilio, sed etiam inspirationibus Dei.

Sextò, docuit Dominus quomodo victurus homo sit, post seculum hoc, scilicet in omni verbo Dei. Dixi: In omni verbo, quia in visione Verbi Dei, & omnium saltem essentialium, quæ in Verbo sunt, Sancti viuent vita beata. Nec desunt Theologi, qui fateãtur etiam sanctos visuros omnia quæ sunt formaliter in Verbo: vt plene asserãt, quòd homo [illegible] vita (quæ sola vera vita est) in omni Verbo Dei. viuet, [illegible] beatam

Septimò, interim verò quod non [illegible] vita [illegible] viuere, docuit Christus, qua ratione in vita misera, id est, in hac morte, viuere nonnihil liceat: & doctrina est, quòd non
Lucæ 12. in abundantia vita hominis est. Sed in omni verbo, id est, in amicitia, societate, & familiaritate ad verbum Dei, id est, ad Verbum, ab æterno ex Patre procedens. Planè etiam Pater
Ioan. 6. & Spiritus sunt vita, nam cùm Filius viuificat, etiã & Pater, & Spiritus viuificat. Sed nescio qua ratione fiat, vt sicut speciatim Verbi delitiæ, dicuntur esse cum filijs hominum, ita
Prouer. 8. & speciatim hominum delitiæ, sint cum Filio Dei: qui pro hominibus homo factus est.

Ante-

Antequam è loco isto egrediar, libet admonere, quamuis rem mundi dici verbum Dei, quia verbo Dei est. Sed est discrimen, quòd verbum æternum est verbum amplum, & nullatenus restrictum. Sed cœlum licet verbum sit, est tamẽ restrictum ad naturam cœli: sicut & homo est verbum, sed taxatum ad hominis naturam. Quocirca Domino docente, docemur, quamuis rem huius mundi posse nos pascere, si velit Deus, vt enim accommodauit stomachum nostrum herbis & carnibus, potuisset etiam ferro & lapidibus: nam & Struthiones feruntur concoquere ferrum.

Peracta prima tentatione succedit secunda, quæ verè vltima fuit. Id quod non leuiter conducit ad intelligentiam eius loci, enimuerò in hac tentatione accesserunt Angeli, & ministrabant Christo. In quo verò ministrarint, forsan ipsámet tentationis continuatio explanabit. Igitur:

Assumit enim diabolus, & statuit supra pinnaculum templi. Iam controuersia est, quod fuerit tandem hoc pinnaculum, res quidẽ varia, sed iudicio meo facilis. Pinnaculum Græcè est τὸ pterygion. Cuius significatio est, illa ala ex leui ferro confecta, quæ super summa tecta solet collocari, cuius motu ventorum differentiæ discernantur. Itaque super templum est tectum, & super tecti summitate est pinnaculum, vel ala. Ex quo intelligis vbi collocatus sit Dominus, videlicet supra eam templi alam, quæ discernendis ventis summo tecto templi erat imposita. Et quidem textus non dicit, statuit eum in pinnaculo, aut sub pinnaculo, sed supra: vt notetur non in loco aliquo plano, & sub tecto aliquo Dominum assumptum, sed supra totius templi summitatem. Ex quo etiam facile intelligis ad eam summitatem non esse ascensum, aut gradus. Sed quòd viribus diaboli Dominus eò assumptus sit. Quod quia planum esse video, ideo non probo. Sed probabit contextus: qui enim vir spiritualis per scalam in pinnam templi conscendat? id aut puerorum est, aut ædificatorum. Hinc vigor tentationis clare aperitur. Finge te ipsum in ea templi pinna, vbi casus, & præcipitium est ad manum. Vbi nullum reperias descensum. Quò non possint homines facile peruenire, ad te liberandum: quo te vertes? quid facies? clamabis? & forte erat nox. Et fortè, vt rem insolitam potius mirabuntur, qui te viderint: quam accurrẽt, vt eripiant. In ea angustia si accedat tentator & dicat: Hic tibi nullum remedium est, nisi fidere Deo, & te deorsum

Hispanè, veleta. Lusitanè, grimpa.

mittere: tu huc tuis gressibus non venisti, non est tua culpa, quòd hîc consistas: Deus qui te huc aduexit, hinc seruabit. Quod consilium te precor sequeris? si perstas, perstas in aperto periculo, nullus enim tibi subueniet. Si cadis, peccas. Quid facies? Ex quibus patet, quanti diabolus Christum æstimauerit: nec enim eum tentat de infidelitate, sed de excessu confidentiæ & fiduciæ.

Hactenùs de tentatione: tentemus nunc, si quid inde ad mores transfundere possimus: & primo quidem aduerto diaboli operâ, Christum in pinnam sublimatum. Fieri igitur potest, vt diabolus adduxerit religiosum ad monasterium suum: nam monasteria sunt excelsa pars Ecclesiæ. Fieri etiã potest vt opera diaboli prędicator ad suggestum, Episcopus ad mitram, sacerdos ad sacerdotiũ adductus sit, neque enim
Psal. 122. Deus solus est, qui suscitat de terra humiles, & de stercore erigit pauperes: etiam diabolus collocat viles cum principibus, cum principibus populi Dei.

Sed magno discrimine Deus, & diabolus solium gloriæ hominibus parant. Deus enim non super pinnam templi collocat, sed sub pinnam: nec collocat in loco excelso quempiam per saltum, sed nos per gradus sensim, ascendere vult. Ad diabolus ad pinnam sine gradibus adducit, & super pinnam collocat. Planũ est, gradus quibus in sublimitatem Ecclesiasticam ascenditur, esse merita. Deus neminem immerentem facit sublimem. Diabolus, neminem fere sublimat, qui mereatur: & si meritis pollet, eo ipso quo à diabolo vult sublimari, merita perdit quæ habebat. Iam quem Deus sublimat, non credit se esse Dominum, vt supra templum
Lucæ 22. sit. Sed credit se esse minorem, eo ipso quo maior est. Vides, quomodo pius homo non sit supra pinnã? At si te diabolus præfecit, arbitraberis te esse maiorem, cui parêre omnia debeant. En superbiam, en super pinnam stas. Sed veh, quantùm tibi periculum, quàm verò exiguum auxilium: quod enim auxilium habeat, super pinnam templi collocatus? Secundò, aduertis diaboli ingenium supra pinnam semper collocat. At in ijs quæ Patris sunt, in his quæ Dei sunt, non conuenit hominem esse super rebus diuinis, sed res diuinas
Lucæ 18. esse super hominibus. Si Publicano datur laudi, quòd in extrema templi parte substiterit: datur Pharisæo vitio, quòd
Isaiæ 6. iuxta altare conscenderit. Solius Domini est, vt excelsus sit, & eleuatus: ita, vt ea quæ sub ipso sunt, id est, vestimentorũ

gloria,

gloria, templum repleant. Nos verò vix digni sumus, qui ad ostia tēpli accedamus. Iam quis nesciat hæreticos esse supra pinnam templi qui intellectum suum Deo non captiuant? An non & inobedientes Prælatis suis, quos Dei vicem gerere arbitramur, supra pinnam sunt, & non sub Deo? 1. Cor. 10.

Imò tertiò addo, quòd omnis tentatio id contendit, vt hominem supra pinnam collocet. Et omne peccatum mortale, est voluntarius supra pinnam templi conscensus, id est, vt contra obedientiam Dei teipsum erigas. Idipsum enim est ascendere pinnam, & confringere iugum, rumpere vincula Dei. Ierem. 2. Psal. 2.

Sed quartò adde, fieri poterit, vt nonnunquā subitò quodam motu te in peccatū mortale conscendisse credas. Tunc tu ipse nō ascendisti sponte tua in pinnam, & contemptum Dei, sed te diabolus cò protulit: Diaboli enim opera fit, vt subitis, & primis motibus in peccatū cōscendisse videamur. Tunc ille pelliciet te, vt te præcipites, vt in opus cadas: sed tu caue. Licet enim tibi dæmon polliceatur, quòd peccatum nō nocebit pedibus tuis: sed quod Angeli cōtendent à Deo ne lædaris, & quòd post peccatum pœnitebis, tu ne crede ne tentes Dominum Deum tuum. Certe qui de misericordia Dei fisus peccat, tentat Deum. Deus enim auxilia & misericordiā suam non peccantibus, sed timentibus eum promisit. Lucæ 1.

Quòd si pinnā templi, pro gratia Christi, accipias, certè quiuis vir iustus in pinna est. Quidni super pinnam templi erit, si Paulus dicit, quòd Christiani constituti sumus ad dexteram Dei in cœlestibus: in Christo? Et Christus dicit, quòd oues suas super humeris suis. Imò nescio an etiam super caput: si Christianos vocat Paulus suum gaudium, & coronam: an non magis eos ita vocabit Christus? Quod si iusti sunt corona Christi, certum est coronam super capite gestari. Iam qui in humeris, & capite Dei collocātur, an non super celsissimam pinnam sunt constituti. O igitur Christiane si te diabolus tentat, vt è tam excelsa templi pinna, te deorsum demittas: caue ne feceris: primum vide quem locum deseris, secundò vide in quam profundū ruas. Si enim te demittis, demittis è cœlo in infernum, quo altius præcipitium nullum est. Ephes. 2. Lucæ 15. Philip. 5.

Adde quintò: Si diabolus te in munus aliquod sacrum adduxit, id est, in Pontificatū, sacerdotiū, monachatū, aut quid simile: si dignum te ea functione perspexeris, licet diabolus

vrgeat, vt deſeras pinnam,quam conſcendiſti,tu ne deſere: quo ad vſque Deus te è pinna per mortem diuellat. Quod ſi ea functione dignus non es,diabolus vrgebit,vt demittas te deorſum: tu verò ne in pinna cõſiſte, nec è pinna te præcipita, ſed gradus quære per quos deſcendas, id eſt, conſilij prudentia, & tua & amicorum vtere, ad functionem deferendam. Nihil igitur per præcipitantiam faciendum.

Adde ſextò,quod ij dicũtur in pinna eſſe qui exemplares ſunt,quales ſunt prædicatores, pontifices, & ij religioſi,vel ſeculares, qui in vita ſpirituali publicè profecerunt. Hi ſi ſe præcipitent, dæmonum aſtu perſuaſi, ó quanta eſt eorum calamitas! vt enim quæ de excelſo ruunt, & ingentẽ edunt ſonum,& ipſa grauiſſimè diſcerpuntur: ita qui ſancti ruunt, & peſſimè eorum ſonat ruina,& ipſi vix ab ea conualeſcũt.

Demum aduerte, quam nullus ſit locus excelſus tutus: nunquã in loco,niſi humili ſecuritas,Si in loco ſtas excelſo, time, quia graue tibi inſtat caſus.

Sed non eſt æquum, locum a diabolo, ex Pſalmo adductum,præterire. Locus eſt: Angelis ſuis mandabit de te, vt
Pſal. 90.
cuſtodiãt te:in manibus portabunt te,&c.Profectò melleus locus eſt. Angelis,inquit,ſuis.aduerte Angelorum maieſta-
Iob 4.
tem, quibus nullus locus eſt pro dignitate niſi cœlum,quorum poteſtati & imperio,non eſt poteſtas quę comparetur ſuper terram: quorum ſanctitati & virtuti, nec ipſa Ioannis
Matth. 11.
Baptiſtæ (dum viuebat in carne) ſanctitas erat æqualis: qui
Matt. 19.
demum ſemper vident faciem patris,& qui eſt in cœlis: quæ dignitate nulla alia præſtantior eſt. Siquidem videre Deum omnium rerum naturam ſuperat. At his principibus tantis Deus mandauit de te, ô Christiane, non mandauit Deus Angelis generatim de te, ſed ſpeciatim de te prouidus eſt Deus: & quod eſt digniſſimum omni veneratione, non vni Angelo duntaxat mandauit de te,ſed Angelis ſuis mãdauit, ô verò incredibilem Dei dignationem? ó mirabilem Ange-
Pſal. 38.
lorum obedientiam? ó hominum ſummum pretium? Cum ipſi tamen ſint vniuerſa vanitas. Sed quid mirum, ſi Deus mandauit Angelis de te, ſiquidem & filio ſuo mandauit de nobis:non ſolum vt cuſtodiret nos,ſed etiam vt moreretur pro nobis.

Sed non prętereat te,quod ait:In manibus te portabunt. Quid? ſacráne res eſt homo, quàm Angeli in manibus ferunt.Sacerdotes in manibus ferunt ſacram ſynaxim,& nos in ma-

in manibus ferimur Angelorũ. Certe quia Christus pastor, in brachio suo leuat agnos: imò & humeris suis ouem imponit. Interim tamẽ Angeli in manibus portãt, quia homo suo pondere semper ruet & cadet: sensus enim hominis ad malũ ab adolescentia proni sunt, viribus igitur & prouidẽtia Angelorum sustentatur, ne decidant. Sed maximè custodimur ab Angelis, ne offendat pes noster ad lapidem, scilicet peccati. Licet enim morales Philosophi multa tractarint, ne offenderemus, at nisi manibus Angelorum a casu defendamur, frustra nitemur: quod elegãter Paulus docuit ad Rom. 1. certum enim est in mũdo, esse tenebras, & lubricum. quis igitur de nocte, & in lubrico cõsistat, ni ab Angelis iuuetur? *Isaiæ 40.* *Lucæ 15.* *Gen. 8.* *Rom. 1.* *Psal. 34.*

Demum aduerte quòd dicit, *In omnibus vijs tuis*, id est, in omni opere quod sicut viator facis: in omni opere quo in cœlũ ire contendis. Alioquin mali aliquando relinquuntur, ab illa speciali Angelorum custodia: quanta ergo nostri Angeli, cura, quę ad omnes vias & opera nostra spectat? quanta nostra imbecillitas, quæ tanto eget obseruatore? Et quanta malitia, qui tot adminiculis fulti: peccare non cessamus. Sed iam audiamus, quid tentatori respondet Dominus. *Ierem. 51.*

Non tentabis Dominum Deum tuum. quasi dicat: Non explorabis bonitatẽ Dei tui: non nunc de nouo requires signum, quo tibi suam demonstret benignitatem: satis ille charitatem in homines ingentem, & prouidẽtiam explicauit, opus non est vt iterum ac iterum signa multiplicet. Dices: Quidni bonitatem Dei explorabimus? si bonus est Deus, quid vetat suam explorari benignitatem? Primo quidem quia licet ille bonus sit, & bonitatem suam omnibus velit esse confessam: at nos sumus indigni & peccatores, in quos iustè Deus non bonitatem, sed vltionem ostendere possit. Ferè semper peccamus: quomodo igitur nitemur quærere a Deo suæ signa bonitatis.

Secundo, quia semel ille omnia naturalia remedia, mundũ creando instituit, omnia supernaturalia auxilia, mundum redimendo prouidit, quibus fas nobis est, in quauis vti necessitate, quibusque ipse nobis suam demonstrauit charitatem: nõ est iam quòd amplius amoris signum requiramus. Quod si forsan calamitas aliqua viget, & Deus vult te in ea perire: patienter ferenda sors est.

Sed speciatim dices: Cur Dominus fidẽti de eius auxilio, & mittenti se e pinna deorsum, non accurret? Primum, quia

Psal. 9. Deus adiutor est in opportunitatibus & tribulatione, non in vanitatibus & temeritate. Secundò quia leges quas Deus in mundo stabiluit, firmas esse vult: & durè, grauiterque, eas infringere fert, nisi magna quædā causa se prodat. Ad quòd graue præcipitatū cadat, lex est naturæ: Ideo iniquius Deus eam legem patietur violari. Tertiò vt timeamus ne de Dei bonitate fidamus, ad peccandum, & mittendum nos deorsum, non accurret Deus, nisi mera sua misericordia, ad hunc qui se præcipitat, eruendum. Sed multa iam sunt de hac tentatione deducta, ad tertiam accedamus.

Assumpsit eum in montem excelsum, & ostēdit illi omnia regna mundi. Video, non esse facilè intelligere veritatem huius tentationis. Sed si diligenter verba D. Lucæ expendamus, fieri forsan poterit, vt veritatem assequamur. Dicit igitur: Ostendit illi omnia regna orbis terræ, in momento temporis. Si in momento: non igitur digito ostendebat, aut Romam, Bizantium, Athenas, aut Coryntlium. Hoc enim in momento temporis fieri non poterat. Imò nec exiguam partem mundi, & eius gloriam in momento poterat explicare. Quod igitur animo meo insedit, id est, quòd ducto Domino in montem excelsum: arte magica, & præstigijs incantatorum, circum mōtem, & in eo spatio amplissimo, quod è monte perspiciebatur: factæ sunt vrbes opulentæ: prouinciæ, regna. Et iuxta Christum mōstratæ sunt thesaurorum infinitæ moles: Auri, argenti, margaritarum, eboris, & rerum quas mundus amat. Hæc visio in momento facta est, non quòd eo momēto quo cœpit, disparuerit: minimè. Sed orta fuit ea maiestas in puncto, durauit porrò, quo tempore durauit tentatio intellige tamen nihil dæmonem, in Christi phantasia operatum.

Dicis, quomodo ostendit omnia regna orbis terræ, si solùm ostendit regna quædam fictitia, quæ è monte videbantur? Respōdeo: quòd sicut non omnia regna vera, è quamuis excelso monte, monstrari poterant: sed quibusdam monstratis dictū est, quod sunt omnia monstrata: ita monstratis fictitijs regnis dictum est, omnia esse demonstrata, vt hæc synechdoche locum pararet mysterio.

Si roges, quis ille mons fuerit è quo mōstratæ sunt orbis prouinciæ? Respondeo id non constare. Quidam asserunt,
Num. 21. esse montem Phasga, è quo Mosi Deus terram promissionis ostendit: non quidem totam, sed quantùm Mosis visus

attingere poterat, vt intelligas esse Scripturæ morē, totum per partem intelligere. Quod si in terra promissionis non est (iuxta desertū Hierico,) mons insignis & excelsus valde: necesse est dicere, quòd diabolus viribus & potētia arripuerit Christum, & in montem adeò excelsum duxerit: quod mihi probabilissimum fit. Scio tamen Salıgniacum velle, montem hunc, duobus miliaribus distare à fonte Helizæi, qui prope Hiericho & Galgala currit.

Loquamur nonnihil de moribus, & id primum non prætereat nos, tantæ fuisse Christum sanctitatis, in oculis diaboli: vt non nisi promissione omnium regnorū mundi, & totius gloriæ suæ, eum flecti posse putaret. At nos quam minimo negotio, ad sui adorationem flexisset? certe qui pro vili castro nunquam non iniqua bella gerunt, an non hi dæmonem pro oppidulo venerantur?

Secundò aduerte, quòd vt dicebā, non fuerunt vera regna mundi, ea quæ diabolus ostendit: sed videbantur. Sane vt indicaretur, hæc mundi regna, nō vera regna esse, sed vmbræ similia. Vapor est ad modicum parens regum vita, infirma est thesaurorum possessio, fugacissima honoris conseruatio. *Iacobi 4.*

Tertiò aduerte, quòd licet præsentia bona fugiant velut vmbra: sed tentatis à dæmone, licet exigua quædam mundi portio ostendatur, omnia tamen regna ostensa esse videtur. *Iacobi 13.* Quòd si non penetras: intellige nunc tentatum, & allectum alicuius fœminæ pulchritudine: breuis sane mūdi portio est illi à dæmone ostēsa, sed ille deceptus asserit se fœminā illā, super omnia regna mūdi æstimare: & optare se magis illius amplexus, quā omnes mūdi opes. Idē perspicies de ambiēte honorē & diuitias. Nos igitur dæmō decipit, quibus si mūdi particulam ostendat, (si allicimur ad eam & inflammamur) nō pars mūdi vilis, sed totus mūdus cōspectus esse videtur.

Quartò libet admonere, iuxta Apostolum coram ventre multos procidere, rursum & corā pecunijs. Iā qui pecunias, aut ventrem adorat, diabolum in vētre & nummis adorat. Fieri enim nequit, quin aut Deum, aut diabolum adoremus. *Philip. 3.* *Ephes. 5.*

Quintò illud attende, quòd diabolus in montē excelsum ascendit, cum primum conditus est: ascendit enim super latera Aquilonis, & inde prospexit, non omnia regna mundi: sed prospexit, se, multo quam mundi regna pretiosiorem. Adorauit ille miser se, procidit ante se, imò sub se, quod fecit ille sibi, fieri contendit à nobis. *Isaiæ 14.*

Sextò

Sextò nunc mecum cogita: Christus eodē modo tractat Christianos, quo eos diabolus tentat: assumit enim Christianum Christus in montem excelsum valde, id est, in Christi-
Isaiæ 2. stianam religionem, de qua Esaias dixit: Erit mons domus Domini in vertice montium. Ac si dicat: Domus Domini erit mons excelsus valdè. Ex hoc monte ostendit Christianis omnia regna mundi, & gloriā eorum, licet dispariter ac dæmon. Nam dæmon ostendit quasi magnifica: Christus quasi vilia, & quæ cœlestibus collata nihil sunt. Dæmō mendaciter promittit, se daturū hæc omnia, ei qui se adorauerit: at Christus veraciter promittit eadem se daturum, & ita reuera dabit, dictū enim est: Amen dico vobis, super omnia
Lucæ 12. bona sua constituet eum. Et Paulus: Omnia, inquit, vestra
1. Cor. 3. sunt, siue mors, siue vita, siue mundus. & alibi: Nihil habētes,
Matth. 5. sed omnia possidētes. & Dominus, inquit, Beati mites: quia ipsi possidebunt terram. Sed parum est possidere terram, iis quibus promittitur cœlum. At sicut diabolus nō dat regna, nisi iis qui eum adorant, & corā illo procedunt: ita & Christus non promittit regna terrena, nec cœlestia, nisi coram se
Ioan. 5. prostratis. Omne enim iudiciū dedit Pater Filio, vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Igitur sicut necesse est coram Patre procidere: ita & coram Filio. Sed ô rem dictu incredibilem, quanta res est, quamque magnifica coram Christo procidere? est enim super omnes res exaltari: & contrà, quam turpis res est, coram dæmone cadere? cadere, scilicet, coram illo, qui sub omnibus rebus cecidit.

Septimò expende, tantum esse valorem diuitiarum apud homines, tamq; illos eas colere: vt nihil aliud Christus diuitijs cōtra posuerit, quam Dominum Deum tuum adorabis. A si dicat: O homo etiā si auri te splendor alliciat, vt illum adores: at cogita adorationē soli Domino, eiq; Deo, & tuo, deberi. Atqui homo nec hac ratione mouetur, tanta est auri potētia, vt cōtra eā apud mortales vix Deus sufficere queat.

Octauò cogita, non adeò falsum dixisse diabolum, cum
Genes. 1. dixit: Hæc omnia regna tibi tradita sunt. Sane Adam rex omnium erat constitutus, si ipse se diabolo tradidit, an non & tradidit simul omnia sua? qui enim ius habet in regem, habet & in eius regnum. Iam adeò pauci sunt in mundo reges iusti ac pij: imò adeò est difficile regem sanctum esse, vt confidenter dicere diabolus audeat: omnia regna mihi tradita sunt, quia fere omnes (paucis exceptis) reges mei sunt,

sunt, & se mihi illi tradiderũt. Age numera mihi pios regẽs, plane paucos reperies. Et quos inuenies, non sine labe reperies. Huic tentationi non consentit Dominus. At Domine si tu non adoraueris diabolũ: non deerit ex tuis qui adoret. Adorabit & Iudas tuus ille dispensator, non propter regna: sed propter triginta argenteos, quibus vendet te. *Ioan. 12.* *Matth. 26.*

Non libet tamen præterire illud: ***Omnia mihi tradita sunt, & mea sunt, & cui volo do illa.*** Qua fronte audet diabolus dicere: Omnia hæc mea sunt? certè non admodũ sine causa. nam Dominus dicit: Venit princeps mundi huius. Si diabolus est princeps mũdi, suus ergo est mundus. & rursum: Dominus dixit. Cùm fortis armatus custodit atriũ suum: atriũ hoc, aliud non est, quam seculũ hoc. Est igitur seculũ atrium diaboli. Nec Paulus veretur demones vocare principatus & potestates aëris huius. & alibi: In quibus, inquit, Deus huius seculi excæcauit corda eorũ. Vide iam nunc Lector, quantã iniuriam irrogamus creatori, nos mundani & seculares: quorum vicio, quod Dei est diabolo tribuitur. Ergo peccatum exhæredat Deum (si ita loqui fas est) possessione sua, & diabolum velut hæredem alienæ hæreditatis constituit. *Ioan. 14.* *Lucæ 11.* *Ephes. 6.* *2. Cor. 4.*

Iam illud: ***Cui volo do illa***, nescio an mendacium fuerit. Certè apud me satis constat, si permitteretur dæmon, auferret à quibus vellet. Vt exemplo fuit Iob, à quo omnia bona abstulit: daret verò cui vellet, tot enim sunt eius artes & technæ, vt facile ditaret quos vellet. *Iob 1.*

Sed audiamus quid respõdeat Dominus: ***Vade inquit, retrò Satan.*** Elegantissimo vocabulo sane, vocauit eum Satanam: certe proprium Dei & Christi munus est fauere hominibus, & ea omnia remedia adhibere quibus homo saluetur. Huic instituto, quia totis viribus diabolus obstare cõtendit, ideo rectissimè aduersarius Dei, & hominum dictus est. Sed subit me admiratio, quòd Deus patiatur dæmonẽ sibi aduersari. Quis enim ferat tanto tempore, seruum habere, sanctis Domini conatibus obsistentẽ? Sed qui hominis causa mori voluit: eiusdem causa suffert habere contrarium. ô igitur negotium hominis admirabile? ô hominis vita stupenda, super qua tota cœli machina, ex vna parte certat ad salutem: & ex altera, tota inferni expeditio contendit ad perditionẽ.



Huic igitur aduersario & Satanæ dicit Dominus: Vade retrò. Ac si dixisset: Hactenus permissus tibi sum, fecistiq́; in me iuxta arbitratum tuum: iam expleta est omnis tentatio,

iam non tibi permittor, nihil habebis in me, donec dies pas-
Zachar. 3. sionis veniat. De qua dictũ est, quòd Satanas erat à dextris
Lucæ 22. Iesu, magni sacerdotis, quia tunc data est potestas tenebris,
vt irruerent in Iesum: & eum vincendo, vincerentur. Vade,
inquit Dominus, retrò, quo verbo factũ est, vt diabolus qui
anterior erat in tẽtatione, iã fieret posterior. Tantumq; esset
discriminis inter tentatorẽ post hoc, & ante hoc verbum:
quantũ est inter eum qui viatori ex parte anteriori aduersa-
tur, & eum qui ex parte posteriori viã impedire contendit.

Et nota diligẽter, quòd ad duas priores tentationes, solo
verbo Scripturæ respõdit. At cùm per locũ excelsum, regnũ
& diuitias tentamur, hic nõ verba Scripturæ sola sufficiunt.
Conandum est, vt diabolus abeat retrò, cum suis opibus &
regnis: itaque Reges & principes, quibus locus sublimis &
opes, sunt tẽtationis occasio. Deũ solũ ante oculos habeãt,
nihil diabolicũ, nihilq; terrenum patiantur corã habere, sed
hæc retrò sint. Si hæc difficilia esse conquereris, scito quòd
Matt. 19. diuites difficile regnũ Dei introibũt. Addit verò Dominus:
Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruies. Vbi causas
adhibuit, cur Deus esset adorãdus, & solus colendus. Primũ,
quia Dominus est. Secundò, quia Deus. Tertiò, quia tuus.
Primùm, quia Dominus, id est, abyssus omniũ bonorum: qui
licet nihil haberet iuris, & imperij super te, hoc solo quòd
pulcherrimus, potentissimus & optimus est, sibi soli adora-
tionẽ reseruat & cultũ. Sed secundò Deus est, id est, impera-
tor & iudex, qui hanc legẽ, qua solus vult adorari, cõstabili-
uit: gloriã æternã obediẽtibus, infernũ æternũ repugnãtibus
promittens. Et tertiò tuus, qui adeò bonus est, vt quantus
quantus est, tuus esse velit, in tuos ruat amores. quis est nisi
stupidus, qui alium amare, ne dũ adorare & colere cogitet?

At dices: Soline Deo seruiã? Non parẽtibus, non prælatis,
non demum alijs maioribus? Imò verò Deo seruies & aliis:
sed sicut qui regi ministrat, ministrat & ijs quibus rex mini-
strare iubet: & licet solius regis minister dicatur, eius tamen
iussu, minister est domesticorum regis: ita qui Deo soli mi-
nistrat, ministrabit & ijs quibus Deus ministrari voluerit.

Secundò fateor, quòd seruitus naturalis aliis seruit: at
seruitus Christiana nulli seruit nisi Deo, nã si alijs seruit, nõ
Ephes. 6. illis, sed Domino in illis seruit. Paulus iubet seruis, vt seruiãt
dominis suis: non vt hominibus, sed vt Domino. Ideo enim
Dominus nos omnes in se imbibit: vt qui seruiret, & ado-
rarct

raret hominem, non se hominem, sed Deum colere sentiret.

Tertiò fateor: quòd Christiani alijs seruiunt: sed suum seruire, non est seruire, sed imperare, & regnare. qui enim maior est inter vos, is ministret. est igitur regnare seruire. *Lucæ 22.*

Quartò: textus non dicit, Deum tuũ adorabis, & nulli alij seruies inter tuos. Sed nulli alij Deo seruies, hunc Deũ tantũ adora, ex hominibus quẽ velis adora, & cui velis serui. Pluralitas igitur deorũ ibi prohibetur, nõ seruitus humana, nos igitur ne simul cum Christo, nummos habeamus in deos, *Hebr. 2.* non meretricem, nec aliud, quod sanæ doctrinæ repugnet.

Et ecce accesserunt Angeli. Verè Angeli sunt spiritus, qui adeò citò veniunt quo venire volunt: & veniunt videre rem grandem, quam credere natura non poterat, videlicet, quòd caro totum deuicerit infernũ, quòd caro omnes dæmonum superauerit artes, quodq́ue caro deiecerit diabolum quem vix tota Angelorum curia vincere potuerat.

Secundò veniunt, vt si purissimos Domini oculos dæmonum præsentia afflixerat. Angelorũ ministeria, & pulcherrimus aspectus recrearent. Sique tædium habuerat Christus dæmones aspiciens, hilaritatem cõciperet Angelos spectãs.

Tertiò veniunt: vt intelligamus Christum sua perfecta victoria meruisse, his qui dæmonem perfectè superarint: quod Angelos corporalibus oculis aspicerent, eorumq́ue ministerio fruerentur. Sanè non vincimus dæmonem perfectè, non eum ex toto relinquimus: Si recreamur, superbimus, si humiliamur, tepescimus, si confidimus, vanescimus: nemo demum est, qui nõ aliquo vitio teneatur, & ita nemo est, qui dæmonem vincat ex toto, & ideo rati sunt, qui Angelos videant, & eorum ministeria recipiant.

Quartò veniunt: quia adeò charam habent Dei gloriam & honorem: vt videntes Deum in homine triumphare, continere se non possint: quin veniant videre eum, in quo Deus de hoste tulit triumphum.

Quintò: tam fuit Angelis dulce, tamq́ue iucundum: olim vicisse dæmones: vt quoties nunc videant hominem fuisse victorem, putent se etiam vicisse: iungantq́ue se victoribus, velut pariter & ipsi victores.

Sextò: adeo nostram sanctissimi illi spiritus depereunt salutem, adeò vehementer amant: vt cùm viderint nos pugnasse, & vicisse, in manibus suis exilientes tollant nos, *Psal. 90.* exultent & iubilo impleantur.

Septi-

Septimò: ſpeciatim in Chriſto victore exultarunt. quià ſicut Adam à dæmone victo, victi omnes ſumus: & ita An-
Geneſ. 3. geli facti ſunt, velut hoſtes generis humani peccantis. (propterea enim armati ſunt romphea flammanti, quaſi cum hominibus pugnaturi) ita cùm Chriſtus vicit, vicimus nos omnes in ipſo. Ablatum ergo odium eſt contra ſubactos, & in ſignum reconciliationis, hi qui rompheam igneam cōtra nos in Adam ſtrinxerant, miniſteria ſua ſponte nobis obtulerunt in Chriſto.

Acceſſerunt igitur Angeli & miniſtrabant ei: non dixit in quo miniſtrabant. Primum vt intelligant victores, quòd in omnibus neceſſarijs & opportunis ſentient Angelicum miniſterium. Secundò credo quòd Angeli miniſtrarunt Chriſto abducētes eum à pinnaculo templi, (hæc enim fuit poſtrema tentatio) & deducentes eum in locum planum & amœnum, ibi forſan cibos ei miniſtrarunt? Ac demum in ſuam ciuitatem Nazareth reduxerunt.

Cùm autē audiſſet Ieſus, quòd Ioannes. Multa figuraſſe Ioannem, memor ſum me dixiſſe, ſupra cap. 3. Ex quibus tria præcipua ſunt. Primum ſignificat Ioannes totum ſtatum legis, vt Auguſtinus fuit autor. ex hac ſignificatione primus oritur ſenſus, quòd toto ſtatu legis tradito ſub manu Herodis regis, ſcilicet gentilis, cœpit Chriſtus munus ſuū perage-
Gen. 49. re. Ita enim locus ille protritus clamat: Nō auferetur ſceptrū de Iuda, donec mittēdus veniat. at cum Ioānes incarceratur, occidēdus ſub manu Herodis alieni regis: ſignificatur ſtatus legis iam ligatus, & breui à gentilitate occidendus. Cùm igitur hic ſtatus legis carceres ingreditur: Chriſtus velut
Pſal. 18. ſpōſus è thalamo egreditur: quia neceſſe fuit vt incarcerata lege, & dignitate pontificali, ſimul & dignitate ciuili (incar-
Hebr. 7. ceratis, ſcilicet, & morituris) legis etiā & Sacerdotij tranſlatio fieret. Sicque transferretur è Iudæa in Galilæam: è Ioanne in Chriſtum, è legis ſtatu in gratiæ miſericordiam.

Secundò, ſi Ioannes ſignificet gratiā, miſerabile dictu eſt, quam erat Dei gratia, ante Chriſti prædicationem, in carceres coniecta. Certum eſt ex Paulo, quòd peccatores verita-
Rom. 1. tem Dei in iniuſtitia detinent, id eſt, Deus ipſe peccatoribus oſtendit veritatē, & virtutem: nec oſtēdit modò, ſed etiam efficit: vt ipſa veritas acriter eos impellat, excitet, & vellicet.
2. Theſ. 2. (vt enim diabolus mittit in homines operationem erroris: ita & Deus operationē & efficaciā veritatis & gratiæ) hanc gratiæ

gratiæ, vim efficaciam, & impulsum (magno suo malo) peccatores in sua iniustitia, velut equum currere gestientem, vinculis cohibent: talis erat rerum facies ante Christi publicam prædicationem, veritas, virtusque Dei (quàm Deus ab hominis ortu, & post liberi vsum arbitrij, hominibus infundit) in carceres iniustitiæ coniecta erant: erat ergo in carcere Ioãnes, non potuit verò, pius ille Dominus gemitus compeditorum contemnere, venit igitur soluere compeditos, filiosque interemptorum. *Psal. 101.* *Psal. 145.*

Tertiò, si Ioannes omniũ hominũ gerat vicem (siquidem quid habemus quod non acceperimus? Gratia enim Dei, sumus, quod sumus,) significabitur, quod quo tempore Dominus publicè cœpit prædicare, eo omnes homines traditi erãt seculari, nõ spirituali potestati: erãt sub iugo impijssimi Pharaonis, sub sceptro exactoris rigidissimi, sub imperio Nabuchodonosor: demũ erant sub imperio principis mũdi, & principis tenebrarum harum. An verò non erat decentissimum, Christũ tunc maximè occurrere labenti seculo, cùm fortis armatus pacatius possidebat atrium suum? Rectè ergo dicitur, cùm Ioannes traditur vinculis, tunc ostensum esse, quòd verbum Dei non erat alligatum. Sed quid est, quod dicitur: ***Secessit in Galilæam, & relicta Nazareth, habitauit in Capernaum, ciuitate maritima in finibus Zabulon.*** Vbi quatuor occurrunt cõsideranda. Prius cur secessit in Galilæam, relicta Iudæa? Huius prior causa est, vt iam vel ex tunc significaret, Iudæam deserendam: gentes verò (quibus maximè habitabatur Galilea) recipiendas. Altera causa fuit, quia vehemẽter indoluit Dominus, suum præconẽ, Baptistam, & paranymphum, in Iudæa incarcerari, & tam malè tractari: licet enim multas tribulationes patiatur Dominus super iustos suos venire, non tamen gaudet de eorum dolore, sed se tangi in pupillis asseuerat. Igitur Iudæam tãti facinoris receptricem deserit, venitque in Galilæam. Tertia causa: quia vt iam dictum est, voluebatur Lex, Sacerdotium, & principatus è Iudæis in Gentes, ideo meritò discedit Dominus in Galilæam, quæ reuolutionem & transmigrationem significat. *1. Cor. 15.* *1. Cor. 4.* *Isaiæ 9.* *Ephes. 5.* *Lucæ 11.* *2. Tim. 2.* *Zachar. 2.*

Sequitur verò. Secunda cõsideratio: Quid causæ est, quod veniens Galilæam, relinquit Nazareth, quæ puerum aluit? An non erat dignũ eam primò prædicatione honorari, quæ primò vitales auras Christo concesserat? Respondeo. Imò verò, fugiẽda fuit Nazareth, ne in negotio Euangelico terra

aliquid iuris putet habere: vt enim Dominus interpellanti,
Matth. 12. quod eius mater ac fratres adessent, respōdit: Qui sunt fratres mei? Et Virgini sacræ vinū in nuptijs petenti respōdit: Quid
Ioan. 2. mihi & tibi mulier? Nihil seculum habet iuris in Euangelico ministerio, ita Nazarethæ expostulāti: Cur non publica prędicatio in se incepta est? Respōsum putet: Quid mihi, & tibi?

Secundò notatur, Prædicatorē Euangelicum, qui publicè prædicaturus est, non florentem requiri (florens enim explicatur Nazareth) sed maturum: non adolescentem in virtutibus, & doctrina, sed grauem & planè virum. Apostolus
1. Tim. 4. Timotheo dicit: Nemo adolescentiam tuam contemnat: sed exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitatē, &c. Ac si diceret: Licet ætate florens sis, grauem tamen te exhibeto, ne contemnaris. Quòd si roges quàm grauem? Id tantulum, vt exemplum sis fidelium. Planè nihil poterat maius requiri.

Tertiò notatur: Quòd Christus habitans in Nazareth, fuit flos habitans in florente; (vt suprà in fine cap. 2. dictum est.) At homines non expetunt flores, sed requirunt fiorum fructus. Vt ergo Dominus ostendat se non iam florem solum esse: sed expectatos tantis temporibus fructus, iam se proferre, ideo relinquit floridam Nazareth: pulcher igitur Dominus in Nazareth, sed pulcher, vtilis & suauis relicta
Cantic. 7. Nazareth. In Canticis dicitur: Videamus, si vinea nostra floruit (addit) & si flores dederunt fructus. Quid enim prodest florere, sine fructu? Igitur Dominus ne videatur incassum orasse, in cassum laborasse, dum in Nazareth nutriebatur: flores orationis & contemplationis iam maturuisse, & in fructus prorupisse demonstrat.

Sed vrget tertia consideratio: cur venit in Capernaum, ciuitatem maritimam: Certè ciuitates maritimæ, eæ sunt quæ maximè virorum & sanctitate, & doctrina egent: cùm enim ad eas, merces ex alienis regionibus comportentur simul cum mercibus comportantur & mores, exteri ergo mores, mores patrios (si qui boni sunt) corrumpunt: nullæ igitur ciuitates corruptiores, (sicut nec ditiores,) quàm ma-
Matth. 11. ritimæ. Ideo Dominus exclamat: Et tu Capernaum, vsque ad cœlum (videlicet ex opulentia) exaltaris, sed vsque ad infernum (propter perditos tuos mores) detraheris.

Sed quarta consideratio est: cur tam diligenter ea vrbs describatur? Nomen, scilicet Capernaum: conditio, scilicet mari-

maritima, situs: scilicet in finibus Zabulon, & Nephtali? Respondeo, quòd iudicio meo, in orbe toto, aut certe in Iudæorum principatu, nulla terra corruptior erat, quàm Zabulonis & Nephtali, & in his tribubus, corruptissima ciuitas erat Capernaum. Coniecturæ quæ me ad id mouet, hæ sunt. certum est hanc terram plenam fuisse gentilibus, à paucis enim Iudæis tribus illæ incolebātur: & ij ipsi Iudæi tribuum illarum habitatores, cum gentilibus, nec Deum verum vnicè colebant, nec idola sectabantur solum, sed partim credebant in Deum, partim sequebantur idola. id verò scelus est summum. est enim apostasia & hæresis, post Deū verum semel admissum, alios deos colere. & est summa Dei iniuria, cum inter cæteros deos cōputare, aut certe tam malignè de Deo sentire, vt ipse sine reliquis dijs non sufficere credatur. Erat ergo, illa regio, hominum hæreticorum. Porrò cum eadem regio proxima sit mari, & Iordani: necesse erat, corruptissimis moribus esse. Abundabat ergo misera illa terra delictis, iisque summis. Hæc demum fuit causa cur Christus in tribubus illis, primum publicè voluerit prędicare. vt videlicet, vbi abundauit delictum, superabundaret & gratia. (*Rom. 8.*) vtque verè Christi prædicatio esset ex gratia: non ex meritis eorum quibus prædicabat. Et amor Dei erga homines micantissimus, ibi maiorem haberet laudem, vbi eum minus homines promerebantur. Quis verò non amet, & ardeat Deum tam amantem: qui ibi amare non horret, vbi minus amari se sentit? Quod iam erit pectus, peccatis adeò squallens & horridum: quod de Dei misericordia desperet, vbi videt Deum sordes illas minime horruisse? Rectè igitur in Capernaum, & Galilæa, prouincia longè perditissima, Christus primum remedij sui diuitias ostēdere cœpit. Vnde Zabulū significat habitatorem. Nephtali peruersum. In ipsis nominibus ergo, Dominus charitatis suæ flammas demonstrauit. Longè enim debet esse nomen, & res habitatoris ab homine, qui viatoris & rem & nomen habere debet, dictum enim est: væ habitantibus in terra. (*Apoc. 8.*) ac si dicat: Væh Zabuloni. Cui igitur Apocalypsis intonauit: Væh illi Dominus amoris sui ignem detexit. Iam si Nephtali significat peruersum, & Dominus odit omnes operantes iniquitatem (*Psal. 5.*) (neque enim est Deus volens iniquitatem) an non summè magnificus fuit, inter peruersos & iniquos suos spargens amores?

Sed ne fatigeris Lector audiens cur tam minutim dictum

 sit:

ſit: quòd Dominus prædicauerit primum in terra Zabulon,
Gen. 49. & Nephtali: dicitur enim Geneſis 49. Nephtali, ceruus emiſſus dans eloquia pulchritudinis. quaſi dicat: In Nephtali repertus eſt ceruus ille, è cœlo demiſſus. (Christus enim cerua
Pſal. 21. eſt matutina) qui ceruus non eloquia daret terribilia, ſicut
Pſal. 75. olim ſolebat Deus. dictum enim erat quòd Deus erat terribilis, auferens ſpiritum principũ. terribilis apud reges terræ. at nunc non eloquia dat timoris: ſed eloquia pulcherrima
Deut. 33. ſcilicet Euangelij, gratiæ, regni, pacis. Rurſum Deuteron. 13. Cùm Moſes benedicit vniuerſis tribubus, Zabuloni dicit: lætare in exitu tuo. & Nephtali, abundantia perfruetur, & plenus erit benedictionibus Domini, mare & meridiem poſſidebit. Prophetia vtraque impletur cùm prædicat in his tribubus Dominus. Tũc enim Zabulonis homines ad Chriſtum conuerſi, lætati ſunt. ſicut in Actis dicitur, de conuerſis
Actor. 8. in Samaria, à Philippo. quòd factum eſt gaudium magnum in ciuitate Samariæ: ita & lætati ſunt viri tribus Zabulonis: maximè qui in exitu & finibus habitabãt, iuxta mare. Tunc Nephtalini homines abundantia pleni fuerunt prædicationis, ſanitatum & gratiarum. vt igitur has prophetias impleret Dominus in his ciuitatibus, & tribubus prædicauit.

Occurrit tamen longè difficilior cogitatio, ex Matthæo dicente: prædicaſſe Dominum in hac regione, *vt impleretur*
Iſaiæ 9. *dictum Iſaiæ, ſcilicet: Primo tempore alleuiata eſt, &c.* Quę verba authores volunt ad deuaſtationes eius regionis referri, non ad Chriſti in ea prędicationem. Ego verò tenaciſſimè hæreo verbis Matthæi. Et credo hunc eſſe natiuum huius loci ſenſum: Primo tẽpore, ſub Dauide & Salomone, leuis facta eſt regio Zabulonis & Nephtali: quia colebatur in ea Dominus,
Pſal. 4. erantque in ea viri pij, qui non erant graui corde, diligentes mendacium, & quęrentes vanitatẽ. At nouiſſimo tempore,
Galat. 4. in plenitudine ſeculorum, cùm iam erat moritura lex, & legalia: tunc regio illa aggrauata eſt. Quæris quomodo aggrauata eſt? Certè, quia populus ambulabat in tenebris, neq; id modo, ſed in vmbra mortis. Et quia hæc penetrare, vehementer aperit hominibus, Dei ſui dignationem, ideo patienter feres me lector huic loco diutius hærentem.

Quid igitur eſt populum ambulare in tenebris, & ſedere in vmbra mortis? Principio hominum vita, quæ ſecularis eſt, id primum tractat, verſat, atque reuerſat, vt fœlicitatem temporalem aſſequatur, licet technis, & malis artibus eam ſibi

sibi comparet: hoc igitur moueri, conari, cõtendere, vt opes habeant, etiam iniustè, hoc est, ambulare in tenebris. Cum verò fœlicitatem secularem quis nactus est, etiam iniustè, si sibi iam quiescit, si dicit animæ suæ vt quiescat (habet enim bona in multos annos parata,) hoc est, sedere in vmbra mortis: fœlicitas enim secularis lux videtur esse. at quia lux est maligna, & obscura, & ad miserias perducẽs (vt Iacobus dicit) ideo vmbra mortis est. Is ergo erat status gentis illarũ tribuum. Toti inhiabant opibus acquirendis, aut eis, licet iniuste possidendis, nihil erat ibi de Deo. *Lucæ 12.* *Iacobi 5.*

Secundò & profundius: is qui male quidem facit, sed dolet, pungitur, & male factorum conscientia tristatur, is in tenebris est: sed nondum sedit, ambulat adhuc. Porrò qui lætatur cùm malè fecerit, is iam in vmbra mortis sedet: Beatus vir qui non abijt in consilio impiorum, nec stetit, nec sedit. ô verò verè miserum qui in via peccati stetit, aut iam in ea sedet. At tales erant tribus illæ, quidam enim illorum ambulabant in peccatis suis, bona verò pars iam sedebat in eis: & hoc sedere in peccatis, planè est mortis vmbra & inferni: qui enim compungitur cùm peccat, vmbram vitæ habet: at qui in profundum malorum venit, & contemnit, is in vmbra inferni est, vbi nunquam verè de peccatis doleant qui peccarunt. *Prouer. 2.* *Psal. 1.* *Prou. 18.*

Tertiò: Sicut apud Deum est fons vitæ, ex qua vita deriuatur ad nos: non vita lucens, sed vmbra quædam vitæ: nec enim terra nostra, est terra viuẽtium: sed eorũ qui vmbram & imaginẽ vitæ habent. Deriuatur igitur ex illa vita plena, vita quædam diminuta: ita vt cum vita illa, quandam continuationem videatur habere, & vnam reddere vitam: ita in principe dæmoniorum, qui est princeps tenebrarum, fons est obscuritatis & vmbræ. ex qua vmbra mortis velut deriuatur in peccatores. idque maximè fit, cùm securos nos in peccatis facit. Populus igitur ille Zabulonius habitabat in vmbra principis dæmoniorum, nihil habens cum cœlo commune: nihil illi cum vita participatus. *Psal. 35.* *Psal. 141.* *Ephes. 6.*

Quartò: Non est hominum ambulare in tenebris: dictum enim est: Posuisti tenebras: & facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluæ. ortus est Sol: & exibit homo ad operationem suam: Cùm ergo hic dicitur, quòd populus Galilææ ambulabat in tenebris, quid aliud intelligis, nisi populum bestialiter viuentem, non humanè? *Psal. 103.*

Isaiæ 28. Quintò: Dicitur apud Isaiam: Fecimus pactum cum inferno, flagellum inundans cùm transierit non veniet super nos: quia posuimus mendaciũ spem nostram, & mendacio protecti sumus. Iam qui pactum cum inferno facit, & mendacio vult protegi: is planè ambulat in vmbra mortis. Sicut
Psal. 19. enim ambulare in vmbra alarum Dei, est, eius præsidio, & fauore protegi: ita & præsidio inferni, & mendacio protegi, est in vmbra inferni & mortis, & mendacij ambulare. Igitur qui cœlo renunciarunt, qui Deo Vale dixerunt. quibus non displicet infernus, ij in tenebris & vmbra mortis ambulant. Vide igitur vbi prædicauerit primò Christus: vbi regnabat infernus, vbi omnino erat obliuio cœli, vbi dixerat insipiẽs:
Psal. 13. Non est Deus. Vbi verba oris eius iniquitas & dolus, no-
Psal. 35. luitq; intelligere vt bene ageret. Denique sicut natura parti occurrit infirmiori: & sicut nos ignobilioribus partibus no-
1. Cor. 11. stris abundantiorem honorem circundamus: ita placuit illi, qui fons est omnis pietatis, Solem suum ostendere regioni tenebricosiori: & luce sua illustrare, & viuificare eum locum, vbi minor vitæ & lucis erat spes.

Ioan. 1. Dices: An non verum est, quòd Christus est lux quæ illuminat omnem hominem: quid igitur grande fuit, quod illuminarit Galilæos? Aduerte obsecro te: non dicit populũ qui ambulabat in tenebris illuminatum. sed dicit: Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem: & nõ solum lucem, sed & lucem magnam. nec dicit: Habitantibus in regione mortis lux orta est, sed lux orta est eis. Itaque genti illi non solum sufficienter, sed etiam efficaciter lux orta est, non in gentis iudicium & condemnationem: sed ædificationem & salutem. Vidit ergo populus fœtentem, vbi iacebat, locum: vidit imminens, in quo erat, periculum: vidit sordentes, quibus sordebat, culpas: idque lucis magnæ sibi exortæ, benefi-
Sap. 5. cio. Planè impij in inferno dicet, viam iustitiæ ignorauimus, & sol iustitiæ non fulsit nobis: plane Sol fulsit, sed non eis, id est, non in eorũ commodum. Sed tempus est ex hoc loco quamuis amœno discedere.

Exinde cœpit IESVS prædicare. Vide obsecro: illustrauit Christus natiuitate ignobilem Bethlehem: (erat enim
Micheæ 5. minima in principibus Iuda, sua fuga, perditissimam AEgy-
Ioan. 1. ptum: sua habitatione, vilẽ Nazaretham, (quia à Nazareth nihil ferè boni est.) Sua tentatione desertum, sua prima prædicatione corruptissimam Capernaũ. Audiamus iam, quid hic

hîc prædicarit, Pœnitentiam, inquit, agite Idem prædicandi initium quod & Ioannis, vt notaretur, Christum nihil præteriturum à lege. Ioannes enim legis vicem gerit: non ergo à lege præteribit iota vnũ. Siquidem idẽ Christus prædicat, *Matth.* 5.
quod lex prædicabat. Secundo: Sed longe differenter. Lex enim docet, quod vt fiat, non adiuuat Christus docet facere, & dat facere: ipse enim est qui dat velle & perficere pro bo- *Philip.* 2.
na volũtate. Igitur Ioannes prædicat pœnitentiã, sed nõ dat auditoribus pœnitentiã. Si verò Christus prędicat, dat quod prædicat. Tertiò: Fecit ergo Christus cum Ioanne, vt alij opifices, qui in eadẽ materia, suæ artis ostendunt excessum. Fecit quidam ex cera vel ligno pulchram imaginem, sed mortuam: venit maior artifex, ex eadẽ materia imaginem facit viuentem: an non excellior opifex? Quarto: Docuit etiam Christus hac sua prædicatione, qualis debet esse prædicatoris prædicatio: maximè vbi populus est corruptus, cui predicaturus est: pœnitentiã agite, nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas. Quintò: Quòd verò Dominus *Ierem.* 4.
addidit: Appropinquauit in vos regnũ cœlorum: quadamtenus experiebantur ita esse, qui ipsum audiebãt. Videbant enim hominum perditorum conuersiones, videbant vitæ præteritæ mutationem: afflari se, fere sentiebant, nouo quodam spiritu: prædicatoris vim & potestatem nouam admi- *Matt.* 7.
rabantur: videbant conuersos, vitam eam viuere, quæ persimilis esset vitæ cœlesti. an non id erat appropinquans regnum ferè videre? Sextò: Sed attende, non dicit: Rogate, vt Deus det vobis pœnitentiã. Sed facite: quia iam Deus pręsto est pulsans & clamans, & faciens vt agatis pœnitentiam. *Apocal* 3.

Ambulans Iesus iuxta mare. Quid mirum si ambulans iuxta mare, misereatur maris: cum ipse sit sumptus de mari? 3. Regum 18. dicitur, quòd vidit seruus Eliæ nubeculã, velut vestigium hominis, ascendentem è mari, quæ nubecula tantum aquæ dedit, vt ipse Elias diceret: Iunge currus, sonus enim grandis pluuiæ est: qua pluuiã, ablata est fames, quæ terrã oppresserat. Nubecula vt vestigium hominis, Christus est. Vestigium hominis in eo est: quia quod sentitur, videtur, homo est, licet qui nõ videbatur esse Deus. Nec nubecula ista, tantum effudit aquæ, id est, venerandæ doctrinæ, vt famem *Amos* 8.
verbi, quę terrã oppresserat, abstulerit. At nubes hęc sumpta est de mari, nostræ humanitatis. quid verò mirum si ambulans iuxta nos, si appropinquans nobis, nostri miseretur?

Sed nota secundò: quantùm est, oculis res contueri? ambulans & circumiens, & circumspiciẽs mare, maris miserijs tangitur: videlicet, quia Prælati oculis suis suos debent lustrare, vt videant eas afflictiones, quas nisi vidissent, nec credere potuissent.

Et tertiò nota, quòd non vnum tantum maris locum, Dominus aspexit: sed ambulans, inquit, circa mare, ne delicatuli sint Prælati, in suorum visitatione.

Quartò nota: quàm efferuebant Domini viscera, quàm ardebat pectus, cùm iuxta mare ambulabat! Videbat pisces lætos delectari sub aquis, ac proinde homines lætos in suis tenebris & peccatis delectari: videbat pisces huc illuc exilire, motari, circumagi: quasi illis, illic summa essent negotia, cùm tamen tota illa iactatio nihil vtilitatis apportet: ita videbat homines negotiosos, nõ quiescere, non sistere, ac si
Psal. 39. tractantes seculi negotia, aliquid momentosum tractarent, cùm tamen insanias falsas negotientur. Videbat pisces minores escam esse maioribus, maioresque, eos ita vorare ac si nihil vorassent: ita considerabat diuites latêre in spelunca
Psal. 9. sua, insidiantes vt rapiant pauperẽ, & trucidẽt rectos corde, an non hæc sat erant vt pectus illud, alióqui blandissimum, emollirent? Ita planè emollierunt, adeò vt ex ipso mari, ipsi mari proferret remedium. id enim significat verbum illud,
Ioan. 1. ambulans iuxta mare: non contra, sed iuxta. vt qui apud Deũ erat ab æterno immutabilis, nunc esset iuxta mutabile mare, & ambularet, quod indulgentiæ est. sicut & illud:
Gen. 3. Ambulans ad auram post meridiem.

Vidit duos fratres Simonem qui vocatur Petrus, & Andræam fratrem eius. Primum nota, quòd meritò Petrus, id est, Summus Pontifex, vocatur Simon, id est, obediens: licet enim summus sit Prælatus: ita vt sit omnibus maior, meminerit tamen, se habere Deum superiorem: cui adeò obediturus sit, vt nihil aliud sit, aut nominetur, quàm obediens. Planè reliqui inferiores, ipso nomine obedientiam secum deferũt: quam & ipsa natura inferioribus aduersum maiora demonstrat, & ideo ab inferioribus nihil aliud requiritur, quàm quòd sint Andrææ, id est, viriles ad superiorum capessenda mandata. at à Petro summo, summa exigitur obedientia. Et quidem videri poterat, Petrus vt summus, nunquam à calamitatibus attingendus: quodque non accederet
Psal. 90. ad eum malum, nec flagellũ auderet appropinquare taber-

nacula

naculo suo : ideoq; mollem sibi vitam poterat polliceri. At ex ipso nomine longe diuersi admonetur euentus. Simon, inquit, qui vocatur Petrus, ac si dicas saxeus : Si saxum es, intellige quòd in te irruent flumina, & flabunt venti. Vide firmus sis, ne ruina domus magna fiat. *Matth. 7.*

Secundò nota: Non vocantur tres fratres, sed tantũ duo: videlicet, quia vult Christus quòd Petrus amet vehementissime suos : at amor minor est inter tres, quàm inter duos: ideo enim Paulus optabat omnes cœlibes esse: ne amor qui integer in Deũ fluere debet, coniugis cõmunione sit minor. vt ergo summa notetur amicitia, quàm Petrus ad subditos habere debet, ipse eligitur cum fratre, & vnico fratre. *1. Cor. 7.*

Tertiò nota: Eligitur Petrus cum Andræa, vt nouerit Petrus (etiam si Papa sit) se fratrem habere, fratrem, inquam, non adeò seruum: vnicus est enim omnibus Pater Deus, qui omne pecus Petri pretioso Filij sui sanguine tinxit. *Malac. 1.*

Quòd verò dixit: Vidit Petrum & Andræam, mittentes rete in mari: non vacat mysterio. Primum: laborantes Dominus respicit. quid enim (inquit) statis hîc tota die otiosi, non facilè Deus otium hominum deuorat. Secundò : Non despicit Deus laborantes in sordido munere : non despicit piscatores, imò nescio quid sit, primum quod respexit Dominus, fuit munus planè vile & sordens, scilicet piscatio. Tertiò: Nõ dicit, extrahẽtes rete, aut cõcludentes pisces: aut vendentes quod expiscauerãt. nihil tale : quia Prædicatoris munus, non est extrahere homines è mala sua conuersatione, nec est, multos ad fidem ex infidelitate reuocare: nec est prospicatura præbendas percipere. Sed est, studio & oratione, & recta conuersatione, verba, velut rete in populum conijcere. Deus det incrementũ. & sicut non desperat piscator, non prendens quod optat: ita nec desperet prædicator. Quartò: Non dicit: vidit Petrũ mittentem rete: sed Petrum & Andræam. vt intelligat Papa, quòd nõ solus ipse rete prędicationis mittere potest in mare: sed eget suorum subditorum subsidio, imò nec decreta Ecclesiastica solus sine fratrum consilio condere debet, nisi præsumptuosus esse velit. ne ergo dicat oculus manibus, aut pedibus : non estis mihi necessarij, sine manibus enim & pedibus quid essent oculi? *Matth. 20.* *1. Cor. 1.* *1. Cor. 12.*

Porrò vbi ait: (*Mittẽtes rete: erant enim piscatores.*) id primũ aduerte: nullum aliud fuisse Petro munus, quàm piscatoris. alioqui non dixisset; Erant piscatores, sed dixisset: Erant

ſcenofactores, vel telonarij, vt intelligas nullũ aliud munus, institutum, aut deſiderium præcipue debere tangere Prælatum, niſi prædicãdi: Spiritus, inquit, Domini ſuper me. quor-
Iſaiæ 61. ſum? Num ad bella gerenda: Num ad cognatos ditandos? minimè. Sed Euangelizare pauperibus miſit me. & Paulus non fert, aliam ſibi functionem adſcribi, quàm prædicandi.
1. Cor. 1 non enim, inquit, miſit me Deus baptizare, ſed prædicare.

Secundò aduerte, quòd cùm piſcatores gens ſit planè vilis, planè rudis & ignorantiſſima: miraculum eſt cur hanc ſibi gentem delegerit Dominus: gentem, quæ velut terra indigna, ad mare exul aufugit? Cur ergo hos delegit Dominus ad ſummum Pontificatum, ad ſuum conſortium, ad munus prædicatorium, & ad ſummas cœli ſedes? Huius ge-
1. Cor. 1. neralis ratio eſt: Ne glorietur omnis caro corã illo, vt non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, neque diues in diuitijs
Ierem. 9. ſuis, neque fortis in fortitudine ſua. Quia Deus ea quæ non ſunt elegit, vt ea quæ ſunt confundat. vult itaque Deus cor
1. Cor. 8. humile: at ſapientia, & diuinæ & genus inflant.

Porrò ſpecialis in Apoſtolis ratio ſuit, quę habetur 1. Corinth. 4. Non in ſermone eſt regnum Dei, ſed in virtute. & 1. Corinth. 2. Non veni ad vos in ſublimitate ſermonis, aut in ſapientia verbi. & rurſum: Sermo meus & prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis: ſed in doctrina ſpiritus. Deus igitur in mundum veniens, nouam Rempublicã inſtruxit: cuius opes & apparamenta, noluit è mundo veteri emendicare, ſed quæ è cœlo venirent. quodq; id conſtaret hominibus. Ideo elegit homines, adeò rudes. vt etiam ſi vellent, non poſſent aliquid humanarum opum, rei admiſcere diuinæ. vt videlicet fideles qui crederent, Deum eſſe intelligerent, qui in illis hominibus operaretur. Et ideo vnum ex miraculis vitæ Chriſtianæ ſuit: quod pauculi homines, viles, rudes, & nihili, colla mundi preſſerint, iugumq; toti mundo impoſuerint. Neque verò Apoſtoli vocarunt homines ad res faciles & blandas, ſed ad difficillimas, vt
Iudic. 7. apertè virtus diuina patêret. Ideo igitur tubę vacuæ, lagenę teſteæ, homines qui non nupſerant rebus humanis. hæc eli-
1. Cor. 4. guntur ad prælia Dei. Sed habemus, inquit Paulus, theſaurũ in vaſis fictilibus: vt virtus ſit nõ ex hominibus, ſed ex Deo.

Ait ergo illis Dominus:

Venite poſt me. Non dixit, Manete ibi: aut, Abeat quiuis, quò voluerit. Sed venite poſt me. Si prædicatores eſſe vos

volo,

volo, venite post me, in meam imitationem & sequelam. *Psal. 49.*
Alioqui, quare tu enarras iustitias meas, per os tuum: cum oderis disciplinam, & abieceris sermones meos retrorsum! Quid verò mirũ, si piscatur alios, qui intime sequitur Christum, & familiarissime cum eo, conuersatur? Si mulier fluxũ *Matth. 9.* sanguinis patiens, solo Christi tactu sanatur, an non magis sanus erit, & sanare alios poterit, qui nihil aliud versat atque reuersat, præter mundi salutem? qui tangit picem, inquinabitur, qui ergo tangit salutem, sanabitur. Venite ergo post me, & faciam vos piscatores hominũ. Sanè piscatores nihil *Eccles. 13.* fere habent suum, nisi rete. ó vtinam Prædicatores nihil vellent habere suum, nisi Verbum diuinum, quod esset eorum *Psal. 1.* meditatio, die ac nocte. Pudet enim me, quod Dauid rex, & *Psal. 118.* coniugatus, tota die versaret legem Dei: & prędicatores vix diei horam in hac re consumant.

Secundò: Piscatores super excisum lapidem totum diem expectant, vt cadat piscis. Prædicator igitur patienter ferat, si non in rete Domini pisces inciderint.

Tertio: fere fit, vt in rete plurima piscium turba cadat nonnunquam. At in his, paucos inuenies grandiores, qui plures sunt, minutuli sunt: ita prædicator nouerit: paucos ex barbatis in suum rete casuros. plebs est quæ Verbum Dei, vt plurimum recipit. quia non multi sapientes, neque multi *1. Cor. 1.* nobiles, &c. Et Pharisæi dixerunt: Num aliquis ex princi- *Ioan. 7.* pibus credidit in eum, sed plebs hæc maledicta est.

Quartò: Machumet & Machumetani, non piscantur, aut extra mare extrahunt, sed potius in mare ingurgitant. Imò nec Mosaica institutio extra mare mũdi educebat suos cultores sola vita Christiana, vt quæ cœlestis est & spiritualis piscatores habet, vt mox aperiam.

Quintò: Maxime est adorandus Deus, qui piscandi officium instituit. Quid putas esse piscatorem? Certe alium esse Christum: hoc enim est quod ille dicit: Sicut misit me Pater, *Ioan. 20.* & ego mitto vos: me misit cũ potestate diuina, vt mortuos & sepultos excitarem ad vitam. ego mitto vos cum eadem potestate, vt sepultos in aquis, educatis ad vitam. Quid putas esse piscatorem? Homo est, qui homines reddit Deos: qui homines è lacunis & cisternis veteribus, profert in aërem cœlestem.

Vbi sextò nota, eam forè debere distantiam hominum & Prælatorũ: quę est piscium & piscatorũ. Arbitror nunquam

iactum

iactum futurum cassum, cùm ita prædicator homines, vt piscator pisces excesserit.

Septimò: Sed oboritur tibi dubitatio, nō rectè Dominum comparasse Prælatos piscatoribus: nam Prælatus hominem quem conuertit, è morte trahit ad vitam, & è sepulchro in auras vitales, at piscator, piscem è vita perducit ad mortem. non est ergo plena similitudo. Sed attēde obsecro: Pisces, & cuncta animalia, non eò condită sunt, vt sibi viuerent: imò equus factus est, vt hominem ferat: bos, vt hominis terram proscindat: perdix, vt hominis appetentiam demulceat. Tuncq; quodlibet animal fœlicitatē suam nactum est, cùm etiā morte sua, suo hero, scilicet homini seruit. Piscis ergo, multò est fœlicior, si manducetur ab homine, licet breuius suam vitam finiat, quàm si aliquanto diutius mortē in aqua differat. Vt igitur fœlicitas piscis est, in hominem transformari, morteque sua, vita hominis, (in quem conuersus est) frui: ita fœlicitas hominum est, nō sibi in mundo viuere: sed
2. Cor. 5. Christo, qui pro eis mortuus est. fœlices ergo sunt, quando ab aquis maris extracti, licet moriantur vitæ sensuali, transformati in Christum, vita gaudent diuina. Non igitur con-
Actor. 10. querantur animalia, quæ iubentur à Petro occidi, & manducari. melius enim viuunt in Christo, & Petro, licet mortua, quàm viuerent in se, quantumuis viua. Sed progrediamur:

At illi continuò relictis retibus sequuti sunt eum. Si relictis retibus sequuntur, ergo relictis eis instrumentis, quibus vita paratur: igitur reliquerunt genus illud vitæ. Et cùm aliud ignorarent, igitur reliquerunt seipsos: non enim erat Petro in procinctu aliud rete. Iam expēde quantum sit: vitæ genus (quod tibi ex antiquo parasti,) ad vocem vnam relinquere. Secundò: Sed mirabile est, quod continuo reliquerint, nullo alio expectato. Ita planè: ideo enim serui Dei sunt, sicut An-
Hebr. 1. geli, qui citissimi sunt. Ideo spiritus sanctus venit ad modum
Actor. 2. venti, & ad modum ignis, & in figura linguæ: quibus rebus nihil est mobilius, velocius & facilius. vbi igitur spiritus sanctus venit, facilè mouet: continuò facit relinquere cuncta.
Psal. 17. Eleganter dicit Dauid in Christi persona: Populus quē non cognoui, seruiuit mihi: in auditu auris obediuit mihi. Ac si dicat: Ipso puncto quo audiunt, obediunt. & quidem non fuit Dominus huius rei immemor. dixit enim omnis qui
Ioan. 6. audiuit à Patre meo, & didiscit. venit ad me. simul, inquit, ac discit venit ad me. Cuius exemplum Magdalena dedit, quæ licèt

licèt lachrymis: & dolore perfusa, cùm tamen audiuit se à Christo vocari statim venit ad locum, vbi Christus erat. Det Christus, vt vocati, eum cũctis relictis sequamur. Vnde collige, duplices esse Dei vocationes. priores, efficaces: quibus vocati nunquam resistũt, imò cadunt: velut sagittis acutis percussi: non vbilibet, sed intus in corde. Posteriores sunt communes: quibus quotidie rêsistimus. De quibus dicitur: Vocaui & renuistis, &c. *Ioan. 11.* *Psal. 44.* *Prouer. 1.*

Quòd verò dicit: Relictis retibus, prædicatores admonet, vt si velint, suum dignè officiũ ministrare, cuncta retia, cuncta negotia, quibus res seculares solẽt comparari, relinquãt, abijciant & fugiant: horsum enim tendit illud quod Dominus iussit: vt irent sine baculo, pera & calceamento, & ideo labia predicatoris calculo ignio mundantur. & in igneis linguis Spiritus sanctus datur. vt nihil terrenũ, humano cordi hæreat, quod eo igne nõ depuretur: nam scriptũ est, eloquia Domini igne examinata. argentum igne purgatum septies. *Matt. 10.* *Isaiæ 6.* *Actor. 2.* *Psal. 11.*

Et procedẽs inde vidit alios duos fratres. Sanè Respublica naturalis hominum, fundata est super Adam, & Eua: adeò sibi beneuolentibus, vt propter eam amicitiam dictum sit: Propter hãc relinquet homo patrem, & matrem. Porrò Respublica Mosaica fundata est, super Aarone & Mose, fratribus, sibi amore cõiunctissimis. At Christiana Respublica maiore amore copulatur, scilicet super duplici fraternitate, id est, super summa charitate. duplex enim Hebræis est grande nimis. Vt ibi: fiat in me spiritus tuus duplex. & ibi: Suscepit duplicia de manu Domini. Sed nota quòd in Simone significatur fides. Andrea robor. In Ioanne gratia. In Iacobo pugna. *Genes. 2.* *Exod. 4. 7.* *4. Reg. 2.* *Isaiæ 40.*

Sed quid est quòd de Petro dicitur: Mittebat rete. de Ioanne, & Iacobo: Reficiebant retia sua. Arbitror, autoritatem predicandi, & doctrinam sanam docendi, In Petro residere. cuius quia fides non deficiet, ideo non habet quod reficiat. Sed habet quod mittat. porrò quia in alijs, fides rumpi potest. in alijs, morum doctrina, piscium magnorum impetu, nonnunquam laceratur: ideo Ioãnes & Iacobus (qui vicem minorum Prælatorum gerunt,) reficere dicuntur retia. *Lucæ 22.*

Iam quis nõ doleat, futurum hìc significari, vt retia Prælatorum rumpantur? At nos videmus retia rupta: sed nõ videmus eos qui retia rupta reficiant. Nec, credo, vacat mysterio, quod de Petro dicitur: Mittebat rete: de Ioanne verò, & Iacobo, quod reficiebant retia, Petrus, singulare rete habet: at Ioan-

at Ioannes, & Iacobus retia in plurali, videlicet, quia in Petro, id est, in Papa vnica fides est, non disrumpitur: at in alijs Prælatis diuersæ, imò & falsæ fides fuerunt olim: sed si sanæ esse debent, in Petri fidem debent reduci.

Nota idem, quod Ioannes & Iacobus relinquunt retia & patrem. Petrus patrem non relinquit. Cuius prior causa est, quia non est æquum Petrũ, id est, Papam, tam esse iuuenem vt patrem habeat: imò decet, tam esse prouectum ætate, vt domui suæ præesse cognouerit: vt Ecclesiæ Dei dignè præsi-
2. Tim. 3. dere possit. Ad summam prę̄sidentiam summa necessaria est prudentia, quæ non nisi in iam sene esse solet.

Secũda causa videri hæc posset, vt magis reliquisse videatur Petrus quàm Ioannes. Si enim Ioannes reliquit retia, reliquit sanè apud patrem: sed Petrus omnino rete reliquit.

Quòd si Ioanni Lector deuotus es, nec pateris plus Petrũ Ioanne reliquisse: certè dicẽdum, quòd si Petrus nauiculam reliquit: nauis loco, data est ei gubernanda Ecclesia. Si verò
Ioan. 19. Ioannes patrem reliquit, patris loco, data est ei Virgo bea-
Matt. 19. tissima, quæ ei esset mater, quam ipse curaret vt filius. Centuplum igitur acceperunt, & vitam æternam.

Et circumibat Iesus totam Galilæam Circumibat etiam oppidula, & vicos. quia profectò, in locis his exiguis maior est necessitas doctrinę, & eruditionis, quàm in grandioribus locis: vbi homines conciones eructãt, quas audiunt, nec est eis finis audiendi, sicut nec initium operãdi: semper audientes,
2. Tim. 3. & ad scientiam veritatis, nunquam peruenientes.

Secundò ostendit, quàm circumeat Dominus peccatores.
Iosue 6. Profectò sicut Israel circuiuit Hiericho, vt corruerent muri eius. ita circuit Dominus animam peccatricem, vt corruat eius duritia. Dauid votum vouit, non se daturum sibi re-
Psal. 131. quiem, donec inueniat locum Domino: ita vouit Christus in corde suo: non sibi se daturum quietem, donec inueniret
Iob 1. Deo quietem. Quid? Si diabolus circuiuit terrã, & perambulauit eam: vt inueniret, cui noceret: si rursum, circuit quæ-
1. Petri 5. rens quem deuoret: quid mirum si pius Deus longanimis, &
Isaiæ 55. multus ad ignoscendũ, quærat, & circumeat: quærens quem saluet? Euertit ergo totam domum, vt drachmam perditam
Lucæ 15. inueniat. est Ioseph, qui per agros ambulat, fratres suos quæ-
Gen. 27. rens. Est mater quæ, iuxta languentem filiam, non cessat
Psal. 1. lectum circuire: vt capiti, corpori, & pedibus opem ferat.
Matth. 20. Denique bonus Dominus, qui sæpè forum circuit, mane, ad

tertiam,

tertiam, sextam, & reliquas horas: vt ex otiosis, laborantes reddat. Quàm ergo parũ sibi indulget rex, & legifer noster. Quæ igitur te vicit clementia, vt adeò diligeres me, vt dares teipsum pro me?

Porrò circundãs Galilæam, docebat, & prædicabat, vt impleretur verbum promissum: Oculi, inquit, tui videbunt doctorem tuum, & aures tuæ audient verbum post tergum monentis & dicentis, hæc est via, &c. Sed quis vnquam credidisset, quòd Deus inter homines videretur, & homines doceret. Angelos inferiores docent, qui sunt superiores: cur non etiã Angeli infimi docuerunt homines? An non erat id consonũ naturæ Angelicæ: consonum etiam dignitati humanæ? Cur Deus ipse venit, & docuit nos? Nec verò sic obedimus eius præceptis. quid futurum credis, si ipse non docuisset? O Dei benignitatem? O hominum peruicatiam? *Isaiæ 30.* *Baruch 3.*

Iam verò id distat inter docere, & prædicare. Prædicatoris est, inflammare animos auditorum etiam si non eos vehementer erudiat: doctoris verò est illuminare audientes, etiam si eos nõ vehementer inflammet. Vterque planè illuminat, & mouet. Sed prædicatoris est, mouere affectum: doctoris est, illustrare intellectum. Vtrunq; Christus egregiè præstabat, vt qui sciebat.

At quod dicit: Prædicans Euangelium regni notat nunquam eatenus Euangelium regni prædicatum: notum erat sanè quibusdam Iudæis regnum cœlorũ. Nam Dauid dixit: Non relinques animã meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem, Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo. Delectationis in dextra tua in finem. & Tobias inquit: Eleemosyna liberat ab omni peccato, & non patitur animam ire in tenebras. & nescio an idem nouerit Balaam, cùm dixit: moriatur anima mea morte iustorum. Notum igitur erat regnum cœli, sed nunquam prædicatum. Dices: an non Ioannes prædicauerat regnum cœli? Ita quidem, verba illa dixit, appropinquauit regnum Dei. Sed cum Euangelica prędicatio, non solum doceat gratiam, sed etiam præstet, planè vsque ad Christum, non prædicabatur Euangelium: quia ex lege non præstabatur gratia. Lex enim per Mosem data est: sed gratia & veritas per Christum facta est. Porrò prædicatio Euangelica hæc est: Age pœnitentiam, accipe cœlum. ac si dicat: Aperi os tuum, & implebo illud. Quã re tandem implebis Domine? *Psal. 15.* *Tobiæ 4.* *Num. 23.* *Ioan. 1.* *Matth. 3.* *Psal. 80.*

Appro-

Appropinquauit cœlum, aperi os tuum, vide si cœlos deglutire poteris.

Et sanans omnem languorem & infirmitatem in populo. Mihi non est dubium quin Dominus in principio, quorum sanabat corpora, sanabat & animas: iam quantùm gaudium esset in ciuitate, cum se homines sanos conspicerent intus, & extra? feruebat tunc regio illa languoribus corporis: ita enim ordinauerat Sapientia Dei, vt tempore, quo summus Medicus veniebat, multiplicatissimi essent languores, vt multiplicatissima fieret sanitas. Languebāt omnes, sanabantur omnes, gaudebāt omnes: & ipse Dominus lætabatur in factura sua. Sed heu, multiplicasti gentem, at non magnificasti lætitiam. Breui futurum est, vt relabantur qui curati sunt.

Psal. 103. *Isaiæ 9.*

Secundò nota: Quòd dicit textus: Sanās omnem languorem in populo. at populus solet accipi pro plebecula, pro hominibus popularibus: nā Senatus distinguitur à populo. Igitur sanabat Dominus frequentius languores hominum pauperum, eosq; sæpius conuertebat. vt impleretur dictum Psalmi: Parcet pauperi & inopi, & animas pauperum saluas faciet. Ex vsuris, & iniquitate redimet animas eorum, & honorabile nomen eorum coram illo.

Psal. 71.

Tertiò nota: Quòd si sanat omnem languorem, sanabit etiam eum quem natura sanare nequibat: igitur superior est quàm tota natura: igitur Deus est. Si enim Deus nō est: quomodo potest magis quàm tota natura?

Sed non libet silere, cur dicat textus: Docens in synagogis, sanans in populo: cùm autem dicit, Prædicans Euangelium regni, non dicit, vbi prædicabat. Respondeo, sine dubio, doctrina Christiana docenda est (si fieri potest) in synagoga, id est, in loco, quô conuenit populus ad orandum. Vt enim in locis consecratis Deus specialiter audit orantes: ita & specialiter promouet doctores. Porrò Christus non dicitur, vbi Euangelium regni prædicabat. quomodo enim diceretur, siquidem ipse volebat suum Euangelium prædicari omni creaturæ. non ergo alicui loco adstringitur, quod cuiuis prędicari iubetur. Sanè omnis creatura reuelationem filiorum Dei parturit, ingemiscit & expectat. At Euāgelium dicit: breui eam futuram, futurumq́ue vt vniuersa creatura liberetur à seruitute corruptionis, asseraturq́ue in libertatem filiorum. Demum quod languores sanantur in populo, consonat ei quòd Paulus dicit, signa data esse infidelibus: ideo

Marci vlt. *Rom. 8.* *Ibidem.* *1. Cor. 14.*

ideo non in loco fiunt fidelium, id est, in Synagogis, sed in loco publico fidelibus & infidelibus, id est, in platæis, & populi frequentia.

Et abijt opinio eius in totam Syriam. Quid mirum si in Syriam eius fama abierit, cùm in omnem terram exierit sonus eorum? Mirabile non est, si magistri fama in particulam terræ processerit: cum in omnem terram, discipulorum fama prodierit. Abijt ergo fama Domini, in multo plures regiones. At nō delectatur Christus gloria vana, sed ea sola, illi gloria placet, vnde aliquid commodi hominibus dimanat. Quia igitur ex tota Syria veniebant, qui Christum audirent, & ab eo sanarentur, ideo illum hæc fama delectauit. Item fama Christi non venientibus ad eum: iudicium fuit, & condemnatio. At noluit Dominus ea fama lætari, in suæ prædicationis initijs, quæ condemnationis causa fuerit. Saluare enim veniebat non condemnare. *Psal. 18.* *Ioan. 3.*

Et obtulerunt ei omnes malè habentes. Deus bone, quid id tandem? Cùm reges de nouo intrant ciuitates: offertur eis aurum, argentum, gemmę, odoramenta, & quicquid pretiosum est. Porrò omne sordidum, fœtens, & horrens, fugatur in regis ingressu. Quid igitur nouo nostri regi, sordidi, fœtentes, & horridi homines offeruntur? Egregiam sanè oblationem, suo regi homines offerunt, pus & saniem: maciem & pallorem, & demum languores, qui sunt mortis imago. Sed quid aliud offerre homines possumus? Quid enim aliud nos habemus? Mater nostra putredo est: Soror nostra vermes. at profectò parum erat Christo, solos morbos offerre corporales, non hi illi adeò fœtent vehementer. At si simul cum languoribus corporis languores etiam animæ offeruntur, hi sunt qui Christo vehementissimè displicēt. Verum hæ sunt hominum opes, hi sunt eorum thesauri. Id Christo humana mortalitas offert. Imò, & id sibi cupit Christus offerri, vbi scilicet potentiam, sapientiam suam & bonitatem ostendat. Certum enim est cupere medicum, si doctus est, conclamatum sibi ægrotum offerri: vbi artis suæ arcana profundere possit. Vide verò quàm cupiat hæc sibi offerri: quādo ea ipsa requirit, & cùm inuenerit: in hæc exultationis verba prorumpit: congratulamini mihi: quia ouem quam perdideram, inueni. Itaque, gaudet Christus huiusmodi oblatione, vt in ea locū Domino faciat, & tabernaculum Deo Iacob. Gaudet rursum, vt tam diuite spolio diabolū spoliet. *Iob 16.* *Ioan. 11.* *Lucæ 15.* *Psal. 131.* *Lucæ 11.*

Gaudet demum, vt hominis tam extremæ miseriæ succurrat: nam ita miseriæ occurrens humanæ, totum mundum reparat, quem, hominis culpa labefactauerat.

Sed quid Domine has oblationes suscipis, cur infirmos hos, saniosos, & leprosos recipis? caue, ne eorum tibi contagiosa hæreat infirmitas. An tantus te vicit amor: vt nec lepram horum, quos diligis infirmorum, refugias? Sanè leprosus propter nos factus est. Nos enim, inquit, reputauimus eum leprosum, &c. Lepra, inquam, nostra illi hæsit: pœnæ verò, non culpæ.

Isaiæ 53.

Nota, quòd dicit: Obtulerunt ei omnes malè habentes. Omnes, inquit, nullum genus morbi exceptum est, quod Christo oblatum non sit. Quid ergo territaris, cùm peccata tua multa trepidus spectas? Oblata sunt Christo peccata, & languores tui, curauit ille morbos tuos. Tu crede & pœnitentiam age, fruereque, opibus quas tibi Christus parauit.

Nec te prætereat, quòd cùm Christus esset pauper: & ex alia parte, omnem languorem sanaret: facile sibi fuisset ditari, si sicut reliqui homines, cupidus fuisset. At si non concupiscebat, maior est homine, aliquid in eo Diuinitatis relucet.

Interim animaduerto, quã redderet homines attonitos, tam nouũ genus medendi: tam facilè, tam imperiosè, nihil enim aliud dicebat. quàm, mundus esto: respice, & similia. Quis igitur nõ suspicaretur Deum illum esse: Certè præstat, quod promiserat. Promiserat facturum se mirabilia adeò noua, vt veterum obliuiscerentur: en præstat. Iam si in porticibus piscinæ iacebat multitudo tanta infirmorũ, annuam Angeli motionem expectãs quanta vis languentium sequebatur Christum, tam facilè sanantem? Sequebatur etiam eum multitudo populi audiens eum: qui verba vitæ habebat: qui loquebatur in potestate, de quo dictũ est, nunquam sic loquutus est homo: in cuius labijs diffusa erat gratia: quique habebat linguam eruditam.

Lucæ 5. Lucæ 14. Isaiæ 65. Ioan. 5. Ioan. 6. Matth. 7. Psal. 44. Isaiæ 50.

Et vt paulò antè dicebam, prouidẽtia Domini ita factum est, vt quia tunc vehementissimè abundabat delictum: ita & abundarent languores, qui propter delictum in mundum introierunt. At radiante vera sanctitate, in quâ dolus non fuit: ventienteq; agno, qui erat ablaturus peccata mundi: vt delebat omnia peccata: ita & auferebat omnes infirmitates. Demũ quòd dicit: Sanabat omnes infirmos, varijs languoribus,

Rom. 5. Isaiæ 53. Ioan. 1.

ribus,& tormentis comprehensos,notauit textus eos morbos,qui naturâ immedicabiles sunt. Nam qui vnico morbo vexatur, videtur natura,in eo bello habere posse victoriam. At cum naturæ confictandum est cum varijs morbis:ibi & naturæ vires, & medicorum artem, parum posse prodesse, manifestum est. Iam vbi naturæ robur adhuc valet, spes est salutis: sed cum tormina, & dolores naturam tenent comprehensam:tunc salus desperatur.Id notauit Matthæus cùm dixit:Tormentis comprehensos,id est, doloribus victos,& in quibus natura dolori succubuit. Iam lunatici, paralitici, dæmoniaci a remedio fugerunt. Hæc ergo mala tam incurabilia, curabat Dominus, vt intelligas, si curat quæ curari nequeunt,curabit, & quæ curam patiuntur. Et licet non nihil me pudeat explicare, qui sint hi,quos sanauit Dominus: dicam tamen. Lectori facultas erit nostra reijciendi,si non placuerint: & meliora venandi, quæ placeant.

Prior, quæ mihi occurrit explicatio, hæc est: Varijs languoribus comprehensi sunt, quos diuersa, eaque contraria vicia subegerunt. videas hominē ad diuina deiectum:acrem ad humana Prodigum ad edendum,& ludendum: tenacem ad miserendum,& tribuendum.Patientissimum ad labores, quibus humana cōparantur: impatientissimum ad labores, quibus animo commodatur. An non hic tibi videtur varijs morbis languère? inuenias horum plerosque in magnatibus. Cùm igitur horum sanitas ferè sit prodigiosa, meritò de ea specialis fit mentio.

Secundò,tormētis comprehensi sunt illi,qui à doloribus animi opprimuntur:quique in doloribus ferè sunt submersi, & imbibiti. Tales sunt multi scrupulosi, quos scrupulorum afflictio,velut tenet attonitos,& sine iudicio. sunt & multi, quos iactura temporalium & etiam spiritualium rerum, ita torquet:vt nemo tantum torqueatur à doloribus corporis. Cùm verò Christus his hilaritatem, cœlumque præstat serenum, rès est admiranda.

Tertiò dæmoniaci sunt, quos furiæ tentationē exagitāt: & velut cogunt, vt male faciāt. Monachus ille exēplo sit,qui cùm iam antiquus esset, & veteranus miles: at ab ignibus carnaliū tentationū inflammatus,nō se cōtinebat:nec continuisset, nisi Macarius ille sanctus, adiutricē manum porrexisset. An non tibi res magnificentissima videtur:pacem,& refrigerationem assequi in tam vehementibus flammis?

Quartò, lunatici ſunt, qui fortuna mediocri, ſapiunt, ac ſani ſunt: at cū fortuna proſperior eſt, (velut luna auctiore) deſipiunt, ac ſtulteſcūt. Facilè ſiquidem eſt in mediocritate
Matt. 19. hominem eſſe probū: quàm verò difficilè eſt, in abundantia ſeruare probitatem? & ideo prope miraculum eſt, quum
Eccleſ. 31. homo poſt aurum non abijt, nec confidit in pecuniæ theſauris. Sed quis eſt hic, & laudabimus eum?

Quintò, paralytici ſunt, qui ex animi deiectione, & triſtitia ad nihil probè agendo, vires & neruos habent. Exemplo ſit Aaron, qui exuſtis ſuis duobus filijs, Nadab, &
Leuit. 10. Abiu, deſpondit animum, & interrogatus à Moſe, cur Domino non ſacrificaſſet? reſpondit: Quomodo poteram Deo ſacrificium offerre, cùm eſſem mente lugubri? & quidem Diuina manus demonſtratur, cùm adeò torpens ani-
Gen. 45. mus erigitur: & (velut Iacob audito quòd viueret Ioſeph) è graui ſomno euigilat. Hæc igitur quinque languorum genera recenſentur, vt in quibus natura parū aut nihil poteſt. Aut certè eum vigorem, & ſanitatem preſtare nequit: quem Deus præſtare ita, languentibus ſolet.

Quòd ſi ad peccata capitalia lubeat hos languores reducere: age tentemus viam. Primùm, Auari ſunt, qui varijs morbis vexantur. dictum ſiquidem eſt, cupiditas eſt radix
1. Tim. 6. omnium malorum, Ergo erit fons multorum languorum. Iracundi, & hi qui odijs ardent: hi ſunt à tormentis comprehenſi, imò furijs, & rabiæ videntur agitari, ac velut ex dolore perdidiſſe iudicium. Demoniaci, apertè ſunt ſuperbię eſt enim dæmon rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. Sicut enim Chriſtiani ſunt humiles, dictum enim eſt: Diſcite à me:
Iob 41. quia mitis ſum & humilis: ita & dæmoniaci ſunt, qui ſu-
Matth. 11. perbi ſunt. Primus enim ager, vbi nata, & nutrita ſuperbia eſt, fuit dæmon. Lunatici ſunt inuidi, qui de aliena proſperitate triſtantur: ſicut & lunatici, luna magis lucēte, deſipiunt. facilè enim eſt inuido, ſi æquales tolerare, at ſi luna creſcit, rabidi fiunt, & ſtulti. Qui languor non modo peccatores maculat: ſed etiam iuſtos. cùm ſcilicet zelantur, pacem pec-
Pſal. 72. catorum videntes: qui æmulantur in malignantibus, & zelantur facientes iniquitatem. Demum paralytici ſunt libidi-
Pſal. 36. noſi: quibus gula, & acedia ſubſeruit. Nullus enim eſt tam neruoſus animus: quem ſi libido arripiat, non relaxet. Sit
3 Reg. 11. exemplo Dauid Salomon & Samſon. Quis credidiſſet Da-
Iudic. 16. uidis ſanctimoniam, Salomonis ſapientiā, Samſonis robur,

laxanda? certè nemo, nisi libidinis vires expertus.

Habes igitur Lector, quinque genera languorum: quæ Christus specialiter sanauit. Fortasse, hæc sunt quinque iuga boum, quæ qui emit, excusatur à conuiuio Regis. sunt & fortasse porticus illi piscinæ: vbi tanta languentium iacebat multitudo. Sunt etiam forsan, quinque viri Samaritanæ. *Lucæ* 14. *Ioan.* 5. *Ioan.* 4.

CAPVT V.

Videns Iesus turbas ascendit.



ANTEQVAM textum aggrediar, libet explicare, quid in hac concione, tam excelsa, tam sacra, tamq; erudita Dominus intendat. In primo igitur capite, docet nouem modos: quibus miseri homines in misera vita miseriam fugiant, & beati efficiantur. Præcipit etiam quinque præcepta, cuiuis Christiano seruãda: si infernum euadere cupit. In secundo capite huius concionis, vigilantissimè auocat animum nostrum, ab omni re temporali. idque maximè ab appetitu vanæ gloriæ, & à sollicitudine victus, & vestitus. In tertio alia quinque præcepta vitæ Christianæ, Christianis statuit.

Porrò sapientissimè Dominus cœpit concionem suam ab ijs, quibus homines beati esse possint, si velint. Et enim (iuxta August. 10. Confess. cap. 20. & de Libero. Arbit. lib. 1. cap. 14. & 19. de Ciuit. cap. 1. & sequentibus.) nemo est, quamuis barbarissimus, qui nõ beatus esse cupiat. Ipsæ enim seculi ærumnæ, cogunt fœlicitatẽ exoptare. Imò & animus suaptè natura cupit esse fœlix. Si enim fœlix Adam fœlicitatem appetijt, cùm esset in loco fœlici, quid nos miseri, in miseriarum abysso? *Gen.* 2.

Cùm ergo beatitudinem cupiant naturaliter omnes, grandis altercatio Philosophis oborta est: quæ tandem esset hæc beatitudo, quam ita cuncti desiderant? Processit in immensum altercatio, adeò vt ducentæ octoginta octo super hac tam necessaria quæstione, Philosophorum sententiæ inuenirentur. Author est Marcus Varro, qui eas opiniones collegit: teste August. lib. 19. de Ciuit. cap. 1. Disseruit de ea re

Plato in Philebo, & Arist. lib. 10. Ethicor. & Cicero lib. de Finibus bonorum. Legat qui volet Diogenem Laërtium, & inueniet infinitam, super hac controuersia, opinionum farraginem. Quòd si Philosophi certassent de lana caprina, ferendæ essent tot eorū vanæ sententiæ. Sed quis ferat super re adeò grandi, id est, totius generis humani fœlicitate, tam infinitam hominum controuersiam? Planè digito monstrarunt, huius rei veritatem non ab hominibus posse comparari, sed ab ipso hominum autore.

Miseratus ergo Christus hominum autor, tot hominum errores: in præsenti capite, vias docet, quibus verè beati homines efficiantur. Non est quod suspicionē falsitatis Christi doctrinæ inurere possis. Deus est, errare nescit. Suam verò Deitatē ante hanc concionē miraculis editis demonstrauit: & Baptistæ, aliorumq; Prophetarū testimonijs cōprobauit.

Existima igitur, te videre totum genus hominum ante Christi conspectum, Christumq; in monte, quasi è suggestu clamantem, O mortales si hactenùs anxiè, dubiè, & falsè rationem quæsitis, qua beati redderemini: en nouem vobis ostendo vias, quibus beati sitis. Vtinam quàm anxiè optatis beatitudinem, tam anxiè amplectamini vias, & rationem: qua beati efficiamini. Iam ad textum.

Videns Iesus turbas. Erat Christus tam grauibus & compositis oculis, adeoque modeste solebat oculos attollere, vt mira res visa sit, quòd nunc oculos suos extēderit ad turbas prospiciendas. Cumque eas luminibus suis lustrasset, arbitror non illas solas quas præsentes habebat, conspexisse: sed omnes quotquot erant futuræ. Iam quis non videat quàm intima traxerit suspiria; videns infinitos homines condemnandos, eò quòd hanc doctrinam, quam nunc erat adducturus, non complecterentur? Rursùm, cùm dictum sit: Oculi Domini super iustos, quantæ fuit dignationis quòd turbas viderit, vbi multi erant iniusti? Verè enim videns turbas misericordibus oculis eas conspexit. Sed quod me suspensum tenet, id est, Domine quis te cogit videre turbas, & super egenis & pauperibus intelligere? Sat tibi est, quòd videas te: videns enim te, vides omnia bona, quia sunt in te. Videns verò turbas, quid non malorum vides? Auerte ergo oculos tuos, ne videas vanitatem, ne videas iniquitates, & contradictionē in populo. Maximè quia si turbas vide., misereberis turbis, & miseriæ turbarum apprehendent te. Fuge ergo

Psal. 33. *Psal. 40.* *Psal. 118.* *Psal. 54.*

dilecte

dilecte noster, ne tenebræ apprehendant te. At idcirco videt turbas, vt eorum misereatur. Ioan. 1.

Non verò libet præterire, quòd si Christus ex loco edito videt turbas, videri etiam poterat à turbis, ideo enim animaduersè dictum est: ascendit in montem, vbi scilicet ab omnibus videri posset. Vbi iam aduertis discrimen inter Christum, & Mosen. ascendit in montem, legem laturus vterque: sed Mosen tenebræ ab oculis turbarum eripiunt, Exodi 19. caligine enim tectus, legem accepit Moses: & velamine tectus, ne in faciem eius Iudei intenderent, legem tulit. Quo 2. Cor. 3. significatum est, legem illam figuris, & caligine tectā fuisse. & rursum, quia legem ferente Mose velato, Deus ferebat etiam ipse velatus: significabatur, quòd lex ad visionem Hebr. 10. legislatoris afferre nequibat. At cùm Christus reuelata facie & videt, & videtur: ostendit & legē suam nudam, planamq́; esse: & ad Dei visionem suos obseruatores posse perducere.

Ascendit in montem. Signo ostendit, quòd te per totam vitā tractauerat. Certè carnem accepit propter turbas: quas vt doceret: summam perfectionem per totam vitam meditatus est. Tota enim vita Christi talis fuit: vt etiam si imperfectus fuisset, ad verticem perfectionis eum perduxisset. Vt igitur ostenderet sibi nihil deesse perfectionis, in montem conscendit.

Arbitror ego, cùm Christus ascendit in montem, memorem fuisse: quòd erat sibi hac via ascendendum in crucem. Sua enim doctrina, in cuius corroboratione miracula edebat, crucem sibi conciliauit. Videbat igitur, quam addicti deberent esse homines, ei doctrinæ, pro qua effundendus sanguis erat.

Arbitror etiam grauatè admodum Dominum in hunc montem ascendisse: Significabat enim ascendens in montem, quod in dignitatem prædicatoriam, & Magistralem ascenderet. Est vero animo humili grauis admodum omnis in locum honoratum ascensus. Sed si humilitas honorem refugit: obedientia, & amor Patris sui, in montem ascendere iubet: dictum enim est, in capite libri scriptum est de me, Vt faciam voluntatem tuam. Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei, vt annuntiem iustitiā tuam Psalm. 39. in Ecclesia magna.

Iam Christus est in monte, in loco omnibus conspicuo: accedat ergo qui eum aut legem eius arguat de peccato.

Ioan. 8. Quòd si meritò nemo eum arguere potest, quam excusationem afferre poterunt homines, si legem eius, aut non recipiant, aut receptam violent? ascendit igitur in montem, ostendens probatissimam se legem adferre: in qua omnium hominum oculi, neuum inuenire non possint: & quam si refugiant, excusari nequeant: cum tam claram lucem lippientes oculi sustinere nequiuerint.

Porrò quia nulla est tam aperta veritas, nullaq; tam probata iustitia, cui hominũ malitia non audeat contradicere: tu lector intellige, ex quo Christus in montem ascendit, *Lucæ 2.* verificatam Simeonis prophetiam, scilicet, quòd Christus *Isaiæ 55.* positus sit in signum, cui contradicetur. Ponitur signum in loco excelso, en Christus in monte, vbi contradictiones impiorum sustineat. Intelligebat igitur Dominus ex quo in montem ascendit, habiturũ se doctrinæ suæ impugnatores, calumniatores, deprauatores: non solum ex infidelibus, sed ex fidelibus ipsis. Vide quanti ei constitit hic in montem ascensus. Ascendit tamen.

Et cùm sedisset. Videbitur forsan tibi, parum quid fecisse Christum, cùm post ascensum sedit. Videbitur enim naturale, post laborem ascensionis, quietem sessione requirere. At longè altius mysterium est. Primum enim indicauit, eos qui in honores, velut in montem, conscendunt: nihil prius debere conari, quam vt sedeant, id est, vt humilitatem sectetur. ò rem excelsã, & ideo rarioris eruditionis! ò quàm est difficilè in honore sedere? verè dictum est, quanto altior *Eccles. 3.* es, humilia te in omnibus: & coram Deo inuenies gratiam. Quasi diceret: Quantò in celsiorem montem conscenderis, tantò magis sede. Nõ est difficile pauperi, & vili, in suo loco sedere: at honorato & sublimi, semetipsum humiliare, non est adeò facilè. Christus verò qui humilitatem vehementer *Matth. 21.* amabat: sicut in die summi honoris sui, asinæ insedit, & pullo filio asinæ: ita in die summæ dignitatis suæ, per montem significatæ, humilitati studuit, quam sua sessione mon- *Matth. 27.* strauit: sicut etiam in die suæ summæ victoriæ, cruci affixus est: vt nunquam non humilis videretur.

Secundò indicauit, quòd quia iudices sedent cùm iudicaturi sunt: ipse hanc legem sedendo tulit. Vt intelligant *Psal. 49.* homines, se per hanc legem iudicandos, non in sacrificijs tuis arguam te, dicit Dominus. in quo igitur arguet? *Isaiæ 11.* Certè per hanc legem, dictum est enim, quòd spiritu oris sui

inter-

interficiet impium. Quis verò est hic oris spiritus? nisi hæc sacra lex, à Christi ore procedēs, Spiritus sancti inspiratione prolata? Quærant igitur legum periti suos Vlpianos, Papinianos, & Pomponios, quorum sanctionibus causas dijudicent. At mortalium genus his sacris legibus in illo vnico, & verè tremendo iudicio à Christo iudicabitur.

Tertiò indicauit, hanc legem æternam futuram. Sedere enim æternitatis est. Deus enim in cœlo sedes eius, & Christus ad dextram Patris sedet, & sancti consedent Christo: vt Paulus auctor est. quibus significatur firma & æterna fœlicitatis possessio. Igitur non expectent Christiani testamentum aliud, non legem post hanc aliam. Christus Sacerdos in æternum, cui dictum est, sede à dextris meis, legem æternam tulit: cui præmium, vel pena reponuntur æterna: Cum contra, Moses legem tulit temporariam: cui mala, & bona promittebantur, cum tempore transitura. *Psal.* 10. *Psal.* 119. *Ephes.* 2. *Hebr.* 7.

Quartò indicauit, quòd sicut ipse non cōcitatè, sed quietè legem præscripsit: ita vult: vt qui audituri sunt, non perturbatè, sed quietè, ac sensim imbibant, quæ illis traduntur præcepta. Ille expensè & libratè legem statuit, vt qui sedebat, tibi fas erit sedendo expendere, meditari, imbibere. Ergo intelligere, Christum legem tulisse vehementer examinatam, & trutinatam: vt qui eam sedendo, non currendo tulerit.

Quintò indicauit, se paratissimum consistere, vt doceat cūctos. Sedet, nō properat, vt si doceri velis, doceare. Quòd si doceri non vis, tua culpa est, non doctoris. Sol Christus illuminans omnem hominem in hunc mundum, non gyrat cœlum: vt eundem sit tibi post solem, cum illuminari volueris, in terra sedet, accede ad pedes eius & illuminaberis. *Ioan.* 1. *Psal.* 33.

Sextò, si per mōtem significatur Ecclesia (vt frequentissimè sanctæ literæ docent) Christus in monte sedens, ostēdit: se nobiscum futurum vsque ad consummationem seculi. In synagoga non sedebat Dominus, nisi super alas cherubinorum, at cherubini si alas habent: ad volandum, non ad sedendum: habent. Igitur alati cherubini, super quibus erat in templo Dominus: significabāt, aliquando è templo eum auolaturum. Ideo dixit Psaltes: Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes eius. nō ausus dicere: Dominus sedet in templo: at Christiani audent dicere: Dominus in cœlo & in monte, id est, Ecclesia, sedes eius. *Matth.* 28. *Psal.* 98. 3. *Reg.* 6. *Psalm.* 10.

Et aperiens os suum docebat eos. Aperuerat sanè olim os suũ Deus, cùm loquebatur Mosi & Prophetis, at nõ integrè
Exod. 20. aperiebat: Vt qui si dederat præcepta, ea dederit nõ perfecta, & iudicia in quibus non viuent. perinde ergo aperuit os suum, ac si non aperuisset, & (si fas est ita loqui.) Loquebatur olim Dominus, ore ferè clauso: vti solẽt, qui frigidum
Hebr. 10. aërem ex ore perflant. Ita Dominus subfrigida olim verba proferebat, id est, quæ neminem ad perfectum poterant adducere: nec gratię calorem, audientibus ministrare. At nunc aperit os suum ad modum eorum, qui calefacere frigida volunt: ita Dominus calefacturus animas nostras, & spiritum è corde suo in corda nostra daturus, os suum aperit.

Secundò aperuit os, vt notaret quàm libẽter loquebatur. Solent enim qui grauatè loquuntur, vix ora laxare: at qui amanter loquitur, non parcit ori suo. Audi Apostolum
2. Cor. 6. dicentem: os nostrum patet ad vos Corinthij, videlicet quia effundebat in eos viscera sua.

Tertiò aperiens os notauit, quòd simul aperiebat cor, & cœlum, & Patris sui pectus, & omnes opes quas cœlũ eatenus clauserat: Ego, inquit, quæ audiui à Patre meo, nota feci
Ioan. 8. vobis. Quid est in cœlo grande, aut excelsum, nisi verbum Dei? hoc iam per os Christi procedit, & quod Pater in arcano consilio suo, ab æterno concluserat: id nunc Christo
1. Thes. 2. proferente patescit. Et si Apostolus dicit: cupiebamus dare vobis non solùm Euangelium, sed & animas nostras, quia charissimi facti estis nobis: quis non videt, aperiente Christo os suum, vt nobis daret Euangelium: optasse eum, etiã suam animam dare, & cum anima reliqua omnia.

Quartò aperiens os, docuit quanto honore dignabatur homines, quibus thesauros Euangelij committebat. Interrogat Apostolus, quid amplius est Iudæo, quàm Gentili? &
Rom. 3. respõdet: Multum per omnem modum: & primum, inquit, quia credita sunt illis eloquia Dei. ac si dicat: Tanto eos honore Deus prosequutꝰ est, vt sua eis crederet eloquia. Quãto verò superat Euangeliũ legem: tanto maiori honore dignatus est Dominus Christianos, quibus sua secreta, & vitæ verba cõmisit. Aperit ergo os. ac si diceret: ego vobis committo, quę à meo prodeunt corde: & ideo nõ nisi summa esse possunt, vos interim suscipite, & qua decet cautela seruate.

Beati pauperes. Antequàm singulas beatitudines, exponam: id mihi primò annotandum. Quòd si quis Christianus

In gratia esse cupit, has omnes beatitudines in præparatione animi habere debet. cum videlicet animum habeat, vt si necesse fuerit paupertatem sectari, mansuetudinem amplecti, & luctum: reliquasq; beatitudinum virtutes, eas sectabitur, cunctis rebus contemptis. Et hic gradus est incipientium. Permittitur ergo cuius, vt opes habeat, vt irascatur, vt lætetur, vt terrena ardentius sitiat. Sed non permittitur vt in necessitate proximi, suas diues recondat opes: aut vt frater fratri seruet iram, aut quòd non plus æstimet, & appretiet (vt scholasticè loquar) cœlestia, quàm terrena. Habes ergo primum vitæ Christianæ gradum.

Iam si progressus eiusdem vitæ nosse cupis, in ipso beatitudinum progressu consistere scito. Primum enim cùm animus malus ad Deum conuertitur, omnia temporalia commoda incipit cõtemnere. Sicut Petrus & Andreas: Ioannes & Iacobus, cùm à Christo vocati, eum secuti sunt. Secunda cura fuerit, iræ motus refrænare, vbi enim animus exteriora reiecit, incipit in se manus conuertere, præsertim in iram, vnde perniciosi damna procedũt. Tertia cura erit, delectabilibus carere, luctuosa sequi. Quasi terrã animę compluere, & humectare, vt dignos cœlo fructus ferat. Quarta erit, nihil aliud curare quàm amare iustitiam: compati aliorum miserijs, cordis prauitates mundare: paci cordis insistere, & externas tribulationes contemnere. En tibi speculum, vbi & rationem proficiendi conspicias, & quantum tibi de perfectione deficiat possis agnoscere. *Ioan. 1.*

Demum vitæ Christianæ perfectio, in summis harum beatitudinum gradibus sita est, videlicet si spiritu ambias pauperiem, si corde sis mitis, si nihil aliud quàm luctum ames, si corde sitias iustitiam, si animum geras perculsum doloribus proximiorum, &c.

Dices, Cur Deus in his rebus beatitudines collocauit, quæ verè difficiles sunt: quasque humana refugit natura? An non prudẽtius fecisset, si diceret: Beati qui bene diuitijs vtentur, qui irasci cùm expedierit, solẽt: qui lætantur moderatè? &c. Huic quæstioni ego respondeo, quòd iuxta Ieremiam, prauum est cor hominis, præ omnibus & inscrutabile. Habet cor nostrum multos sinus, eosque omnes nequitia plenos. Volens igitur Deus, velut pater filijs reconciliari: cùm prauitatem & nequitiam eorum tantopere habeat infensam, dicit filijs: Ego ero vester, si prius corda vestra castigatione *Ierem. 17.*

volun-

voluntaria puniatis. Cupiditatem igitur paupertate punite, iram mansuetudine, &c. Excutite igitur sinus; proijcite & punite nequitiam, vt in vobis habitare possim.

Prouer. 8. Secunda causa sit, dictum est in sapientia, quòd delitiæ Dei sunt, esse cum filijs hominum. Proprium verò amantium est, ea omnia impedimenta rescindere, quæ amori obsistere possunt. Cũ igitur opes ira, delectationes carnis, & reliqua, verè auocēt animum à rebus spiritualibus, voluit Dominus ab hisce auocamentis hominē esse liberum, vt amori Diuino liberius inseruiret.

Eccl. 11. 6. Tertia causa sit: Dictum est, Fili ne in multis sint actus tui: & si fueris diues non eris immunis à delicto. Si fueris diues opũ, proprię voluntatis, iræ, & cæterorũ, non eris immunis à delicto: tolle igitur occasiones delictorum, & beatus eris.

1. Cor. 15. Quarta & potissima causa. Antiquus Adam in opibus, in delitijs, in satietate beatus erat, æquũ fuit, vt nouus Adam, noua creatura, homo nouus, & diuinus, in rebus nouis esset beatus: id est, in his quæ Christus sibi delegit, tanquam melioribus & sanctioribus opibus.

Demum voluit vnicus, & omnipotens artifex, ibi beatitudinem statuere: vbi homines miseriam collocauerant. Et reuera, vt ipse statuit, ita & effecit. Sentiunt enim qui paupertatem adamant, qui mansuetudinem, qui luctum: quàm verè Dominus beatitudinem in hisce constituit, videlicet, quia Dominus legem suam verificat, in cordibus eorum qui eam sectari festinant.

Beati pauperes spiritu. Occurrit dubitatio, Cur beatus pauper? suntne diuitiæ malæ? num faciunt diuitiæ infœlices? minimè. Sed diuitiæ minores sunt quàm anima: non ergo anima in diuitijs est beata. At paupertas ex spiritu, maioris est ordinis quàm anima, est enim res diuina, à spiritu diuino promanans.

Philip. 2. Secundò: Et voluit Deus, vt quia Christus ferè suam beatitudinem reliquit (exinaniuit enim semetipsum formam serui accipiens:) tu etiam tuam beatitudinem humanam relinqueres, factus propter illum pauper. Et quia ille gratus est non sinet te beatitudine fraudari: eras humanè fœlix, cùm diues esses: faciet te diuinè beatum, cùm fueris pauper.

Tertiò: Et erat æquum si ille dabat tibi sua, illa maxima: tu vicissim dares tua, illa minima, vt sic vicem amori rependeres.

Quartò : Item placuit Deo, vt quia per diuitias non cognouit mundus Deum : per stultitiam paupertatis, beatus efficeretur. Imò verò, quia mundus diuitijs incrassatus, recalcitrat; paupertie attenuatus Deo hæreſcat. Et quia quaſi ex adipe, prodit iniquitas: quaſi ex diæta prodeat ſanitas. *1. Cor. 1.* *Deut. 32.* *Pſal. 71.*

Quintò: Sanè ſi diuitias ſuas diues collocauit in pauperes, certè theſaurizauit theſaurū in cœlo. Si verò in cœlo habet theſaurum, habet & cor in cœlo. Nihil verò in cœlo eſt niſi beatum, beatum ergo cor hominis, qui diuitias reliquit ſuas, factus propter Chriſtum pauper. *Matth. 19.* *Matth. 6.*

Sextò: Iam qui reliquit domum, agros, aut opes ſuas: in quibus beatus erat, centuplum ex lege Domini, accipiet, cum vitæ æternæ promiſſione. Si igitur vnam domum habens beatus tibi videbare, an non habens centum beatior eris? Quòd ſi reliquiſſe vnam domū beatum facit: te præcor quàm beatus erit, qui animo, & intentione cuncta reliquit. Ecce, inquit, nos reliquimus omnia: non quidem opere, ſed animo. Quàm igitur beati? *Matth. 19.* *Matth. 19.*

Septimò: Et age nemo in re falſa poteſt eſſe beatus. At opes ſeculi fallaces ſunt, Chriſti teſtimonio, dicentis, fallaciam diuitiarum auocare ſemen, quod eſt verbum Dei, ne ferat fructum. Non ergo in diuitijs erit quiſquam fœlix. Quòd ſi adiungas verbum Apoſtoli: Diuitibus huius ſeculi, inquit, præcipe, non ſperare in incerto diuitiarum ſuarum: quomodo igitur incertę diuitiæ beatū quemq́ue perficient? Adde verbum Domini: Si in iniquo mammona infideles fuiſtis, quod verum eſt, quis credet vobis? Vbi duo cōſidera, primum, quòd diuitiæ iniquæ dicuntur, vix enim diues iniquitatem euadit: at ſi iniquæ, quomodo beatum reddent? Alterum Dominus addit: Quod verum eſt, quis credet vobis? ergo diuitiæ nō veræ ſunt. Aliud eſt verum, aliud opes. In vero beatus verè eris: at in iniquo, & non vero, neſcio quomodo beatum eſſe liceat. Ideo enim Deus ſumma eſt beatitudo, quia ſumma veritas. *Matth. 13.* *1. Tim. 6.* *Lucæ 16.*

Item ſi reliquiſti omnia factus pauper, niſi Chriſtum ſequare, opes & operam perdidiſti. At ſi Chriſtum ſequeris, manifeſtum eſt, quòd Chriſtus ſuorum ſequacium, domeſticorum & familiariū curam geret. Si enim nos cum ſimus mali nouimus, noſtrorum curam habere, quanto potius Deus, ipſe bonus? Quòd ſi tui curam habet Deus, beatus es: dictum eſt enim: Dominus regit me, nihil ergo mihi deerit, *Lucæ 11.* *Pſal. 22.*

eſt ve-

est verò beatus cui nihil deest. Eleganter ergo & confidenter, inquit Dauid: Ego autem mendicus sum & pauper,
Psal. 39. Dominus sollicitus est mei. Vbi duo considera, tum quod cùm rex, Dauid esset, se mendicum professus est. tum qu..d non dixit: Dominus curam gerit mei. Sed id dixit, quòd er..t vehementissimum. Dominus, inquit, sollicitus est de me, anxiè mihi prospicit. Quasi dicat: vnicè illum mea torquet cura. Ex hac tam sollicita cura, intulit Psaltes alio loco pulchrum oraculum, desiderium, inquit, pauperum exaudiuit
Psal. 9. Dominus. Quasi dicat: non solum paratus est Dominus adhibere pauperi, quæ illi fuerint necessaria, sed etiam quæcunque pauper desiderauerit: tanta est Domini de paupere cura. Est in ea re fidelis Dominus. vt quia qui relinquit
Psal. 54. omnia, cogitatum suum iactauit in Dominum, ipse nutriatur a Domino. Et quia nutriri propriè est infantium a matribus apertò fit, vt eam curam pauperum Deus gerat, quam mater infantuli sui.

Illud etiam aduerte, opes hæ terrenæ, nostræ non sunt: quas videlicet ventus, pluuia, cœlum: quas fures & reliqua auferūt infortunia. Voluit igitur Christus nos, non in alieno
Lucæ 16. esse beatos, sed in nostro. Ita dicit Dominus, loquens de diuitijs: Si in alieno fideles nō fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis. Quasi diceret: opes hæ quas caro concupiscit,
Iob 2. non sunt vestræ propriæ: Vt Iob testis locuples est: spirituales opes, hæ re vera vestræ sunt. Volo ergo vos beatos esse in vestro, non in alieno.

Aduerte & hoc, Æquus rerum suarum Deus distributor est. In neminem nostrum omnes congessit opes, vt nemo esset, qui non sui proximi ope indigeret. Igitur si te opibus terrenis impleuit, opum cœlestium participem non fecit. Et contrà, si regno terreno priuauit, regno cœlesti ditauit. Vt enim Christus diues, factus est pauper, vt nos pauperes ditaret: ita quos verè ditat, pauperes vult inuenire: ne glo-
Ierem. 9. rietur diues in diuitijs suis, sed qui gloriatur, glorietur: quia cùm pauper esset, à Deo subitò honestatus est.
Eccles. 11. Aduerte etiam: Zelatur Dominus gloriā suam, gloriam
Isaiæ 42. enim meam, inquit, alteri non dabo, quia igitur periculum
Ephes. 5. est, ne diues diuitias suas colat, vt idola, eis illum honorem
Psal. 51. tribuens, quem Deo debebat: ideo suos cultores Deus longius auocat à diuitijs, eum beatum decernens, qui se elon-
Marci 10. gauerit ab eis. Scitum est, quòd diues gloriatur & confidit

in mul-

in multitudine diuitiarum suarum: at confidentia & gloriatio in solo Deo statuenda est. 1. Cor. 1.

Beati mites, quia ipsi possidebunt terram. Primò hic tractandum, quomodo verificetur, quòd mites possident terram. Quod ex alio pendet, scilicet, quænam hoc loco dicatur terra? si enim hæc terra intelligitur quàm calcamus, nō eam possident mites: imò ab ea eijciuntur. Ad hoc dubium, vt arbitror, est respondendum: quòd de hac nostra terra, Dei sermo verificatur. Et primò iuxta phrasem Hebræam: possidere terram, est diu in ea viuere. Non ergo mitibus larga terræ possessio promittitur, sed diutina. Quomodo dicunt, illud Psalmi esse intelligendum: Mansueti hæreditabunt terram, & inhabitabunt eam in seculum seculi. Psal. 36.

Secundo verificatur dictum Domini, si intelligas: mites possidebunt terram, id est, nemo est alius dignus, qui possideat, nisi mitis. Si enim Adam possedit terrā, rex super eam constitutus, quia omnia subiecerat illi Deus, volucres cœli & pisces maris, & bestias terræ: quāto dignior rex est mitis? Qui sibi subiecit animi sui affectus & iras: tantò, quàm bestiæ terræ, ferociores. Nec enim tot damna bestia vnquam hominibus intulit, quot ira viri solet afferre. Psal. 8.

Tertiò verum esse monstratur hac ratione: Si eum gustū, alacritatem, & animi magnitudinem in animo suo mitis habet: quam illi habent, qui terram possident: an non reuera dicentur terram possidere? Nec enim possessio terræ, quæ ab hominibus tantopere desideratur, est terram cum dolore, & animi anxietate possidere. Eo quippe terræ possessio expetitur, vt animi lætitia, & rerum amplitudo comparetur. Igitur si mitis maiorem habet lætitiam, maioremque animum, quàm tyranni terræ possessores: an non meritò dicetur terræ possessor? Nihil habentes, inquit Paulus, & omnia possidentes. Quia eo sunt animo, quo essent, si cuncta possiderent. Psaltes inquit: Fac bonitatem, inhabita terram, & pasceris in diuitijs eius. quæ sunt hæ terræ diuitiæ? num aurum, & argentum, cum mœrore & angustia? minimè. Sunt ergo hilaritas & animus seipso diues. Id quod Stoici magno verborum apparatu dicebant: solus bonus, diues. Iam expende animum mitis, semper serenum atque pacatum. Contra verò animos regum nunquā non sollicitos, & perturbatos. Quem nunc iudicabis diuitē, & terræ dominum? 2. Cor. 6. Psal. 36.

Quartò, verum esse dictū Domini patet hoc modo: Qui egre-

egregiæ formæ, prudentiæ, & pudicitiæ vxorem nactus est, dicit: Plus hanc, quàm omnes mundi res æstimo. Omnia me in hac inuenisse reor. Cum igitur mitis propter Deum, in animo suo repererit thesaurum, plus quàm terra valentem: an non dicetur rectè, quòd omnia possidet? omnia, inquit
1. Cor. 3. Paulus, vestra sunt: siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura, omnia vestra sunt. Cur tandem? quia qui Christo seruit habens Christum habet cuncta. Ita qui mitis animo est, & mansuetudinem Christi habet: Christum habet, & ita omnia
Sap. 7. habet. Sapiens dicit, venit in me spiritus sapientiæ: & præposui illam regnis, & sedibus: & diuitias nihil esse dixi in comparatione illius, & infrà: Infinitus enim est thesaurus omnibus hominibus. Sic qui mansuetudinē Christi habent, thesaurum infinitum reperiunt, quod habētes sibi videntur totam terram possidere.

Quintò illud aduerte, hoc possessionis indicium esse, si tributum pendat id quod possidetur, ei qui possidet. Cùm igitur tota terra sit plena malis, quæ vndique hominis animum exasperant: si mitis corde ex malis illis non irritatur, sed contra lætatur: an non mala pendent meritorum tributa homini miti? an non carpit fructus, licet insperatos è terra? an non terra malis plena animum mitis ditat? possidet ergo mitis terram, ex qua tot meritorum diuitias, &
Matth. 7. lætitias excerpit. Colligit ergo mitis, ex spinis vuas, & ex tribulis ficos.

Sextò etiā illud intellige: Adam erat dominus omnium: quia nihil erat quod Adæ nocere potuisset. Erat super omnem terram, quem lædere terra nequibat. Proferebat tunc terra viperas & serpētes, proferebat forsan spinas & sentes: sed non proferebat contra Adam. Videlicet non proferebat
Genes. 3. contra dominum suum. At post peccatum, dictum est: Spinas & tribulos proferet tibi, id est, contra te. Ita & mitis est alter Adam, cui nihil nocere potest dum mitis est, spinas, & tribulos, & maledictiones terra profert maledicta. Sed non profert contra mitem: qui iniurijs, probris, & vulneribus non pungitur, sed lætatur.

Terra pro aduersario nostro. Tentemus si verificare dictū Domini possimus de terra, non tantum hystoricè, sed etiam allegoricè dicta. Maledicta fuit terra, quæ spinas homini profert, & tribulos. Lōgè magis maledicta terra alia, quæ perniciosiores spinas profert.

Hæc

Hæc terra est aduersarius cuiusuis pij, & iusti viri. Ab his nascuntur veræ spinæ, quæ animum adhuc in virtute tenellum lacerant, & discerpunt. Quòd si animus hic tener, mitis fiat: possidebit inimicū suum. dicit enim Apostolus: Vince in bono malum. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: ita carbones ignis congeres super caput eius. Iam sicut ignis omnia absumit, & in suam possessionem transmittit: ita & mitis terram inimici sui possidebit. Dicit enim Dominus: Si peccauerit frater, & te audierit, lucratus es fratrem tuum. Si ergo mitis lucrabitur fratrem suum, etiam si aduersarius sit, manifestum est, quòd eum possidebit. Nam quod lucror, possideo. *Rom. 12.* *Matth. 16.*

Quòd si frequens est sumere terrā, pro hominibus terram habitantibus, apertū est quòd mitis possidet homines terrę. Siquidem mansuetus ab omnibus amatur, & colitur. Diriget, inquit, mansuetos in iudicio, id est, faciet eos in iudicijs victores. Et alibi: Illusores ipse deludit, mansuetis autem dat gratiam. Non solum dat gratiam coram Deo, sed etiam coram hominibus. Dicit Sapientia: Fili in mansuetudine tua opera perfice: & super hominum gloriam diligeris. Et planè Moses ideo dux, & ferè Dominus Iudæis præfectus est: quia mitis erat super omnes. Et Christus vt erat mitissimus omnium: ita & mansuetudinis iure possidet omnia. *Terra pro ijs qui habitant terram.* *Psal. 24.* *Prouer. 3.* *Ecclef. 3.* *Num. 12.* *Matth. 1.*

Iam si cor hominis vocatur terra, in qua videlicet, semen Dei seritur: profectò, cùm cor hoc nostrum irascitur, brutescit, & fugit à ratione: imò fugit à nobis, imò & facit hominem à se fugere. Nec enim ira percitus homo, homo est. At per mansuetudinem redditur homo sibi: si iratus fuerat, & iram cohibuit, seruauit se: ne homo esse desineret. Eleganter dictum est: Filij in mansuetudine serua animam tuam, & da illi honorem, secundum meritum suum. Videlicet quia in ira, perdit homo animam suam, iudicium, scilicet & rationem. At qui iram frænat: dat animæ, vt rationalis sit, vt non bruta sit. Igitur honorat eam secundum meritum suum. Quo fit vt anima se possideat per mansuetudinem, quæ se per iram perdiderat. Possidet ergo mitis terram. Et illud mihi persuadeo, qui iram, (ferocissimam, scilicet bestiam) domare potens est, poterit etiam reliquas animæ separare passiones. *Terra pro corde hominis.* *Ecclef. 10.*

Tandem si regnum cœlorum vocatur terra (vt Sancti voluerunt) planè mitis terram veram possidet. Regnum

Terra pro cœlis. enim illud Christus mansuetus vt agnus, mansuetudine comparauit: & mansuetorum, vt esset, effecit.

Sed obijcit se mihi difficultas: Si hìc cœli regnum, terra vocatur, cur Dominus non dixit: Beati mites, quia ipsi possidebunt regnum cœlorum? cur cœlum, terræ nomine nominauit? Primum, quia vult Dominus, vt hæc terra, quam calcamus, non existimetur terra: nec bona huius terræ bona credantur: sed quòd terra nostra, & patria nostra illic sit: vbi regnum cœlorum est. Loquitur igitur Dominus cum diligentibus cœlum: cum his videlicet qui nihil terrã hanc curant, nec recordantur. Sed cùm terram audiunt, illam intelligunt quam concupiscunt.

Secundò voluit Dominus animum pijs addere. Crederet forsan pius homo corpus suũ, vtpotè quòd terra sit: in cœlo esse non posse. Quid enim terræ cum cœlo? at cùm audit cœlum (licet cœlum sit) terram esse quoque, spem concipit: terram hanc suæ carnis, in terram cœlestẽ posse peruenire.
Genes. 3. Dictum enim est: Terra es, in terram ibis. Et rursum: Cœlum
Psal. 133. cœli Domino terram autem dedit filijs hominum. Non ergo despõdeant animos homines, qui sunt ex terra coaliti: ire eis in cœlestem terram licebit.

Tertiò subtiliter Dominus cõsolatur mites, cùm cœlum terræ vocabulo nuncupat: admonens, quòd sicut ipsi se calcabiles præbuerunt omnibus, ac si terra essent, (quam cunctis calcare licet, terra non reclamante:) ita & mitibus cœlum se calcabile præbebit, nihil reclamans. Tam enim videbatur repugnare naturæ cordis nostri mansuetum se seruare, & velut durũ & firmum, cùm calcatur, & lacessitur sicut cœlo ab hominum pedibus conculcari.

Beati qui lugent. Cur vero lugere nobis consulat Christus? Primùm, quia vita hæc partus est quidã æternitatis. Dictum
2. Cor. 4. enim est ab Apostolo: Quod in præsenti est momẽtaneum, & leue tribulationis nostræ: supra modum, in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Planè vita nostra si pia est, persequutionibus abundabit: tribulationes habebit. At vita illa afflicta, & misera, parturit pondus supramodum, sublime gloriæ æternæ. Idem Paulus: Omnis
Rom. 8. creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc. Quid Paule parturit? quasi respondens subdit: nos ipsi primitias spiritus habentes, intra nos gemimus adoptionem filiorum. Viri ergo pij gemunt & parturiunt æternitatis partum: sicut impij,

impij, æternam sibi damnationem abortiuntur. Igitur si virum anima nostra (dum viuimus) pepererit, cœlestium ciues sumus: si fœminam in inferno erit locus noster. Itaque nihil aliud dum viuimus molimur, quàm filium eniti. At mulier cùm parit tristitiam habet, luget, & clamat præ dolore. Post partum gaudendi locus est, in partu tristitia, & luctus sibi asserunt imperium. At quia partus nequitiæ voluptuosus est: est enim plana via, & spaciosa quæ parit perditionem: partus consequenter virtutis erit luctuosus. Quia arcta via quæ parit æternitatem. Beati igitur qui in hoc æternitatis partu, lugent. Peperit te Christus in cruce cum luctu: non poterit anima tua parerere Christum, sine luctu. Cùm te peperit ille cum luctu, beatus erat: si genueris & pepereris eum cum luctu, beatus etiam eris. *Ioan. 16.* *Matth. 7.*

Quid mirum si quotidie lugent, qui quotidie morti addicuntur? Paulus iurat: Quotidie morior, per vestram gloriam fratres. Et alibi: Mortificamur tota die, æstimati sumus, vt oues occisionis. Et alibi: Si spiritus Christi habitat in vobis, corpus quidem mortuum est, propter peccatum, sed spiritus viuit, propter iustificationem. At cùm corpus morti traditur, quid aliud sonat, quàm luctus? Quis precor adeò ferreus est & adamantinus: qui vulnus gladij eius carnem percutientis non sentiat, non doleat, non lugeat? Nemo est, inquit Paulus, qui carnem suam odio habeat. Imò nutrit, & fouet eam. At, inquit Dominus, per Ieremiam: Maledictus, qui opus Dei facit fraudulenter: & maledictus, qui prohibet gladium suum à sanguine. Et profectò nemo est, qui gladiũ suum alieno sanguine tingere debeat. Dicit enim Dominus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam. Igitur maledictus est, qui prohibet gladium à sanguine suo. Maledictus qui carnem suam non ferit. Maledictus qui carnem suam non vulnere lethali percutit: vt vitijs & affectibus secularibus mortua, Deo viuat. Si ergo ferienda caro est, non corporali vulnere: sed quod grauius dolere solet, spirituali, an non manifestum est, cuius præcipi vt doleat, vt lugeat: si videlicet præcipitur, vt te feriat: vt carnem mortuam gerat. Sed si interim spiritus viuit, in iustitia, beatus est. Beati ergo qui lugent. *1 Cor. 15.* *Rom. 8.* *Ephes. 2.* *Ierem. 48.* *Matth. 2[6].*

Tertio rursum, quid mirum si lugent, ij quibus quotidie ferenda crux est. Qui vult, inquit, venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam quotidie. An exiguum pon- *Luca 9.*

dus est huius crucis? Si non alia crux esset, quàm corporis nostri. an non hæc crux satis dura, & grauis est? Iob dicit: Quare me posuisti contrariũ tibi, & factus sum mihimetipsi grauis? quasi dicat, ferre me ipse non possum. Et Paulus
Rom. 7. tantus ille, qui cœlum fœlicius sustinuit, quàm fabulosus Atlas: at sub onere tanto pressus dicit: Infœlix ego, quis me liberabit de corpore mortis huius. Ac si diceret, quis me exonerabit corpore meo, quòd velut sepulchrum est, vnde continuo pestilẽtissima mors emanat. Quis nesciat, crucem patibulum esse? Quis rursum non videat, lugendum esse, ei qui in patibulo suspensus est? Si igitur ego in cruce mea, id est, in carne mea, quotidie suspensus manere debeo, an non
Iob 7. erit mihi lugendum? Audi Iob dicentem: Terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties: quamobrem suspendium elegit anima mea, & mortem ossa mea. Meritò quidem, is enim quem diuina illustratio horrore concussit, suspendium crucis deligit in hoc seculo, ne illud patiatur in futuro. at comitem esse suspendij luctum, certum est.

Quartò: Quid mirum si lugeat, qui nunquam flagellum
Psal. 72. de corpore suo diuellit? Dicit Psaltes: Fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis: nec ex matutino deficit castigatio: sed vsque ad noctem increpuerũt me renes mei.
Psal. 37. An non Dauid dicit: Ego in flagella paratus sum: & dolor meus in conspectu meo semper. Quod in eum sensum accipio: ego paratus sum vt flageller, & ideo nunquam non lugeo: vtpote qui flagellorum dolorem semper præ oculis habeo. At cùm flagella imminere puer videt, luget. Iam si
Hebr. 12. flagellaris & castigaris filius Dei es. castigat enim omnem filium quem recipit. Quòd si nõ est transitus, neque clamor
Psal. 143. in plateis tuis, beatum te dicet populus. at non Deo beatus eris. Beatus ergo eris cùm a Deo castigaris, & luges.

Quintò: Quid mirum si lugeant exules: qui ascendunt in
Psal. 125. cœlum, viã aggressi tantoperè arduam? Euntes ibant, & ideo flebant, mittentes semina sua. Quid mirũ si lugeant, quibus cum fortissimis hostibus pugna est continua, vires sine viri-
Num. 13. bus habentes? Filij Israel miserunt exploratum terram promissionis. At vbi ab exploratoribus accipiunt, terram quidem esse fœlicem: sed dubiam de hostibus victoriam: quia incoleretur terra à gigantibus, quibus Iudæi collati, videbantur esse locustæ, vbi hæc Iudæi nouerunt, lugent. An
Ephes. 6. non magis flendum nobis: qui non colluctamur aduersus

carnem,

carnem, aut sanguinem: sed aduersus principatus, & potestates: quibus gigantes illi, quos timebant Iudei, collati: non locustæ, sed formicæ videntur inermes? At si ex hoc metu, non hosti victas damus manus, nec pro auxilio descēdimus in AEgyptum, sed nobis diffisi diuinum efflagitamus fauorem, vere beati erimus: quibus fœlicior erit de hoste victoria, quàm fuerit Dauidi, de Goliath gigante deuicto. *Ierem. 42.*

Sextò: Profectò si certus essem quod amore dignus sum, non esset forsan quod lugerem: at cum sciam angustam esse ad vitam viam, & paucos esse, qui licet requirant, inueniant eam: quid mihi, nisi lugere conuenit? Porrò si meam iustitiam despiciens, iustitiæ fidei & Christi me subijcio, sciens, quod si Christus fiat mea iustitia, sanctificatio & redemptio (eam scilicet, in me faciens) non se continebit Deus, quin amet eam iustitiã, quæ sibi sui est, tunc ero iustus ex fide viua Christi: ac proinde beatus. Vides quid pariat luctus? Certè parit quærere Christum, & in eo consolari. *Matth. 7.* *1. Cor. 1.* *Rom. 3.*

Septimò demum, nulla res in hoc seculo digna fletu est, nisi peccatum scilicet mortale: lugent homines corpora mortua, quanto essent magis lugendæ animæ mortuæ? At si peccatum luges, peccatum tibi remittitur: si tibi peccata remittuntur, beatus es. Beati enim quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Teguntur verò lachrymis, beati ergo qui lugent. Tam est nefarium peccatum, vt lugere quod peccaueris, te beatũ reddat. Vide quàm sit abominandum, si gaudeas in peccato. *Psal. 31.*

Octauò: Quòd si beati sunt qui lugent, quia Deum offenderunt, quanto beatiores, qui lugent, quia Deum nondum vident: tam est Deus omni pretio dignus, vt lugere, quod eo careas, beatum te faciat. Audi quid Dauid hoc affectu percussus aspiret, suspiret, anhelet: Sicut ceruus desiderat fontes aquarũ, dum videlicet Sol æstibus terras aduritur, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, &c. Audi sequētia obscuriora: Hæc recordatus sum, & effudi in me animã meam. Quid recordaris Sancte Rex? Quòd transibo in locum tabernaculi admirabilis. Quisnam est ille locus? Vsque ad domum Dei. Planè sicut olla feruens, vbi subest ignis ardentior: solet se super se effundere. ita animus, igne charitatis præferuidus, facile sursum ascendit, & perdulces lachrymas, se super se effundere solet. Profectò plane tunc sentitur, quam vere beati sunt qui ita *Psal. 41.*

Psal. 83. dupliciter lugent. Audi eundem: Quam dilecta tabernacula Domine virtutum. Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini. Audis animam deficientem. Certè præ luctu: Sed quid sequitur: Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. An non vides beatum luctum? Si luges deficit anima: sed est luctus dulcis, qui exultare facit, ac proinde beatus, beati igitur qui ita lugent. Audi vnum vlterius verbum. Beatus vir, cuius est auxiliū abs te, ascētiones in corde suo disposuit, in valle lachrymarum. Igitur ipse beatus lachrymis plenus, in corde suo, in cœlū ascentiones disponit.

Sed est dignissima dubitatio: Qui fieri potest, vt lugens sit beatus? Quid luctui ad fœlicitatem? Et rursum Paulus
Philip. 4. iubet gaudere in Domino semper, nec contentus semel id præcepisse, addit. Iterum dico gaudete. rursum dicit: Quasi tristes semper autem gaudentes. num hypocrisis est vita
2. *Cor.* 6. Christiana, vt cum gaudeas semper, tristē te esse dissimules? Rursum regnum Dei, (id est, vita Christiana) est iustitia, pax,
Rom. 14. & gaudium, non tristitia. & Dominus: Rogate vt gaudium vestrum plenum sit: si plenum, quomodo secum luctum
Ioan. 19. c admittet. Profectò mihi res est admiranda, vir Christianus lugēs, & in luctu suo lętus, adeò vt lachrymas suas pro nulla
Psal. 41. seculari lætitia commutet. Fuerunt, inquit, lachrymæ meæ panes. lachrymæ erant, sed panes etiam erant: luctus erat,
Psal. 76. sed suauis. Renuit consolari anima mea. Cur? Quia si velit luctum consolari, consolationem amittet. Dicit Paulus, &
Psal. 63. Dauid: Secundùm multitudinem dolorum in corde meo,
2. *Cor.* 1. consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. & sicut abundant passiones Christi, ita & abundat, & consolatio nostra, non ita vt post luctum sequatur cōsolatio, sed quod est mirabilius: ipse luctus, consolatio est. Sicut enim Deo simul est vnitas, & pluralitas: & simul misericordia, & iustitia, amor, & odium. ita facit, vt in seruis suis simul cum
2. *Cor.* 2. luctu sit lætitia. Quia sicut virtus in infirmitate perficitur: ita & lætitia, in luctu.

Posset etiam dici, quòd cùm Paulus iubet gaudere, iubet quidem, sed in Domino. Et regnum gaudium est quidem, sed in Spiritu sancto. Cùm ergo Deus tibi lætitiam infundit
Lucæ 5. non iuberis lugere. At recedet illa lux: tunc tu spōte lugebis. Cum lætitia adest, non possunt filij sponsi lugere, quia adest
Genes. 8. spōsus. At recedet spōsus, tunc lugebūt: Quia non inueniet columba, vbi pedem suum ponat, donec in arcam redeat.

Et qui-

Et quidem, cùm anima Christiana: cunctas creaturas contemplando lustrat: prouocatur ab omnibus, vt in Deo omnium factore lætetur. At si expendat, quod omnes creaturæ factæ sunt in laqueum, & decipulam pedibus insipientium: solent enim auocare homines à Deo suo: an non hæc erit causa luctus? Gaudete igitur: sed cũ timore & tremore. Sap. 14. Psal. 2.

Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Primùm quod annoto est: Si beati qui esuriunt iustitiam, ergo iustitia nostra non est. Si enim nostra esset, cur esuriremus, quod in manu nostra est.

Nunc audi: Non dicit Christus, beati qui esuriunt Deum, sed iustitiam. Certè Deus est finis nostri appetitus: estque cibus & potus animæ. Inebriabuntur, inquit, ab vbertate domus tuæ, & torrẽte voluptatis tuę potabis eos. Est igitur Deus torrens dulcedinis, & voluptatis. at licet Deus sit animæ manna, & spiritualis esca, quam summopere cupiunt sancti: prius tamen est, amare & esurire iustitiam: per quam Deus animæ gustui ingeritur. Est iustitia mediũ quo Deum, assequare. Si igitur cupis Deum: prius te iustitiam oportet exambire. Si placet Deus, placeat eius sancta iustitia. Scio quod Christus iustitia nostra est: & quod Deus vita animæ est. Sed nec Christi iustitia, nec vita Dei aderunt animæ nostræ: nisi mediãte iustitia. gluten igitur quo hærescit animæ Deus: iustitia est, & probitas. Psal. 35. 1. Cor. 1. Deut. 30.

Secundò: Non dicit, Beati qui esuriunt reuelationes Dei: aut spirituales dulcedines, aut sapientiam quam Salomon esuriuit, & data est illi: non inquam hi beati, gustus enim & dulcedines illæ recentium cibus sunt. Reuelationes Dei extollere solẽt hominem, ideo enim datus est Paulo stimulus carnis: ne ab illis extolleretur. Sapientiæ superbia Luciferũ deiecit è cœlo: & Salomonem fecit in culpa sua inexcusabiliorem. Quo igitur impetus nostri desiderij influere debet? Certè in iustitiam quam si assequare beatus eris. Quia ipsa est quæ dulcedinem veram secum affert, ipsa est quæ sapientiam nostris mentibus infundit. Audi quid dicat per Isaiam sermo diuinus. Si desieris loqui quod non prodest, si animam afflictam repleueris, & effuderis esurienti animam tuam, tunc orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt vt meridies, & requiem dabit tibi Dominus semper, & implebit splendoribus animam tuam, & ossa tua liberabit, & eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarũ, cuius Sap. 9. 2. Cor. 12. Isaiæ 58.

non deficiēt aquę. En quid dicat Deus, igitur si iustus fueris, non deerit lumen, non sapientia, non dulcedo continua, non iuge conuiuium.

Tertiò: Non dixit, qui esuriunt humilitatem, castimoniam, aut patientiam: quæ sunt, velut partes iustitiæ: sed: Qui esuriunt totam iustitiam, & integram. Non sat est, si in vno aut altero iustus sis, nisi in omnibus iustus fueris. Si
Eccles. 34. enim vnus ædificat, alter destruit, non surget ædificium: ita si hinc ædificas, hinc verò destruis, nihil facis: & dictum est,
Iacobi 2. qui offenderit in vno factús est omniū reus. Oportet igitur totam esurire, & exercere iustitiam. O graue onus impositum humeris nostris. Sed quod nostræ iustitiæ deest, Christi
1. Cor. 1. iustitia replet. Factus videlicet nobis sapientia, iustitia, san-
Rom. 8. ctificatio & redemptio. Ideo enim tātopere Paulus clamat: Per legem neminem iustificari, quia vires nostræ exiguæ sunt, vt vndique iustificemur: quod iustitia Christi præstante, consequimur.

Quartò: Non dixit beatos qui edant, & bibant iustitiam: sciebat enim in hac vita, potius esuriri iustitiam, quàm manducari, potius optari, quàm possideri. De plena iustitia mihi sermo est, quia ergo sciebat paucos esse verè perfectos, qui dapibus iustitiæ fruantur: forè verò multos qui licet non edant, de mensa tam pretiosa, esuriunt tamen: ideo non vocauit beatos qui ederent, sed qui esurirent. Non memini vocatum aliquem sanctum aut iustum a Christo, imò me-
Matth. 19. mor sum, ipsum dixisse: Nemo bonus: Nisi Deus. Si ergo dixisset: Beati qui edunt iustitiam: quis beatus esset? Di-
Matth. 5. cebat tamen: Estote perfecti, sicut pater vester: quia intelligebat paucos esse perfectos, ideo contendere iubet, in id quod non habent.

Quintò: Non dixit, Beati qui suspirant, qui amant iustitiam: sed qui esuriunt. Innuens non esse vnius diei, aut mensis, effici iustum, negotium est quod durat: quantum esuries cibi, & sitis potus durare solent. Si iustitia vnica virtus esset, vix ad eam perfectè assequendam, sufficiunt tempora multa, (adeò corruptioni subdita est humana miseria,) nunc verò cùm tot partibus iustitia constet, scilicet castitate, patientia, fortitudine, & prudentia, totum vitæ spatium parum est, vt perfectus sis: reliquum est igitur vt esurias semper, intelligens satiem iustitiæ, in solo cœlo sperandam.

Sextò

Sextò: non dixit, Beati qui vellent iustitiam: quibusque iustitia non displicet: quia multi sunt in mortali peccato: qui vellent quidem iusti esse: sed quia non esuriunt, ideo non sunt beati. quid enim esuriat manna, qui porris & cepis AEgypti satur est? similes hi sunt languentibus fastidiosis: qui vellent quidem comedere: vbi tamen cibum admoueris commouentur, euomunt, & in sua esurie flaccescunt. *Num. 21.*

Septimò: ergo dixit, Beati qui esuriunt, videlicet notans, quod sicut in esuriente: maximum desideriū est comedendi: ita cùm tuum præcipuum, potissimumq; desiderium fuerit iustitiæ, tunc beatus eris. Sanè si nosses te habere iustitiam, nihil mirum, si summum tuum desiderium non esset erga iustitiam, (solent enim homines id maximè ardere, quo carent: quòd verò habent contemnere.) At cùm nemo sciat se iustum esse, & periculum summum sit, si iustus non sis, an non meritissimè dicitur: vt esurias quod fortè non habes: & sit habere necesse? In Sapientia scribitur: Si quæsieris sapientiam, quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam? tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei inuenies, quia Dominus dat sapientiam. Quod ergo Dominus dixit: esurire iustitiam: Salomon dicit: quærere sicut pecuniam. Iam vel hinc expendamus, quantum nobis ad sapientiam deest, qui nec desideramus iustitiam, tantum abest vt esuriamus. At non erat dignum vt cæcus esuriret visum, infirmus salutem, mortuus vitam? Maximè cùm sciat homo se plenum malitia: quia prauum est cor hominis. Cur igitur non optet: homo natus ad iustitiam: sordibus se peccatorum videns contaminatum, ab his sordibus mundari: Cur non esuriat iustitiam natus ad cœlum, cùm in cœlum nihil intret sine iustitia? *Prouer. 2.* *Ierem. 17.*

Beati misericordes. Non dixit: Beati qui eleemosynas largiuntur: sed qui misericordes sunt, ne pauperes qui dare nequeunt, à beatitudine se putent alienos, néve diuites, si non dent, beatos se credant: etiam si miserijs aliorum compati se profiteantur. Ille enim verè misericors est, qui alienam miseriam, vt suam reputat: at nemo suam à se miseriā non abigit, si potest. Consimiliter Ioannes dixit: Qui viderit fratrem suum necesse habere: & clauserit viscera sua, ab eo: quomodo charitas Patris est in eo? Non dixit: Qui viderit fratrem necesse habere, & illi non subuenerit. Quia multi nequeunt subuenire. Porrò non se continuit Dominus, quin *Ioan. 3.*

beatos diceret misericordes, videlicet ipse misericors: nulla
S. Thom. in Deo, quam misericordia, maior est virtus, quia misera-
2. 2. q. 30. tiones eius super omnia opera eius, & misericordia super-
Psal. 144. exaltat iudiciũ, id est, licet Deus rectissimũ habeat iudicium:
Iacobi 2. summumque seruet rigorem: at misericordia huic super
fertur rigori, & fert de hoc rigore triumphum, & quidem licet Sanctæ literæ nunquam Deo laudes cantare cessent: arbitror tamen hanc laudem frequentius illi tribuere: quòd misericors sit. nec solum quod misericors, sed quòd multũ
Psal. 77. misericors. Longanimis, inquit, & multum misericors. &
Psal. 102. quòd secundùm altitudinem cœli à terra corroborauerit
Eodem. misericordiam suam, super timentes se.

Iam quia per misericordiam reparauit mundum Deus, factus propter homines homo: voluit vt nihil pretiosius homini esset, quàm misericordia: ita vt nullũ nomẽ suauius auribus hominum insonaret, quàm misericordiæ nomen. quid enim libentius aspiciat homo, quam illud scutum, quo est à morte protectus: quàm eam dexteram, qua est à vorticibus rapidi fluminis: ne suffocaretur ereptus? Igitur sicut misericors Dominus, plus æstimauit misericordiam suam, quàm vitam suam: potius volens misericordiam ostendere in homines, quàm sibi vitam seruare: ita misericordem, non placuit non vocare beatum: vt qui Deo similis sit, & qui potius vult misericordiæ, quàm sibi inseruire. Expende
Ephes. 2. Christiane precor, quam verum est, quòd Deus sit diues in misericordia: qui volens videri misericors, potius voluit carnem accipere, in ea miserias carnis sustinere, & tandem mori: quàm nomine misericordis fraudari. Ego attonitus stupeo: quam amet misericordiam Deus. Sustinet tot peccatorum myriadas, vt misericors: suffert tot idololatras, vt misericors: conuertit peccatores, vt misericors: effudit se in hominis animam, vt misericors: regnũ cœlorum, & omnia quæ in cœlis sunt, homini donat, ipse misericors. Et si gau-
Lucæ 15. dium est coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente, plusquam super nonagintanouem iustis, eam causam gaudij arbitror esse: quia vident tam libenter Deum misericordiæ indulgere, quasi Deus tunc magis lætetur, effundens misericordiam: quam cum iustos coronat, quòd ex iustitia facit. Demũ ita dilexit Deus misericordiam, vt licet iustus ipse sit, nunquam tamen ita rigorem exercet iustitiæ, quin ibi suum sortiatur misericordia locum. dictum enim

est,

est, quòd etiã damnatos in inferno, puniat Deus citra condignũ, vt vel in inferno esset quidpiã quod diuinos oculos exhilararet: videlicet misericordia, in indignos etiã collocata.

Sed iam grande nos pulsat dubium: Si misericors adeò placet Deo, cur dicit textus, quòd misericordiam consequetur: & non potius, quod iustè coronabitur? Apostolus non dicit: Misericordiam assequitur, qui legitimè certauerit: sed coronabitur. Nec dicit: Reposita est mihi misericordia, sed: Reposita est mihi corona iustitiæ. Profectò si merentur cœlum de condigno opera nostra, vt à sanctis Patribus, in Tridentino Concilio est definitum, dicendum erat potius: Beati misericordes, quia Dei gloriã iure possidebunt. Ad hoc respondeo, quòd textus hic intelligi potest, aut de misericordibus iustis, aut de iniustis. Si de iustis intelligatur, aperit nobis elegantem animi nostri deiectionem: quod videlicet, nullus iustus est, qui nõ egeat Dei misericordia. non intres, inquit Psaltes: in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Vestram salutem, inquit Paulus: Cum timore & tremore operamini. O quàm pulchrè Dauid inquit: Nec enim in gladio suo possiderunt terram, & brachium eorum non saluauit eos: sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quia complacuisti in eis. Profectò admiratione dignum est, quod Dauid victoriam de Chananæis. Iudæorum genti nõ vendicet: cùm esset tunc eorũ infinita multitudo: erant enim sexcẽta millia bellatorum, tot verò, etiam ipsum orbem poterant subiugare: at non sunt illi qui vincunt, quanto minus vincet dæmones homo, & possidebit homo cœlestia, nisi misericors vultus Domini (id enim valet. Illuminatio vultus tui) opem pugnantibus ferat. Propterea eleganter Dauid addit: Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit me. Scio quòd gloria cadit sub merito (vt scholasticè loquar,) at quia perseuerantia non cadit sub merito nostro, sed sub misericordia diuina, ideo rectissimè dictũ est: Beati misericordes. quia hanc perseuerantiam consequentur. non ex iustitia, sed ex misericordia.

2. Tim. 2. *2. Tim. 4.* *Psal. 142.* *Philip. 2.* *Psal. 43.* *Exodi 12.* *Psal. 43.*

Cui verò hæc respõsio obscura visa fuerit, dicere aliquãto planius poterit, quod opus misericordiæ, licet ex gratia Dei obtineat dignitatem, & meritum de condigno: at ex ipsius operis genere, misericordiam requirit, vt coronetur: & cum gratia ipsa, collata homini sit ex misericordia, & non ex

iustitia

iustitia (aliôquin iam non esset gratia) fit: vt etiã misericors, nisi cum eo Deus misericordiam faciat, nihil erit.

Rom. 4.

Quæ verò subiungam non assero: sed iudicio doctiorum subijcio. Igitur ex hoc loco Domini duæ se offerunt coniecturæ. Prior, quòd misericordes si aliquando lapsi fuerint, propter misericordiam quam præstiterunt, misericordiam consequentur: vt resurgant à peccato, & saluentur. & hoc vult textus: Beati misericordes, quia misericordiam consequentur in lapsibus suis. Huic coniecturæ fidem facit, quod dicit Psaltes: Iustus, inquit, miseretur, & retribuet: eius gressus apud Dominum dirigentur, & viam eius Dominus volet: cùm ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam. cuius apertus sensus est: Si in peccatum mortale ceciderit, non patietur Dominus vt damnetur. Quia, vt redeat in antiquum gradum, Dominus auxilio erit, manum suæ misericordiæ porrigens. Adstipulatur huic, verbum Tobiæ: Eleemosyna, ab omni peccato, & a morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. at non liberat à morte corporis: (Statutum enim est hominibus semel mori:) liberat ergo ab animæ morte, non tantum liberans ne moriatur, sed vbi mortua fuerit, facit vt viuat: & hoc est quod addit: Non patitur animam ire in tenebras. vehemẽter verò id probatur ex Ecclesiastico dicente: Conclude eleemosynam in corde pauperis: & hæc exorabit pro te ab omni malo. At si non exorat pro iacente in peccato, non orat pro omni malo.

Psal. 36.

Tobiæ 4.

Hebr. 9.

Eccles. 29.

Dicet superciliosus Theologus: Si misericordia iacentem in peccato erigit: igitur iam huius peccatoris iustificatio, non ex gratia, sed ex operibus misericordiæ præcedentibus erit. Ego respondeo, quòd si opera misericordię ex cõdigno mererentur hanc ex peccato erectionem: argumentũ tuum haberet vim. at non dico ex condigno: sed ex misericordia, Deum dare gratiam, & auxilium ei qui misericors fuit. vt textus ipse clamat: dicens beati misericordes, quia ipsi, non gloriam, non iustitiam, non gratiam: sed misericordiam consequentur. Ergo cùm quis lapsus est, non putet quòd opera misericordiæ, quæ in gratia fecit, Deum obligant ex condigno, aut congruo: vt erigat lapsum. minimè: hoc tantum efficiunt, vt Deum loco peccatoris rogent, sollicitent, pelliciant, vt ex pura gratia mortuum viuificet. Denique: Si misericors cùm lapsus est, nõ erigitur, nihil illi Deus iniuriæ facit.

Iuxta Cõcil. Trident.

facit. Erigetur tamen ex sola clementia, quam eleemosyna
facta exorauit, iuxta locum adductum: ipsa exorabit pro te *Ecclef. 29.*
ab omni malo. Et quidem si expendis Psalmũ, videbis quod
diximus. Inquit Dauid: Beatus qui intelligit super egenum, *Psal. 40.*
& pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. Dominus
conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in
terra. Dicit: In terra, vt has tres promissiones in præsenti
vita intelligamus. ego verò nescio, quomodo viuificat
Deus in vita præsenti, nisi reparando post lapsum. Verùm
est mihi locus vrgentissimus: Ignem (inquit Deus) ardentem *Ecclef. 3.*
extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis, & Deus prospector
est eius qui dat gratiam: meminit in posterum: &
in tempore casus sui inueniet firmamentum. ecce dicit: In
tempore casus inueniet firmamentum.

Rursum beati misericordes, quia in tempore mortis suæ,
& in tempore tentationis suæ, imò & in tempore cuiusuis
tribulationis, & calamitatis suæ, misericordiam consequentur.
Sanè, Beatus qui intelligit super egenum & pauperem: *Psal. 40.*
in die mala liberabit eum Dominus. est verò dies mala, dies
cuiusuis angustiæ, siue sit dies mortis, siue tentationis, siue
temporalis afflictionis. Malũ enim duplex est, culpæ & pœnæ:
in die igitur mala culpæ, liberat Deus per eleemosynam,
vt Daniel dixit: Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates *Daniel. 4.*
tuas misericordijs pauperũ. Arbitror enim egregiam
rationem ad reconciliandum Deum habere peccatorem: si
eleemosynas conferat. Conferat eleemosynã homo homini
temporalem, & eleemosynam suscipiet à Deo spiritualem.
At si malum pœnæ fuerit, quodcunque sit illud, eius remedium
à Deo inueniet misericors. Id enim dixit Psaltes: Dominus
opem ferat illi super lectum doloris eius, vniuersum *Psal. 40.*
stratum eius versasti in infirmitate eius: Elegantissimè profectò.
sicut enim mater mollit filio lectum, vt mollius cubet:
ita & Deus lectũ in quo misericors iacet, versat & excutit,
& blandius reddit: vt mitius in dolore, dolorem patiatur.
Quid demum potuit dici grandius, aut magnificentius:
quam beatus qui intelligit super egenum? Dominus conseruet
eum, & beatum faciat eum in terra. Planè nullus in
cœlo simul & in terra beatus: at legem hanc sola violat
misericordia, vt etiam si pie viuentes in Christo, patiantur
persecutionem: misericordes tamen, aut non patiantur, aut *2. Tim. 3.*
ita blande patiantur, ac si non paterentur.

Beati

Beati mundo corde. Primum id mihi statuendum, cor, in sacris literis, sumi pro parte animæ superiori: in qua voluntas est, & intellectus. Nec enim cor est aut voluntas sola, aut
Rom. 10. mens sola: sed vtrunque simul. Et ideo Paulus dicit, quòd cor credit ad iustitiam. non autem crederet, si sola voluntas
Ephes. 1. esset. Et alibi dicit: Det vobis Deus illuminatos oculos cordis vestri, vt sciatis quę sit spes: at nec volũtas habet oculos,
Lucæ 24. nec voluntas scit. Et Dominus dicit: O stulti & tardi corde ad credendum. ergo corde credimus. & Propheta: Excæca-
Isaiæ 6. uit oculos eorum, & indurauit cor eorum: vt non videant oculis, & intelligant corde. Cùm ergo cor intelligat & diligat, necessariò fit, vt simul & intellectum complectatur & voluntatem: est igitur cor pars animæ supera: quam Græci Igemonicon dicunt.

Porrò hoc cor aliquando sordescit, & maculatur: ea verò quæ coinquinant cor, non alia sunt quàm à Domino dicta:
Matth. 15. Ex corde exeũt (inquit) cogitationes malæ, homicidia adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, hæc sunt quæ coinquinant hominẽ. quasi diceret: Hæc sola sunt, quæ coinquinant cor. Siquidem malæ cogitationes prohibentur nono, & decimo præcepto Decalogi: homicidia prohibentur quinto: adulteria & fornicationes, sexto: furta, septimo: falsa testimonia, octauo: blasphemia verò prohibetur præcepto secundo: non verò meminit tertij & quarti præcepti, quia non obligant omni tempore. Et ita non inquinatur, qui non semper seruat. nec meminit primi, quia cũ fidelibus loquebatur. Vnde colligo nihil inquinare cor, nisi quod est aliquo diuino præcepto vetitum. quia nihil inquinat cor nisi peccatum. nihil verò, peccatum nisi prohibitum lege diuina. sub qua intelligo esse comprehensam humanã. Paulus enim humanas leges discipulis suis tradens:
1. Cor. 7. non se humano spiritu duci existimat. Sed ait: Puto autem quòd ego spiritum Domini habeam. Et rursus quas leges tradit rex, si iustæ sunt: ab ipsa natura, & à Deo, autore naturæ, procedere existimo. En tibi quibus cor inquinatur.

Rogas, quomodo anima quæ peccauit sordescit? Planè, quia palatium fit: pulueribus & sordibus, id est, peccatis ple-
Isaiæ 35. num. Item fit cubile draconũ. vt Isaias dixit: Et rursum, qui
Num. 6. tangebat mortuum, olim erat immundus: at nihil peccato
Rom. 5. magis mortuũ, est enim causa omnis mortis: siquidem per peccatum mors. Et tertiò, est facies carbonibus denigrata, vt Ie-

vt Ieremias planxit. Et quidem huic sancto Prophetæ, verba deerant, quibus has animæ sordes declararet? Demum tu prospice, quomodo res corporales sordent, & contaminantur: & necdum inuenies viuam collationem, sordibus animæ quadrantem. *Thren. 4.*

Quærunt Theologi, quid tandē sit illa macula, quæ animę hæret post peccatum? Et respondent, quòd est carentia gratiæ: quæ tantum nitoris animæ conciliabat. At ego nescio, quid maius sit macula illa, quàm priuatio gratiæ. Psalmus enim dicit: Abominabiles facti sunt in iniquitatibus suis. & in Prouerbijs dicitur: Abominabile est Domino, omne cor prauum. At non est Deo abominabile id omne quod gratia caret. Nec enim abominandus esset Adam si sine gratia conditus esset. Igitur ille consensus in peccatum macula est, quę animam contaminat. *Psal. 52.* *Prouer. 11.*

Dices: Cōsensus ille præterijt, igitur & præterijt macula. Respondeo: quod coram oculis Domini non transijt actus. Deus enim vocat quæ non sunt, vt quæ sunt: itaque tam sibi Deus habet præsentia quæ præterierunt, & futura sunt, ac si præsentia essent, & ideo maculata est anima: non re quæ in se sit, sed quæ in oculis Dei sit. vt igitur passio Christi licet transierit, est tamen Deo præsens: & ideo æterna redemptio vocatur à Paulo: Ita & coram Deo omnis actus est præsens, sicut si quis dat eleemosynam, licet datio transierit: manet tamen viua, & pręsens in cœlo, iuxta verbum Domini: Thesaurizate vobis thesauros in cœlo. At thesaurus non est res quæ abijt. Intelligant igitur Christiani, cùm operantur, non se transitoria & fluentia peragere, sed æterna: qui bonum facit, æternum bonum recondit in cœlo, qui malum, æternum sibi malum conciliat, thesaurizat enim sibi iram. *Rom. 4.* *Hebr. 9.* *Matth. 6.* *Rom. 2.*

Porrò quia anima spiritualis est, & cùm consentit peccato, ipsa tota consentit: ideo & ipsa tota sordescit, non extrà solum, sed intùs. Intrat enim maledictio sicut aquæ, in interiora eius: & sicut oleum in ossibus eius, & hoc est quod Psalmus dicit: Tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate sua, prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum. vt ergo, guttæ ex liquato adipe prodeunt ex intimis adipis, ita iniquitas prodit ex intimo animæ inquinatæ. *Psal. 108.* *Psal. 72.*

Surrige ergo, Lector quæso, animum, & contemplare: si vna iniquitas sordentem animam reddit, quantùm sordium erit, vbi iniquitates peruaserunt cor? Prauū est cor hominis

præ

Ierem. 17. præ omnibus, & ſenſus, & cogitatio hominis in malum prona ſunt, ab adoleſcentia. Eſt igitur cor hominis ſentina
Rom. 8. peccati, fons malorum, minera vitiorum. & cùm verum ſit, quod prudētia carnis ſit Deo inimica: vide duos in homine malorum fontes, carnem, & animam carni conſentientem. Quòd ſi intelligis & penetras: admiraberis, & obſtupeſces, quod vllum ſit cor in orbe mundū. Si enim cor eſt prauum præ omnibus: & ſimul duobus malorum fontibus hæret: vbi reperies cor ab immunditia purum? An non meritò dicit Iſaias. Omnes iuſtitiæ noſtræ, vt pannus menſtruatæ? Sanè cor mundum non eſt opus hominis. diuinum opus eſt,
Pſal. 50. teſte Dauid, qui dixit: Cor mundum crea in me Deus. Quis
Iob 14. enim poſſet facere mundum de immundo: niſi ſolus Deus?
Pſal. 27. Cùm igitur Deus id poſſit facere: & Dauid aſſerat in ſe factū, cùm dicit: Sine cauſa iuſtificaui cor meum (per gratiam ſcilicet Dei) & laui inter innocentes manus meas. & Iob
Iob 27. aſſerat: non me reprehendit (inquit) cor meum. Cùm hæc ita ſint, quæ furia Lutherum inuaſit. vt aſſereret, neminem mundum à culpa mortali? Planè ſi nemo corde mundus, igitur falſum aſſeruit Dominus, dicens: Beati mundo corde:
Pſal. 23. & falſum Pſalmus qui dixit: Quis aſcendet in montem Domini? Innocens, inquit, manibus, & mundo corde. Si igitur nemo eſt mundus corde, nemo aſcendit in cœlū, ac proinde claudat Deus cœlum ſuum, ſi nullus eſt qui eò intret.

Aduertat Lutherus (vt video) cordis ſordes, ad non ad-
Matth. 26. uerterat Chriſti ſanguinem, quo illæ ſordes lauantur. Hic eſt ſanguis (inquit) qui effundetur in remiſſionem peccatorum: igitur peccata per ſanguinem mundantur. Teſte Apo-
Hebr. 9. ſtolo, qui dixit: Sanguis Chriſti emundauit conſcientiam noſtram, ab operibus mortuis: ad ſeruiendum Deo viuenti. Quæ igitur eſſe ſordes poſſunt, quæ huius ſanguinis tanta puritate, non purificentur?

Imò verò ego arbitror beatos mundo corde, nō propter cor, ſed propter ſanguinem, qui purificauit cor beatū enim cor, cui beatus ſanguis adhæſit, beatum cor, quod beato ſanguine factum eſt mundum. Quocirca exiſtimo, cùm Dominus verba hæc: Beati mūdo corde: ſuo protulit ore, intima cum ex corde traxiſſe ſuſpiria: videns, quàm magno ſumptu, erat hominum conſcientia purganda. quodq; non niſi ſuo eſſet ſanguine noſtras conſcientias emundaturus.
1. Reg. 5. Tali aqua melius ſanatur noſtra lepra: quam aquis Iordanis ſana-

sanatus est Naaman. Tali fonte melius illuminatur homo: quàm cæcus in aquis Siloa. Tali felle amaritudinis sanantur oculi melius, quã Tobiæ oculi sanati sunt felle piscis. Quòd si sputum Christi terræ commistum, oculos reddit cæco: an non magis munditiam simul & lucem reddet immundo cordi, Christi mundissimus sanguis, ex suo mundissimo corde promanans? Quòd si sanguis hic illuminat cor: quid miraris si cor sic illuminatũ Deum videre possit? Enimuerò, vbi sanguis Christi est, Christus est, at vbi Christus est, eius minister. Si igitur vbi Christus est, videtur Deus, fit vt ministri Christi, eius sanguine mundi, Deum videant. *Ioan. 9.* *Tobiæ 11.* *Ioan. 9.* *Ioan. 12.*

Porrò hic Christi sanguis applicatur nobis per sacramẽta, vt per baptismum, testante Apostolo, cùm dicit: Mundans eam lauacro aquę in verbo vitæ. & etiam per pœnitentiam. iuxta illud Dauidis: Asperges me Domine hyssopo & mundabor. Rursum applicatur per bona opera: opera enim sacra purificãt cor: non ex se, sed ex sanguine Christi. iuxta illud: Date eleemosynã, & ecce omnia sunt vobis munda. & illud: Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit: mundat igitur eleemosyna in pauperem: & dilectio in Deum. mundat item obedientia: castificantes, inquit, animas vestras in obedientia charitatis. Rursum & mundat fides, (viua scilicet) secundùm illud. fide purificans corda eorum. demũ purificat spes: qui enim habet hanc spem, sanctificat seipsum. *Ephes. 5.* *Psal. 50.* *S. Thom. 3. quæst.* *Lucæ 11.* *Lucæ 7.* *1. Petri 1.* *Actor. 15.* *1. Canon. Io. 3.*

Porrò triplex est genus mũdi cordis, prius est carere mortali crimine. alterum carere his peccatis & eorum occasionibus. Tertium: idq; vt summum, ita & difficillimũ, negasse voluntatẽ in omnibus. est enim voluntas propria fons immunditiarum. ab hoc fugisse fonte, plena munditia est. Iam vt quisque cor magis mundauerit, Deũ clarius videbit. Sunt enim qui etiam in hac vita apertius Deum (licet ex fide,) cognoscãt, id præstante cordis munditiæ. Et quidẽ cùm verum sit illud Gregorij: Omnia videt, qui videntem omnia videt: si cor humanum naturaliter scire desiderat, en ad manum facilis est sciendi via, videlicet, si cor mundaueris.

Huic mundo cordi proponitur vnicum, singulare, & incredibile præmium, scilicet, videre Deum. quo verò modo sit Deus videndus: explicatur à Paulo si tamen explicari id potest. Paulus inquit: Videmus nunc per speculum ænigmate. tunc autẽ facie ad faciem. & rursum: nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum. *1. Cor. 13.*

1. Canon. cap. 3. Explicauit etiam Ioannes: ſcimus, quia cùm apparuerit, ſimiles ei erimus. quia videbimus eum, ſicuti eſt. Explicauit Pſal. 35. Dauid: In lumine tuo videbimus lumẽ. Et Iſaias: Videbimus Iſaiæ 33. regem in decore ſuo. Planè nullum ingenium explicabit magnitudinem verborum, quæ ab his Patribus dicta ſunt. Sane Deus totus eſt facies, nec enim in cœlo habet illa po- Exod. 33. ſteriora, quæ Moſi oſtenſa ſunt. ſi igitur videbo faciem Dei: Videbo igitur Deum totum. At Deus infinitus eſt. Videbo igitur infinitatem. O quam extendetur oculus, qui Deum infinitum videre ſufficiat? Id luculentius, & magnificentius exprimunt verba ſequẽtia. nunc, inquit, cognoſco ex parte, tunc cognoſcam: vt & cognitus ſum. Sunt hæc verba tantæ fiduciæ plena, vt horreat animus ea contingere. Sed quid timeo? An non & Ioannes in eandem loquitur ſententiam? Similes ei erimus, cur? Quia videbimus eum ſicuti eſt. Dij erimus. in eam celſitudinem attollemur, quantam nec ocu- Iſaiæ 64. lus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Nec minus habẽt altitudinis verba illa, in lumine tuo videbimus lumen. dicunt enim Theologi, quod diuina eſſentia vnitur per modum luminis, & ſpeciei intellectui humano. ô rem ſummæ celſitudinis! Accinit Iſaias: Videbimus regem in decore ſuo, in opibus ſuis, in theſauris: quaſi parum eſſet, Heb. 10. vidiſſe regem. Ergo Moſes quia non videt niſi poſteriora: ideo legem non tulit, qua homines videre Deum poſſent. Hebr. 9. Sat eis erat, poſteriora Dei videre, ſcilicet his temporalibus bonis frui. quia lex mundare corda non poterat. impoſſibile enim eſt ſanguine hyrcorum corda mundari. At cùm fides Chriſti purificet corda (cùm viua eſt:) & ſanguis Chriſti emundauerit corda noſtra: fit vt in ſolo Euangelio, in quo eſt mundicies, proponatur pręmium mundiciei conſonum, quod eſt videre Deum.

Beati pacifici. Duæ hic difficultates ſe obijciunt. Altera, quos pacificos Dominus vocet? Altera, cur pacifici filij Dei vocantur? Ad priorem reſponſio eſt: Pacificos hic dici Prę latos, prędicatores & confeſſores: quibus ex officio incumbit, componere pacem inter Deum & homines. Et quidem mirari non ſufficio Dei pietatem. Venit ille in mundum, rogaturus hominem, vt ſecum pacem haberet: hanc verò pacem tantopere cupit: vt beatos dicat eos, qui pacẽ efficiãt illam, quam ipſe deſiderat. Adeò enim deſiderat: vt ne fruſtretur deſiderio ſuo, beatitudinem ei promittat, qui Deum homini

homini reconciliet. Cantarunt & veluti rogarunt pacem Angeli, Deo in terris nascente. vehemẽter igitur Deus optat pacem cum homine: ac si homo Deus esset. Beati ergo, qui munere, tam Deo grato fungũtur: quorum est, regnum diaboli, & eius opera dissoluere, fortem armatum ex atrio excludere, cœnaculum parare, vbi Dominus Pascha cum discipulis manducet, vineam Domini elapidare, viam Domino parare, colles humiliare, valles implere, leprosos mundare, putres carnes salire, vt qui sal sint terræ: mundum illustrare, vtpotè qui lux sint mundi.

Lucæ 11.
Ioan. 3.
Lucæ 11.
Lucæ 22.
Isaiæ 5. &
Isaiæ 40.
Matth. 5.

Dices: Num etiam beati sunt reges, iudices, reliqui etiam domini temporales, qui corrixantes ad amicitiam reuocãt? Ad hoc dicerem, non admodũ de his hoc loco tractari: non enim de bobus cura Deo est, adeò vt fratribus corrixãtibus dixerit: Quid me constituit iudicẽ inter vos? & Paulus, cùm secularia iudicia babueritis, contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, ad iudicandum assumite. contemptibiles inquit, non curans illos vocare beatos. At quia secularis reconciliatio, pacem promouet spiritualẽ: ideo beatos etiam suo quodam modo, reges, & seculares dominos, audeo pronunciare. Nec enim quia bella gerũt beati esse desinent: si per bella pacem inquirant: sique non bellator animus adsit, sed pacis amator.

1. *Cor.* 9.
Lucæ 12.
1. *Cor.* 6.

Iam ad secundã difficultatẽ. Cur pacificatores hi, dicantur filij Dei? Ad quod prior solutio, & plana est. Quod iuxta Hebræos, quæuis res cum asseritur grandis, & illustris, Dei dicitur. vt mons Dei mons pinguis, id est, mons ille nobilis, mons est fœcundus. & ceciderat in eos somnus Domini, id est, grauis somnus. & item: Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes, id est, filij illustres, viri præcipui: ita & hi pacificatores Filij Dei dicuntur, id est, magni. Planè quia scribitur in Euangelio: qui fecerit, & docuerit: hic magnus vocabitur. quasi dicat: qui cum se pacificauerit, alios etiã pacificat: hic verè magnus vocabitur. idem ergo est Filij Dei, & magni.

Psal. 67.
1. *Reg.* 26.
Psal. 81.
Matth. 5.

Sed penetremus aliquantò profundius. Si iudices Israelis, qui pacem in populo faciebant, dij dicuntur: quanto potius Christiani, qui pacem faciunt in cœlo, dij nominabuntur. Deus (inquit) stetit in synagoga deorum: in medio autem deos dijudicat: dij hoc loco, vocantur iudices illi Iudæorum, qui Iudæis iura reddebant. an non magis dij, qui inter hominem, & Deum ius dicunt: hominem Deo subdunt, Deumque homini reconciliant?

Psal. 81.

S. Thom. Par. q. 23. artic. 4. Sed interiùs penetra: Christus quatenus homo, Filius Dei est. Sanè quia Verbum diuinum filiationem naturalem (quâ Dei filius est) Christo homini communicauit. nec enim Christus homo, alia filiatione Filius Dei est, quam eâ, quâ Verbum Dei, Dei Filius est. Porrò filiationem, (non naturalem, sed adoptiuam, cuius nos eramus capaces) transtulit in homines Christus. Verè ergo Filius Dei Christus, qui filios Dei gignere potuit, suam in illos filiationem transfundens. ita & pacificatores hi, verè Filij Dei sunt: quia etiam *1. Cor. 4.* filios Dei gignunt. Paulus inquit: per Euangelium, in Christo ego vos genui. genuit verò, non filios hominum, nec filios Adæ: genuit igitur filios Dei. Iure igitur merito Filij Dei vocabuntur, qui filios Dei producunt.

Adhuc tamen considera Christus vt Deus: ideo Dei Filius est, quia totam diuinitatem à Patre accepit, licet à Patre nó abstulerit, & hac de causa, Christus in terra Deum patrem suum repræsentabat, vt cuius deitatem acceperat. Perinde enim erat Christum videre, audire, tractare: ac si Patrem *Ioan. 14.* videres & tractares. Ideo Christus ait: Qui videt me, & Patrem meum videt. Verè ergo Christus Filius Dei, qui ita Patrē repræsentat. Quare & verè erunt Filij Dei, qui Deum *Galat. 2.* in terra repræsentarint. Nunc Paulum considera dicentem: Viuo ego, iam non ego, viuit, in me Christus: eius accepi *2. Cor. 3.* deitatem, quidā Christus ego. Alibi dicit: Nos autem reuelata facie gloriā Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur, id est, nos sumus speculum lympidū, quod deitatem in se suscepit: eamque viuam reddit imaginem. Vides ergo animam Pauli: quæ (velut speculum) deitatis *2. Cor. 2.* receperat gloriā. Alibi dicit: ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur. Quasi diceret: habeo Deum extra me, & coram me, & intra me: qui audit me, nō me: sed Deum loquentem audit. Si Paulus, pro humanis viribus, deitatem ita hauserat, vt totus in ea nataret absorberetur, penetraretur: an non verè dici hic potest Filius Dei? Tales Filij Dei pacificatores sint, si verè Filij Dei esse velint.

Porrò sicut Filij Dei officium fuit, se in terra seminare: vt *Ioan. 12.* granum frumenti mortuum, multum fructum afferret: ita & hi pacificatores granum frumenti sunt: qui semper mortificationem Domini IESV, in corpore suo portant: vt vita *2. Cor. 4.* IESV manifestetur in corporibus vestris: inquit Paulus. & addit: semper igitur mors operatur in nobis: vita verò in vobis.

vobis. verè Paulus, & qui eum immitãtur: filij Dei dicũtur: qui ita filiũ Dei sequũtur: vt mori velint, pro vita filiorum.

Iam sicut in hoc apparuit Filius Dei, vt destrueret opera diaboli, & vt Filios Dei, qui erant dispersi, in vnum ouile reduceret: ita & hi pacificatores in hoc apparent Filij Dei: vt destruant opera diaboli. (Quem propterea sunt acerrimum hostem habituri) & filios Dei ad diuinas caulas reducant: quos propterea, vt filios dilectissimos sunt amaturi. 1. Ioan. 3. Ioan. 11.

Sunt multi Doctorum qui velint: pacificos hic dici: qui post pugnas, & agones spirituales, pacem a Deo acceperũt: vt iam, non Iacob dicantur, sed Israel: non pugnator Dauid, sed pacificus Salomon: non naufragus Noë super aquas: sed is ipse Noë exhaustis aquis: Deo hostias suauè olentes offerens. Quæ explicatio non displicet. Si igitur hos pacificos, seu potius pacatos esse velis: dic hos esse filios Dei: sicut enim in Deo, non pugnat iustitia cum iniustitia: totus enim ipse iustitia est nihil habens iniustitiæ: & sicut in Deo non pugnat esse, cum non esse, totus enim Deus est esse: ita & in his pacificis, totum iustitia est, bonitas est, Deus est, & ideo totum bonum est, pro captu tamen suo. Genes. 32. 2. Reg. 7. Genes. 8.

Beati qui persecutionẽ patiuntur. Certè prudentissimè Christus persecutiones beatificauit. Si enim persecutio hac careret consolatione, aut desperaret qui eam patitur, aut iustitiã propter quã patitur, desereret. Sed quia Deus ipse est iustitia: ideo præmium patienti propter iustitiam proposuit.

Interim tamen mecum, Lector, stupeas, videns esse qui iustitiam persequentur. An non iustitia pulcherrima est? Videlicet quæ diuinam pulchritudinem habet: cur igitur homines, cum tam lucentem & splendentem fulgorem conspicantur, non magis ipsum amant, quàm odiant? Non magis fauore, quàm furore prosequantur? An non iustitia hominum animis concreata est, & congenita? Videlicet, sicut veritas intellectui innata est, ita & voluntati bonitas & iustitia, (omnia enim bonum naturaliter appetunt) cur igitur homines contra suas se armãt opes? Anima rationalis naturaliter rationis est particeps, cur igitur cum ratione bella gerit? Et quod magis mirere: ipsi iudices terræ: quibus datum est iustitiæ vexilla ferre, & pro iustitia cõferere manus, ipsi sunt: à quibus sibi magis iustitia timet. Hi sunt, qui etiam latentem iustitiam in publicum proferunt: & cum ea non solum latenter, sed publicè pugnant.

Nec interim populus contra iudicem insurgit, iustitiam à iudicis manibus erepturus. An non verè beatus ille reddetur à iustitia ipsa, qui cõtra furentem iudicem & populum, pro

Lucæ 4. iustitia se profert: etiam occidendus? Beati ergo qui patiuntur persequutionẽ, vt iustitiam tueantur, quia ipsorum est regnum cœlorum. Primùm, quia qui se humiliat dignus est, qui exaltetur: at qui patitur propter iustitiam, vilis æstimatur: vita, & luce indignus. Ideo enim & vita, & luce pri-

Ioan. 12. uatur, dignus ergo est, qui vita, & luce æterni regni coronetur. Dignum est, vt granum frumenti pro iustitia mortuum, reuiuiscat. Si igitur moreris pro iustitia, dignum est, vt tibi vita reddatur: non terrena, quam pro iustitia perdidisti: sed cœlestis: quia est ipsa iustitia, cœlestis.

Et quidem si tanto pretio dignam iustitiam æstimaui: vt propter eam quicquid in mundo dulce est contemnerem, quicquid amarum est amplecterer: an non æquum est, vt det ipsa iustitia mihi, id quod mundo maius est, scilicet regnum

Psal. 93. cœlorum? Eleganter Dauid: Captabunt, in animam iusti, & sanguinem innocentem condemnabunt. Sed qui propterea

Ibidem. Dauid? Certè factus est Dominus mihi adiutor, Deus meus in adiutorium spei meæ. Vides, Lector, Deum esse spem iustitiæ condemnatæ? Alibi inquit Dauid spem inopis cõfu-

Psalm. 13. distis, quia Dominus spes eius est. ac si diceret: Conamini vires iustorũ confringere: at verè, ideo Deus spes eorum est.

2. Tim. 2. Adde. Si iustus in persequutione Christo commoritur: ne-

Rom. 8. cesse est cum eodẽ, viuificetur: qui enim suscitauit Dominũ Iesum à mortuis: viuificabit mortalia corpora vestra, propter inhabitantẽ spiritum eius in vobis. Sicut enim propter inhabitantẽ spiritum, non succubuit iustitia iniustitiæ: propter eundẽ spiritũ est necesse quòd nõ succũbat vita morti.

Matth. 11. Quòd si violenti rapiunt cœlum, nescio qui sint potius hi violenti, quam qui sibi illatam violentiam libenter amplectuntur, quique tantopere sibi vim faciunt: vt propter iustitiam, vitam suam tyrannorum libidini subiciant.

Matth. 5. Et si pauperum est regnum cœlorum: an non magis erit eorũ: qui parati sunt omnibus rebus, & ipsa sibi vita dilecta carere, ne vitam deserant iustitiæ. Si regnum cœlorum, is habet pauper: qui cum pulicibus, & sordibus bella gerit: an nõ magis habebit, qui propter iustitiam, paratus est, bellum gerere cum omni creatura?

Duo mihi reliqua sunt dicenda. Alterum est, mirari quam

parum sit Deus noster auarus, quam suum regnum facilè cuiuis patiēti communicet: ac si meritis nostris, maximè ille indigeret, aut regnum suum minimè ille æstimaret. Et quidem si Dei seruus sum, necessitas incūbit mihi pro Deo meo pati, nec ille propterea, me regem regni sui efficere obstringi videbatur. Seruus enim inutilis sum, quod debui facere feci.

Alterum, est contemplari, cur dicat Dominus, eum qui patitur, iam regnum habere cœlorū. nec enim dicit: eorum erit regnum, sed ipsorum est. Et quidem iuxta Paulum, regnum Dei est iustitia, pax, & gaudium in spiritu Sancto. licet igitur, qui patitur pressuram in mundo, & ex mundo habeat: at si in spiritu sancto pacem habet, & iustitiam, & gaudium: sanè regnum habet, iam ausculta. Si pateris propter iustitiam, habes iustitiam: pateris enim ne deseras quod habes. At iuxta Paulum pax & patientia coniunguntur: est ergo (si pateris propter iustitiam,) simul in te, iustitia & pax, at iuxta eundem, patiētia parit probationem, & spem regni. ex vtraque immensum oritur gaudiū: gaudet enim animus, cum in tribulatione non succubuit: gaudet item, quòd sibi tanta parata retributio. meritò igitur regnum habet qui iustitiam, pacem, & gaudium habet. & rursum, reuera Dominus mundi est, qui propter iustitiam mundum tam facilè contempsit, nec poterat mundum ita contemnere, qui aliquid cœli iam non haberet. Lucæ 17. Rom. 14. Galat. 5. Rom. 5.

Beati estis cùm maledixerint. Si in hac beatitudine dixisset Christus. Tolerate, cùm maledixerint vobis homines: erat tolerabile verbū. At cum dicat: Gaudete, & exultate: cōsiderare nos iussit, quæ tāti esset causa gaudij: Et quidem primo gaudeat deserta, plures filios habens: quā quę habet virū Cū cōsolaris, videris tibi virū habere: cū angeris, videris tibi esse sine marito. At gaude, quia plura tibi sunt merita, & maiora: cū sic sine viro es, quā cū virū videbaris habere. Secūdò: vir iustus gaudet, cū datur sibi soluere quod debet, at cùm cōsolamur, viuimus nobis, cū patimur, viuimus Christo, Debemus autē ei, qui pro nobis mortuus est, ne viuamus nobis: sed ei, qui pro omnibus mortuus est. Hoc est enim mutuam illi vicem rependere. Tertiò gaudet is qui dona recipit. At Paulus dicit: Vobis donatū est pro Christo, non solùm vt in eū credatis, sed vt pro eo patiamini. Itaq; pati pro Christo, donū Dei est. Quartò gaudet quiuis, cū similis filio regis fit. At per passionis tolerantiā, Christo patienti conformamur. Isaiæ 54. 2. Cor. 5. Philip. 1.

Quòd si patienti conformes efficimur: apertum est, quòd
2. Cor. 1. etiam efficiemur conformes eidem regnanti. An non hæc sufficiens gaudij ratio? Quintò melius est honorem tuo merito habere, quàm alieno. Ideo enim Christus tanta passus
S. Thom. est, vt honorem & gloriam quam à Patre erat accepturus:
3. par. q. 19. per suum sibi meritū compararet. At cùm gratiam recipis, sine tuo merito recipis. Recipis etiā & tunc ius ad gloriam,
Rom. 4. quam tibi tuo merito comparare, (cùm pateris) gaudium est. Sextò, elegāter Chrysostomus super. c. 1. ad Philip. Cùm excito, inquit, mortuos: & cum reliqua miracula facio, minus mihi donatur, quàm cùm pro Christo patior. Illic enim debitor sum, hic verò Christum debitorem mihi constituo. Septimò, & quidem gaudij materia est: quod tantum amorem mihi Christus donarit: vt propter eum non solum mundum, sed etiam & me contemnam.

Sed adhuc mecum rem expendas. Cùm patimur, vetus noster homo non gaudet, quia vetus est, nec tantum pōdus
2. Cor. 4. ferre sufficit. At nouus homo longè aliter, fortis est & robu-
2. Cor. 12. stus: noua creatura est, quæ renouatur, (cùm vetus ille cor-
2. Cor. 12. rumpitur) quæ in infirmitate perficitur, quæ cùm infirmior videtur, tunc potentior est. Vetus homo patiens, querelas
Actor. 5. fundit: nouus patiens gaudet à conspectu concilij: sciens quòd dignus sit habitus pro nomine IESV pati. Nouus
2. Cor. 12. patiens libenter gloriatur in infirmitatibus: vt in se habitet
Galat. 6. virtus Christi. & dicit: Mihi absit gloriari nisi in cruce. Et
1. Cor. 2. quidem animalis homo non percipit quæ Dei sunt: ideo in agonibus deficit. At spiritualis omnia dijudicat: & ideo
Psalm 33. iudicat, quòd tūc est sibi iuxta Deus, iudicat item, quòd mo-
2. Cor. 4. mentaneum & leue tribulationis nostræ, æternum in nobis pondus gloriæ operatur: non considerantibus momentanea, sed æterna.

Ioan. 1. Vide S. Thom. 1. Corin. 10. in illud: fidelis Deus qui non permittet &c.

Ego quidem non admiror: si natus ex sanguinibus & ex voluntate carnis, aut viri, cùm grauatur pondere tribulationum, lassetur: vt qui minores vires habeat: quàm pondus quo premitur. Humanæ enim vires minores sunt sæpè, quā tentationum procellæ. At, qui ex Deo natus est homo, vires habet diuinas: ideo tribulationibus maior est: quid igitur mirum est, si oppressus gaudet, & sicut palma resultat?

Iam si Paulus dicit: Viuo ego, iam non ego: viuit verò in
Galat. 2. me Christus, si in me viuit Christus: qui vincit mundum,
Rom. 6. qui iam non moritur, cui non vltra mors dominatur: quid

mirum,

mirum, si mortẽ contemnã, cui vita Christus est? Et si Christus est constitutus a Patre super omnia, super omnẽ creaturam, si in me manet Christus, reddet me etiã super omnia. *Psal.* 2. *Ephes.* 1.

Sed quid moror? imò quid admiror, si Christus iubeat suos, in tribulatione lætari, quando ipsa secum tribulatio dulcedinem affert? Dauid dicit: Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulãt me. Igitur hinc tribulant homines, illinc verò Deus parat mensam tribulatis. At mensa Dei, non potest esse non læta. Rursum Dauid dicit: Secundùm magnitudinem dolorũ meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animã meam. Igitur cùm dolores opprimunt cor, consolationes Dei (quæ exuperant omnem sensum) non tantum cor, sed totam lætificant animam. Cui adstipulatur Paulus, dicens: Sicut abundant passiones Christi in nobis: ita abundat & consolatio nostra. Si igitur cùm premit tribulatio corpus, exhilarat animam consolatio: qui mirum, si Christus suos iubeat in tribulatione gaudere? Dicit Dauid; fuerunt mihi lachrymæ meæ panes. Quid igitur mirum, si gaudet homo, cùm comedit? Si ipse lachrymæ panis sunt famelico: quid miraris, si panem comedens gaudeat? Si miraris quòd lachrymæ versæ sint in cibum: ne mireris. panis & vinum cor hominis veteris confirmant. At nouus homo, noua creatura, sicut esse nouum habet, ita nouum habet stomachum, nouum habet gustum, qui maximè in tribulatione lætatur. Sicut ergo miraculum est in mundo homo nouus: ita & miraculum est, quòd in laboribus gaudeat. Vt enim dedit Deus Iordani, quòd eius aquæ sursum fluerent: ita dedit quòd non dolenter sursum ascenderẽt, sed spontè. Gratia enim noui testamenti, si quid iubet facere, dat vires quibus fiat. *Psal.* 22. *Psal.* 93. *Philip.* 4. 2. *Cor.* 1. *Psal.* 41. *Psalm.* 103. *Iosue* 3.

At non libet sicco calamo verbum Domini præterire. *Exultate, quia merces vestra magna est in cælis.* Vbi nota: Si merces est, igitur mentitur, qui dicit, operibus nostris nihil ex iustitia deberi. Imò sicut merces debetur operanti, non secundùm gratiam, sed secundùm debitum: ita & gloria debetur operanti ex debito. Rursum, sicut non est indignum operanti, si propter spem retributionis operetur: ita nec est Christiano indignũ, si operatur spe ęternæ retributionis. Item nota, simul ac de Christo mentio facta est in his beatitudinibus, statim de mercede etiam mentio facta est, quia propter Christũ, merces. Iam si merces datur in cœlis magna: datur *Rom.* 4. *Psal.* 118.

etiam minor. ſunt ergo in cœlo diuerſæ mercedes. Habent quidem mercedem pauperes, habẽt & mites: ſed ſuper omnes habent, qui propter Chriſtum patiuntur. Quòd ſi merces pauperum eſt regnum cœlorum, & merces patientium eſt magna, neſcio quid hîc maius regno ſubolet, quod propter Chriſtum patientibus paratur. Alioqui ſi regnum paratur patientibus, & merces patientium propter Chriſtum, ſolum eſt regnum cœlorũ, æqualis ergo merces eſt vtriſque, Quod non ita eſſe Dominus eſt author: cùm dicit, Gaudete patientes propter me: quia merces veſtra magna eſt, Num igitur eadem merces promittitur patiẽtibus propter Chri-
Geneſ. 15. ſtum: & Abrahæ: cui dictum eſt, Ego ero merces tua magna, nimis? Tãdem non poteſt non eſſe magna merces, quę Deo ipſi magna eſt, quamque ipſe Deus magnam eſſe dicit. Et reuera nõ eſt qui magna mercede ſit dignus: niſi qui propter Chriſtum magna paſſus eſt. Certè credere in Chriſtum dat
Rom. 4. gloriam Chriſto: at nemo ita & gloriam dat Chriſto, quàm qui patitur propter Chriſtum, cùm non ipſa ſolum lingua Chriſtum confitetur, ſed & omnia oſſa ſanguine martyris
Pſal. 34. ſuffuſa, & ſæuitia tyranni diſcerpta dicunt, Domine quis ſimilis tibi? Hîc planè eſt quem iure Chriſtus confitebitur
Matth. 10. coram Deo, & angelis. Erit igitur ſpecialis quædam laus & prerogatiua, eorũ qui propter Chriſtum tormẽta paſſi ſunt.

Vos eſtis ſal terræ. Duplex ſe mihi offert huius loci explicatio. Altera intelligẽdo per terram, totum hominum genus. Dictum eſt enim de Adam (in quo omnes eramus) Puluis
Geneſ. 3. es, & in puluerem reuerteris. Videlicet, quia principium, & finis hominis terra eſt. & Ieremias: Non alio fœliciore no-
Ierem. 22. mine dignatur homines, quàm terrę, cùm dicit: Terra, terra, audi verbum Domini. & Moſes, Audite cœli (id eſt angeli)
Deut. 32. quæ loquor, audiat terra verba oris mei, id eſt, audiat totum genus hominum. Iam hæc terra. poſt peccatum Adæ male-
Geneſ. 3. dicta eſt, & Deo inimica. Si quidem omnes naſcimur filij
Epheſ. 2. iræ. Quídni maledicta erit terra: quę ſpinas profert, & tribulos? dicit enim Apoſtolus, terra proferẽs ſpinas, & tribulos
Hebr. 7. reproba eſt, maledicto proxima, cuius conſummatio eſt in combuſtionẽ. Terra ergo generis humani Deo inimica erat. Hanc terram Deus ſale ſeminauit: vtpote hoſtilem. Sed quàm diuerſa ratione ſale ſeminauit Deus, quàm ſoleant victores vrbes deſolatas, ſale ſeminare? Hi ſeminant ſale, vt omninò tabida reddatur terra, & in fœcunda. At Deus ſalem

salem Apostolorum in mūdo seminauit, vt terram redderet è mortua viuam: ex malè fœcunda, bene fœcundam: ex senticosa, fructicosam.

Iam igitur attētius aduerte. Sal ad quatuor vsus olim assumebatur. Primum: ad vastationem hostilis terræ, vt nunc dicebamus. Secundò ad fœdera concilianda. Ideo enim Antiqui, cùm hospitem recipiebant, primum illi salem apponebant, significantes, velle cum illo fœdera pacisci. Author est Cælius lib. 12. Antiquarū Lect. c. 1. Et quidē non egemus Celio. Ideo enim pactū fœderis, vocabatur pactum salis. 2 Paralip. 13. Pax enim & amicitia sale significabatur. Quia tam est iucūda, & necessaria inter homines pax, quam inter cibos sal. Tertiò: Ad sacrificia offerenda. Nullum sacrificium volebat Dominus, sine sale sibi sacrificari. Significās, tunc demum placere Deo sacrificium: cum ex corde amico sacrificatur. Significans rursus: Dei cibum, esse nostrum sacrificiū. Et sicut nos nostros cibos sale cōdimus: ita Deum velle suos à nobis, vero sale condiri. Quartò: Ad cibos quos natura nobis dedit insulsos, condiendos, & temperandos.

Igitur Apostoli in mundo, id est, in hominum genere, hæc quatuor officia præstiterunt. Primò enim se mundo seminarunt: docentes, mūdum Deo esse inimicum. Prudentia enim carnis, est Deo inimica, & legi Dei nō est subiecta, neque enim potest. Et rursum: Omnis qui diligit mundum, inimicus Deo constituitur. Intelligis igitur, quòd cùm Dominus mundo seminauit Apostolos: quasi victor, salē mundo seminauit. Seminauit verò, vt iā nō proferret tribulos & spinas. At nostra infœlicitate, & aliquorū qui Apostolis successerūt fatuitate, terra nostra spinas regerminat & tribulos. *Rom. 8.* *Iacobi 4.*

Secundò, licet ante salis disseminationem, terra Deo esset inimica: at volens Deus huic recōciliari, in pacis symbolum, Apostolos terræ mādauit, propter quos Deus; qui inimicos homines habebat: iam habet amicos, & fœderatos. Enimuerò si Paulus dicit, Iudæos esse Deo inimicos, quia infideles sunt: esse tamen Deo dilectos, quia filij sunt Patriarcharum: quantò potius, homines etiam si mali sint, erunt Deo amabiles propter Apostolos: qui Patres nostri sunt lōgè meliori ratione, quàm Iudæi sint Abrahæ filij. Hi enim secundum carnem, nos verò secundùm promissionem, & spiritum filij sumus prophetarum, & sanctorum. Inde verò elucet ratio, quare Deus tantam culparum ferat infinitatem, quātam *Rom. 11.* *Rom. 4.*

admittunt

admittunt homines: Certè quia medij sunt Apostoli, tanquam salis symbolum: qui sunt velut murus Deo oppositus, ne eius in nos ira desæuiat. Et si Deus Mosi dixit: Dimitte me, vt irascatur furor meus contra populum hunc: quanto sæpiùs, hoc est, arbitrandus Deus Apostolis dixisse.

Ierem. 15
Exod. 32.

Tertiò, Apostoli sunt sal ad sacrificia celebranda: nihil enim gratum offerre Deo homines possunt, nisi sit Apostolico sale perfusum, id est, nisi Apostolorum, vel successorum approbarit autoritas. Contendant hęretici quantum volent bona opera facere: non ea probat Dominus, nisi prius sancta probarit Ecclesia. Egregiè Dominus inquit: Sicut misit me Pater, ego mitto vos, at nihil placet Patri, quod non probauerit Christus: ita igitur nec quicquam placet Patri, quod non probarint Apostoli. Siquidem spiritus vnus est, qui in Christo est, & in sua Ecclesia. Sal terræ Christus: ita & sal sunt terræ Apostoli.

Ioan. 20.

Quartò, Apostoli sunt sal, ad condiendos cibos. Memorię succurrit, quòd terra nulli animali cibus est, nisi serpenti. Dictum enim est: Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Homines igitur, qui post peccatum terra sunt, & in terram reuertuntur, cibus sunt serpenti cunctis diebus: & quia dies serpentis sunt æterni, fit vt homines qui terra sunt, & erunt, sint in æternum dæmonum cibus: ô rē miserandā, quòd miseri homines perpetuò deuorabuntur à dæmone. Nullúmne tanto malo remedium erit? erit planè. Si enim insulsa terra cibus est dæmonis: eadem si salsa fuerit, & Apostolici salis saporem acceperit, cibus reddetur Dei. O rem iterū admirandam. Si voluerint homines viuere, sicut vixerunt Apostoli: vt eum habeant saporē, quem illi habuerunt: iam non eos dæmon deglutiet: sed Deus, tanta est rerum mutatio. Petre, inquit Dominus, occide & manduca. Quid Domine? imò tu ipse occide, & manduca. Minimè quidem manducabit Deus, quod non manducauerit Petrus: & nihil sapiet Deo, quod non sapiet Petro. At Apostolis nil sapit, nisi Apostolicum.

Genes. 3.
Actor. 10.

Cùm Lector frequenter hìc audis Apostolos, intellige eorum charitatem, patientiam, humilitatem, paupertatem, & absolutum sanctitatis exemplar. Sicut cùm Deum audis, intelligis summam charitatem, iustitiam, &c.

Nō libet silētio præterire quàm elegāter depinxit Dominus futuros Apostolos, cùm eos nomine salis nominauerit.

Sal educitur ex aqua, maximè maris, cõtrahitur in angustam terram (aream, scilicet, in modum fossæ paratam) ita vt aqua non exhauriatur à terra: sed ima solum facie, terræ iungatur. Mox illa aqua Solis calore durata, sal fit. Iam vide quam graphicè hæc prædicatorem Apostolicum depingãt. Mare mundus est, ex hoc mari debet prædicator assumi. omnis enim pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur. & Dominus inquit. Ego vos elegi de mundo. In hoc enim officium non angeli assumuntur, sed homines: vt sciant se circundatos esse infirmitate. Igitur prædicator ex mari est assumendus: at cũ ita assumendus, vt in angustam aream abducatur, non verò in laxa fluẽta. arcta enim via est, quæ ducit ad vitam. Sed num sat est, vt prædicator efficiaris, vitæ arctitudo? minimè. Requiritur vt Solis colere durus efficiare: habet enim Ieremias. Dedi te hodie, in ciuitatem munitam, in columnam ferream, & in murum æneum, super omnem terram. Bellabunt contra te, & non præualebunt. Et quidẽ bellauit totus mundus contra Diuos Apostolos: nec præualuit: imò victus succubuit. Videlicet quia calor charitatis, ita apostolica pectora firmauit: vt nullis ictibus cederent. Humilitas ergo, & vitæ arctitudo, tum charitatis ignis, & patientiæ fortitudo prædicatorem reddunt Apostolicũ, illum videlicet, qui sal terrę futurus sit. *Hebr. 5.* *Ioan. 15.* *Hebr. 5.* *Matth. 7.* *Ierem. 1.*

Quòd si sal euanuerit. Attentione dignum est, non dixisse Dominum, si sal computruerit: aut si liquatum fuerit, vel humectũ. Hoc solum dixit, Si sal euanuerit, aut infatuatum fuerit. Videlicet, quia grande salis periculum est à vanitate & fatuitate. Cùm enim Apostoli in gradu sint excelso: & rursum cùm videant se esse plebis doctores, & magistros: ipsa eos celsitudo vanos reddere potest: ipsaque sua scientia inflatos & fatuos. Apertũ est enim locum altiorem, hominem efficere vaniorẽ, vt Lucifer testis est locuples. Rursum apertum est, quòd scientia inflat. graue ergo periculum prę latis est à fatuitate. *Isaiæ 14.* *1. Cor. 8.*

Dices, Quænam hæc est fatuitas? respondeat Paulus: Sapientia huius mundi, stultitia est apud Deum: ergo si Prælati voluerint mundi sapientiam sequi, infatuantur. Quid verò sit sapientiam mundi sequi, ipse Paulus respõdeat, cùm ait: Nihil me arbitratus sum scire inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. quòd ergo extra Christum crucifixum fuerit, extra sapientiam est. Audi alio loco Paulum: Pruden- *1. Cor. 2.* *1. Cor. 2.* *Rom. 8.*

Prudentia carnis mors est: non ergo sapientia est. Deum immortalem, quàm difficile est distinguere inter prudentiam carnis, & spiritus? &, ex alia parte, si sapientiam carnis sequimur, infatuamur. Et quod longè miserrimum est, si sal infatuatum fuerit, in quo salietur? id est, Si Prælatus elatus fuerit, si mundi prudentia tumens, in quo salietur? quasi dicat, est immedicabile malũ. At nunc quid videmus nisi elatissimos prælatos: fatuos, aut certè seculi prudentia turgidos? hoc verò quod ipsi putant esse sublime, malum est irremediabile.

Quæris cur irreparabile sit malum hoc? respondebo, quia summam habet boni speciem. Videtur enim Prælatis ipsa seculi altitudo & elatio necessaria esse, Pontificiæ dignitati:
1. Cor. 3. ipsaque mundi sapientia, (quæ Deo fatuitas est) illis apparet vehementer vtilis & accommoda: quomodo igitur medebimur malo, quod qui habet, grande credit esse bonum?

Non mihi hæc dicta fuerint, quò damnem secularem prudentiam. Absit, hæc enim etiam donum Dei est: sed quò cuperem hanc tam laudatam suppellectilem, Euangelio inseruire, non dominari, Euangelium sequi, non impedire.

Interim timere debent Prælati tam horrenda Domini verba: Si sal euanuerit, quo salietur? Et quidẽ viri simplices, & ineruditi, cum audiunt verbum Dei, aut exempla sanctorum. facilè saliuntur: facilè enim obediũt Euangelio. At Prælati, & docti homines, cùm mali sunt, cùm tepidi, cùm à cœlesti conuersatione alieni: licet verba & exempla sacra audiant: tot habẽt excusationes in peccatis, tot habẽt rimas, quibus è manibus Dei elabantur, vt saliri se non sinant. Et demum, cùm docti homines tam habeãt sanctas literas versatas, & reuersatas, iam non illos hæ mouent, aut stimulant: nimia enim consuetudo, abstulit reuerentiam. Hę sunt causæ quare cùm sal euanescit, non habet quo saliatur.

Ad nihilum valet vltrà. Grauissima est hæc Domini sententia, quà censet Prælatos vanos, & fatuos ad nihil valere. At dices, Imò certè valent: plures enim eleemosynas conferunt, hospitalia ædificant, ecclesias reparant, lites dirimunt, beneficia conferunt: cur igitur Dominus dicit eos ad nihilum valere? Certè quia hæc omnia sine spiritu, temporalia sunt, quæ nihil esse dicuntur, vbi cœlestibus comparantur.
1. Cor. 13. Nam & Apostolus dicit: Si habuero fidem, prophetiã, scientiam, si dedero eleemosynas, si corpus meum ignibus obtulero, sine charitate, nihil sum: temporalia enim sunt hęc, non

cœlestia,

cœlestia, vtpotè quæ sine charitate fiant.

Dices: Etiam vani & fatui Prælati valent ad Synodos congregandas, leges sanciēdas, ordines conferendos, sacramēta perficienda. Et hæc sunt equidem cœlestia. Video hæc esse cœlestia, sed quantum hac Prælati parte prosunt, tantum ex sua vita repenti, vana, & superba, gregibus obsunt. Vt verè dicatur, Nihil valent. Quod enim vna ædificant manu, altera destruunt. Imò potentius destruunt, quàm ædificāt: quantò potentius est exemplum vitæ, quàm verba doctrinæ.

Sed equidem durissimum est quòd dicit: Ad nihilum valent vltra, quasi dicat: In perpetuum reddūtur inutiles. Quid igitur Domine, num fatui Prælati omni remedio carent? nullàne est melioris vitę expectatio? est certè. Quia quę sunt hominibus impossibilia, sunt apud Deum possibilia. Grauissimè infatuatus est Petrus, dum ad ancillæ vocem, Christum negauit: sed sanatus est, non ab homine, sed à Deo: respexit enim illum Dominus, & egressus fleuit amarè. *Matth. 19.* *Matth. 26.*

Nisi vt mittatur foras. Ac si dicat: Nulli rei Prælatus fatuus est accommodus, nisi in hoc vnicum, vt foras mittatur. Vbi non dicit, Prælatum fatuum, iam missum esse foras, & iam conculcatū: sed quòd ad id valeat, vt mittatur foras, & conculcetur. Vbi dubium est nō leue, quid sibi velit mitti foras, & quid conculcari ab hominibus. Ego non credo hæc ad inferni pœnam referri: non enim recolo me legisse, damnatorum pœnā esse ab hominibus conculcari. Credo igitur ad ecclesiasticam censuram esse referenda, vt sit sensus, Prælatus fatuus dignus est, qui deijciatur & exautoretur, (hoc est enim foras mitti) & dignus est ita abijci, vt ab hominibus vilis, immundus, & abominabilis iudicetur. Hoc enim est conculcari, vt stercora: imò conculcari, vt bestias nociuas. Sanè Dominus nunquā discedit à suo more loquendi. Sicut ergo qui dānantur in inferno, dicuntur foras mitti. (palmes enim sterilis foras mittitur: vt ardeat) & dicuntur mitti foras, scilicet ab omni bono, & consolatione cœlesti: ita & qui deponuntur & exautorātur, mittūtur foras, ab omni bono, & cōsolatione ecclesiastica. Iam sicut bestias nobis nocētes cōculcamus, ne nocēāt: ita vellet Christus suos fideles de fatuo Prelato sentire, vt de bestia nocēte, id verò est cōculcare. Est ergo huius sermonis sensus: Prælatus fatuus effectus, remedio ferè caret. Ad nihilū vtilis est in perpetuū. Ad nihil dign' est, nisi vt deponatur: depositusq; adeò sit gregi abominandus, *Ioan. 15.*

nandus, vt ipsum velut stercus noxium fugiāt & cōculcent.
Deum immortalem, si Prælatus fatuus hæc promeretur, quid credis eum promereri, si nequam efficiatur, si homicida, si fur, si libidinosus? Sed hæc vitia hominum sunt, non Prælatorum.

Nota: Etiā si Prælati (si singulos spectes) infatuari possint: at in negotio fidei & morum, vbi in concilium rite & rectè congregatum coäluerint: infatuari non possunt. Alioqui si totum sal ecclesię, in huiusmodi negotio euanescere posset, in quo salietur? quomodo emendabitur? Imò & Papa qui salium sal est in negotio de fide, & moribus, si quippiam, vt pontifex decernit, infatuari nequit. Alioqui careret correctione, quo enim saliretur?

Vos estis lux mundi. Fac Lector videas mundum originalem, primo die, lumine carentem: quando tenebræ erant super faciem abyssi. Quid tunc aliud quàm horror, chaos, & rerum tristis, ac mœsta facies? Clamat vox Dei, Fiat lux. Fit lux. Quàm nouus rebus omnibus vultus? quàm res pulcherrima lux? sine quâ nihil pulchrum, quâ pulchrum est, si quid pulchrum est. Adeò pulchra lux, vt suæ dignitatis primus testis fuerit Deus, Scriptura dicente: Vidit Deus lucem, quòd esset bona. Nec voluit Deus solus esse lucis laudator: voluit etiam, vt quiuis si sanos haberet oculos, nihil æstimaret luce pretiosius. vt diceret Tobias: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video? Lux sola est cœlesti digna sede, quæ terrenis sordibus non sordescit: quę omnibus est chara, nisi malis hominibus, & lippiētibus oculis. Habes lucem, mundi huius pręclarissimum ornamētum. Attolle nunc oculos, & mundum nouum cōtemplare (quo tempore sunt Apostoli instituti.) Quid tunc erat mundus? an non erat totus tenebræ, & vmbra mortis? an nō erat domus horroris, & vastę solitudinis? quid erat nisi sola ciuitas, plena populo: id est, Deo sola, dęmonibus & peccatis plena? Quum verò Christus instituit Apostolos, fac te audire, fiat in medio harum tenebrarum fulgentissima lux. Vos, inquit, estis lux. Sanè sicut vox illa antiqua fiat lux, potens fuit lucem quæ non erat, facere vt esset: ita & vox Christi, *Vos estis lux*. potēs fuit, homines tenebricosos, viles, & qui non erāt: in tantam euehere celsitudinem, vt lux essent mundi, & lux essent in Domino. Et talis lux essent, vt post Deum (non hic de sancta Virgine loquor) nihil in orbe spectabilius, nihil sit pulchrius

Genes. 1.
Eodem.
Genes. 1.
Tobiæ 11.
Ioan. 3.
Ysaæ 9.
Deut. 32.
Thren. 1.
1. Cor. 1.
Ephes. 5.

pulchrius, quàm Apostoli. Planè Aristoteles, & Plato videbantur huius orbis soles, videbantur præ suo fulgore reliquas stellas obtenebrare. At vbi Apostoli fulserunt in orbe, tenebræ facti sunt omnes Philosophi. adeò vt qui sola Philosophorum luce velit illustrari, in tenebris maneat, qui vero sola Apostolorum est luce contentus, ipso sit sole splendidior. Quid dicam? Apostoli non sunt dicti lux terræ, aut hominum, sed lux mundi, planè quia non solùm terram, aut homines suo illuminauerunt lumine: sed ipsum etiam cœlum illustrius nunc est, si sic phas est dicere, quam esse solebat. In his, inquit hymnus, paterna gloria, exultat in his filius, cœlum repletur gaudio. Sunt igitur gaudium cœli, igitur & lux cœli. O quam vere dictum est. Factum est vespere & mane dies vnus! Quia prioris seculi homines velut vespere fuerunt. at Apostoli ipsum mane micātissimum: at ex his, vna coalescit Ecclesia: vnus enim Deus, vna est etiam Ecclesia, ab orbis initio ad finem. Porrò sicut eximius Apostolorum fulgor distringere videtur infimos hominum oculos: dum eorum præclarissimam vitam contemplamur: ita eximiæ tenebræ nostræ horrorem intuentibus incutiunt oculis. O quam longe distat nostra vita ab Apostolica! nec tamen nos nostræ pudet desidiæ. *Genes. 1.* *Ephes. 4.*

Subit me tamen admiratio. Cur Dominus non dixerit: Si lux offuscata fuerit, quo illustrabitur? Sicut dixerat: Si sal euanuerit, quo salietur? Et huius causam esse aduerto, videlicet, quia dixit Dominus: Ego rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua. quasi dicat, Rogaui, ne Apostolorū offuscari fidei lux possit. Fides enim Ecclesiæ & doctrina offuscari nequit. Mores quidem Prælatorum infatuari possunt: doctrina si Apostolica est, tenebras pati nequit. Vnde fit: vt suspectus in moribus prędicator tolerari possit. quia super cathedram Mosi sederūt principes: quod dixerint vobis facite, quia lux sunt, at secundum opera eorum nolite facere, quia euanuerunt in cogitationibus suis. At suspectus in doctrina prædicator, nec admitti ad prædicandum: nec si prædicet in prædicatione tolerari debet, videlicet quia lux, bona debet esse, omni tenebrarum consortio carens. *Luca 22.* *Matth. 23.* *Rom. 1.*

Iam sicut a luce cœli, omnis alia lux orta est: ita ab Apostolica luce, omnis alia pendet. Sed hæc hactenus. Nec enim humanus animus comprehendere potest, tantam celsitudinem, quanta est mundi lucem esse.

Paul. de Palacio. O Non

Non potest ciuitas abscondi. Iudicio meo, hoc loco Dominus repellit à viris sanctis, qui digni sunt sal esse terræ, & mundi lux, eum timorem, idque desiderium, quod sunt habere soliti. Vellet sanctus nunquam in publicum prodire, nunquam sui silentij claustra violare: vellet sibi, Deoque viuere tantùm. Quocirca nihil magis timet, quàm pontificatum, aut prælationem. Præsertim cùm videat quantus labor humeris prælatorum incumbat. Quis enim non horreat
Exod. 18. locum habere Moysi, qui ad omnium Iudæorum causas res-
2. Cor. 11. pondeat? Quis non refugiat substitui Paulo, quem omnium Ecclesiarũ vexat sollicitudo? Quis nõ timeat infirmari cum
2. Cor. 11. omnibus infirmis: viri, cum ijs qui scandalizãtur? Et denique quis nõ vereatur tot pericula fluminum, latronum, ex gente, ex falsis fratribus: vigilias, famem, sitim, frigus, nuditatem,
2. Cor. 11. & reliqua, quæ verus Pontifex Paulus gloriabundus commemorat? Quòd si sola corporis pericula expectarentur, non vehementer essent timenda: sed maculas animæ sibi
Cantic. 5. sponsa timet. Dicit enim: Laui pedes meos: quomodo rursum inquinabo illos? Expoliaui me tunica mea, quomodo rursum induar illa? Vix enim qui tangit picem eius euadit
Ecclef. 13. maculas. Vellet igitur vir sanctus qui sal est, & lux, si posset abscondi, nemine salire, nemini lucere. At contra Dominus: Non potest, inquit, fieri, vt abscondamini, vt enim non potest ciuitas abscondi, si supra montem sita sit: ita nec vos latere potestis.

Vbi multa se offerunt, explicatu dignissima. Primum cur Apostoli, eorumque successores dicantur ciuitas? Ad quod primò responderi facile posset, sumptum esse nomen totius à parte: vt enim in sacris Literis, anima dicitur totus homo, est enim hominis præcipua pars anima, & item homo dici-
Psalm. 29. tur facies. Exquisiuit te facies mea (id est, ego totus,) faciem
Ephes. 2. tuam, (id est, totum te) requiram. Ita quia Apostoli sunt fundamentum ciuitatis, id est, Ecclesiæ: ideo dicti sunt ipsi ciuitas. Prælatus enim fundamentum est Ecclesiæ suæ, idem ipse est anima suæ Ecclesiæ, radix, vita, cor, facies, caput.

Secundò respondetur viuidius: Prælatus dicitur ciuitas, non sicut castellum exiguum, aut oppidulum vile, quod hostibus facile cedit, nec eorum fert impetum furentem: sed sicut ciuitas, quæ hosti se opponit intrepida: vt quæ supra mõtem fundata est. Rursum in oppidis exiguis, exiguæ sunt opes: at in ciuitatibus nihil est quod desideres, ita in animabus

bus subditorũ, paucæ sunt virtutes, oppidula sunt, at anima Prælati diues est omni virtutum genere: est ergo ciuitas. Substantia, inquit Sapiens, diuitis est vrbs fortitudinis eius. *Prou. 18.* quantò potius substantia spiritualis, viri sancti erit ciuitas fortissima?

Tertiò, adhuc acutius: Pontifex ille vetus gestabat auream in pectore laminam, in qua descripta erat nomina filiorum *Exod. 28.* Israel. Erat hæc figura pontificis veri, in cuius corde debent esse scripta nomina omnium ouium suarum: in cuius corde tanta est charitatis amplitudo, vt in ea omnes sui subditi *Ioan. 10.* habitent confidenter. Si igitur in pontificis anima sui habitant inferiores, profectò huiusccmodi anima ciuitas est. Audi Paulum huius rei testem: iustum mihi, inquit, est hoc *Philip. 1.* sentire pro omnibus vobis: eo quod habeã vos in corde. Si tã amplũ est Paulo cor, vt omnes habitẽt in eo, profectò non erit cor illud solum ciuitas, sed regio, aut prouincia. Addit *Philip. 1.* Paulus: Testis mihi est Deus quomodo vos cupiã in visceribus IESV Christi. ac si dicat: Sunt mihi viscera Christi, ideo augustissima sunt. In illis vos habeo, amo & cupio. Igitur sicut Deus dicitur maior mundus, quia in illo sunt omnia, multo meliore nota, quàm in mundo ipso: & homo dicitur minor mundus, quia in ipso quadantenus omnia sunt, quæ in mundo existunt: ita & Prælatus quædam ciuitas est, in qua sunt thesauri virtutum, sunt & homines conscripti per amorem & curam egregiam.

Quartò etiam respondetur, quòd ciuitas ea dicitur, quæ ab hostibus suos defendit ciues: Ita planè viri sancti suos ab hostium defendunt incursibus. Beata Catarina sola sufficit vrbem defendere, quam mœnia prostrata deserebant. Quòd si à visibili impugnatione defendere possunt: quantò potius ab inuisibili? Murus fuit Moses toti Israëli, cùm dixit: Dele *Exod. 32.* me de Libro vitæ, aut parce populo huic. Sensit huius muri vires, ira Dei, cùm dixit: Dimitte me vt irascar contra populum. quasi diceret: Ne tantum mihi resistas.

Quintò, respõderi potest, quòd iuxta Ecclesiasticam sententiam, faber noctu, ac diu tractat, quomodo cælabit: ferra- *Eccles. 38.* rius exiccatur ab ignis æstu, vt instrumenta faciat: agricola semẽtem spargit, figulus molle lutũ format. Sine his, inquit, omnibus non ædificabitur ciuitas, & tractauerat priùs de iudicium sapientia. Igitur ciuitas ex quinq; munijs constat, iudice, fabro, ferrario, agricola, figulo. Cùm ergo Prælatus,

aut prædicator quinque illa munia habuerit in se, ciuitas erit. Si sapiens est, vt iudicet inter lepram & lepram: si agricola est, vt spargat semina Verbi: si faber est, vt proficientes fideles varijs virtutibus ornet: Si ferrarius est, qui igne charitatis, & malleo timoris, in suis vitijs obduratos, emolliat. Si figulus est, vt teneros adhuc Christianos parturiat, vt in eis
Galat. 4. formetur Christus iam hic erit ciuitas spiritualis, quæ supra montem poni debet.

Demum, ciuitas abscondit intra se domos. Ita & intra ambitum curę eleemosynæ, eruditionis, & exempli Episcopalis, debent esse omnes fideles.

At miraculi loco est, quòd ciuitas, id est, Prælatus cum fidelibus, sita sit supra montem, non infra. Videat ergo Prælatus, videat etiam quiuis nostrum, vbi sumus positi: quia supra Christum. Vt agnoscas, verè dictũ fuisse, quòd pastor
Lucæ 15. ouem errantem super humeros posuit. Et quòd cecinerat
Isaiæ 40. Esaias: In sinu suo portabit agnos, fœtas ipse portabit. Igitur & agni & prælati, agnorum parentes, à Christo ferũtur: sed maiore cura. Prælati ipsa ergo tam sacræ sedis vbi sedemus, & portamur, nos maiestas moueat, amare portantem, vel certè non mordere, aut conculcare.

Sed mouet me quòd dicit, Non potest ciuitas abscondi: multo erat planius dicere, non debet ciuitas abscondi. At dicere, non potest abscondi: difficile est. Quid? an non potest vir sanctus abscondi? an non volebat Petrus cum Romam fugeret abscondi? Planè si hominis fragilitatem spectes, abscondi potest: sed si ingenium charitatis aspicias, abscondi
1. Ioan. 3. nequit. Iuxta dictum Ioannis: Is, inquit, in quo Deus est, non peccat, sed neque peccare potest, quia semen Dei in ipso manet. Videlicet, quia si sequaris ingenium seminis diuini, in te manentis, peccare nequibis: peccabis tamen, si carnis tuæ prudentiæ nitare.

Neque accendunt lucernam & ponunt eam sub modio. Non est facile, vt arbitror, explicare, quid sit lucernam sub modio locari. Et primùm si simplicissimè loqui velis, dicito, Lucernam poni super candelabrum, est lucernam suo munere fungi. Eandem sub modio latere, est non prodesse: carere
Psalm 23. cõmodis, & vtilitate: & accepisse animam suam in vanum.
1. Cor. 12. Ait Apostolus quòd spiritus dantur in vtilitatem, non in desidiam. Et alibi: Dedit Deus Apostolos, & doctores, &
Ephes. 4. reliquos, in ædificationẽ corporis Christi, & Dominus vult

ad men-

ad mensam poni talenta sua, id est, Lucernam super candelabrum: & damnat seruum, qui defodit talentum in humo, id est, collocauit sub modio. *Lucæ 19.* *Matth. 25.*

Sed penetremus non nihil. Lux quæ sub modio ponitur, sub mensura ponitur. At lux super candelabro, sine terminis est, vult ergo Dominus seruos suos charitatem habere, sine modo, sine mensura, vt nunquam cessent: nunquam desideant. Planè cùm audis auarum dicentem: Erogabo eleemosynam, illi soli, qui extremè laborat: cùm audis tepidum Christianum dicentem: Non audiam missam, nisi cùm me lex cogit: non recipiam sacram synaxin, nisi cum annus præterierit, (ita enim nos Ecclesia metitur) hi omnes si lux sunt: sub modio, sub angusta mensura. At cùm audis, Optabam ego anathema esse à Christo pro fratribus meis: & rursum, Optabam ego, non solùm vobis conferre Euangelium, sed & viscera nostra. Hæc lucerna est angusta, non locata sub modio, sed super candelabrum. *Rom. 9.* *1. Thess. 2.*

Adde & aliud, Prælatus modius est, tum quia, quid est aliud caro, quam saccus vermium, & modius intra cuius parietes anima conclusa tenetur? Tum quia ad eius mensuram mensurantur fideles, qualis enim populus, talis sacerdos: tum etiam, quia Christus accepit Spiritum sine mensura. At tu accepisti iuxta modium tuum: vnicuique enim diuisit iuxta propriam virtutem & capacitatem. Si igitur modius est Prælatus, caueat, ne lucernam sub se ponat: cum supra se eam habere debeat. factum est, inquit, verbum Domini super Ioannem, factum est verbum super Ieremiam, nunquam inuenies factum esse verbum sub Ioanne, videlicet, quia prædicator non se, aut commoda sua in prædicatione quærere debet. Si enim quærat; sub se lucem subegit. At si lucis splendorem præ omnibus æstimat, is supra se habet lucem. Iam si lucis candorem, vitæ suæ tenebris obscurat, planè lucem abscondit sub modio, id est, sub tenebris. At si vita illi est illustris, & prædicationis accommoda luci: posita est lux in loco suo, id est, super candelabrum. *Oseæ 4.* *Ioan. 3.* *Matth. 25.* *Lucæ 3.* *Ierem. 1.*

Et quidem iuxta Augustinum, per modium temporalia intelliguntur. Si igitur Episcopi functio ad nihil prodest aliud: quàm ad temporalia bona, sub modio lucerna est. Enimuerò, si Episcopus solum valet ad lites iudicandas, ad

eleemosynas largiendas: hæc solum temporalia sunt, angusta sunt, modius sunt. Lucerna ergo sub modio latet. At si prædicatione ignita, si vita immaculata subditis, prodest suis, lucerna super candelabrum est.

Et aliud ausculta: Si quia tibi diffidis, episcopalem refugis functionem, candelam abscondis sub modio diffidentiæ tuæ. At si vis à Deo accendi, & in eo fidens, poni vis super candelabro, dum tamen tu ne te ipsum statuas: tunc lux super candelabro est.

Audi & illud, Quiuis nostrum appetentiam habet, quâ irrequietam cor habet. Hæc appetentia est, velut quoddam os nostrum, dictum enim est, aperi os tuum, & implebo illud. Si igitur hoc os, & hanc cupiditatem vertimus ad temporalia, certè modius noster, os deorsum habet. Quòd si prædicator, aut prælatus sic ad temporalia versus prædicat, planè lucerna est sub modio. Quia modius deorsum os suum habet, at si hanc appetentiam homo ad supera vertit, formã habet candelabri: cui si lucem imponas, tunc demum lux sufficiens est, illuminare eos qui in domo sunt.

Psalm. 80.

Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona. Quasi dicat: Non mihi lux vestra placet: nisi operibus comitata bonis. Nec hominibus lux prædicationis, aut placebit, aut proderit, nisi viderint cum luce opera vestra bona. Quis enim est qui arborem, sola ferentem folia ferat? Sanè maledicta ficus fuit: quæ folia fructibus vacua gerebat. Deus non producit Verbum æternum, sine sancto spiritu: ita nec tu proferas verbum, sine opere bono.

Marci 11.

At dices, Num iubet Deus, vt prædicatores sui, sua ostentent opera bona? Planè respondeo: Hæc differentia est priuatorum hominum, & publicorum. Priuatis hominibus dicitur: Te dante eleemosynam, nesciat sinistra, quid faciat dextera, Publicis dicitur: Luceat lux vestra, & videant homines opera vestra bona. Illi vereantur superbiam, & gloriolæ vanitatem. Hi iam non sunt paruuli, vt timeant circunferri vento gloriæ vanæ. Illi sat habent si se ædificent, hi alios suo exemplo, ædificare iubentur. Paulus sua ostentat opera, cùm dicit: Plus omnibus laboraui. Et rursum: Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, &c.

Matth. 6.

Ephes. 4.

2. Cor. 11.

Paruum est, si Prælati sua ostendant opera: longè aliud maius facere iubentur. Iubentur enim habere cum igneas flammas, vt semper prædicent, & semper suam conuersationem

ſationem oſtendant bonam. Sicut enim ſol hic quem videmus, luna & reliqua aſtra, nunquam ceſſant hominibus lucere, vitam, & fomentum præbere, non in alium finem, quam vt enarrent gloriam Dei: ita & fortius multò, ſoles ſpirituales, quales ſunt Prælati, Deum (qui eſt in cœlo, velut abſconditus) luce, & bonis operibus, reuelare iubentur. 1. Petri 2.

Nolite putare quòd veni ſoluere, &c. Hactenus, Dominus Præmia vitæ Chriſtianæ propoſuit, cùm beatitudines enumerauit, nunc explicat mandata, quibus beatitudinum præmia comparare licebit. Sunt verò mandata hæc lex, quibus prior lex Moyſi, non eneruatur, ſed firmatur.

Huius loci difficultatem conijcere, quiuis inde poteſt, quòd tam varie, a Sanctis expoſitus ſit. Arbitror ego hac ſequenti expoſitione, plurimum illi lucis adferri. Igitur contextum ſic habe: Venio, ô Chriſtiani, legem nouam laturus: at proinde exiſtimare quis poterit, quòd veniā legem antiquam deſtruere: at verò non venio deſtruere, ſed potius adimplere. Nam quantùm ad me attinet, potius ſinam cœlum ceſſare, & terram: quàm iota vnum, aut apicem vnum, & minima quæque legis non adimpleri. Quantùm verò ad reliquos ſpectat: ita volo legem, & eius minima mandata ſeruari, vt ſi quis ea ſoluerit, & docuerit alios, vt ſoluāt: hunc vt minimum in regno cœlorum habiturus ſim. Sicut cōtrà, magnum, eum qui fecerit legem, & faciendam eſſe docuerit. Habetis ergo quàm nō veniam legem deſtruere. Porrò quia lex imperfecta eſt, & adimpleri cupit: ideo vobis aſſeuero, quod niſi iuſtitia veſtra maior fuerit, quàm Scribarum aut Phariſæorum, (qui ſunt leges eximij obſeruatores) non intrabitis in regnum cœlorum.

In huius textus verbis, ſunt multa difficilia. Primum, quomodo Chriſtus non venit ſoluere legem? Cum vere venerit tollere vincula legis. Siquidem verbo illo, quod fuit in cruce prolatum. Cōſummatum eſt, legem diſſoluit, & aboleuit. Quod Apoſtolus apertè docet: Ipſe, inquit, eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, legem mādatorum decretis euacuans. Si etacuauit, igitur deſtruxit. Quò forſan ſpectat, quod idem Apoſtolus dixit his verbis: Delens, quod aduerſus nos erat, chirographum decreti: ipſum tulit de medio, affigens illud cruci. Si deleuit, ſi abſtulit, ſi cruci affixit, igitur deſtrexit. Quòd ſi non deſtruxit, ſed potius impleuit: Ioan. 19. Epheſ. 2. Coloſſ. 2.

redit ad nos celebris illa Patrum antiquorum quæstio, quâ Paulus cum reliquis Iudæis certauit, Iudæis dicentibus seruandam esse legem Iudæorum, cum Christianismo: Paulo verò totis viribus resistēte. Imo Paulus super hac re, pugnauit cum Petro. Petrus enim coram Iudæis legem seruabat: cui Paulus in faciem restitit. Huic quæstioni tam difficili nihil aliud possum respondere: quam quod sine dubio Christiani obligantur plenissimè seruare, & reuera, si pij sunt, ipsi seruant penitus legem Moysi. At in hoc est differentia: quod Iudæi eam seruabant, vt litera sonat, nos non literam eius seruamus, sed spiritum. Nos Christiani reuera sumus veri Iudæi: sumus vera circuncisio, igitur & vere reliquam legem seruamus. Quanto enim excessu superat spiritus carnem, tanto superat veritas quæ ex spiritu, veritatem ex carne. Habet quidem Iudæus carnem circuncisam, descendit etiam ex Iudæis secundùm carnem. Atque ideo Iudæus & circuncisio vocatur.

Actor. 5. *Galat. 2.* *Rom. 2.* *Rom. 2.*

Ascende nunc superiùs: Si Christianus habet spiritum circuncisum, si descendit ex spiritualibus Iudæis, an non verius dicetur Iudæus, & circuncisio? Plane verius, quanto habet spiritus verius esse, quam caro. Ita igitur, si Iudæus secundùm carnem seruat carnem legis, & Christianus seruat spiritum legis, an non magis seruat legem Christianus, quàm Iudæus? Plane magis. Dedit Deus Iudæis legem quæ in cortice carnalia mandat, at Dei intentio erat per illa carnalia, spiritualia fieri. Igitur si Christianus intellecta Dei voluntate carnalia illa abijcit, quæ Deo non admodum erant curæ: & spiritualia perficit, quæ Deo verè placent, an non vere facit Christianus legem? Non igitur Christus per se, aut per suos legem destruxit: sed potius confirmauit, cortice tamen eius detecto. Perinde enim Christus legem tractauit, ac si nucleum erueret è cortice. Si nubem pelleret è Sole. Si thesaurum ex arca proferret. Demum velu templi scidit, & visum est propitiatorium. Optabat lex iustos homines facere. Id verò per media carnalia, (id est, ad literam solum intellecta) fieri nequibat: quia lex infirmabatur per carnem: & si per legem iustitia, Christus gratis mortuus esset. Per media verò spiritualia, id est, spiritualiter intellecta legis iustificatio completur, Non igitur venit Dominus legem destruere, sed adimplere.

Lucæ 23. *Rom. 8.* *Galat. 2.*

Adde & illud: Lex non sæuit in homines pios, sed in impios.

pios. Iuſto (inquit Paulus) non eſt lex poſita, ſcilicet quan- *1. Tim. 1.*
tum ad pœnam. Cum igitur per Chriſtum homines facti *Rom. 5.*
ſint ex inimicis amici, ex diſtantibus propinqui, ex impijs *Ephe. 2.*
pij, planum eſt, quod lex iam non habet contra pios ſæuire. *Rom. 5.*
Nihil enim damnationis eſt ijs, qui ſunt in Chriſto, ſi non *Rom. 8.*
ſecundum carnem ambulāt. Chriſtus enim vitam condens
Chriſtianam, condidit ſtatum amicitiæ, reconciliationis, &
iuſtitiæ: ac adeo legem antiquam, vt iam otioſam, ceſſare
iuſſit. Quod ſi aliqui ex nobis ſecundum carnem ambulaue-
rimus, non Moyſi, ſed Chriſti iudicio puniemur. Sicut &
ſtatus monachorum exemptus eſt a lege ſeculari: quæ (etiam
adeo pius ſit illorum ſtatus) in illis non deſtructa dici debet,
ſed adimpleta.

Adde tertio: Lex vetus à Ieremia dicta eſt teſtamentum *Ierem. 31.*
antiquum. Hoc teſtamentum ſi antiquatum eſt, & ſenuit,
prope interitum ſuit, vt Apoſtolus arguit: Si igitur ſecun- *Hebr. 8.*
dum literam, prope interitum fuit, mortuum tandem fuit.
Nullam ergo illi Chriſtus irrogat iniuriam, dum dicit, ſe
non venire occidere legem: quæ ipſa ſua ſponte moritur.
(in litera) quam reuiuiſcere facit, ſecundum ſui meliorem
portionem, id eſt, in ſpiritu. Rectè igitur Apoſtolus: Lex *Rom. 7.*
tamdiu in homine dominatur, quanto tempore viuit. At ſi
lex mortua, iam dominari nequit, quod mortuum eſt: Non
ergo obligare iam defuncta lex poteſt.

Adde quarto: Si lex ſecundum literam ceſſauit, ratio fuit: *Galat. 3.*
quia lex erat pædagogus noſter, & non dominus. at cum
creſcit alumnus: nulla fit pædagogo iniuria, ſi eius ceſſat *Galat. 4.*
imperium. Plane tamdiu durauit Iſmael in domo, quamdiu
Iſaac creſcebat: ſed cum voluit eſſe hæres, cum filio liberæ:
abijcitur Iſmael. Ita durauit lex in domo Dei, donec creuit
Chriſtianiſmus, quo adulto lex abijcitur.

Demum, puero in ventre matris exiſtente, phas eſt vte-
rum intumeſcere: at vbi prodijt infans, nefas eſt vterum *Galat. 3.*
habere tumorem. Cum igitur in lege continebamur, &
cuſtodiebamur concluſi: venter legis & eius poteſtas vige-
bat, & tumebat: nunc verò vbi iam partus prodijt in lucem,
venter nõ eſt deſtructus: ſed functus eſt munere ſuo. Et ideo
adimpletus.

Et quidem: Si lex vetus poſita eſt propter tranſgreſſio- *Galat. 3.*
nem, donec veniret ſemen, cui promiſſio facta erat: vbi
ſemen iam venit, (factum ſub lege: vt eos qui ſub lege

erant redimeret) necesse est legem veterem cessare: tam-
Galat. 4. diu enim creditor subditum sibi habet debitorem donec soluat: vbi soluit, non destruitur creditor, sed adimpletur.

Rom. 7. Fineam si hoc vnum adiecero: Dum videbat homo in
1. Cor. 13. carne: dominabatur homini caro, id est, litera legis. Dũ erat homo in pueritia, dominabatur ei pueritia legis. dum erat homo in regione vmbræ mortis dominabatur ei legis vmbra. At vbi carnalis desijt esse, vbi factus est vir, & lumen Solis iustitiæ vidit, æquum est legis spiritui subdi, virum esse lumenque sequi, vmbrarum horrore reiecto.

Amen quippè dico vobis, donec transeat cœlum & terra. Quàm verè hæc profert Christus. Etenim ex Theologis habemus, triplicia esse legis præcepta: moralia, cæremonialia, & iudicialia. Hæc omnia Christus, & perfecit, & vt perficerentur grauissimè docuit. Primum quidem Moralia ex duobus præ-
Rom. 13. ceptis pendent, scilicet ex dilectione Dei, & proximi. Hæc Christus compleuit, imò nihil aliud est eius vita, atque doctrina, quàm Dei, & proximorum dilectio. Tum cæremonialia Christus amplissimo auctario compleuit: seipsum
Hebr. 10. sacrificium Deo Patri offerens, & à nobis offerri præcipiés, cùm dixit: Hoc facite in meam commemorationẽ. quanto
Matt. 26. igitur interuallo reliquit Christus hostias pecuarias, tanto magis placentem hostiam Deo Patri obtulit. Demum rigores iudiciales Christus in se suscepit. In nullum enim rigor diuini iudicij ita desæuijt, quam in Christum Dominum. Ipse enim quæ non rapuit exactissimè soluit. Nullum
Psal. 68. ergo aut iota, aut apex, relictum est, quin a Christo & nobis adimpleatur.

Vbi Lector specta, quanta reuerentia, quantaq; admiratione legis præcepta æstimet Christus, vt potius velit mun-
Ioan. 15. dum aboleri, quàm vel minimum legis præteriri. O quàm verè dixit ipse: Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio, & quàm verè de eo fuit cantatum: In capite libri scriptum
Psalm. 93. est de me: vt faciam voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. Et quidem parum erat si cœlum potius vellet destrui: quàm vnum vel minimum legis præceptum. At quod vellet Christus potius templum corporis sui, illudque cœlum (quo suæ adorandæ maiestatis diuinitas claudebatur) destrui, & interire, quam quòd, vel punctus mandatorum Dei violaretur: id verò stupendum est.

est. Qua igitur ratione audet nostrum quispiam violare diuina præcepta, quæ Christus violare sic abhorruit? Dictum est de Sole & Luna, stellis, & alijs creaturis: Statuit ea in æternum: præceptum posuit, & non præteribunt. Si cunctæ res a Deo factæ, & ipse Dei Filius diuinum præceptum exhorrent violare: qua impudentia miseria humana temerare non expauescit? nunquid Deo maiores sumus? Num æmulamur Dominum, aut fortiores illo sumus? Inquit Paulus. *Psal. 148.* *1. Cor. 10.*

Nolo silere quod hic annotandum mihi succurrit: Si Christus non venit soluere: igitur Deus est: & si venit adimplere, igitur iterum Deus est. Omnis enim homo mendax, & non est homo qui non peccet: igitur nec est vir qui legē, saltem in minimis non soluat. At si Christus in nullo soluit, non ergo solum homo est: est igitur Deus homo. Et si venit implere, quod Deus ipse per manus Moysi imperfectum reliquit, Deus est qui Dei imperfecta perficere potest: quæ enim magnus pictor imperfecta dimisit, hæc nisi pictor æqualis perficere nequit. *Psalm. 115.* *Eccles. 7.*

Occurrit etiam aliud: Quid sibi Dominus velit, cùm ait, Iota, & apicem? Si enim iota, aut apex aliquid præciperent, non esset quod dubitaremus: nunc verò, nec iota, nec apex aliquid mandant, quid ergo dicit Dominus, iota & apicem perficiendum? Ego arbitror, iota, & apicem significare minutiora mandata legis. Sane manifestum est, mandatum maximum legis, esse de Dei dilectione, & eidem manifestum est, iudicium, misericordiam & fidem, esse grauiora legis: minutiora verò esse decimationem anethi, mentæ, & cymini. Vt igitur mandatum de diligendo Deo, est A mandatorum: & mandatum de diligendo proximo, est Ω legis, (vltimum enim quod in mundo formatum est, fuit homo: & primum quod formauit est Deus,) & ideo hec sunt summa mandata, in quibus tota lex clauditur: ita mandata minora sub his cōprehenduntur: sicut iota clauditur inter A & Ω. Ergo mādata minima legis significantur per iota, & apicem. Forsan enim apex significat mandata non substantialia, sed quæ ad ornamentum legis spectāt. Sicut apex literarum, non est de earum substantia, sed solum de earū decore. Hæc explicatio si acceptetur, suauissimè reliqua nectere licebit. Est enim sensus: Non veni soluere legem, quia etiam eius minima mandata consummabo, quæ mādata minima si quis soluerit, *Matth. 22.* *Matth. 23.*

voca-

vocabitur minimus. Est enim magnus qui etiam minima implet,& impleri docet: hoc verò minor est,qui implet,nó tamen docet: & hoc item minor, qui non implet,nec non implere docet, at minimus omnium est,qui & ipse non implet, & non implere docet.

Dices: Cur vocamus minimum eum qui minima negligit, & negligenda docet: cùm adhuc sit eo alius minor, is videlicet, qui legis grauiora violat: & hoc rursum, sit alius minor, qui grauiora legis violat,& violare docet? Respondeo, hos non spectare ad regnum cœlorum: sed ad regnum potius inferorũ. At si qui violat minima, obseruet maxima: & ea obseruãda proponat, est ne hic a regno cœlorum abijciendus? Minimè quidem. Quis enim audeat damnare eum, qui in horto suo habet mentam, & anethum, vnde exigua decima Sacerdotibus debeatur: quam, quia exigua est, ipse non soluat, & non soluere quod exiguum est, doceat? Num minima hæc negligens, grauiorum obseruator, à regno excludetur? Absit.

Qui verò fecerit & docuerit, hic erit magnus. Planè, quia in-
Matth.25. trabit in gaudiũ Domini: quia super multa constituet eum
Matt. 24. Dominus, imò quia super omnia bona sua constituet eum: quę quia mihi explicata sunt Matthæi vigesimoquarto, non lubet iterum explicare. Collige tamen, in regno cœlorum
Ioan. 14. esse magnos, minores, & minimos, quia in domo Patris mei
Genes. 8. mansiones multæ sunt: sicut in arca Noë erant variæ mansiones, pro hominibus seruandis, & pro iumentis: homines
Psalm. 35. enim & iumenta saluabis Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam. Collige secundò, legem impleri posse, non solum quò ad mandata grauia, sed etiam quò ad multa minima: hi enim sunt beati, illi immaculati in
Psal. 118. via: qui ambulãt in lege Domini. Licèt ex nostra fragilitate, omnia peccata minima effugere nequeamus: Seducimus
1. Ioan. 1. enim nos, si dixerimus, quod peccatum non habemus. Collige tertiò: Si tam magnum putatur, magnum esse in terra, vbi nihil est magnum: quàm erit magnum, magnum esse in cœlo, vbi nihil non est maximum? Cur igitur tam veros honores nemo cupit in cœlo: cùm sint, qui tam fictos exambiant tam ardenter in terra?

Dico autem vobis. Sensus est: Veni legem implere. Quam vsque ad minima seruabo, & seruari a meis (in spiritu tamẽ) volo: at assero & decerno, quod licet homines legẽ exactissimè

ſimè ſeruare contendant, ſicut Phariſæi & Scribæ ſeruare nituntur: niſi aliquid legi addant, quo iuſtitiam iuſtorum Phariſæorum exuperent, non intrabunt regnum cœlorum. Ergo amplior debet eſſe iuſtitia noſtra: quàm iuſtitia Phariſæorum olim fuit.

Hoc ita intellige: Primum Phariſæi erant obſeruantiſſimi iuſtitiæ exterioris: & nullam curam habebāt de corde mundando. Erant enim ſepulchra dealbata, exterius exactiſſima: interius verò oſſibus mortuorum plena. At niſi Chriſtianus huic iuſtitiæ exteriori, interiorem adijciat: non intrabit regnum cœlorum. *Matt. 24.*

Sed ſecundò: finge Phariſæum, qui cordi purificando operam nauet ſtrenuam: non poterit adhuc plenè mundum habere cor. Lex enim infirmabatur per carnem: & ideo neminem ad perfectum adducere potuit. Eſt enim dogma Theologicū, quòd ex vi legis, ſine gratia: nemo poteſt omnia peccata mortalia vitare. At niſi plenè cor ſit mundum, intrare in cœlum, quod inquinatum fuerit, non poteſt. *Rom. 8.* *Hebr. 10.* *Apoc. 21.*

Sed tertiò: finge (ſi fieri poſſet) Phariſæū, qui viribus ſuis; cor ſuum emundauerit. Habeatq; eam iuſtitiam, quam vires humanæ, & legis eruditio homini concedere poſſunt: num hic intrabit in regnum cœlorum, ſine iuſtitia Euangelica? minimè. Quia ex operibus legis, ſine fide mediatoris, non iuſtificabitur, aut placebit Deo omnis caro. Duo etenim præſtitit Chriſtus ſupra legem, & ſupra vires humanas. Alterum, dedit auxilium & vim, quâ plenè cor mundaretur: quò lex & natura nequibāt pertingere. Alterum verò dedit gratiam: per quam proportio fieret, & æqualitas inter meritum hominis, & præmium Dei. Quod apertum eſt, per legem & hominis ſtudium haberi non poſſe. Sed quia hoc argumentum ab Apoſtolo tractatur in primis cap. Epiſtolę ad Romanos & Galatas, ideo ſuperſedendum duxi. *Galat. 2.*

Duo hic dubia mihi viſa ſunt non diſſimulanda. Alterum, Si fieri poſſet hoc tempore vir iuſtus, (vt Phariſęus) qui non audito nomine Chriſti, ſuæ legis præcepta ſeruaret: cauens pro viribus ſuis culpas mortales: num hic intrabit in regnū cœlorum? Reſpondeo. Minimè intraret.

Addis: Quid igitur, ibitne in ignem æternum vir alioqui iuſtus? Reſpondeo: Si fieri poſſet, gentilis omni mortali, peccato carens (adultus inquā) & ſine Chriſti notitia defunctus, ibit hic tandem in lymbum: quo pueri deſcendunt. Sed

Theo-

Theologi non admittunt, huiusmodi hominem vita discedere: nisi illuminetur, & iustificetur à Christo.

Alterum est: Cur latro qui in cruce pœnituit, intrat in cœlum: siquidem eius iustitia non fuit maior, quàm Pharisæorum? Si maiorē iustitiam Christus à suis requirit, quàm lex à Pharisæis, igitur pœnitentibus malè actæ vitæ prioris, occlusum est regnum cælorum? Respondeo hoc esse, quod

Rom. 9. Paulus tātopere vrget in Epistola ad Romanos, quòd Pharisæi quærētes iusti esse, legis iustitiâ: iustitiæ Dei quæ datur per Christum non sunt subiecti. Porrò Christiani, licet prius iniqui & iniusti: iustificantur tamen per iustitiam Christi. Quæ iustitia quia maior fuit, quam Pharisæorum: ideo postquàm nobis exhibita est, maior fit iustitia nostra, quàm Scribarum & Pharisæorum. Non intelligas tamen quòd ea

Concil. Trident. ipsa iustitia Christi nobis communicatur: sed illi similis.

Audistis quia dictum est. Priùs verò quàm explicare locum difficillimum aggrediar, paucula de eius sunt mihi lectione notanda. Primum illud notandum: Autores Grecos omnes legisse illam particulam: Sine causa, quam ex textu Hieronymus dicit esse radendam. At Basilius eam legit, homil. 10, quæ de ira est. Legit & Chrysost. & Euthymius, & Autor imperf. Quin. & D. Aug. lib. 1. de Serm. Domini, c. 19. & Hilarius canon. 4. Quam verò sententiam magis probem, vix scio: nisi quòd Legum maiestas, non addit hasce particulas: nam simpliciter dicitur. Non occides, non furtum facies, non mœchaberis. Video tamen etiam dictum: Non assumes nomen Dei frustrà. Quicquid sit: vtraque lectio sana est.

Secundum notandum, quid velit Raca. Et quidem Chrysost. dixit significare idem quod, Tu. August. quòd sit interiectio indignantis. Hierony. quòd significet hominem sine cerebro & inanem.

Et quidem Chrysostomi sententia nulla veritate fulcitur. Quin nec Augustini, vt palam est consulentibus Lexicon Hebræum. At nec sententia Hieronymi est in integrum vera. Si enim vacuum cerebro significat, obsecro, quæ differentia est inter raca & fatue? Imò vix differentia est inter hebetem, quod Caietanus commeminit) & fatuum, & quidem nescio, vnde Caietanus hauserit, quòd raca significet hebetem. Igitur raca, significat vacuum, id est, inopem, miserum, pauperem. Ita Iudicum 9. dicitur: Conduxit Abimelech viros inopes. Hebræis est Reqim, à raqa. Idem Iu-

dicum 11. Cōgregati sunt ad Iephte viri inopes. Heb. reqim.

Tertium: Gehenna idem est quod Hebræis gehinon. Est autem gehinon vallis Hinon, erat enim vallis delitiosa, viri, qui dicebatur Hinon. Quæ dictio significat frustrà. Vt tandem gehenna significet vallem frustra. Erat autem hæc vallis locus, vbi idolo Moloch incendebantur pueri viui: quorum eiulatus ne audirentur, tympana percutiebant, qui pueros immolabant. Vnde & nomen, tophet, locus ille accepit, id est, tympanum. Tandem locum contaminauit rex Iosias: iubēs in eum proijci cadauera, & reliqua purgamēta. Vnde dictum est, gehennam esse locum mortuorum. Erat autem Moloch imago concaua, septē habēs conclauia. Vnum aperiebant similæ offerendæ: alterū turturibus: tertium, oui: quartum arieti: quintū vitulo: sextum boui. Qui verò filium offerre volebat, huic aperiebatur septimū. Erat idolo, facies vituli: manus porrectæ ad accipiendum. Interim verò quòd puer in septimo conclaui ardebat, saltabant adstantes, & percutiebant tympana. Cur verò locus hic miser attributus sit inferno, infra suo loco dicam. Iam ad textum. 4. Reg. 23.

Dictum est Antiquis: Qui occiderit, dignus est iudicio. Planè qui occidebat autoritate iudiciaria, nullo iudicio reus erat: vt iudex, eiusq; ministri. Reliqui omnes qui occidebant: rei erant iudicio, id est, vt eorum causa iudicaretur. Nam si inueniebatur, in sui defensione occidisse inuasorem: liber erat, naturali id dictāte ratione. Porrò qui occidebat casu, & non ex odio inueterato: hic non occidebatur, sed relegabatur in vnam è ciuitatibus refugij. Sed qui ex veteri inimicitia occidebat inimicum, hic sine remissione etiam ex altari euellebatur ad mortem: hoc est, iudiciū quo examinatur, eius qui occiderit, causa, de quo habetur Exod. 21.

Pari iudicio & examini Christus vult, eum subdi, qui fratri suo irascitur. Qui enim autoritate iudiciaria delinquentibus irascitur: nullo iudicio reus est: vt enim castigare nocentem potest, ita & contra ipsum irasci. Itē qui in sui defensionem contra inuasorem irascitur, nulla est pœna plectendus: vt enim licet arma contra nostros impugnatores sumere, in nostri defensionem: ita licet iram recipere, quâ arma vibremus. Porrò qui noua percellitur ira, vindictę auidus, si subitò fertur motu, non est mortali culpæ subiectus. Pœnitebit tamen, & pœnitentiam accipiet, quasi vrbem refugij. Quòd si iram sic in visceribus aluit, vt damnum aliquod grande

suis

suis inimicis optaret, hæc iam mortalis est culpa. quam vt luat Deus certo definiuit, etiam si ad altare iratus conf. gerit. Neque enim sine satisfactione mortalis culpa deletur. Vides Lector, quam rectè Dominus dixerit, homicidam, & iratum reos esse iudicio.

Dices forsan, Video homicidam reum esse iudicio, iudicis videlicet populi: non video tamen, cuius iudicis iudicio dignus sit: qui in fratrem irascitur. Si enim Deum esse velis huius iudicij iudicem, certè omnium actuum iudex est Deus. Huic dubio ego respōderem. Id iudicium quod iratus subire debet: suæ conscientiæ iudicium esse, quia enim arbitris, & publico caruit ostentu: eodem publico debet carere iudicio. Cum igitur te contra fratrem ira excanduisse contigerit, tu te in iudicium & examen reuoca. vt videas quo animo fuisti iratus in fratrem. Nam si peccasti mortaliter, Confessor iudex erit.

Qui dixerit: Raca. Communis habet Schola, quòd qui intus hæresin acceptauit, nō ideo excommunicationem subijt: at qui signo quouis exteriore, (etiam occultissimo) eam declarauit, in excommunicationē lapsus est: à qua nisi ab Ecclesia absolui nequit. quia quod publico ex se signo crimē admittitur, non nisi publico iudicio Ecclesiæ dicitur expiari. Idem est in nostro textu: vbi ira quæ in animo latuit, non iubetur in iudicis forum externus deduci. At ira quæ se in publicum extulit, ad forum iudicis (quod est Ecclesia) vult Dominus, quòd deducatur.

Hic multa exurgunt dubia. Prius est: Si Dominus vult, iram iudicio iudicis iudicari, cur non dixit: Qui dixerit raca, dignus est iudicio, sed dixit: Dignus est concilio? Respondeo quòd iudex Ecclesiasticus, Ecclesiæ habet locum, & autoritatem: & ideo quod iudex facit, concilium Ecclesiæ facere iudicamus. Vnde cùm Dominus dicit: Si te non audierit, dic Ecclesiæ: voluit dicere, Dic Prælato, & Iudici Ecclesiæ. Nec enim ad omnes fideles iturus es: sed ad Iudicem Ecclesiæ, qui locum eius tenet. Ita & nunc: reus est concilio, id est, reus est Ecclesiæ, id est, reus est vt de hac causa Iudex Ecclesiæ cognoscat. Siquidem qui offendit fratrem signo exteriori, & Ecclesiam visus est offendisse: cuius erat ille membrum. Sed ideo non conuenit, vt offensor in sua causa sit iudex: sed quod Ecclesia sui membri defensionem suscipiat.

Matth. 18.

Alterum dubiū: Quid? Nonne melius erat, quòd offensus suam

suam offensam dissimularet: nec in forum concilij Ecclesiastici fratrem traduceret? Dictum enim est: Qui percusserit te in vnam maxillam, obuerte ei alteram. Respondeo: Non dixit Dominus: Dignus est offensor, vt ab offenso deducatur in concilium: sed dignus est, vt concilij seu Ecclesiæ sentiat seueritatem. Et planè ita fieri debebat: vt etiamsi offensus suam facilè remitteret offensam: Cõcilium tamen, id est, Ecclesia, eam non remitteret: sed prosequeretur, ne locus pateret offensionibus. Vult igitur Dominus offensum cõdonare noxam quam subijt: sed non vult, vt eam condonet Ecclesia. Et profectò si offensus offensorem trahens ad cõcilium non sæpe ad peccata pronocaretur: (dictum enim est, tolle lites, & minues peccata) Sanctum erat vt ad concilium pertraheret: quo sibi fieret satis. Habes igitur Lector, quòd offensus si velit: prosequi potest corã iudice Ecclesiæ suam offensam: nec enim id Dominus hic prohibet: imò innuit. Habes secundò, quòd si prosequi nolit, certè Ecclesia prosequatur: ne mala sint impunita. Matth. 5. Eccles. 28.

Tertium dubium: Dicere fratri raca, id est, vacuum, aut pauperẽ, non est offensa mortalis: Cur igitur veniales culpas vult Dominus Ecclesiæ iudicio cognosci? Respondeo, primum poterit esse hæc culpa mortalis: si in superiorem eam expuat inferior. Si enim Dauid quia chlamidis oram à Saule diuisit, tam pœnituit grauiter: quid fecisset, si eum vacuum, miserum, aut inopem dixisset? 1. Reg. 24.

Secundò, potest etiam esse culpa mortalis, si malo animo id dicatur. Sicut enim furatus obolum, volens aureũ nummum suffurari, mortaliter peccat: ita qui miserabilem dicit, maiorum contumeliam dicere cupiens. Animus verò ex coniecturis cognosci à concilio debet.

Tertiò, etiã si sit culpa venialis, vult Dominus, vt à Concilio cognoscatur. Licet enim venialis sit, est tamen multorum causa malorum, prodit certè ea culpa, ex animo labe superbiæ cõtaminato, & partim fratris amatore, & ad maiores contumelias præparato: nisi Ecclesiæ concilio fræno cohibeatur. Quia igitur Dominus vehementer superbiam odit, simul & vehementer fraternam requirit charitatem, & proximorum causis agnoscit vt suas: idcirco vult, & hãc causam ab Ecclesiastico concilio cognosci. Olim Nazaræi arcebãtur à vino, sicera, musto, vuis, & vuis passis, & earum acinis. Cur ita? Certè ne gustu ab vuarum acinis irritato, Numer. 6.

vuas,& tandem vinum concupiscerent. Ita & nunc, verbum contumeliosum à Concilio debet compesci, ne hoc foramine laxato, tota in homicidium proruat ira.

Quartum dubium: Cur Dominus nunquam de Concilij seueritate alicubi: nisi in sola fratris meminit iniuria? Respondeo, hinc apertum haberi indicium: quanti Deus æstimet charitatem fratrum, quam nulla, vel leui ratione, vult à nobis violari: & si vt humana miseria solet, violetur, statim à Cōcilio velit resarciri. Deus bone quot adinuentiones Do-
Ioan. 19. minus excogitauit: vt charitatis si æ tunica à nullo diuideretur? In cæteris velut conniuet, velut dormitat eius seuera iustitia: hic verò nunquā non attētissime vigilat, iubet, vrget.

Qui dixerit, Fatue, reus est gehennæ. Primum hic aduerte: quòd sicut occidere autoritate iudiciaria, non est dignum gehenna: ita nec dicere fatue, aut reliquas contumelias, autoritate superioris, est gehenna plectendum. Potest pater in filium iniuriam dicere, dominus in seruū, iudex in delinquētem. Si enim verbere punire: cur nō & verbo castigare pote-
Matt. 23. runt? Nam Dominus Pharisæos, sepulchra dealbata, Ioānes,
Matth. 3. genimina viperarū, Paulus Galatas insensatos nominarunt.
Galat. 3. Secundò aduerte quòd non solum superior, sed etiā a qualis, potest aliquando fratri exprobrare: cùm videlicet id facit ex charitate, ad fratris correptionem, intra comitatis & vrbanitatis fines. Nam qui ita dicit, licet verbo dicat, animo tamen non dicit. Et vt chirurgus carnem discindens ferire non dicitur, sed curare: ita qui contumeliam dicit, vt sanet.

Nunc superest ei respondere quæstioni, quà incusari Dominus à multis solet: quòd tantam pœnam scilicet gehennam, leui verbo, scilicet Fatue, & hisce similibus decreuerit. At, qui ita sentiunt, Reipublicæ Christianæ maiestatem non sentiunt. Neque enim Christianos Christus homines solùm
Psalm. 16. esse voluit: sed in suam protectionem asciuit, sub vmbra ala-
Deut. 32. rum suarum locauit, super alas suas assumpsit. super hume-
Lucæ 15. ros suos errantes oues imposuit, eosque velut triumphalem
1. Petri 2. coronam, capiti suo adiunxit. Fecit, vt Christiani essent gens sancta, populus acquisitionis, Sacerdotes etiam & reges.
Rom. 8. Fecit vt essent Filij Dei, fratres Christi: heredes Dei, & coheredes Christi. Fecit vt essent cœlestes, Angeli, & super omnē
Marc. 12. rerum naturalium ordinem euecti. Et vt nihil deessent tantæ
Ioan 14. celsitudini, voluit in Christianis habitare, mansionemque in
2. Petri 1. illis facere. Et quod omnem superat intellectum, consortes fecit,

fecit, suæ naturæ diuinæ. An non tibi videtur æquum, vt qui fatuos dicit huiusmodi homines, quos Deus sibi fecit amicos & filios, gehenna dignus efficiatur?

Dices: Quid culpæ est, quòd fatuum dicam eum, qui reuera fatuus est? Ego respondeo: Si fatuus est, certè frater tuus est, cuius fatuitatem dissimulare debueras, non exprobrare, Deoque gratias agere debuisses qui dedit tibi, quod abstulit illi: cùm tu tamen nihil plus commeruisses quam ille. In cuius manu est à te auferre, quod illi cōdonet. Notum enim est, quòd terram sine aqua. Deus reddit irriguam: & quæ irrigua erat, facit vt deserta reddatur. Ita igitur te, qui de tua tumens superbia, fatuitatemque cōtemnis alienam: fatuum reddet Deus. Sicut olim Nabuchodonosorem in bestiam conuertit: & quidem si fratrem fatuum dicis, iam tu fatuus incipis esse: id committens, vnde patiaris gehennā. Quęnam poterat esse fatuitas grandior? Sed age, fatuus est, quia nescit frater tuus res humanas tractare: quid si diuina tractare nouit? quid si stultus factus est, vt sapiens esset? Num hunc fatuum vocabis? An nō magis fatuus forsan tu qui in diuinis fatuus: in humanis vis sapiens videri? Fatuus est frater: quid si hanc simplicitatem & stultitiam amet Deus: qui elegit stulta mundi, vt confundat sapientes? Redeat tibi in mētem quod si fratrem tuum fatuum dixisti, Christo dixisti. Verum enim est, quod protulit ipse, dicens: Quod vni ex his minimis fecistis, mihi fecistis. An non fateris te dignum gehēna: qui Christo fatuitatis probrum iniecisti? Iam si frater tuus, adhuc infirmus est, & animo tener, audiens à te vocari fatuus: odium contra te concipit, percussisti ergo fratris conscientiam infirmam: nulla ergo tibi iustior pœna, quàm gehēnæ. Quòd si frater tuus lubenter, aut patienter sustinuit probrum: profectò fatuum vocare, eum qui nouit patienter contumeliam ferre nefas est. Et quidem, ex quo ad Dei imaginem cōditi sumus, honorem cupimus: honoremque maximi pendimus, adeò vt honorem non nisi Deo, & diuinis hominibus quadrare dicamus. At si probro afficis eum qui diuinos ambit honores: an non grauem illi intulisti molestiam? Tandem: quam sit graue in alium iactare contumeliam, ex teipso disce: quam eam grauatè patiaris.

Psal. 106.

Daniel. 4.

1. Cor. 3.

1. Cor. 1.

Matt. 25.

1. Cor. 8.

Genes. 1.

Habes ex his Lector: quàm alienū velit Christus esse animum Christiani, ab ira, odio, & contumelia. Cuius rei causas si vis penitus intelligere, expēde vitam Christianam totam

Galat. 5. agi à Spiritu ſancto: qui eſt charitas, pax, gaudium. Vide igitur, quam alienum eſt ab amore odium, a pace diſcordia, à gaudio omnis amaritudo, vt enim ab igne alienũ eſt frigus, ita à Spiritu ſancto alienus eſt ſpiritus iræ, aut contumeliæ:

Et ſecundò: hic ſpiritus viuificans Chriſtianos, eos omnes in vnum corpus cõtexuit. Sicut vna anima membra corporis ſui tenet vnita. Ita dicit Apoſtolus: In vno ſpiritu, inquit, 1. Cor. 12. omnes nos in vnum baptizati ſumus, & omnes in vno ſpiritu potati ſumus, quaſi dicat: omnes ſumus abſorpti, & penetrati ab vno ſpiritu. Sumus igitur omnes mẽbra vnita, in vno ſpiritu. Perſpice iam, tam eſſe alienam à membris huius vitæ ſpiritualis, iram & contumeliam: quàm eſt à membris in vna vita temporali coalitis.

Et tertiò, intellige vitam Chriſtianam eſſe inchoationem, Ioan. 17. & prælibationẽ vitæ futuræ. Vita enim æterna eſt cognoſcere Patrem, & quem miſit ipſe, Chriſtum. Non eſt aliud quod impediat hanc noſtram vitam illi diuinæ continuari: niſi quod maceria corporis noſtri ſoluatur, & vetus hic corporis noſtri paries, ſemper in ruinam impendens, iam tandem labatur. Vt igitur in cœlo nulla eſt ira, nulla eſſe contumelia poteſt: ita nec in cœlo terreno, (quod eſt vita noſtra,) eſſe permittitur. Denique vitæ Chriſtianæ natura, Ioan. 15. inſtitutio, & præcepta ſunt, amor, viſcera miſericordiæ, Rom. 12. charitas fraternitatis. Qui hæc reijcit, vitam reijcit Chriſtianam, id eſt, diuinam & cœleſtem. Excipitur ergo à morte æterna, quæ eſt gehenna.

Sed age, auerte parũper oculos à vitę Chriſtianę ſplẽdore: in vita humana pedem figi. Dic: quid in hac vita tibi cupis? Certè cupis aliorũ amicitiam, vis ab alijs amari, & honorari: quod ſi aut deſpici, aut odio haberi te credis, grauiſſimè doles. Optasq́; vt redeant ad te amãdum & colendũ, qui contrà faciebant. Et hoc igitur quod tu optas, Deus fieri præcepit: iubens ne quis fatuum te dicat, néve contra te iraſcatur.

Dices: Rectè conſultum eſt honori meo, ne ſcilicet quis contra me inſurgat: Sed optaſſem ego mihi impunitatem, ſi ego contra aliquẽ inſurgerem. Sed ô bone, quod tibi ab alijs optas: idem illis præſta. Si gehenna punitur, qui te deſpicit: gehenna par eſt, vt puniaris, ſi alios deſpexeris. Vt enim eſt vnus omnibus Deus: ita & vna eſt omnibus diuina lex.

Malac. 1. Iam ſi attendas quàm laniet, quàm excarnificiet ira cor tuum, nõ poteris non laudare eam legem, quæ ex tuo corde iram

iram exterminet: quò pax tibi sit ira reiecta.

Rursum, quantus timor est, quamque misera vita: semper cauere eum quem iniuria læsisti. Cupit ille de te vindicari: tu non semper eius insidias fugere potes. an non tuæ tranquillitati consuluit, tuæque vitæ prospexit: qui te ab iniuria dicenda semouit? Quàm igitur dictum verè est, Iustitiæ Domini rectæ lætificantes corda: Preceptū Domini lucidū, &c. *Psal. 18.*

Si ergo offers munus tuum. Quasi dicat: Si nondum tuo te iudicio examinasti post iram: si nondum consilium, causam, quam contra te habet frater, agnouit: si nondum Deus te, qui fratrem dixisti fatuum, gehenna puniuit: certè necesse est offeras munera Deo, quibus eum tibi places. Scito igitur tua munera non placere Deo, nisi vbi fratrē tibi reconciliaueris.

Dices: Quid si ille reconciliari noluerit? Respondeo: Non creditur fore Christianum, qui reconciliationem respuat: maximè cum illi satisfactionem cōgruam offerat, qui læsit. Quid enim aliud Christianus optet ab aduersario suo: quàm satisfactionem, & pacem? Quòd si adhuc reconciliari recusat, vide quàm sapienter dixit Dominus: Vade prius, vt reconcilieris, non dixit: Ne offeras nisi recōciliatus, sed vade: vt quantum in te sit reconcilieris. Si ille renuit, iam ex te reconciliatus venis: & ideo offerre munera licebit.

Sunt in hoc textu plurima scitu dignissima. Primum, inquit, si offers. Igitur, vt rem manifestam accipit Dominus, quòd debes offerre. Et cùm hoc præceptum generale sit, sequitur, quòd quiuis Christianus debeat offerre, ad altare Dei. Alióqui, is qui fratrem læsit, dicere poterat, Non obligor offerre, nolo vnquam offerre: & ita nolo reconciliari. At contra Dominus: demonstrans sæpe esse offerendum: & quod quauis die Dominica (vt statim dicam) debeamus offerre, dicit: Si offers, quasi dicat: Cùm te oporteat offerre, &c.

Dices: Si quiuis Christianus debet offerre, igitur quiuis Christianus Sacerdos est: est enim sacerdotale munus in altari offerre. Respondeo, latissimam esse differentiam, inter offerre in altari, & ad altare. Soli sacerdotes offerunt in altari, sed omnes Christiani offerunt ad altare. Lege canonem tertium & quartum Apostolorum, vbi habetur: Super altare, nihil offeratur nisi frumentum, & vinum. Reliquorum omniū primitiæ in domum deducantur Episcopi, non super altare, vt Episcopus clericis distribuat. E quibus patet, morē *Canones Apostolorum.*

fuisse à Christo, & Apostolis, omnibus fidelibus mãdatum, vt omnes fideles afferrent ad Ecclesiam munera sua: ex quibus panis, & vinum ad communionem super altare à sacerdotibus offerebãtur: reliqua verò munera, ad Ecclesiã allata, ad domum Episcopi adducebãtur, vt ille Clericis diuideret.

Cùm ergo Dominus inquit: Si offers munus tuũ ad altare: meminit moris, quem erat Ecclesia seruatura, vt singulis Dominicis diebus omnes offerrent: & ita voluit, neminem vltra diem Dominicam iram suam prorogare.

Rursum dices: Si Dominus iubet (cùm iratus dicit alicui, Fatue, aut aliquid simile,) dimisso munere ante altare, prius abire vt reconcilietur, igitur vult Dominus, quòd seipsum diffamet, & traducat. Quam legem æquam non esse nemo est qui non videat. Hac enim ratione, qui iamiam est cõmunicaturus surgere non debet: vt confiteatur, quod in memoriam illi occurrit. Respondeo, Primum facile est dicere Dominum non hic fuisse loquutum: nisi de iniuria publica, de qua iam diffamatus est, qui eam dixit. Sed fortasse alludit Dominus ad morem Ecclesiæ primitiuæ: quo omnes Christiani, omnibus diebus Dominicis, conueniebant ad communionem: pœna imposita his qui conuenissent ad Ecclesiam, & non communicassent. De quò Apostolorum canon nonus extat, & decimus. Cùm igitur omnes ad offerendum conuenissent, & communicandum, facilè erat, sine nota, à læso petere veniam. Imò forsan, omnes communicaturi publicè veniam petebant, & publicè donabant. Vnde mos solẽnis, ad nostra tempora dimanauit, vt communicaturus, dicat se veniam dare offensoribus: & petere ab offensis.

Canones Apostolorum.

Secundò, nota illud verbum: *Ibi recordatus fueris.* Ex quo habes, quòd in sacrorum oblatione, maximè admonemur, de his quæ ad nostram salutem spectãt: forsan enim non tibi in memoriam venisset fratris reconciliatio. At quia accessisti ad offerendum munus: tuam Deus excitat memoriam. Rectè Dauid: Cogitabam vt cognoscerem hoc, labor est ante me: Donec intrem in tabernaculum Domini, & intelligam in nouissimis eorum. Igitur Dauid, non admoneretur rei: quæ tam erat necessaria sibi, nisi introisset in tabernaculum Domini.

Psal. 72.

Tertiò nota illud: *Frater habet aliquid.* Si enim aut nihil est, quòd habet reuera: licet ipse se aliquid dicat habere: aut si quidpiam est quod habet, est tamen leuiculum, vt nihil esse dici

dici possit: tunc non est necesse munus ad altare relinquere. Ego tibi verbum dixi, non admodum graue: tu inde montes fingis & maria: at reuera si rem expendas, vt decet, non te læsum esse clamabis: non tunc poscit ratio, vt bilis tuæ apud me tanta ratio sit. Non satis conueniebat Paulo, cum Petro, in negotio Iudaicarum cæremoniarum: nec cum Barnaba: in negotio Marci. Num propterea Paulus se ab oblatione cohibuit? Minime. Siquidē si quid, aut Barnabas, aut Petrus haberent aduersum Paulum, aut leuiculū erat, aut immeritò habebant. Fratres sanè, fratrum suorum leuiora dissimulant. Galat. 2. Actor. 15.

Iam si ego in causa mea, ad iudicium te taxi. vbi damnatus es, sed iure, habes contra me querelam, quòd te læsi: num ideo ego ab altari arcebor? Minime: si enim læsi te, læsi quidem, sed iuste. Si habes aliquid aduersum me: habes quidem, sed iniuria.

Quartò nota illud: *Relinque munus tuum ante altare*. Quorsum id? Certè vt munus ad altare oret pro te: & clamet ad Dominum: impetretq́; veniam tui delicti, & pacem proximi tui. Quis enim nesciat: quòd sanguis Abel clamat ad vindictam, & sanguis Christi melius clamat, ad veniam. At profectò frequenter munus quod laici offerunt clericis, sanguis est eorum. cur igitur non clamabit sanguis ille, id est, munus illud coram Domino? Dictum est: conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc exorabit pro te, ab omni malo. Si eleemosyna exorat ab omni malo, quæ est pietatis opus: multò magis exorabit munus ad altare, quæ & charitatis & iustitiæ opus est. Genes. 4. Hebr. 12. Eccles. 29.

Quintò nota: *Reconciliare fratri tuo*. Non dixit: Pete veniā à fratre tuo, nec dicit: Satisfacito fratri tuo: sed, Recōciliare, & in eum statum te colloca nūc, in quo prius eras cum illo. Si igitur necessaria est ad hanc reconciliationem: & veniæ petitio, & pecuniarū solutio, id vt facias præcipit Dominus. Quòd si ad reconciliationem, horum alterum, aut neutrum est necessarium: id facias quo reconcilieris: Si igitur quem læsisti vir est nobilis: qui sola veniæ petitione contentus erit, satis erit veniam petere. Quòd si vir pius est, qui nec veniam à te, nec pecuniam requirit, similiter nec requiret Dominus. Hoc requirit, vt reconcilieris.

Sextò nota verbum: *Tunc veniens offer*. Vbi intellige quòd licet Sacerdotes Domini offerant sacrificiū altaris: offerunt etiam & laici. Sed laici manibus alienis, id est, sacerdotum:

hi verò proprijs offerunt. Dicitur enim in Canon. Et omniū
Canon circunstantium: pro quibus tibi offertur, vel qui tibi offe-
Missæ. runt. & item: Hāc oblationē seruitutis nostræ, sed & cunctæ
familiæ tuę, &c. Igitur multiplex est munus Christianorum.
Hebr. 9. Primum, & maximum est, Sacra Eucharistia, id est, Christus
ipse qui seipsum in cruce semel obtulit: & quem, eius loco,
sacerdotes quotidie offerunt, & laici. Deinde oblationes
decimarum, & primitiarum: quæ a Sacerdotibus offerūtur.
Hinc sunt internæ affectiones. item: cor contritum: & sacri-
Psal. 50. ficium laudis seu labiorum, & demū quæcunq; bona opera,
Psal. 49. quæ Deo, viri Christiani offerunt.

Exurgit iam non dissimulandum dubium. Si omnia hæc
sacrificia sunt Christianorum: & antequam hæc offerantur,
iubet Dominus vt reconciliatio fiat: sit igitur vt qui com-
municat, audit missam, orat, aut quoduis aliud munus Deo
offert, necdum reconciliatus, peccet mortaliter: vt qui hanc
Christi legem violet. Hoc dubiū quærit: quādo sit mortale,
virum non reconciliatum Deo munus offerre? Ad hoc, non
est adeò facile respōdere. Verum sit assertio prima, Qui ani-
mo reconciliationem vult, licet opere non eam quæsierit,
non peccat mortaliter munus suum offerens: nec enim est
culpa mortalis, si quis animo, (licet non opere) recōciliatus
eleemosynā tribuat pauperi, aut sacræ incumbat orationi,
aut officio assistat missæ. Imò etiam si corpus sumat Christi,
nisi forsan vbi scandalum nascatur inter eos: qui de com-
municanti nouerunt in fratrem offensā: non verò noue-
runt de eius ad pacem præparatione. Secunda verò assertio
sit: Qui contra fratrem quem læsit, animum habet malè
affectum, is si communicet, sine reconciliatione mortaliter
peccat, cætera si offerat Deo munera, non peccat. Nec enim
Concil. omnia quæ mali faciunt mala sunt. Vt in Concilij Triden-
Trident. tini sess. 6. Canon. 7 definitur. Tertia assertio: qui in fratrem
quem læsit, animum gerit non reconciliatum, & hoc animo
munera offert: licet hic non peccet, nec meretur tamen, imò
1. Cor. 13. verò muneris sui amittit fructum. Si enim distribuero facul-
tates meas in cibos pauperum, & charitatem non habeo,
nihil mihi prodest. Rectè igitur Dominus non est minatus
gehennam offerēti munera sine læsi fratris reconciliatione:
sciebat enim id non esse culpam mortalem. Sed solum signi-
ficauit, talia munera non sibi placere: nisi prius læsum fra-
trem sibi reconciliet, qui læsit.

Esto

Esto consentiens aduersario tuo. Potissima hic difficultas est, quid aduersarij nomine Dominus intellexerit. Et licet alij, Deum aduersarij voce intelligi velint, alij eius Verbum, alij propriam conscientiam, alij diabolum, alij eum qui nobis læsionem intulit: ego verò, eum aduersarium intelligo lædenti, qui ab eo læsus est. Si te læsi, tu es aduersarius meus. Id clarissimè loquitur contextus. Dixisti fratri: Fatue, reus es gehennæ: si offeres ad altare munus, & ibi recordatus aduersarium tuum quem fatuum nominasti, habere aduersum te querelam, ideo enim aduersarius est; relinque munus, & quære eius pacem: & si obuium eum habueris in via, quære pacem cum illo, &c.

Clarissimè etiam loquitur ratio huius textus. Quia enim fratrem fatuum dixisti: habet ita offensus iustam contra te querelam, quam si iudici exponat (videns se a te contemni) iudex tradet te ministro, vt in carcerem conijciatis. Vbi & læso satisfacias & expensas soluas, & carceris sentias iniuriam. Clarissimè etiam loquitur verbũ textus, cùm videlicet vocat aduersarium tuum, qui aliquid habet aduersum te. Amplector igitur hanc expositionem, secundùm quam sensus est: Si iratus, probrum in fratrem iecisti: iram depone, beneuolum animum indue, fratrem offensum inquire: & cùm inueneris, da operam: vt offensam remittat. Alióqui si remissionem fratris non curaueris: exasperabitur ille, & coram iudice traducet. At iudex iustitiam faciens, in carcerem te conijciet: vbi multò plura solues, quàm soluisses, si animo fuisses beneuolenti. Hæc est plana, suauis, & aperta literæ explanatio.

Ex qua multa sequuntur. Primum quod Euangelium approbat iudices, ministros, carceres, & expensas: hæc omnia illud confirmat, quod Dominus dicit: Amen dico tibi, Non exibis inde, nisi soluas. quasi diceret: Iudico te dignum & carcere, & iudicis sententia, & iustitia expensis. Ergo iudex Rom. 13.
minister Dei est, in iram: nec enim sine causa gladiũ portat.

Secundò sequitur: Quòd licet inter Christianos omnia Coloss. 3.
sint plena, omnia sint viscera miserationis & amoris: at vbi ad iudicem ventum est, vertuntur omnia in rigorem, & seueritatem. Id expressè habes, ex illo verbo: Non exies inde, donec soluas etiam nouissimum quadrantem. Cùm enim quadrans, qui est nummorum minutissimus, solui præcipiatur, clarum est omnem seruari in iudicio rigorem.

Tertiò ſequitur, quàm debeat Chriſtianus iudex fauere ei qui iniuriam paſſus eſt. Enimuerò, ſine delectu perſonæ læſæ, & lædentis: iudex debet ordinariè in carcerem trudere lædentem, & læſo in expenſis facere ſatis.

Quartò ſequitur, ſatisfactionẽ debere fieri læſo nummis: ideo enim ſolui debet læſo, & iuſtitiæ, vltimus etiam quadrans. Planè verũ eſt, quòd honor altioris ordinis eſt, quàm

Eccleſ. 10. pecunia. At quia pecuniæ omnia obediunt: & obedit etiam & iniuriæ ſatisfactio. Si quidem talionis pœna in Euangelio locum non habet.

Quintò, habes politiam iudiciariam in terris, conformem eſſe politiæ iudiciariæ in æternitate. Vbi Iudex Deus: miniſtri Angeli: carcer eſt infernus, aut purgatorius locus: è quo nemo exit, niſi omnibus debitis exactiſſimè perſolutis.

Sextò ſequitur, quòd ſi inter litigandum: offenſus ſuam remittat offenſam, iudex tamen cauſam debet proſequi in rigore, donec offenſus ſatisfactũ ſibi eſſe dicat. Vides quàm ſanctum quamq; incorruptum velit Deus eſſe iudicẽ ſuum? Hactenùs de hac expoſitione.

1. Cor. 9. Verùm quia non de bobus cura eſt Deo, vt de rebus æternis: & quia textus Græcus dicit: Ne fortè aduerſarius tradat te illi iudici, & iudex ille tradat te illi miniſtro, vbi ſpecialis quidam iudex, & ſpecialis quidam notatur miniſter, idcirco placet, aliam expoſitionem comminiſci, vt videlicet ſermo ſit de Chriſto iudice viuorum & mortuorũ, & de dæmone, qui miniſter eſt iræ Dei. iuxta illud: Tradere Satanæ in inte-

1. Cor. 5. ritũ carnis. Eſt igitur ſenſus: Bene affectus eſto in eum quem læſiſti: ne hic à te offenſus fortè tradat te Chriſto, & Chriſtus dæmoni, & dæmon carceri ex quo non exibis, niſi ſoluas.

In hac expoſitione illud dubium eſt, quomodo vir læſus tradit offendentem Chriſto? Reſpondeo: Pius cum iniuſtè læditur ad Deum ſe conuertit: cauſamque ſuam illi commit-

Ierem. 11. tit. iuxta illud Ieremiæ: Videam, quæſo Domine, vltionem

Iere. 20. tuam ex eis: tibi enim reuelaui cauſam meam. Et ferè idem Dauid: Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me. At in Ieremiæ verbis duo aduertenda ſunt. Alterum eſt

Pſal. 34. illud: Tibi reuelaui cauſam, quod idem eſt ac ſi diceret: Tibi tradidi cauſam meam. quo loco Ieremias aduerſarios ſuos iudici tradidit, vt etiam Dauid: Quia enim, viris pijs licitum non eſt, manibus ſuis vindicari, cum vindictam a Iudice ſperant, aduerſarium iudici tradunt. Alterum eſt illud,

Videam

Videam vltionem ex eis. cùm enim viri pij offensio, in Dei cedit iniuriã, tunc optat pius offensus: vt Deus tradat aduersarium ministro, & carceri, & vindictæ (licet non æternæ.) Porrò si viri pij damnũ, Dei gloriã nõ tangit: tradit quidem pius aduersariũ suum Christo, non semper in vindictam, sed in misericordiã, & ideo in textu dicitur: Bene velis ei quem læsisti, ne te tradat Christo, in vindictam & in carcerem.

Hanc Lector si probaueris expositionem: expende quàm sit graue, quamq; periculo plenum virum offendisse pium, qui causam suam Deo committat, & tradat. Profectò qui offendit, non euadet manus Domini, quin in hac, aut futura vita, pœnam delicti exactissimè soluat, vsq; ad nouissimum, inquit, quadrantem. Plane habetur apud Ieremiam, ne ores, *Ierem. 7.* inquit Dominus, pro populo hoc, non enim exaudiam te. quasi dicat: pœnam exactè sui peccati persoluet, id statutum iam est, ideo pro eo orare ne velis.

Audistis quia dictum est, &c. Video huius loci difficultatem: dicam quæ consona videri possint. In primis id annotandũ, quòd licet Dominus videatur loqui de omni muliere, cùm dicit: Qui viderit mulierem: at profectò non loquitur, nisi de coniugata. vt sit sensus: Qui viderit coniugatam, ad eam concupiscendam, iam mœchatus est eam. Quòd verò hæc sit germana lectio, indicatur primum ex versionibus doctissimorum virorum, qui ita legunt: Qui viderit vxorem alterius, &c. Indicatur secundò, ex ipsa veritate. Nam qui videt solutam: & eam concupiscit, non mœchatus est: fornicatus est planè, sed non mœchatus. Igitur veritas ita habet: Qui videt vxorem alterius, ad cõcupiscendum, mœchus est. Nec potest nodus hic aliter dissolui, nisi fortè dicas, quod in Christiano tanta culpa est fornicatio, quãta erat adulterium in Iudæo. Et ideo Dominus dixit: Ego dico vobis Christiani, Qui fornicatur videns mulierẽ, perinde est, ac si mœchus esset. Veruntamen quia voluntariè hoc dicitur, nescio an verum sit. Hoc ita constito, videre est: quid velit Dominus dum dicit: Qui viderit mulierem ad concupiscendum. Et eundem salua doctiore censura: credo hunc esse sensum. Olim mandabatur, Non mœchaberis, & item mandabatur, Ne concupiscas coniugatam. Nam si concupiscis, etiam si non mœcheris, mortale peccatum admisisti. Nunc ego vobis dico nemo dispergat suos oculos, ad cõcup. scendum: nam si oculus explicaueris ad concupiscendum: etiam *Exod. 20.* *Eodem.*

si non

si non concupiscas, mortaliter peccasti. Est iuuenis, discurrit per plateas & angulos, vt inueniat quam concupiscat: non inuenit, & ideo non concupiscit, iam mœchatus est. Igitur primus mali gradus est, spargere oculos ad cōcupiscendum: licet non concupiscas. Secundus, concupiscere: licet non mœcheris. Tertius, & pessimus mœchari. Quasi Dominus diceret: Media ad assequendum finem sunt mortalia: licet finis non habeatur.

Ex quo plano sensu colligitur, quòd sicut aperire oculos, ad quærendam quam cupias, mortale est: ita arrigere aures, ad audiendam quam desideres, mortale est. Canūt fœminæ multæ, tu aures extendis, vt eam cupias, quæ dulcius canit: mortaliter peccasti: licet nulla sit, cuius tibi cātus probetur. Par erit de reliquis sensibus ratio.

Dubitas, an hoc lóco damnata fornicatio sit? Et responsio est, quòd licet forsan ex huius literæ contextu non dānetur, damnauit eam tamen Apostolus, cùm fornicarios dicit, in
1. Cor. 6. regnum Dei non ingressuros. Et quidem iure ipso naturali,
Galat. 5. est fornicationis damnatio manifesta. Primò enim si illa liceret, quis est qui (à Deo instituto) matrimonio, collum subijceret, & nō vagum potius fœminarum expeteret concubitum, ne matrimonij sentire molestias cogeretur? Secundò, & item, quænā esset filiorum educatio, vbi nullus vir fœtū crederet esse suum? Tertiò, Et quis esset qui filios vellet sanctè instituere, & erudire, si existimare posset, alienos esse quos instruere parabat? Quartò, Et vbi esset illa hominum sancta, ac firma amicitia: quæ ex matrimonio per cōsanguinitatem & affinitatē germinat, & firma perseuerat? Quintò, Profectò zelo, iniurijs, & cædibus totus mundus macularetur: si viri, quas amare cœpissent, ab alijs liberè viderēt conspurcari. Sextò, Iam viris senio confectis, quis filius præsens remediū afferret: si patrē esse dubitaret, quem senio premi videret? Septimò, Sane, de pudore, & verecundia actū esset: si fornicaria libido impunè per homines grassari posset. Octauò, Et quidē pulchris fœminis, fortasse per fornicationem parata essent cōnubia: sed castis, & iā vetulis quis prouideret? Nonò, Imò arbitror si fornicari liceret: nullas futuras domos, nullas ciuitates, nullamq; politiam. Quod enim domos firmat, & stabilit, est matrimonij indissolubilis, nex⁹, ex domibus verò firmis, firmātur & vrbes. Decimò, Tolleres etiā regnorū legitimas successiones: siquidē nec rex, reginæ

partum

partum crederet esse suũ, sed pastoris forsan, atque bubulci.

Quòd si oculus tuus. Hic textus vt est difficilis: ita est admirandus. Id primum aduerto, qui simus, quàm miseri, quàm venenati? Miseri planè, quibus à nostris oculis, à nostris manibus, mors, & mors inferni impendeat: nos nostri scandalizant oculi, nec scandalizant solum, sed in infernum conijciunt. Sanè Dominus hæc protulit verba: Cauete, inquit, ab hominibus. nunc verò dicere videtur, cauete etiam à vobis. Siquidem verissimũ est, inimicos hominis, esse domesticos eius. verè igitur clamat Paulus: Infœlix ego homo: quis me liberabit de corpore mortis huius? vtpote quod, nisi castigetur, & in seruitutẽ redigatur, reprobos nos efficiat. Mors, inquit ille, est in olla: at nos dicamus, mors est in oculis nostris, in auditu, manibus, & pedibus. Quis vidit aspidem, aut basiliscum, adeò venenatum, vt in se suum effundat pus, atque venenum? *Matth. 10.* *Micheæ 7.* *Rom. 7.* *1. Cor. 9.* *4. Reg. 4.*

Sed cur dicit: ***Si oculus tuus dexter, & manus tua dextra?*** Primò quidẽ: quia oculo dextro respicimus, quæ amamus. Cùm enim dextræ partes sint efficaciores, quàm sinistræ: ideo dextris vtimur, cùm aliquid efficaciter efficere desideramus. Hinc est, quòd fœdera iungimus dextra manu. Nam & Apostolus dicit: Dextras dederũt societatis: mihi, & Barnabæ. & sponsa dicit: Læua eius sub capite meo, sed dextera eius amplexabitur me. igitur amantes dextera se amplexantur. Et secundò: quia qui dextrum eruere, & proijcere potuit oculum, multò facilius poterit sinistrum. quæ enim in nobis sinistra sunt, iuxta Philosophiam, moueri & irritari potius apta sunt, quàm mouere, aut irritare. *Galat. 2.* *Cantic. 8.*

Sed aliquãto profundius specta: Dextrum dicit Dominus oculum eruendum, intelligens in Christiano homine nihil esse sinistrum. Planè Christiani ad dexteram sunt statuendi, ideo dextri homines sunt, non sinistri. Sunt enim Christiani, quos Rachel pulchra sua morte enixa est. Ideo Beniamin, id est, filij dextræ nuncupari debent. At in ijs qui dextri sunt, nihil est læuum. Iuxta Paulum: nihil, inquit, damnationis (id est, nihil læuum) est ijs: qui sunt in Christo. Ideo Christus non dicit: Si oculus tuus sinister scandalizat, quia videlicet sinister oculus non est in Christiano, si non secundùm carnem ambulat. *Matt. 25.* *Genes. 35.* *Rom. 8.*

Dices: Num igitur oculus dexter scandalizabit? si enim dexter est, scandalum nõ gignet? Ita quidem futurũ erat: sed

hæc

hæc est miseria nostra, vt quæ dextra sunt, fieri leua possint.
Galat. 2. Dextro oculo, dextraque manu Petrus, Iudæus cùm esset, cogebat gentes Iudaizare. At Paulus hunc oculum eruit à Petro & proiecit, & dextro oculo Corinthij comedebant idolothita. Sed Paulus idem, oculum illum, factū esse læuum
1. *Cor.* 8. demonstrauit. Si igitur quæ sunt dextra, læua fieri solent:
1. *Cor.*10. qui stat, videat ne cadat. Nam quòd stans cadat, idem est, ac si dextrum redderetur sinistrum.

Grauis nunc se profert dubitatio, si oculus dexter scandalum præbet. & manus, num eruenda sint, & proijcienda? si ad mysticos, vel allegoricos oculos vis recurrere: id facilè poteris. Sed non satisfacis ex integro. Audendum igitur est aliquid. Et primum quidem, si oculus, aut manus dextra, ita scandalizarent, vt scandalum extingui nequiret, nisi manu aut oculo eruto, profectò, & oculus, & manus erui deberēt. At quia scandalum sopiri potest, voluntate & consensu renuente: ideo manus & oculus in loco suo manere debent. Sed Dominus ostendit, quantum sit periculum ab oculo, aut à manu: siquidem ea iubet discindi, si aliter periculum cessare non posset. Ideo enim & manū à vipera vulneratam abscindimus: quia aliter vulneri succurrere nequimus.

Secundò respondeo, quòd ex vsu sanctarum Literarum, tunc aliquid eruitur & proijcitur, imò & moritur, cùm à sua
*Matth.*19. actione impeditur. Dominus dicit beatos qui se castrauerūt, propter regnum Dei. Num intelligit beatos qui se execuerunt? minimè. In his enim rursum ardere libido potest. Intelligit igitur eos esse beatos: qui virilium vsum sibi in-
*Actor.*10. terdixerunt. Similiter & Petro dictum est: Petre occide, & manduca. num igitur Petrus erat occisurus quadrupedia? absit. Sed quòd opera bruta à quadrupedibus erat extirpaturus. Quid moror? an non apertum est oculum mori cùm
Coloss. 3. eruitur? Cùm igitur Paulus dicit: Mortificate membra vestra quæ sunt super terram: perinde est, ac si diceret: Eruite & proijcite membra vestra. Igitur idem est eruere & mortificare, & ab actione remouere.

Sed dubitas: Quorsum Dominus iubet oculum erui, & proijci? an nō sat est erui? nō ab oculo eruto, & nō proiecto, periculum imminere poterit? Respondeo: hoc vno verbo Dominum docuisse multa. Videlicet, & quòd eruti oculi reuiuiscere possunt, & iterū scandalizare. Et quòd nunquam pijs hominibus quantumuis mortificatis, est pax à suis membris,

membris, plenè secura. Et quòd vsus scandalizātis oculi, aut manus nunquam nobis potest esse concessus: sed ita debet à nobis esse d.ssitus, sicut est oculus erutus & lōgè proiectus.

Melius est tibi vnum oculum habentem. Quid igitur, erutis oculis homines, & vnum oculum habentes, intrant in cœlum? Ita quidē: non solum eruto oculo, & manibus discisis: imò & toto corpore mortificato. Cùm enim tota caro concupiscat aduersus spiritum, & tota spiritum scandalizet, necesse est totā mortificare, corrumpere, & morti tradere. Nisi enim granū frumenti mortuum fuerit, afferre fructum non potest. Et Paulus sapienter: Licèt is, inquit, qui foris est homo noster corrumpatur, is qui intus est quotidie renouatur. Et aliquanto suprà: Itaque, inquit, mors operatur in nobis. & alibi: Quotidie morior, per vestram gloriam fratres. Igitur membra nostra nisi eruta, & proiecta, & mortua, non intrant in cœlum. Galat. 5. Ioan. 12. 1. Cor. 4. 1. Cor. 15.

Sed non est silentio dignum: Melius est, inquit, vnum oculum habentem. Non ergo intrat in cœlū, nisi qui vnum habet oculum, vnamque manum. O excelsam doctrinam! Quam rectè Dominus ad Martham: Porrò, inquit, vnum est necessarium. Igitur quod vnum est, æternum est, cœleste est, igitur & vnus oculus, & vna manus esse debet. Quàm eleganter sponsus dicit: Vulnerasti cor meū, in vno oculorum tuorum. Non ait: Vulnerasti me in oculis tuis, sed in vno oculorum. Videlicet: quia alter erutus, & proiectus erat. Et alibi idem sponsus dicit: Pone me vt signaculum super cor tuum, & super brachium tuum. Non, inquit, super brachia, vnum enim brachium habent viri sancti: sicut & oculum vnum. Videlicet, quia quod volūt, & quod operantur, propter vnum Deum, quem vnicè amant, operantur. Luce 10. Cantic. 4. Cantic. 8.

Quàm vt totum corpus tuum mittatur in gehennam. Habes igitur Lector, quòd totum corpus impiorum ruit in infernum. At piorum, non totum corpus in cœlum intrat. Non enim intrant in cœlum nisi oculis erutis, manu conuulsa. Memor esto quòd in cœnam regiam intrauerūt cæci, claudi, debiles. Sed qui integri erant intrare renuerunt. Planè tales intrant, quales fuerunt. Impii toti erant corpus, toti indulgebant corpori: & ne quid corpori deesset, animam minuebant. Contrà pii, nihil aliud meditantur, quàm corpus affligere, minuere, & deponere: vt integer sit spiritus in die Domini nostri. Luce 14. 1. Thes. 4.

Quo

Quò fit, vt in inferno nulla sit corporis pars: quę nō omni tormentorum corporalium genere excrucietur. Id enim est totum corpus proijci in gehennā. At in cœlo, corpora nostra licet integra futura sint in membris: non tamen erunt integra, quantum ad suas necessitates: nec enim manducabunt, aut bibent, non nubent, neq; nubentur. Est enim nunc
Matt. 22. corpus animale: tunc verò spirituale: nunc infirmum, tunc
1. Cor. 15. erit in virtute, vt Apostolus habet. Contrà erit in animabus: animæ enim piorū erunt integerrimæ, & integre omnibus spiritualibus delitijs fruentur. Impiorum verò, erunt imminutæ, nihil enim boni, aut cogitare, aut velle poterunt.

Dictum est: Qui dimiserit vxorem det & libellum repudij. Prior hìc dubitatio surgit: Cur Dominus in lege noua, libelli repudij licentiam abstulit: quam in veteri concesserat? Nec enim minus est necessaria nunc: quàm erat olim. Siquidem, nec minus sint nunc homines infirmi, & imbecilles, quam tunc. Ad hoc primitùs est respondendum: quòd sine dubio, in lege veteri præcessere viri sanctissimi: quibus si nostros conferas, non erunt illi multò inferiores. At licet hoc verum esse fateamur, fatemur etiam, statum legis veteris fuisse statum infirmitatis, timoris, & peccati. Contra verò statum legis novæ, dicimus esse statum roboris, virilitatis, gratiæ, sanctitatis, & omnium bonorum. Cùm igitur repudiū concessum sit Iudæis, vt imbecillibus, apertum est, quòd debuit negari Christianis, vt valentioribus.

Rursus Iudæi habuerunt cor lapideum, Christiani habent (ex ipso legis suæ statu) cor carneum. Dictum enim est: Au-
Ezech. 11. feram à vobis cor lapideum: & dabo vobis cor carneum. Si igitur propter duritiem cordis concedebatur repudium, ea ablata, debuit repudium auferri.

Et quidem Christus reparator fuit innocentiæ, per Adam
Matth. 16. perditæ. Cùm igitur in paradiso, vnus vni tantum, non duabus fœminis hæsisset, voluit similiter Dominus in statu innocētiæ reparatæ, vnum vni tantum hærere. Ac ita nullum fore repudio locum.

Est igitur status Christianus: carere criminibus, propter quæ digna sit eijci vxor, aut si ea committat crimina, vult Dominus à viro perferri: quòd si perferre nequeat, eijciat modò ne alteram admittat.

Dices: nō possum vxore reiecta, carnis stimulos perferre. Imò verò ego respondeo, qui hanc cōdidit legem, de vxore reij-

reijcienda, si incorrigibilis sit, is dabit tibi auxilium, quo vim libidinis extundas: dabitque aquam, quâ ardorem carnis extinguas. Vt enim cùm in tribulatione gaudere iussit, se astrinxit ad opem tribulatis ferendam, quâ exultare possent, si vellent: ita cum ab vxore discedere permisit, presidia castitatis tuendæ ferre promisit. *Matth. 5.*

Secunda, & longe periculosior disputatio est: num causa fornicationis, ita coniunx, fornicantem coniugem abijcere possit: vt cum alia nubere queat? Id enim contextus indicat. Quia si dimitti vxor non potest, nisi ob fornicationem, ob eam, dimitti planè poterit. Erasmus vult: ob fornicationem posse vxorem dimitti, & virum innocẽtem liberum esse, vt aliam ducat, si velit. Idem ferè Caietanus. Idem & Ambrosius. 1. ad Corint. 7. Idem videtur Zacharias papa, vt habetur cano. concubisti. 32. quæst. 7. Idem videtur Concilium Triburiense & refertur in cap. Si quis cum noverca. 32. quæst. 7. Et quoddam aliud Concilium, quod refertur cano. quædam cum fratre, eodem.

Sed in contrarium est multiplex Ecclesiæ diffinitio. In primis Apostolus dicit, 1. Corinthior. 7. vxorem à viro non discedere. Et si discesserit, manere innuptam. Sed discedere nequit, nisi ob fornicationem. Ergo fornicaria innupta maneat: quia virum habet. Ergo similiter vir eius manere debet: quia vxorem habet. Rursum Apostolus ad Roman 7. mulier viuente viro, alligata est legi viri. Idem habent Apostoli in canonibus, cano. 46. Idem Clemens primus in cano. Quod in omnibus. 32. quæst. 7. Et idem Gregorius magnus, cano. hi verò, eod. & Leo papa, cano. qualis. 3. quæstio. 5. Alexander tertius de sponsalib. cap. ex parte. Innocentius tertius. cap. gaudemus, de Diuortijs. Idem habet Concilium Eliberitanum, canon. fidelis. 32. quæstio. 7. & Concilium Mileuitanum, cano placuit, eodem. Concilium Tolet. 12. cap. 8. Idem Augustinus, qui contra pollentium, (eiusdem cum Erasmo sententiæ) duos edidit libros. Idem Hieron. in Epitaphio Fabiolæ ad Oceanum, & in Epist. ad Damasum.

In eam sententiam omnes doctores consentienter inclinant. Et meritò quidem: Si enim matrimonij vinculum, propter fornicationem omnino rumperetur: nullus esset coniunx, qui vbi coniugem vellet repudiare: illico non fornicaretur. Videlicet paratum hac ratione habens remedium vt à coniuge dimitteretur. Quod vt esset omnia

matrimonia dissoluere: ita esset via ad multas fornicationes perpetrandas.

Canones contrarios, suæ soluunt glossæ.

Iterum audistis quia, &c. Qui textum hunc legit attentè, credere poterat: iuramentum nullatenus licere. Ita enim verba, prima fronte designant. At vel hinc colligere licet: quam sit necesse verbis Euangelij, sensum ecclesię copulare: vt ex textu Euangelico, & sensu ecclesiastico, germana veritas oriatur. Colligere etiam est: paris esse authoritatis Ecclesiam, & Euangelium. Siquidem Euangelium non ligat: nisi vt tradit Ecclesia. Igitur iuxta Ecclesiæ traditionem: iurare licet, si sit iusta, vera & honesta causa iurandi. Ita decreuit Innocentius in cap. Et si Christus, de iureiurando. Idem decreuit Cōcilium Tolet. 8. & habetur. 22. quæst. 1. can. Omne quod. vbi dicitur: Pro fœdere pacis sanciendo, Sacramenti ligamen admittitur. Idem & Augustinus, cuius verba referuntur in ca. non est contra præceptum. 22. q. 1. in qua quæstione multa capitula referuntur, ex Augustino, ad hoc probandum, & etiam ex Isidoro. Et tandem dicere: quòd nunquam iurare liceat, hæresis est damnata contrà Ioannem Hus, in Concilio Constantien. Sess. 8. cap. 43. Et est manifestum: multa concilia expetijsse iuramentum, vt in eodem Concilio Constan. & Ephesino monstratur.

Totum dubium est: An liceat iurare per Deum, an per creaturas. Et quidem Hieronymus plane dixit Dominum prohibuisse iuramentum per creaturas, non verò per creatorem. Quod habetur etiam in cap. etsi Christus, de iureiurando. Nec displicuit hæc sententia Christiano Druthmaro si rectè expēdatur. Imò nec Gratiano, referēti, nec respuenti verba Hieronymi, in cap. Considera. 22. q. 1. At verò in contrarium appaiet esse D. Iacobus: qui vt Christi interpres, dicit: Ante omnia fratres mei, nolite iurare, neq; per cœlum, neque per terram, nec quodcūque aliud iuramentum: sed sit sermo vester est, est, non, non: ne sub iudicio cadatis. Vides apertè omne iuramentum, siue per creaturā, siue per creatorem à Iacobo prohiberi. Cùm igitur iurandum est, per creaturas, & per creatorem iurare licebit: cùm verò non est iurandum, non iurabimus per creaturas aut creatorem. Siquidem, ex litera huius Euangelij: qui per creaturas iurat, per creatorem se iurasse, intelligere debet. Dicit enim, quòd cœlum thronus Dei est: & Matth. 23. expresse habetur, qui iurat

iurat in cœlo, iurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eum. Est igitur par religio iuramenti per Deum, aut creaturas. Cùm enim nullus Christianus iuret per creaturas, credendo eas esse Deos, (id enim idololatria esset) fit, vt cũ per eas iurat, iuret per eum qui in illis est. Quare ita obligatur iuramento per creaturas, vt per creatorem: vt etiam Innoc. agnouit in cap. etsi Christus, iam citato.

Reliquum est videre, si non semper malum est iurare: quando erit bonum? Respondet Ieremias cap. 4. iurabis (inquit) viuit Dominus in veritate, iustitia, & iudicio. Primum ergo quod requirit licitum iuramentum est: quod qui iurat, iuret verum: & quòd ipse nouerit verum esse quod iurat. Secundum quod requirit est: vt sit iustum, neminique noxium. Habetur enim in iure, quòd iuramẽtum contra bonos mores, non obligat, de regulis iuris, reg. 58. & de iureiurando. c. quanto, & c. ... lib. 6. eodem titulo. Vnde qui duo iuramenta iurauit sibi pugnantia: illud seruabit quod iustum est, reliquo reiecto. Vt habetur cap. tua nos, & cap. sicut ex literis, de iureiurando. At qui iurauit ex metu, seruabit iuramentum, donec à Prælato rescindatur. Æquũ enim est, vt rescindatur, vt habetur in cap. Si verò eodem, & idem dicendum de eo qui iurauit soluere vsuram: seruabit vsque ad rescisionem. Vt habetur cap. 1. eodem. At iuramentum vires obligandi non habet, si ad malum faciẽdum factum est: vel ad bonum non faciendum, vel ad bonum minus faciendum, si maius facere velis. Nam qui iurauit daturum se pauperi argenteum nummum, satis seruat, si det illi vestem, quæ multo est melior. Tertium quod requirit iuramentum est, vt fiat in iudicio. Quod vocabulum, non significat Iudæis prudentiam: sed tribunal iudicis. Quo colligi videtur illud ferè esse iuramentum licitum, quod ad iudicis tribunal fit. Vbi & iudicis reuerentia, & temporis spatium, & falsitatis redargutio, cautum reddere debeat iurantem. Video Paulum extra iudicium iurasse, sed id effecit, Deo instigante vt discipulos ea ratione sibi conciliaret. Hactenus de præludijs, iam nunc exponimus textum. *Vide 2. 2. q. 4. ferè per totam.*

Dictum est: Non peierabis, reddes autem Domino iuramẽta tua. Arbitror sensum esse. Nunquam falsum iurabis. Si quid verò iuramento promiseris, id Deo reddes. Duplex enim est iuramentum: assertorium, & promissorium. Ad assertorium referri debet primum membrum, scilicet non peierabis: ad

promissorium, refertur secundum. Vbi aduertenter dicit, Reddes Deo iuramenta tua: & non dixit, Reddes proximo iuramenta tua, vt significaretur, tunc proximis iurata reddi debere: si ita proximo reddantur, vt Deo reddita videri possint. Si enim male proximo promisi, non adstringor reddere: quia quod malum est, Deo reddi non potest, & ideo nec est proximo reddendum. Quod si Herodes aduertisset, non
Lucæ 3. dedisset puellæ Ioannis caput: id enim Deo sine immani
Matth. 14. sacrilegio offerri nequibat.

Ego autem dico vobis non iurare omnino. Diu mecum reputaui, quid causæ fuerit, vt Christus tam planè, tamque in vniuersum iuramentum prohibuerit? (excipio cogentem necessitatem.) Et prior illa causa est: voluit nos non iurare omnino, ne peieremus.

Sed statim subit interrogatio: Cur hanc particulã, Omnino, huic præcepto addidit: nõ verò alijs præceptis? & respõsio est: Quia grauissimum crimen est periurium: ideo grauissimè caueri voluit. Vt enim Nazaræis prohibebantur acini
Num. 6. vuarum, vuæ & mustum: ne biberent vinum, quo inebriarentur; ita Christianis prohibetur iuratio, ne peierare contingat. Nullum planè malum Nazaræo comedere vuas, & passas recentes: at ne inde inescaretur ad vini potum; ideo prohibitus est ab illis. Simili planè ratione de iuramento.

Reliquum est ostendere quam sit peierare graue. Porrò peierare est Deum mendacem, & testem mendacij facere. Id verò crimen est grauissimum. Siquidem omnis homo, & omnis creatura, ex se mendax est; quia licet in creatura, sit ipsum esse, illud verò esse creaturæ, habet plurimum de non esse: vbi verò locum non esse habet, deest veritas & ita est mendacio locus. Cum verò Deus sit totum esse integrum, ac plenissimum esse, nihil habens admistum de non esse: totus planè est ipsa veritas. Nihil igitur in Deo mendacij. Iure ergo qui peierat, vt Deum mendacem facit: ita Deum Deum non esse demonstrat, idem enim est mentiri, & non esse Deum.
Ioan. 14. Secundò, Deus dicit: Ego sum via, veritas, &c. Idem affir-
Ioan. 8. mat quòd diabolus mendax est, & pater mendacij: & cùm mendacium loquitur, ex proprijs, inquit, loquitur. Quasi dicat: Diabolus est ipsum mendacium: si igitur, qui peierat Deum mendacem facit, Deum in castra diaboli transferre contendit: veritatem transfugam in mendaciũ, asserit. Quid verò est magis horrẽdum, quàm Deũ stare ex parte diaboli? Tertiò:

Tertiò: Qui peierat, fidem totam ſubuertit. Fides etenim noſtra non alij nititur columnæ: quàm quod Deus dixit, qui prima veritas eſt, & de quo dicitur in Pſal. Fidelis Dominus *Pſal. 144.* in omnibus verbis ſuis. Si verò tu contenderes Deum poſſe mentiri, aut teſtem eſſe mendacij: plane vides nihil firmitatis in Chriſtiana fide remanere. Cùm verò fides ſit initium noſtræ ſalutis: qui hanc fidem deſtruit, grauiſſimam fidelibus iniuriam irrogat. Si ergo qui peierat Deum mendacij teſtem affert: fit planè vt fidem Fidei auſerat, noſtræque religionis totum robur eneruet.

Oſtendi hactenus periurij grauitatem, & ita me oſtendiſſe arbitror, cur Dominus tam efficaciter iurare vetuerit. Nondum tamen conquieſcit animus, vidēs Dominum non ſolum periurium, ſed & iuramentum reieciſſe. Cur igitur Sancti illi priores tam frequens illud habebant in ore, Viuit *3. Reg. 17.* Dominus? Dices quia ſancti erant, ideo illis id licebat. At *18.* certe Apoſtolus omnes Chriſtianos ſanctos vocat. Cur igitur his negatur, quod erat illis conceſſum? *Ephe. Phi-*

Huic ergo reſpondeo: Primum, neceſſariam conſequutio- *lipp.* nem ferè eſſe legis nouæ, & ablati iuramenti. Itaque ſi lex *Coloſſ. 1.* noua ſancitur, meritò ſequitur, vt auferatur iuramentum olim conceſſum. Etenim ſi olim iuramentum liberè verſabatur ab hominibus, cauſa erat: quia multi erant impij, erant infirmi, & increduli. Lex enim vetus neminem ſanctificare *Rom. 5.* potuit. Siquidem ex ſe non dabat gratiam. Dicit enim Apo- *Heb. 9. 10.* ſtolus: Ex operibus legis nō iuſtificabitur omnis caro. Cùm *Galat. 2.* igitur eſſent homines impij, & quibus meritò eſſet neganda fides: addebant iuſiurandum, vt credere ſibi mutuò poſſent. At cùm lex noſtra, lex ſit amoris, & gratiæ: faciatque ex ſe *Epheſ. 1.* homines Deo dilectos, & vocatos ſanctos, neceſſario fit, vt auferat iuramenta, quæ propter impietatem erant introducta. Habes igitur claram connexionem inter legem nouam, & iuramēti ablationem. Lex enim noua ex ſe fecit homines fratres, in vno ſpiritu potatos, in vno corpore ædificatos. Loquimini igitur veritatem, quia eſtis inuicem membra. *Rom. 12.* Atturpiſſimum eſt membrum membro mentiri. Vbi igitur *Epheſ. 4.* mendacium relegatum eſt, iuramētum neceſſarium non eſt.

Rurſum lex noua ex ſe reparauit homines in ſtatum innocētiæ, è quo lapſi erant. Exhibuit enim Chriſtus ſibi ſpon- *Epheſ. 5.* ſam, non habentem maculam, aut rugam: vt in paradiſo, erat. Vt igitur non iuraſſent homines in paradiſo, (ſiquidem

in illo nullum erat culpæ, aut pœnę, propter quod iuramentum introductum fuit) ita nec iurare debent in noua lege. Igitur iniuriam nouæ legi irrogat qui sponte iurat : aut qui sponte fratrem iurare compellit.

Illud secundò aduerte : Ante Christum, nomen Dei vix erat hominibus notum. Notus enim in Iudæa Deus, & in Israël magnum nomen eius. At in Israël pauci admodum Diuinitatis maiestatem, nominisque diuini splendorem agnoscebant. Venit Christus, & vt ipse dicit: Manifestaui, inquit, nomen tuum hominibus. Ego te clarificaui super terram. Igitur Christus Deum, nomenque Dei manifestauit orbi: & velut face accensa, quæ erant in tenebris illustrauit. Quo factum est vt homines intelligerent infinitatem Dei, eamque reuerentiam : & adorationem quàm tantæ celsitudini debent. Idcirco præcipit ne summam Dei maiestatem passim aduocarent in testem: sicut nec terrenos reges quiuis in quoduis negotium, ad iusiurandum adigeret.

Psalm. 75. *Ioan. 17.*

Hunc Christi scopum intellexit Ecclesia: cùm à sanctitate iuramenti procul indignos abegit, iussit enim ne stulti iurarent, vt habetur 15. q. 1. Rursum iussit ne qui essent impubes iurassent, vt habetur 22. quest. 5. Et Cornelius papa præcipit, ne iurarent qui non essent ieiuni. Vt etiam ibi habetur.

Ca. merit. *Can. paruuli, & c. pueri. c. honestũ.*

Addamus tertium : Cùm lex vetus cultoribus suis bona terræ promitteret, non poterant homines non magni pendere temporalia bona (vt quę virtuti, tanquam pręmia proponebantur) nihil igitur mirabile : si pro his aut comparandis, aut conseruandis iurarent. Porrò cùm lex noua omnia hæc, vt stercora reputet, & in nullo alio, nisi in Christi cruce gloriari velit : necesse est, vt pro vilibus, pro stercore : pro puluere iurare (nisi cogente necessitate) prohibeat: est enim indignissimum, & velut monstrum, tantum Diuinitatis testimonium, tãtæ maiestatis pondus, in rei vilissimæ comprobationem sponte conferre.

Philip. 3. *Galat. 6.*

Demum illud quartũ assume. Cogitationes, inquit, mortalium timidæ : & incertæ prouidentiæ nostræ. Sunt equidem pleraque humana incerta: quæ velut certissima reputãt multi. Ideo Paulus ait, nolite ante tempus iudicare : donec veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. quasi diceret : Res humanæ absconditæ sunt, & velut in tenebris. Ideo de eis facile iudicet nemo. Si igitur multa sunt, quæ quidem nobis certa

Sapien. 9. *1. Cor. 4.*

certa videntur, sunt tamen in semetipsis nimis incerta: quis audebit iurare, vbi tanta est rerum obscuritas? meritò ergo Christus, (nisi vbi necessitas cogit) iuramenta reijcit.

Gratum mihi est hoc quintum adscribere. Per Christum, nomen hominum honorabile factum Deo. Habetur enim in Psalm. Ex vsuris & iniquitate redimet animas eorum: & honorabile nomē eorum coram illo. Si igitur Deus nomen nostrum honorat: dignum est, vt nos honoremus & suum. Si ille adeò magnificauit nos, vt propter nos se deijceret, indignū est, vt nos propter nostra, eum deijciamus. Exaltauit nos ille, exaltemus nos illum. *Psalm. 71.*

Neque per cœlum, quia sedes Dei est. Hæc verba iudicio meo, hūc habēt sensum: Volo, inquit Christus, Christianos meos nullatenus per Deum iurare: imò neque per cœlos, aut terram, aut Ierosolymā, aut caput suum. Siquidem in his omnibus est Deus. Et qui per hæc iurat, per Deum iurare se sciat. Si igitur per Deum iurare prohibui, itidem per creaturas iuramenta prohibeo.

At suspensum me tenent sacra hæc verba: Cur Dominus dicit: Iurare prohibeo per cœlum, terram, &c. Cur nō dixit, Per angelos, per solem aut lunam? Attende, te rogo, Lector: Per hæc verba Dominus significauit, Deum (ad sensum nostrum) habere pedes, tibias, & femora: habere etiā reliquum corpus. Pedes quidem super terram: tibias, à terris ad cœlum: femora in cœlo, sicut in throno: corpus verò super cœlum. Iuxta illud: Cœlum mihi sedes est: terra scabellum pedum meorum. Cùm igitur prohibuit iurare per cœlum, in quo Deus sedet: & per terram cui eius pedes nituntur: planissimè per totum mūdum iurare prohibuit. Si enim per terram non est iurandum, quia ei hærent pedes diuini: igitur neque per aërem, aut aquam, aut reliqua alia (quæ sunt inter cœlum & terram) iurandum erit: siquidem in eis sunt femora & tibiæ Diuinæ. Et si per cœlum non est iurandum, quia ibi sedet Deus: igitur neq; per angelos iurandum erit: quia inter eos adest corpus Dei. Cùm igitur maiestas Diuina nihil non impleat: fit, vt per nihil iurare possimus, si non iurare compellimur. *Isaiæ 66.*

Dices: Si Dominus vetans iuramentum per cœlum & terram, vetauit etiam iurare per omnia reliqua, cur addidit: Ne iures per Ierosolymam, aut per caput? Respondeo, quòd trina est machina rerum: iuxta quod res sunt triplices. Sunt enim

enim res naturales, in quibus Deus habitat naturaliter. Sunt res ſacramentales, in quibus ſacramentaliter exiſtit. Sunt res ſpirituales in quibus inhabitat per gratiã (quam Theologi iuſtificantem vocant.) In toto orbe eſt Deus naturaliter. In templo & ſacramentis eius, eſt ſacramentaliter. In homine pio, habitat per gratiã modo Diuino, & ſuper omnem naturam: proxime accedendo, ad eum modum, quo verbum Dei habitat in aſſumpta humanitate. Igitur cùm Dominus prohibuit iurare per cœlũ & terram, conſequẽter prohibuit iurare per ea omnia in quibus Deus naturaliter exiſtit. Cùm verò iuramentum per Ieroſolymam abſtulit, abſtulit ſimiliter iuramentum, per omnia ſacramentalia, in quibus ſacramentaliter Deus inuenitur. Cùm demum per caput Chriſtianorum (ad eos enim verba dirigebat) iurare prohibuit, prohibuit etiam iuramentum per ea omnia in quibus gratioſè Deus inhabitat. Primo loco prohibet iurare per angelos (quatenùs res ſunt naturales) per ſolem, lunam, & aſtra: & quicquid hoc orbe comprehenditur. Secundo loco prohibet iurare per ſanctã ciuitatem, templum, altare, vaſa ſacra, & reliqua, quæ ad mundũ ſacramentale ſpectant. Tertio loco prohibet iurare per vitam, animam, ſalutem, conſcientiam, ſaluationem, & reliqua: quæ ad mundum hominis ſancti pertinere videntur. Doctiſſimè igitur, Chriſtus qui dixit: Volo vos non iurare omnino. omnia iuramenta expreſſit, quæ omnia volebat eſſe reiecta.

Non te Lector pigeat hoc vnum audire. Pſalmus dicit:
Pſal. 98. Adorate ſcabellum pedum eius: quia ſanctum eſt. Si terra, quia ſcabellum pedum eſt Dei, ſanctum eſt, & adorari debet:
Pſalm. 113. quanto potius cœlum, quia ſedes eſt Dei? de quo dicitur: Cœlum cœli Domino: terram autem, dedit filijs hominum. Dedit verò terram filijs hominum: non vt per eam iurent,
Pſal. 104. ſed vt cuſtodiant iuſtificationes Dei, & legẽ eius exquirant. Iam in ſancta ciuitate Deus eſt. Ita enim habetur in Pſalmo:
Pſalm. 47. Hic eſt Deus, Deus noſter, in æternum & in ſeculum ſeculi. Demum caput hominis Chriſtus eſt, ſicut & caput Chriſti
Epheſ. 4. Deus. Sunt igitur terra, cœlum, Ieroſolyma, & pium caput res plenæ diuinitate. Porrò res diuinitate plenas in falſitatis aut vanitatis teſtimonium adducere indignum eſt: longè igitur à Chriſtianis.

Sit ſermo veſter eſt, eſt. Senſus eſt: Quando loquimini, dicite: Hoc ita eſt. Si quis non credat, idem repetite, dicentes:

Hoc

Hoc ita est, Nihil iuramenti addentes. Ita si quid negatis, & fides vobis non adhibetur, iterum repetentes, simpliciter negate. Quod enim iuramenti additis, ad confirmationem, à malo est, Græcè est ab illo malo, id est, diabolo. Excipe caussam necessariam iurandi.

Iterum audistis, quia, &c. Ex hac lege, Christi Deitatem, eius naturam, eiusque ingenium attonitus suspicio. Iubet Christus nō resistere malo, alteram maxillam obijcere, pallium relinquere, ad duo millia passuū angariari. In his verbis velut in luculentissimo speculo depictam Dei benignitatem intueor. Dei igitur natura est, non resistere malo, alteramq; maxillam nostris offensionibus obijcere. Quomodo enim iuberet, quod ipse non faceret? Vt igitur, mundus conditus indicat aperte pulchritudinem idealis mundi, qui in mente Diuina consistit: ita verba hæc indicant, quàm Dominus non resistat malis, quam obuertat faciem percutientibus. Igitur cùm in Sanctorum aliquo vides patientiam, & hilaritatem in malis: memento patientiæ idealis, & hilaritatis Diuinæ, quam in malis nostris ostendit. Extende precor, oculos ad culpas, & mala quæ in toto orbe fiunt. Quid videbis aliud in infidelibus, quam vicia & errores? Imò & in his qui fideles sunt, quid ferè videbis, nisi menstruatas iustitias? Sunt equidem in fidelibus & in infidelibus opera iusta: sed quota hæc sunt pars, eorum quæ iniusta sunt? Clamat Dauid: Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum. Sunt igitur fere malis omnia plena. At his non resistit Deus. Conclusa sunt omnia sub peccato, non vt vindictam de eis sumat Dominus: sed vt omnium misereatur. Offenditur vbique Deus: at ille ita silet, ac si non offenderetur. Ego, inquit, tacui, semper silui: aliquando, vt parturiens loquar. Et quidem si mater est, quæ ab infirmo filio læsa tacet: multò magis Deus est mater, quæ nostri non obliuiscitur & pater, qui nos supra humeros suos, quasi pa-storerrantes oues fert. Ego, inquit ille, feci: ego feram. Ita plane: nemo enim ferre poterat, nisi qui fecisset. Non igitur restitit ille malo: imò verò carnē assumpsit, in quam pœnæ malum irrueret, in quam desæuiret, & velut gladius grassaretur vsque ad eius intima penetrans. Verba sunt Christi: Intrauerunt aquæ vsque ad animam. Et rursus: Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Infixus sum in limo profundi. Et rursus: Ego autem non contradico:

Isaiæ 64. *Psal. 13.* *Galat. 3.* *Rom. 11.* *Isaiæ 42.* *Isaiæ 49.* *Lucæ 15.* *Isaiæ 46.* *Psal. 68.* *Psal. 68.* *Isaiæ 50.*

retrorsum non abij, &c. Intelligis, quàm verè Dominus non resistit malo? Si in Christi carne cognoscis: multò magis in eius diuinitate cognosce. Punctum enim est, quod in carne monstratur, ad id collatum quod in Deitate subsistit. Quantum videlicet Deitas distat à carne.

Non verò erit iniucundum, si doceamus, quàm verè Dominus obuertat alteram maxillam, quàm verè relinquat pallium, & ad duo millliaria angarietur. In primis, nemo est qui nesciat: Christum esse faciem Dei. Ita enim orat
Psal. 79. Psaltes: Ostende faciem tuam, & salui erimus. Et alibi: Deus
Psalm. 66. misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos. Quia verò quæ imbecilliora sunt ea sinistra sunt: manifestum est, quòd humanitas Christi facies sit Dei sinistra, ac ita eius Diuinitas facies erit dextra. Hoc igitur est Diuinitatis ingenium: vt cùm omnes nos offenderimus Christi Diuinitatem, id est, dextram Dei maxillam, ipse Deus obuertit nobis suam sinistram, id est, Christi humanitatem:
Psal. 2. quam reuera gentes & Iudæi percusserunt, & opprobrijs satiauerunt.

Prouer. 8. Nota: Verbum Dei, Diuinaque sapientia gloriatur, se suas cum filijs hominum habere delitias: quo manifestum est, peccata nostra quadam ratione, peculiarius Verbum diuinum offendere: ab eo enim peculiarius offendimur: in quo peculiares optaremus habere delitias. Fit igitur manifestè, vt cùm Deum offendimus, peculiariter Dei Verbum offendamus: ac ideo dextram Dei faciem lædamus. Quòd si ita
Ioan. 3. Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret: qui ab hominibus perciteretur, & in quo Pater nostras
Isaiæ 53. posuerit iniquitates: planè fit vt percussus in dextra maxilla Deus, obuerterit & sinistram, quam mortalium dæmoniaca audacia alapis cædere non timuerit.

Audi nunc, quâ ratione Deus det pallium, tunicam ab eo
Psal. 103. auferenti. Habetur in Psalmo: Confessionem & decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento. Iam, intelligentem Græcè, Psalmus docet: Deum indui confessione, & decore sicut tunica: lumine verò, sicut pallio. Id enim verba Græca apertè significãt. Cùm ergo legis Saulum spirantem minas,
Actor. 9. & cædes in discipulos Domini: existima, te videre Paulum gloriam, & decorem à Deo offerentem: ac ideo nudantem sua tunica Deum. Cùm verò legis, Paulum lumine cœlesti circunfusum, facilè intelliges, Deum suum dedisse Paulo

Pallium,

pallium: Siquidē pallium Dei lumen est. Fit igitur, vt Paulo auferenti tunicam Dei Deus pallium luminis sui dederit. Num verò, de Paulo solum id verū est? Imò cum nos offendimus Deum tunicam decoris sui ab eo auferimus: at cùm nos ipse cōuertit ad se, luminis sui pallio nos vestit. Pallium enim stola illa est, qua Pater filium suum vestiuit, filium, scilicet prodigum illum qui substantiam Patris (hæc tunica Patris erat) luxuriose viuendo perdiderat. *Lucæ 15.*

Accipe & hoc: Cum peccator ad sacramentum confessionis accedit, Deum sibi contendens habere propitium, ad iudicium cum Deo venit: illud enim Sacramentum iudicium est. Porrò in eo iudicio, peccator tunicā Dei auferre desiderat, id est, decorem & pulchritudinem gratiæ, & amoris Diuini, quem antea amiserat. Deus verò iucunde, & amanter, non solum amorem & decorem suum tribuit pœnitenti, sed & pallium gloriæ pollicetur perseueranti.

Reliquum est ostendere quomodo Deus angarietur. Id verò facilè est, intelligenti, quòd Deus est qui portat nos. In eo enim viuimus, mouemur, & sumus. Portat verò libenter agnos suos, ouesq; suas. In brachio enim suo leuabit agnos, fœtas ipse portabit. At iniustos & impios grauate sustinet: velut angariatus ad immensum peccatorum onus portandum. Porrò qui in iuuenta peccat, Deum angariat ad priores mille passus. Deus verò non subtrahit se: imò fert, nō solum ad alios mille virilitatis passus: sed ad tertiam vitæ partem, id est, ad vltimos mille senij passus. Angariatus ergo ad mille, portat etiam alia duo mille. Non hæc ego fingo, Domini verba sunt. Audite, inquit, me domus Iacob, qui portamini ab vtero meo, & gestamini a mea vulua. Vsque ad senectam, ego ipse, & vsque ad canos ego portabo: ego feci, & ego feram: ego portabo, & saluabo. An non sonant in auribus tuis hæc verba, quòd Dominus in Euangelio dicit, scilicet ego angarior a vobis in iuuenta. Angariabor etiam vsque ad senectam, & vsque ad canos. Nam quod molestè ferat iniquitates nostras (velut angariatus) verba Dei docēt: Præbuisti, inquit, laborem in iniquitatibus tuis. Ego, ego sum qui deleo iniquitates tuas. *Hebr. 1.* *Actor. 17.* *Isaiæ 40.* *Isaiæ 46.* *Isaiæ 43.*

Iam quòd petentibus Deus tribuat, facilè intelligimus omnes, quibus etiā tribuit nō petentibus. Si quidē naturalia bona ille liberaliter donat, etiā non rogatus. Quin, & bona gratiæ non petentibus concedit. Ipsius verba sunt, inuentus *Isaiæ 65.*

sum à

ſum à non inquirentibus me: palàm apparui non inuocantibus me. Imò gloriatur Dominus quod det non petenti, & immerenti: adeo vt donis ſuis nomen dederit, Gratia: videlicet, quæ datur non ex meritis, ſed ex liberalitate. *Rom. 4.*

Cùm verò dona quædam ſint gratiæ iuſtificãtis, quędam; quæ gratis data vocantur: illa dono dantur, hęc verò mutuo accipiuntur. Nec ſolùm mutuatur illa Dominus: ſed fœnus requirit, ab ijs qui accipiunt. Nota enim illa reprehenſio eſt, qua reprehendit Deus ſeruum ignauum, dicens: Oportuit ponere pecuniam meam ad menſam: & ego veniens, vtique cum vſuris exegiſſem illã. Cùm igitur à Deo veniant priora & poſteriora dona, apertè ſit, quàm Deus libenter & det dono, & det etiam mutuo. Omne enim donũ de ſurſum eſt. Et infrà: Qui dat, & non improperat. *Lucæ 19.* *Iacobi 1.*

Habes igitur, Lector Chriſtiane, liberaliſſimã Dei noſtri magnificentiam, & munificentiam. Habes conſtantiſſimam patientiam & longanimitatẽ. Vt facilè intelligamus, ſi eius filij eſſe cupimus, quàm eius nos naturam cõueniat imitari. Nimis demoratus ſum Diuinam naturam ex Euangelio depingens: Reliqua breuius tranſcurram. Cùm Lector vides Chriſtum mãdaſſe, vt honorem noſtrum contemneremus, nec honorẽ ſolum, ſed & tunicam, & pallium, nec id ſolum, ſed etiam noſipſos, ad angariam præberemus: facilè intelligis, quàm vilipendat hæc omnia Dominus, quæ tantùm magnificat mundus. O mundi corruptũ iudicium! profectò tantum res valet, quantum valere Deus ſapiens dicit: non quantum valere mundus ignorans credit. Planè, quicquid in mundo eſt, aut eſt concupiſcentia carnis, id eſt, diuitiæ & voluptates, aut concupiſcentia oculorum, id eſt, delitiæ, aut ſuperbia vitæ, id eſt, honores. Vide nunc Lector, quàm totũ mundum Deus contemnat, cùm honores, in alapis, diuitias, in relicta tunica, & pallio, delitias, in angariæ patientia contemnere iubet. *1. Ioan. 2.*

Dices, Licèt hæc contemni iubeat Deus: vix tamen contemnere poſſim. Contra ego colligo quàm præſentiſſimũ Deus auxilium habeat, quo legem ſuam ſeruare volẽti, ſuccurrat. Si enim iubet illa contemni, quæ mundus adorat: ſi iubet fideles ſuos ſacrificare abominationes Aegyptiorum (id eſt, ſi iubet occidere & reijcere ea quæ mũdus veneratur vt deos:) & ad hoc ſacrificium peragendum, nouit vires noſtras infirmas eſſe: planè adſtrinxit ſeſe, vt paratus, præſens, & prom- *Exod. 8.*

& promptus nobis imbecillis adesset: suasque vires annitentibus porrigeret.

Colligo etiam ex his, quàm velit Deus fideles suos attentos esse: habereque gladios suos super femora sua: & stare Cantic. 3.
si per specula. Quis enim nisi attentissimus, alterā maxillam obuertat, alteram percutienti? Norunt quæ dico, viri sui immemores, quosque cœli cura non tangit. Qui cùm percutiuntur, subitò accenduntur, inflammantur, percutiunt: tantum abest, vt alteram maxillam obijciant percussori. Igitur vita Christiana, vt militia est super terram: ita & vigilia est Iob 7.
super custodiam. Beatus ergo seruus, quem cùm venerit Abac. 2.
Dominus, inuenerit vigilantem. Lucæ 16.

Sed antequàm hunc locum finiam, libet mirari imbecillitatem nostram: qui resistere non possumus rei omnium infirmissimę. Planè D. Dionysij sententia est, quā S. Thomas & omnes docti receperunt, malum nihil esse, malumq; non habere vires, neque subsistentiam. & D. Augustinus exponit locum illum Ioannis, sine ipso factū est nihil. Nihil, inquit, Ioan. 1.
id est, peccatum. Malum igitur nihil est. Si nihil est, cur nemo huic nihil resistit? Adeo vires nostræ infrà nihilum subsistunt? Adeoq; peccatum vires nostras eneruat, vt vbi peccatum semel introierit, ibi viuat & regnet, neque nisi Rom. 8.
viribus Diuinis regno pellatur?

Dices, Fateor mala culpę nihil esse: at mala pœnæ aliquid sunt, ideoque repellenda. Sed contrarium planè verum est. Siquidem mala pœnæ si aliquid sunt: id quod sunt, bonum sunt, & à Deo sunt. Nec enim malum est in ciuitate quod Amos 3.
non fecerit Dominus. Quòd si ea quæ mala pœnæ nuncupantur, & in se bona sunt, & à Deo efficiente sunt, & à Christo suscipiente illustrata sunt, amplectanda propterea, & non resistenda sunt.

Finiam, si de textu nonnihil attigero. Ante cuius explicationem id annotandum est, tria esse tempora iniuriæ. Ante pugnam, in ipsa pugna, & post pugnam.

Ante pugnā: si certus sum, quòd aduersarius inferre mihi malum molitur: dubiū est, an præoccupare illum possim, & tantundē illi mali inferre, quantū mihi ille irrogare parabat? Si enim certò scio, quod me alia ratione defendere ab hominis iniuria non possum, sunt viri doctissimi, qui ita asserant, & contendant, me præoccidere posse hominem, si euadere eius occisionē, alia via nō possum. Sed de hoc non cōtendo.

In pu-

In pugna verò hoc certũ est, quòd si quis me inuadit, non solùm illum lædere possum, quantum ille lædere vult: sed & multo magis. Impugnat me hostis meus: oculum, aut aurem mihi eripere vult, licitum mihi est, non solùm illi oculum eruere, sed etiam vitam, ne oculum eruat mihi. Imò si equũ furto surripere vult: nec alia possum ratione equum seruare, quàm furem occidendo, licet mihi furem occidere, ne equum meum amittam. Hactenus Lector habes iura naturæ, concedentis mihi, vt maius malum inferam, ne minus malum suscipiam. Plus enim natura innocenti fauet, quàm culpis obnoxio.

Atqui post pugnam, nullum malum irrogare possum, ei qui mihi malum intulit. Possum tamen à iudice extorquere: vt maius illi malum (vt nocenti) inferat, quàm mihi ille intulit innoxio.

Iam nunc Domini verba diligenter expende. *Porrige, inquit, alteram.* Signum ergò est, quòd qui primò percusserat, secundò percutere pergebat. Alioqui si cessauerat à verbere, iniquum erat, ad secundum ictum inuitare. Igitur si secundò ferire festinabat, licebat percusso, vt secundam plagam declinaret, non solùm repercutere, sed etiam ferientis manum abscindere, si aliter se ab ictu seruare nequibat. Vide igitur, quam moderationem exigat Dominus in tanto conflictu. Vt percussus nec manum abscindat, nec plagam declinet: sed contra, leuam maxillam obijciat.

Vbi nota, quòd dextra maxilla percussi, dextra ferientis percutitur, palma exteriori: sed sinistra, percutitur manu interiore. Est verò multo apertior iniuria, palma percuti interiori quã exteriori. Hoc igitur vult Dominus: vt primò percussus, ad omne dedecus sese accingat.

Rursum, Si tunica vestis est interior, & pallium exterior: vult Dominus seruum suum tunica spoliatum, ad maius dedecus esse paratum. Nam viro religioso, & pio dedecus est non exiguum, sine tunica & pallio, publica via incedere.

Quod verò dicit: Vade cum eo alia duo. Vt sint tria milliaria, forsan eum numerũ dixit Dominus, vt in memoriam Trinitatis, parati simus, ad has violentias perferendas.

Porrò quod addit *Volenti à te mutuari.* Scito, hic esse duo præcepta. Alterum est, vt des dono ei, qui sibi donari petit: alterum est vt des mutuo ei, qui mutuum vult. Falluntur ergo vehementissimè Doctores qui dicere non verentur, nemi-

neminem obligari ad donandum, ei qui habet necessitatem: satque ei esse mutuum dare. At contra Dominus priori præcepto donare iubet. Quod cùm obligat: ad donum, non ad mutuum obligat. Posterius præceptum est de mutuo, quod officiorum magister Christus, sanctissimè stabiliuit. Videlicet, quia plus gratiæ frequenter debeo ei, qui mutuo, quàm qui dono dat. Et frequenter mutuo recipio: quod dono recipere, vehementer abhorrerem. Siquidem mutuum accipio à meo æquali: donum verò non nisi à meo superiori. Excipio munuscula quædam, quæ inter amicos missitari solent. Demum mutuum ligat me vt soluam: donum, vt ei qui dedit seruiam.

Iam verò quia textus explicatè dicit: *Omni petenti te, tribue:* & multi petunt non nummos, sed consilium, fauorem, preces, &c. Ideo Dominus, non solùm vult nos nostros exhibere nummos: sed & reliqua.

Rursus, cùm Dominus dicat, Omni petenti te: & illa dictio, Te, referatur ad Christianum, Christi discipulum: fit manifestè, vt sensus sit: Omni petenti à te Christiano, & pio homine. At nemo nisi impudens, petet à viro pio, nisi quæ pietatem deceant. Sicut ab honestissima matrona nemo impunè petet, nisi quæ honestatem sapiant.

Dices hæc præcepta esse grauissima. Nec ego diffiteor grauissima esse homini vitijs assuefacto. At si recolis Christum instituisse Rempublicam Christianam, ex viris contemptoribus huius seculi (qui exultent, cùm eis maledixerint homines, & cùm persecutionẽ ab hominibus patiãtur,) *Matth. 5.* ex pauperibus spiritu: ex mitibus, ex his demum qui dicunt: Absit gloriari nisi in cruce: planè percipies, non esse mandatum alienum moribus eorum, qui mandata recipiunt. Si *Galat. 6.* terreni sumus, leges Adam terreni sequemur. Cuius leges sunt, iræ, rixæ, contentiones, ambitiones, &c. At si portauimus *Galat. 5.* imaginem terreni, portemus imaginem cœlestis: vt leges eius sequamur. Videlicet pacem, gaudium, patientiam, *1. Cor. 15.* & reliqua id genus. *Galat. 5.*

Iam si prudenter expendis, quòd offerre maxillam percutienti, palliumq́; spolianti, robur sit animi & potẽtia: contrà verò, iniuriam ferre non posse, sit animi infirmitas & impotentia: facile iudicabis hæc mandata viris robustis quadrare. At lex noua virorum est, non puerorum. Lex enim vetus pædagogus noster olim erat, cùm pueri eramus & infirmi: *Galat. 3.*

at cùm

at cùm venit plenitudo temporis, iustum est vt abijciamus,
Galat. 4. ea quæ sunt paruuli.

Et reuera gaudentem animam effecit, alteram obtulisse maxillam: & ista ratione aduersarij tui malum in bono vicisse, sicut contrà tristem reddit animum, furori hostili succubuisse, & victum vindicari voluisse. Item, ex quo mala in Christum penetrarunt, Christi pulchritudinem, (sua malitia depulsa) induerunt. Vt iam qui oculos habet: mala non fugere, sed amplecti concupiscat. Et demum si adhuc mala dura videntur, id præstat gratia legis nouæ, vt quod iubet, in nobis efficiat.

Rom. 2.

Audistis quia dictum est, &c. Stupebā, particula superiore, Diuinæ naturæ patientissimum animum. Nunc verò nec verbis, nec cogitatione assequi possum generosissimum Dei nostri ingenium, nimiam charitatem, pectus amplissimum, idemq; nobilissimū. Ipse est, qui vere inimicos suos diligit, qui fouet, & amplectitur. Planè verum est, quod Psalmus inquit: Odisti omnes qui operantur iniquitatē, perdes omnes qui loquuntur mendacium. Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus. Sed idem ipse qui odit iniquitatem iniquorum, diligit omnia quæ sunt: & nihil odit eorum quæ fecit. Odit igitur culpam, amans naturam. Vt reuera sit, sicut Pater vnicè diligens filium: licet vnicè etiam odio habeat eius iniquitatem. Sic, inquit, Deus dilexit mūdum, vt Filium suum vnigenitum daret. Non poterat maiorē dilectionem habere: quàm vt Filium suum, quem diligit, vt animā suam mundo preberet. At mundus inimicus & iniquus erat. Nam Apostolus dicit: Commendat charitatem suam Deus, quia cùm peccatores essemus: Christus pro nobis mortuus est. Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, &c. Et alibi: Deus qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem quâ dilexit nos, etiam cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo.

Ephes. 2. Psalm. 5. Sap. 11. Ioan. 3. Rom. 5. Ephes. 2.

Tantæ Deus est misericordiæ, & tam potens est in dilectione: vt in suos inimicos velut glorietur eam effundere, & velut gestiat eos beneficijs onerare. Ex qua consideratione multa perspicere licet. Primùm intelliges Lector, causam, quâ infideles, nostræ fidei hostes, bonis terræ fruuntur, bonorum adipe gaudent, lætantur, vincunt, atque triumphant. Videlicet gaudet Dominus in hos suos inimicos, vim suæ dilectionis asserere. Cùm cōtra fideles iaceāt, veluti abiecti,

& despecti, ab eo qui eos amat ardenter. Refert hęc Psalmus dolenter satis: Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde. At licet ipse bonus sit, ego, inquit, vehemēter turbor. Pacem peccatorum videns. Videntur illi nūquam morituri: nunquam mors eorum pulsat fores, imò nec plaga valuas eorum audet intrare, aut si intrat, non est firmamentum: leuius transit, & abit. In labore hominum non inueniuntur, &c. Alio loco Psaltes dicit: Erue me de manu filiorum alienorum: horum filij sunt sicut plantationes nouellæ. Eorum filiæ sunt ornatæ, vt templa ornari solent. Eorum promptuaria omnibus sunt bonis referta: eorum armenta crassa & fœcunda. Eorum domus nunquam ruunt, eorum pax nunquam clamore turbatur. Habes lector quàm verè pergat Dominus inimicos suos diligere, & beneficijs infarcire. Lege nunc dilectos Dei, Abraham, Isaac, Iacob, Dauidem, & reliquos. Vix offam panis dulcem comedebant, nō felico amarore confectam. *Psalm. 72.* *Psalm. 143.*



Imò nō solum Deus suum explicat in infideles amorem, sed & in peccatores exerit aliquanto, quàm in sibi dilectos apertius. Solem quidem suum producit in bonos & malos: sed mali magis hoc sole fruūtur. Cùm enim ferè diuites sint, magis illis commodat Sol, quàm pauperibus. Sole gaudet pius pauper solus: at eodē plus gaudet malus diues, eo enim ipse sui serui, vineæ, agri, & pecora gaudent.

Intellige & aliud, quod mecum ego sæpius cogitaui: Video Paulum tantopere exaltatum, Magdalenam, Latronem illum, qui in cruce cum Domino pependit: effudit in hos opes suas Dominus. Imò verò, vt Petrum exaltaret, prius cadere permisit, videlicet, vt hanc sibi gloriam diuina dilectio compararet, quòd eos exaltat altius, qui lapsi erant fœdius. Ostendit hoc Paulus, dicens: Christus venit peccatores saluos facere: at inter eos ego primus sum. Dominus inquit: Nō veni vocare iustos, sed peccatores. Et Pater ille pius nihil ferè amoris ostenderat filio natu maiori: cùm tamen totas amoris vires in prodigum explicaret. An non fortissima est Dei nostri dilectio: attingens à fine vsque ad finem fortiter? Procedit enim à cœlo ad terram, id est, a pijs hominibus ad impios. Quàm elegāter hoc dictum est in Psalmo: Inimici Domini mentiti sunt ei, & erit tempus eorum in secula: at Dominus cibauit eos, ex adipe frumēti, & de petra, melle satiauit eos. Cùm tamen forsan amicis frumentum, *2. Cor. 12.* *Lucæ 23.* *Matth 26.* *1. Timo. 1.* *Matth. 9.* *Lucæ 15.* *Sapient. 8.* *Psalm. 80.*

Ioan. 5. adipem, aut mel non dederit de petra: sed panes ordeaceos, & pauculos pisciculos.

Et hoc etiam intellige: Non venit Christus saluum facere mundum, statim ac conditus est mundus. Cur ita? Cur expectauit tantum annorum numerum? Certè expectauit, donec concluderet omnia sub incredulitate, & tunc omniũ
Rom. 9. misereretur. Itaque tunc fuit miserendi tempus: cùm omnes
Psalm. 13. erant peccatores, & inimici. Cùm scilicet permiserat Deus,
Rom. 2. neminem ferè esse non peccatorem: omnes enim declinauerant: non erat qui faceret bonum, vix erant vnus, aut certè pauculi quidam. Habes igitur diuinam voluntatem, vehementer cupientem tunc amoris sui flammas proferre, cum minus homines digni sunt, qui amentur.

Rom. 5. Dices forsan: cur Dominus vult, quòd tunc superabun-
Psalm. 78. det gratia, cùm abundat iniquitas? Cur non potius effundit iram in gentes, quæ eum non nouerunt: & qui eius nomen
Rom. 9. non inuocauerunt? Cur non ostendit diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ? Ad hoc plana est responsio. Prima quidem, vt vel hac ratione, inimicos suos ad amicitiam prouocet: & ex iniquitate reuocet. Eleganter Paulus: Deus,
Actor. 14. inquit, dimisit omnes generationes ingredi vias suas: non sine testimonio tamen semetipsum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda eorum. Quasi dicat: Permittit quidem Deus peccare: sed non se relinquit sine testimonio & sine beneficijs, ijs qui peccant impensis. Hac enim ratione ad me-
Psalm. 4. liorem mentem conatur illos reducere. Et Psalmus inquit: Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona? Respondet Dauid: Signatum est in cordibus nostris lumen vultus tui, quo cognoscamus te. Quod verò est illud Dauid? Certè quia dedisti lætitiam in corde meo, & quia à fructu frumenti, vini & olei multiplicati & ditati sumus. An non hoc satis abundans testimonium est Dei, benefactoris omnium vt vel sic ametur, qui sic amat?

Matth. 11. Altera etiam ratio est: vt Sapientia iustificetur à filijs suis: vnica enim hæc ratio sufficeret hominem condemnare ad extremas pœnas inferni: quod amatorem & benefactorem, talem, tantum, Deum scilicet, tam obstinatè contempserit.

Tertia ratio: quã iam diximus hæc est, vt robur, ac firmitatem sui erga homines amoris ostendat, nec enim est amor
Ierem. 3. Dei, sicut vilis amor noster: qui prima quaque occasiuncula, prima

prima quaque offensiũcula, statim tepescit, labascit, & perit. Non ita Deus, licet enim irascatur nostro peccato, nihil tamen odit, eorum quæ fecit. Sapien. 11.

Diligite igitur inimicos vestros, benefacite iis qui persequuntur vos. Cur ita Domine Deus noster? Certè vt ex inimicis amicos faciatis. Ex impijs pios, & ex furia, ad sanam mentem reducatis. Expende præcor te, Lector, totam rerum machinam, & inuenies, nihil aliud res mundi contendere, quàm ex inimicis suis, amicos facere. Quid aliud vorax flamma conatur, quam viridia & sibi aduersantia ligna, in sui naturam conuertere, sibi copulare, & secum vnum efficere? Quid contendunt arbores cum succum terræ sugunt: quàm ex terra, sibi contraria, terram facere meliorem, in naturam scilicet arboris conuersam? Quid aliud sol, quàm tenebras lucis beneficio dissipare, lumenque caliganti mundo inuehere? Si igitur omnes res temporales ita conantur pugnantes secum corrumpere qualitates, vt contrarietas omnis soluatur: quanto potius vir pius (qui est velut Sal, & Sol,) beneficiorum suorum luce, debet inimicorum tenebras depellere: vt videlicet ex inimico faciat amicum? Matth. 5.

Quòd si attollis oculos, videbis nihil aliud Deum, & Angelos meditari: quàm ad salutem & pœnitentiam peccatores prouocare. Si igitur tu in Angelorum, imò & Dei ipsius, consortium vocatus est, ad officium illorum te para. Vt beneficijs tuis ad pœnitētiam reuoces eos, qui tibi inimicãtur. 2. Petri 1.

Iam tantopere infœlix est casus inimici tui in peccatum: tam est misera conditio aduersarij tui in peccato iacentis, vt vel hoc vnum debeat tibi lachrymas misericordiæ excutere, stimulosque addere, vt quacunque potueris arte, vel ope, erigas fratrem in cœno iacentem, liberesque à morte, eum qui iam in inferni faucibus est. Si enim asinum inimici sub onere iacentem, lex antiqua subleuare iubebat: quanto magis, animam sub talento plumbi, id est, onere peccati iacentem? Exod. 23. Zachar. 5.

Quod si nihil aliud vir Christianus vehementius optat, quàm fieri voluntatem Dei, eius regnũ venire, regnum verò diaboli & peccati perire, planè beneficijs inimicum suum obruet: quo victoriam de illo referat, auferens eum à regno diaboli, regnoque reddens Dei. Matth. 6.

Demum: Natura nostra est quæ inimicũ odit gratia (vt à Deo profecta, vt à Christo comparata,) eundem inimicum

 diligit.

diligit. Cur ergo nos Christiani, tantam gratiæ irrogamus iniuriam, tamque nostra culpa eneruem efficimus: vt nos non posse inimicos nostros diligere asseueremus? Si Christianum nomen habemus, & legem gratiæ profitemur, ingenium gratiæ exeramus.

Et certè qui persequutores suos odit, non maximè distat, quin & Deum etiam odiat. Cùm enim nullum recipiat Pater æternus filium, quem non castiget, imò quem non mortificet: si odimus eos à quibus damna recipimus, facile fiet vt Deum odiamus intelligentes nullum nobis ab aliquo venire malum, quod non inferat Deus. Dictum enim est, Non est malum in platea quod non fecerit Dominus. Quod si diuina te deterret maiestas, ne in eum odij spiculum iacias: eadem te deterreat: ne in fratres tuos animum odientem conuertas. Idem enim est Deus qui dixit: Quod vni ex minimis fecistis, mihi fecistis.

Hebr. 2.

Amos 2.

Benefacite iis qui oderunt vos. Primum hoc erit factu facilè, si intelligamus, quòd cum beneficium inimico impēdimus, non solum illi, sed Deo: imò verò nobis impendimus. Imò forsan multo maiorem coronam pariet mihi beneficium quod inimico dedi, quàm si Deo, aut mihi dedissem. Vt enim dem Deo, non magna charitas requiritur. Vt mihi dem nulla exigitur charitas. At vt dem inimico, charitas multa in pectore debet ardere, porrò iuxta modum charitatis, erit & coronarum gloria.

Matt. 25.

Secundò erit facilè factu, si expendamus: quòd si proximò mihi aduersanti beneficus fuero, commodum meum perago. Siquidem, si illum irrito: persequi me perget: si verò offam panis in os illius inijcio à persequutione cessabit. Dignum ergo est, vt beneficia etiam nolenti obtrudam: vt vel hac vnica ratione mihi incommodare desistat.

Tertiò accendemur ad benefaciendum inimicis vbi aduerterimus, quod qui pro inimicis orat, quique inimicos diligit, & fouet, spectaculum est mundo, Angelis, & hominibus. Spectat Deus, spectāt Angeli, stupet mundus, attoniti redduntur homines: cùm vident Christianum reddentem non malum pro malo: sed bonum pro malo. Ita Apostolus: Spectaculum facti sumus mundo, Angelis hominibus. Cur? Quia vsque in hanc horam esurimus, sitimus, colaphis cædimur, maledicimur, & benedicimus, persequutionem patimur, & sustinemus, blasphemamur, & obsecramus.

1. Cor. 4.

1. Cor. 4.

Meri-

Meritiſſimè hæc Paulus. Siquidem ſupra omnem naturam eſt, quòd maledicti, afflicti, & blaſphemijs proſciſi, obſecremus.

Et quidem multórum habemus prophana exempla: qui malefactoribus beneficia reddiderunt: quæ Sabellicus lib. 5. de Memorabilibus Factis, tradit, vbi Cæſarem Iulium Auguſtum, Veſpaſianum, & Titum hac laude coronat. At Chriſtus maiora requirit: non enim ſolùm beneficas manus, ſed quod grandius eſt, diligentem exigit voluntatem. Diligite, inquit, inimicos veſtros. Sed gentilium exempla id vtilitatis habent, quod ori noſtro pudorem, & ruborem infundunt: dum ab illis, quibus præceptum non erat videmus factum, quòd à nobis, quibus tanto rerum & verborum pondere præcipitur, manifeſtè videtur neglectum. Et planè ſicut ducum profeſſio eſt militaris diſciplina, & agricolarum eſt terram aratro ſulcare: ita eſt & Chriſtianorum inimicos diligere, pro malefactis beneficia præſtare, &c.

Vt ſitis filij Patris. O mortales, quorum pectora honoris ambitio, & diuitiarum vexat cupiditas, accurrite. En via ſummi honoris comparandi: en immenſarum diuitiarum habendi ratio plana profertur. Si inimicos diligitis, filij eſtis Dei. Summus eſt honor, ſummæ diuitiæ, cur veſter non inardeſcit animus ad hæc excelſa quærenda? Cur ad honorem, qui vos pauperes facit aſpiratis: ad eum verò, cui ſunt regni cœleſtis iura connexa, languetis? Honorem vmbratilem quæritis: eum qui verè verus eſt reſpuitis.

Ego quidem non memini quo loco Chriſtus vocauerit filios Dei, niſi hoc: nam ſupra dixit: Filij Dei vocabuntur, ij qui pacifici ſunt. At in hoc loco, Vt ſitis, inquit, filij Patris veſtri. Planè per Spiritum, quem pijs dedit filios eos effecit. Ex parte igitur Dei, filij ſumus, ſi non ex ſanguinibus, neque Rom. 8.
ex voluntate carnis, ſed ex Deo nati ſumus: at ex parte Ioan. 1.
noſtra, id vnicè, vel maximè requiritur (vt filij Dei perſiſtamus,) quod inimicos diligamus. Itaque non eſſet Deus, ſi dilectionem non haberet adeò latam, vt inimicos etiam diligeret: ita non ſumus Filij Dei, ſi dilectionē non habemus, quæ ſe etiam ad inimicos extendat. Reuera, fortis eſt vt Cantic. 8.
mors dilectio, vt enim mors ex æquo ſe impēdit ſuis amicis, & inimicis, ijs videlicet qui eam diligunt, & qui odiunt: ita & tunc fortis eſt dilectio, cum æqua lance amicos pendit &

inimicos, & sicut aquæ multæ extinguere nequeunt charitatem: ita tunc charitas vera est, & non ficta, cũ inimicitiarum flumina, eam subruere non valẽt. Videlicet, quia neque peccatorum flumina, quæ per totum mundum magno impetu currebant, diuinam dilectionem labefactare potuerunt, quo minus suum nobis desideratum mitteret filium: & quo mi-
Ioan. 3. nus nunc abundanter sua mundo bona largiatur.

Silere piget locum illum nobilem, qui verbis adductis adnectitur: Fortis, inquit, vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio, seu zelotypia. O blandissimum Dei erga ho-
Cantic. 8. mines affectum. Pone, inquit, ad Ecclesiam Dominus, pone me, vt signaculum super cor, & brachiũ tuum: vt nihil aliud corde diligas, aut opere quæras: quam me amatorẽ tuum, qui te tam forti dilectione complector, vt mors mortales complectitur. Quique zelotes tuus sum. Zelotypus sum in te. (O rex, & quid in nobis inuenisti, quod amare posses, aut zelari?) Sed pergit ipse. Sicut infernus torquet eos quos recepit: ita zelus hic me meus torquet. Audi rẽ incredibilem, veram tamen. Si Deus torqueri posset, & affligi, amore & zelo nostro torqueretur. Quòd si non credis, en tibi profero
Hebr. 1. Christum: qui est Dei substantialis imago, in quo scilicet omnes affectus paterni ad viuũ sunt expressi. Ille verò dicit:
Lucæ 12. Ignem veni mittere in terrã, quàm volo vt ardeat: baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, donec fiat. Arctaba-
Ioan. 2. tur igitur Dominus, & ignis in se flammas sentiebat, scilicet nostrum amorẽ, & zelum. An nõ eius vox est, zelus domus tuæ comedit me? An non Paulus habens spiritum Christi,
2. Cor. 11. dicebat: AEmulor vos Dei æmulatione, despondi vos vni viro: discrutior, nisi virginem castam, (animam vestram) exhibeatis Christo. Si Paulus, si Christus zelantur: quid miraris si zelatur & ipse Deus?

Qui solem suum. Non meminit Dominus eorum beneficiorum: quæ generalia sunt, & velut stata, & necessaria. Planè beneficia sunt, quòd super terram ambulemus: quòd aqua potemur, quòd aẽrẽ respiremus: igne calefcamus, cœloque tegamur. Sed beneficia hæc, (vt certa, vt quæ nunquã desunt,) mortalium non reputat animus. At Solis & pluuiæ beneficium, id vt summum æstimatur, nõ quidẽ æstimamus solis præcisè beneficium. Si enim Sol oriretur, & nunquam plueret, magnum damnum esset, non verò beneficium: sicut si pluuia caderet, semper esset mortalibus exitium. Quod ergo

ergo beneficium summum sentiũt homines, est solis ortus, cum pluuia temperatus, hic enim annuos prouentus diuites reddit. Hoc verò beneficiũ Deus, & malis præbet, & bonis, &, (vt supra dicebam,) abundantius largitur malis. hi enim sunt, qui ex hac cœli temperatura ditiores fructus recipiunt, quàm pauperes pij. Quòd si aut Solis aut pluuiæ intemperantiam Deus mortalibus infert: tunc verè sentiunt, quam sit solis & pluuiæ beneficium immensum.

Et illud te non prætereat: Dat Deus solem & pluuiam malis hominibus: non dat tamen grauatè, aut miserè: sed oritur Sol Dei iussu, gestiens, veluti sponsus de thalamo. *Psalm.* 18.
Venit pluuia præcipiti lapsu: velut currens in obsequium hominis. Quòd si sol aut luna animum Dei exasperatum sentirent: aut non se vsibus hominum præberent, aut parcissimè præberent. Quis igitur animum Dei generosum, vel per creaturas, non exosculetur?

Si enim diligitis qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Non dicit Dominus: Quam mercedem hæc vestra dilectio habebit? Sed simpliciter, videtur asserere, quòd qui non dilexerit inimicum, nullam in cœlo mercedem habiturus sit. Videlicet, quia necesse est, vt veniant scandala: & necesse est, *Matth.* 19.
vt impij pios affligant, & persequantur. Ideo nisi diligamus, in cœlum non ibimus. Si vita hæc transigi posset sine inimicorum persequutione, possemus cœlum ingredi, sine eorum dilectione. Sed quia, omnes qui piè volũt viuere in Christo, *2. Tim.* 3.
patientur persequutionem: ideo & omnes qui piè volunt viuere in Christo, inimicorum debent habere dilectionem.

Planum Christianis est, quod qui diligit proximũ totam *Rom.* 13.
legẽ impleuit: & qui in hoc vno mandato offenderit, factus est omnium reus. ergo nisi inimicum diligas, nihil legis implesti.

Sed fac nullum te habere inimicum: nisi dilectionẽ habeas, *Iacobi* 2.
ad inimicum diligendum extensam, non videbis faciem Dei: nec est in cœlo merces tibi.

Dices: Num nõ est patientię merces? Nõ est misericordiæ merces? Nõ est humilitati merces? Cur ergo Dominus dicit: Si amicos diligitis, quam mercedem habebitis? Num sola dilectio inimici mercede coronatur, & reliqua honore mercedis priuantur? Attende precor. Nullã habet patientia, aut misericordia, sine dilectione mercedem, dicẽte Apostolo: Si distribuero facultates meas, in cibos pauperũ, & charitatem *1. Cor.* 13.

non habeam: nihil sum. Porrò charitas est duplex, humana scilicet, & diuina. Hæc generosa, vilis illa. Hæc inimicos diligit, odit illa. Sine hac nec patientia, nec humilitas est cœlo digna illa vt nata de terra, cœlum contingere nequit. Vides planè nihil omnia valere, sine dilectione inimicorum: & si eleemosyna, aut patiẽtia valet, eo valet, quia dilectione inimicorum comitata reducet.

Nõ possum silere, id quod ex isto loco apertè inferri videtur. Id verò tale est: Si quis amicum diligat, ex hac dilectione generosa, & diuina: quam nunc dicebam, certè mercedem habet: nec enim minus diligi debet amicus, quàm inimicus: at fieri potest, vt vir iustus amicum diligat, non ex dilectione diuina, & nobili, sed ex illa humana, & vili: & tunc mercedem non habet. Hoc verò est quod cum communi schola pugnat. Dicunt quidam Theologi: Omnis actus eius, qui est in gratia est meritorius, ad Dominus loquebatur cum discipulis, qui erant in gratia: & dicebat eis, Si diligatis vestros amicos, si vestros fratres, & cognatos, quam mercedẽ habebitis? igitur viri iusti (qui in gratia sunt) opera bona humana, & naturalia exercentes, non habent cœli mercedem. Quòd si cœli mercedẽ sunt habituri, opera diuina sunt operaturi. Quod si verum est: Deum immortalem, quot erunt in die iudicij opera, nunc oculis mortalium illustrissima, quæ tunc obscura, & sine mercede manebunt? Profectò verissimũ est:

Eccles. 9. nemo scit, an amore, an odio dignus sit. Licet enim bonis operibus abũdes, cùm nescias, an ex Dei dilectione nascãtur,

Apoc. 3. putabis te esse diuitẽ, cùm tamẽ egenus sis, miser, & pauper.

Sed dubiũ est in verbis Domini, quam mercedem, inquit, habebitis, nónne & Publicani hoc faciunt? Quid? nónne & Publicani aliqua bona faciũt, quæ mercedem sunt habitura?

Exod. 1. Certè AEgyptiæ obstetrices idolorum culturæ seruiebant: & mercedem habuerunt operis sui. Respondeo: mercedem quidem habent opera humana: sed humanam. Nec enim

Ioan. 3. quod de terra est, meritum habere cœlo dignum existima.

Estote ergo perfecti sicut Pater. Res est cõsideratione dignissima. Sunt quidẽ in abysso deitatis innumeræ perfectiones: sunt in Sole illo infiniti splẽdores, & monte illo celsissimo, sunt infinitæ celsitudines: sed quæ Deum perfectum nobis monstrauit, sola est dilectio inimicorum suorum, ita enim dicit: Estote perfecti, vt diligatis: sicut Pater perfectus est,

Iacobi 1. quia diligit sibi aduersantes. Sanè patientia opus perfectum habet:

habet: ſed patientia multò eſt quàm dilectio inimicorum inferior, ſiquidem minus eſt pati, quàm pati & amare: pati, quàm pati, & beneficia præſtare. Patet iam ex dictis, quod cum Chriſtus dicit mandatū ſuum eſſe vt diligamus inuicē: intelligendum eſt: vt diligamus inimicos. Siquidem perfe- *Ioan. 15.* ctionis magiſter, mandatum perfectionis mādare debuerat.

CAPVT VI.

Attendite ne iuſtitiam veſtram, &c.



NTE omnia ſcire conuenit, quanto pretio, honor, & mundi gloria mortalibus habita ſint: nec mortalibus quibuſuis, ſed ipſis etiam ſummis Philoſophis. Ariſtoteles 4. Ethicorum cap. 3. inquit: Honor eſt, pręmium quod ob res præclaras dari ſolet: eſt enim maximū bonum & inſita. Honor eſt virtutis pręmiū. Quod confirmat. 8. Ethicorum cap. 14. cùm dicit: Virtutis & beneficentiæ, honor eſt præmium. Idem dicit 5. Ethic. cap. 6. In hęc verba: Virtutis iuſtitiæ, honor præmium eſt: cui is qui non ſufficit, tyrannus eſt. Habes Lector inſtitutionē eius, quem tota natura certatim laudat. Vt iam nō mireris, ſi tot verbis Chriſtus curauerit, eius & aliorū refellere honoratā ſententiam.

Contraria igitur penitus Chriſtus inceſſit via: docens, nihil viro Chriſtiano faciendum, quo captet honores. Dixit Ariſtoteles 1. magnorum moralium capit. 25. Magnanimus eſt, qui nec maiore, nec minore quàm par ſit, vult honore honorari. At Chriſtus magnanimum iudicat, qui nullū vult honorē: qui ſe abſcondit, ne ei honores homines tribuant. Et quidem ſi rem humanitus tractemus, non erat honor res digna, quæ virtutis præmium eſſet: honor enim res eſt exterior: virtus interior. Honor res eſt fugax: virtus ſtabilis. Honor non eſt in facultate eius qui honore dignus eſt: at virtus proprium eſt hominis bonum. Quanto igitur virtus eſt melior honore? Profectò virtus potius eſt honoris præmium, quàm virtutis honor: eò enim laudari homo deberet vt probus eſſet: non verò quiſquam deberet eſſe bonus, vt honoraretur. Et quidem laudari ſolet peccator in deſideriis *Pſal. 9.* animæ ſuæ: & diuiti aſſurgunt omnes. Loquutus enim

diues est, & probauerũt omnes. Vide iudicia hominum, qui laudibus ornãt indignum: dignum sine honore relinquunt. (Eccles. 13.) Hæc mihi dicta sunt, de virtute, & probitate morali, humana: quæ scilicet viribus humanis parari potest.

Quid verò de diuina virtute censeri par sit, quiuis intelligere queat. Si enim virtus secularis, si virtus humana maior est, quam vt sit illi præmiũ honor: quantò maior erit virtus, quam infundit Christus, quam promeruit Christus: quaque tota natura minoris ordinis est? Planè sicut qui eam efficit est Deus: nec efficere potest, qui sit minor Deo: & sicut eam promeruit Deus, nec promereri potuit, qui non esset Deus: ita & eius pręmium est Deus, nec esse potest res minor Deo. Iustitia hæc Dei & Christi: ordinis est diuini. At honor, temporalis res est: quomodo ergo tantum auri, tam vili includes luto, aut tam immensum aquæ pelagus tam pusillo comprehendes pugno? Sacrilegium videtur admittere: qui rem tam summi pretij, tam vili ære commutat.

Sed quæres. Cum reuera, honor qui ab hominibus venit res bona sit: & adeò bona, vt melius sit nomẽ bonum, quam diuitiæ multæ: (Eccles. 41.) quid est quod Dominus ab hoc nos bono duellit? Quid est quod ab hoc nos bono fugere iubet? Si in nobis virtus est, si iustitia Christi est, si spiritus Christi est: profectò omni sumus honore dignissimi? Cur igitur fugiam quod tantopere mihi debetur?

Respondeo: Primum nemo scit: an odio, an amore dignus sit: (Eccles. 9.) licet enim nullius peccati mihi conscius sim: non in hoc tamen iustificatus sum. (2. Cor. 4.) Si igitur nescio, an in me sit iustitia illa, quę honore digna est, cur quærã honorem, cùm nesciam an sit in me meritum honoris? Stultum est te emere velle: nesciens te nummos quibus emas, habere.

Sed finge te iam nosse, quòd iustitiã habeas. (2. Cor. 7.) finge te cum Paulo dicere: Existimo autẽ quòd ego spiritũ Dei habeam, (Rom. 8.) & quòd ipse spiritus testimonium reddat spiritui tuo, quòd filius Dei sis: planè honorẽ tibi quærere nõ est æquum. Quia si illa iustitia quam habes tua proprie esset: sique tu tibi eam cõparasses, meritò, illius honorẽ iustitiæ quæreres. Si enim Abraham (inquit Paulus) ex operibus à se conquisitis iustus est: habet quidẽ gloriam. (Rom. 4.) Sed cum ea iustitia, quâ Abraham, & quiuis iustus viuit gratis à Deo data sit: sit vt eius honor, Dei sit, Deoq; ascribendus, non homini. Vt enim sufficientia nostra ex Deo est, ita eius sufficientiæ honor, Dei esse debet. (2. Cor. 3.)

Dices

Dices: Fateor me à Deo habere iustitiam: at quia ego cum iustitia laboraui, non ego solus, sed nec gratia sola, sed gratia mecum: huius igitur laboris mei honorē, cur ab hominibus non requiram? Respondeo: memor esse debes illius verbi Apostolici: Ipse est qui dat nobis velle, & perficere: pro bona voluntate. Itaque licèt tu simul labores cum gratia: hoc ipsum quod laboras, gratiæ Dei est, qui dedit, vt velles, & posses laborare. Totus ergo honorē Dei quęras, non tuum. A quo, idipsum quod tuum esse putas, accepisti, vt tuum sit: nec enim tuum esset, nisi ille fecisset, vt esset tuum. Si igitur accepisti, cur gloriaris quasi non acceperis? 1. Cor. 15. Philip. 2. Vide Soto. lib. 2. de Iust. & Iur. quæst. 10. art. 1. 1. Cor. 4.

Sed adhuc do tibi vt fingas te habere iustitiam quę tua sit: quæ ex Deo non sit. Planè si habes, tu nosti, quantis eam laboribus comparasti: tu scis quod vsque ad sanguinis effusionem, sint tibi aliquando laboratū: vidisti pugnas, & agones, cum dæmone, carne & sanguine. Tantorum ergo laborum tam vilem requiras coronam? Certissimus sum, non est tibi legitimè certatum, si aliam iustitiæ coronam vnice quæris, ab ea quam daturus est ille qui solus est iustus iudex. 2. Tim. 4.

Instas fortàn: Non ego humanam tantum laudem ambio: sed optarem diuinā, cum humana coniunctam. Respondeo: Parum agnoscis diuinam maiestatem: si putas maius esse bonum honorem Deo coniunctum, quam Deus sit solus. Ne decipiare: totus mundus & Deus, nō est maior Deo. Nec enim arca Dei cum Dagone, maior est, quàm arca Dei sola: tantus ergo tibi sit Deus solus, quantum Deus & reliqua bona. Iam & illud accipe: Christus, & mundus inimici sunt, mundus enim (inquit Christus) me odio habuit, noli igitur ab inimicis Christi ditari: noli coram Christo comparere, ornamentis sui inimici vestitus. nec enim eum decipere poteris: sicut Iacob vestibus Esau indutus, Isaac caligantem decepit. Rursum & illud certissimè tene: Pater tuus Deus habet curam tui, vt noxia cuncta à te submoueat: & profutura concedat: si honor humanus tibi fuerit profuturus, expoliabit mundum (sicut olim Aegyptum) vt te alienis ditet diuitiis, id est, vt te honoret: interim patere vt si honor noxius fuerit, eum à te longè semoueat. 1. Reg. 5. Ioan. 7. Ioan. 15. Gen. 27. Exod. 12.

Multò plura erant mihi Lector dicenda: sed fastidiū tuum vereor. Dabis veniam tamen, si paucula quædam adiecero: Intelligat ergo omnis Christianus, quòd cùm à Deo conuertitur, & illustratur, vt noua creatura sit: quendam accipit spiri- Galat. 6.

spiritum rectum, quo quæ sursum sunt quærat: non honorē,
Coloss. 3. qui deorsum est. Secundò accipit spiritum nouum, quo in
nouitate vitæ ambulet: non quærēs honorem, qui ex mūdo
Rom. 6. est, ac ideo vetus est. Tertiò, accipit Spiritum sanctum, qui
1. Ioan. 2. cùm maior sit toto mundo: non diligit mundum, nec quæ
in mundo sunt. Quartò accipit Spiritum contemptorem
omnium secularium: qui maiores diuitias æstimat thesauro
Hebr. 11. AEgyptiorum, improperium Christi. Quintò: accipit Spi-
Philip. 3. ritū quo honores mundi æstimat, vt stercora. Sextò: accipit
Spiritum, quo se ipsum neget: tollatque crucem Christi, &
Lucæ 9. sequatur Christum. quod si se negat quorsum honores am-
biat? Septimò: demum accipit Spiritum: quo, tanto affectu
quærat contumelias, quanto ambitiosi quærunt honores.
Galat. 6. libenter enim gloriatur Paulus in cruce Domini. & ibant
Actor. 5. Apostoli gaudētes: quia digni habiti sunt pro nomine IESV
contumeliā pati. Si igitur non contemnis & fugis honores,
intellige te non plenè viuere spiritu Christi. Si in honore
melleum inuenisti dulcorem: nondum gustasti quàm suauis
est Dominus. Si igitur totum caput hoc Christus consumit,
Psal. 45. fugam honorum præcipiēs, ne mirēre: spiritus enim Christi
Eccles. 1. alta quærit, humana contemnit. Quid enim mirum si cò
Genes. 8. redeunt flumina gratiæ, vnde fluxerunt? Et si locum inter
aquas pes columbæ non reperiat?

Attendite, ne iustitiam vestram. Hic textus planius intelli-
gitur: si aduertamus morem tunc fuisse Iudæis, gloriam &
honorē ab inuicem quærere: testimoniumque, alios ab alijs
Ioan. 5. ambire. Quomodo vos (inquit Dominus) potestis credere,
qui gloriam ab inuicem accipitis: & gloriam, quę à solo Deo
est, non quæritis? Ex quo loco primum colligitur, Iudæos
tunc opera sua fecisse, vt gloriam, & honorem sanctitatis ab
Matth. 23. ab alijs haberent. Sicut etiam habetur Matthæi 23. Omnia,
inquit, opera faciunt, vt videantur ab hominibus. Alterum
etiam colligitur: quam sit longè, non solum à cœlo, sed à
viua fide, qui omnia opera sua facit, vt hominum gloriam
venetur. Ab hac igitur ambitionis peste, (quæ tunc tam latè
grassabatur,) suos Dominus conatur auertere: iubens vt
gloriam hominum fugiant, caueantque vehementissimè, ne
iustitiæ opera faciant humani honoris causa. Aliòqui eorum
Ioan. 5. mercede sunt in cœlo cariturí. Fides enim tota est, de spe-
Hebr. 11. randis in cœlo rebus: & de non apparentibus in terra: non
igitur ea quæ in terra videntur, concupiscit. Vt enim paulò
antè

antè dicebam spiritus Christianus, vt amplectitur crucem, & opprobria: ita honores fugit & reijcit.

Te ergo faciente eleemosynam Loquitur Dominus de omni eleemosyna, & spirituali, & temporali. Itaq; loquitur etiam de officio prædicandi, & docendi, quod ex charitate fit. Hæ enim præcipuè eleemosynæ sunt. Præmisit verò eleemosynam: quia licèt orationis, & contemplationis vita, emineat vitæ actiuæ: at vita Christi, & Christianorum est vita actiua, ex contemplatiua procedens. Cùm ergo eleemosyna tua, ex radice charitatis (in oratione flammantis) prorumpit: ea est opus quod vehementissimè Deo placet, ea est opus vitæ Christianæ summum. Ideo Dominus incepit ab ipsa: sciebat enim nihil nobis commendabiliorem facere Deum, quam quòd eleemosynas nobis porrigat: & contra, nihil nos Deo *Vide S.* facere commendatiores, quàm quòd eleemosynas ex ora- *Thom. 2.* tionis ardore præstemus. Grandis sanè sibi sua diuinitate *2. quæst.* Deus est, maximum verò nobis cum sua nobis eleemosyna *30. art.* reddit: ita quiuis grandis est, sua sibi in Deum erecta chari- *vlt.* tate: maior verò est, cum hæc charitas, mente in Deum surrecta, se demittit ad humanas miserias. Ideo Paulus dicit: *Ephes. 5.* Estote imitatores Dei. & Christus: Estote perfecti sicut Pa- *Matth. 5.* ter vester. In quo? In amore pluente super omnes.

Nesciat sinistra. Primùm, quomodo sciet in pio Christiano sinistra, cùm in eo omne sinistrum mortuum sit? Siquidem per sinistram caro intelligitur. carnales enim ad sinistram collocantur. At caro, corpusque nostrum, mortuum est, in *Matth. 25.* nobis: per inhabitantem in nobis spiritum. Si mortuum est, *Rom. 8.* scire non potest. Quod enim mortuum est, desijt à peccato: *Rom. 6.* igitur & ab ambitione.

Cùm suprà dicebam, Christianos baptizatos esse in spiritu, *Matth. 3.* & igni. Id est, demersi sunt, & inclusi in spiritu, & in igne: velut intra nebulam. Porrò quia spiritualia dextra sunt: fit vt Christianorum vita sit in igne amoris: velut in dextra, cōclusa. vita verò carnalis foris est. At quę foris sunt, nesciūt ea quæ intra domum sunt. nesciat ergo appetitus carnis, quæ in homine fiunt interiore. At si apertius dicat: Homo Christianus totus versetur interius, & nunquam cum Dina *Gen. 34.* versetur exterius. nec cum Samsone vxorem quærat alieni- *Iudic. 16.* genam. aut cum Salomone Ægyptiam ducat vxorē. Quor- *3. Reg. 3.* sum enim operis nostri hæres erit honor: qui est filius an- *Galat. 3.* cillæ, cum Christo, qui est filius liberæ?

Rursum

Rursum, ea dicimur scire, quæ approbamus: ea verò nescire, quæ improbamus. Vult igitur Dominus opus nostrũ totum fieri propter Deũ: vt in eo nihil gustus inueniat caro, vt cùm non gustet de opere, nescire dicatur.

Porrò dices: Fieri nequit, quin opus nostrũ laus humana sequatur. At ego dico: ita Deus nostra dispensat, vt quia Patrem mundani dixerunt Beelzebub: ita vocent & filios: & ideo bona nostra Deus contumeliæ permittit & probris.

Matth. 10.

Sed age ita sit: laudentur sanè opera tua, nec enim id malum est: imò conandum est nobis, vt nihil inueniant homines in operibus nostris quod reprehendant. Præcipe, inquit, vt irreprehensibiles sint. & alibi: Admone illos non litigiosos esse, sed modestos: omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. Imò verò credo sanctum esse, si laudes quæras humanas: modò non tibi quæras, sed Christo. Curam enim habe de bono nomine, inquit Sapiens. & Paulus: Oportet Episcopũ testimonium habere bonũ, ab iis qui foris sunt. & alibi, iterũ dico: ne quis me putet insipientem esse. quo loco multa Paulus in sui gloriã profundit: at hæc, non in sui gloriam tantùm: sed in vtilitatem proximorum, ac ideo in gloriam Dei. dicit enim, factus sum insipiens, (seipsum scilicet commendans:) vos me coëgistis, (id est, propter vestram vtilitatem feci.) ego enim, inquit, debuĩ à vobis cõmendari: cùm tamẽ contra, ego me commendem.

1. Tim. 5.
Tit. 3.
Sapien. 4.
1. Tim. 3.
2. Cor. 11.
2. Cor. 12.

Audi huius rei pulcherrimum exemplum: Viri Gedeonis pugnabant contra Madiam, habentes in sinistra lagenã, vbi erat conclusa lux: dextra verò tenebant buccinas. Cùm verò ventum est ad locum certaminis, clangebant buccinis, frangebant lagenas, splendebant lucernæ: clamabant. Gladius Domini & Gedeonis, nemo gladium suum intonabat: sed gladiũ Dei, & ducis Gedeonis. Ita & nos, contra mundum pugnamus, & cùm carnẽ mortificamus, lagenas frangimus, carne mortificata, lux splendet operis nostri. Cùm verò Christũ prædicamus, clangimus buccina. Clange quantum velis, operare, & splẽde quantum libuerit, modo ne clangas gladium tuum: si clangis gladium Dei, & Christi: si nihil aliud quæris nisi gloriam Dei, & Christi: fac quod velis. Sed nota quòd non profertur lux, nisi lagena perfracta: donec enim non mortificaueris te, melius est lucernam operis tui absconsam, quàm publicam esse.

Iudic. 7.

Habetur Leuitici 14. quòd Sacerdos pœnitentiũ Iudæorũ oleo

oleo intingebat auriculã dextram, pollicem dextræ manus, & pollicem pedis item dextri. Itaque oleũ Sacerdotale non tangebat quicquam ſiniſtrum. Quo ſignificabatur, oleum miſericordiæ non debere contingi, à parte ſiniſtra, id eſt, cùm audimus alienas calamitates, & cum manus pedeſque extendimus ad ſubueniendum: nihil hic ſubrepat noſtræ ambitionis, aliòqui oleum tangeret ſiniſtram: ſed fiant omnia propter Deum, vt eius oleum ſemper verſetur in dextra.

Eleganter dicit ſponſa: Læua eius ſub capite meo: ſed dextera eius amplexabitur me. vbi ſunt mille myſteria. Sed noſtrum, hoc eſt, Læua ſub capite, videri ab oculis nequit: dextram amplexantem vident oculi, eius qui amplexu conſtringitur. Læuam ergo ſponſa non videt: videt verò dextram. At in læua ſponſi ſunt diuitiæ, & gloria ſcilicet temporalia: in dextera eſt longitudo dierum, id eſt, æternitas. Dicit ergo fidelis ſponſa, ſe oculos habere totos in æternitatem defixos: diuitias verò & honores, vt læuam manum, non aſpicere. quaſi audires Paulum dicentem: Quę retro ſunt obliuiſcens, ad anteriora me extendo. Quòd ergo Chriſtus dicit: Neſciat ſiniſtra hoc ipſum ipſe ſponſus dixerat: Habeto læuam meam ſub capite tuo, habere non prohibeo, modò ſub capite habeas. Cantic. 2. Prouer. 3. Philip. 3.

Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculũ tuum, & clauſo oſtio, &c. In primis, verbum Græcum eſt tamion: pro quo nobis eſt cubiculum. Significatque tamion, penetrale, & intimam partẽ domus, vt Dominus non ſolum voluerit ad orationẽ, cubiculum: ſed intimam & ſecretiſſimam partem domus.

Iam multa ſunt colligenda. Primum, quod ex hoc loco, data eſt facultas orandi priuatim: non in Eccleſia ſolum, ſed & in quauis domo, nec in nobiliore parte domus: ſed etiam in viliore, & abiectiore. Dubia erat olim Samaritana: an orãdus eſſet Deus Ieroſolymis, an in mõte Samariæ? at huic quæſtioni reſponſum ſit: Orari Deus poteſt, etiã in cubiculis domus noſtræ. Videbitur forſan alicui exigua gratia hæc quã Dominus Chriſtianis cõceſſit, vt in cubilibus ſuis orare Deum poſſent: At mihi videtur hęc gratia, ex ſummis gratijs vna. Quod enim Deus dignetur ſe tractari, adorari, & ad colloquiũ noſtrũ venire, etiã in domibus noſtris, etiã in cubiculis noſtris, etiã in ſecretiſſimis locis, licet abiectiſſimis: hoc verò infinitę dignationis eſt. Dignatio fuit, quòd Deus olim, non niſi in templo, & loco abſcondito, & cui nulli fas erat Ioan. 4. Pſalm. 79.

ingredi,

ingredi, sederet super Cherubim: & magni beneficij loco
Psalm. 10. habebatur: quòd Dominus esset in templo sancto suo, cuius erat sedes in cœlo. At nunc quiuis in domo sua sedem Dei habere potest. Videri sane Deus potest hominum ardens amator, qui quamlibet occasionem captet, hominem tractandi, & amplectēdi: & in quouis loco, etiam sordido cum homine loquendi, & familiariter conuersandi.

Secundò collige: si Dominus non solum orari in cubiculo vult, sed clauso etiam ostio, igitur deliciari sponsus cum sponsa vult, sed quia spōsus verecūdus est, non in aperto, sed
Prouer. 8. in occulto suas delitias vult. Verissime olim dixerat Deus:
Prouer. 8. Delitiæ meę esse cum filijs hominum. & aliquanto superius: Delectabar, inquit, per singulos dies, ludēs coram eo, ludens, non, inquit, in cœlo, sed in orbe terrarum. Itaque ludere vult Deus cum filijs hominum, non in templo solum, sed in toto orbe terrarum. Sed cur ad tua suauia, loca quæris occulta, ô inclyte rex? Num quia rex es, nos verò serui, pudet te loqui cum serua? Minime id quidem, sed ne eius interpellentur delitiæ, néve illa intima pax quam in anima efficit, à molestijs pungentibus interturbetur. Simulque indicauit, quàm velit suauitates illas nulli patere. Irascitur enim, si garrula meas, ea proferat in publicū, quæ à sponso accepit in tāto silentio.

Tertiò collige: tam esse profunda, tam diuina, tamque subtilia illa diuina colloquia, vt ea percipere nequeat animus, nisi in summa pace, silentio, & attentione locatus. Dicit
Cantic. 8. sponsa: Quis det te mihi fratrem meum, sugentem vbera matris meæ? ducam te, introducam te in cubiculum matris meæ, (scilicet Virginis sacræ, quæ erat ferè semper orans in suo cubiculo) ibi me docebis, & ego potabo te, &c. Ibi, inquit, in cubiculo clauso me docebis. quia illa doctrina adeò est subtilis & tenera, vt nisi à summè silenti & attentissimo
3. Reg. 19. animo percipi non possit. Erat Elias in spelunca: transit spiritus, transit commotio, transit ignis, non in his Dominus, transit aura, vt sibilus tenuis: ibi Dominus, & in ea silentissima aura docet Eliam Dominus, & cum Elia loquitur familiariter & iucunde. Et nota, quòd nō audit Dominum Elias, nisi prius operto vultu, vt nihil videret. Quia si audire vis Dominum, operire necesse est vultum, ne quicquam circunstans videre queas.

Quartò nota ex Paulo, quòd Christianus, qui sanctè viuit,
1. Cor. 3. ædificat in anima sua aurum, argentum, & gemmas: scilicet ædificat

ædificat charitatis,& aliarum virtutum incremēta. Est verò artificium adeò præclarum: cælantur & poliuntur lapides huius ædificij adeò mirabiliter: vt non nisi in summo silētio fabre fieri possint. Sanè cùm ædificabatur templum Salomonis, non audiebatur malleus, serra, aut quidpiam aliud. 3. Reg. 6. Indicium id erat, silentij & tranquillæ serenitatis, quā ædificium animę ædificandum est. Meritò igitur requirit solitudinem intimæ partis domus, & securitatem ostij conclusi.

Quintò nota: quòd cùm Dominus dixisset: Intra in cubiculum, claude ostium, adiecit: Vt oratio tua sit in abscōdito: id est, hæc media quære, vt orationem facias absconditam. Vbi duo aduerte. Primū, si vsu tuo, aut dono Dei, orationē habes cum Deo intimam, sine cubiculi, aut ostij necessitate, tunc non est necesse cubiculum adire: Sed cum Dauid in omni loco dominationis Domini, benedicat anima tua Domino. Psal. 102. & quia hunc vsum, & facilitatem orandi, in sanctis suis Christus & Apostolus optant: ideo dicunt, Oportet semper orare, & nunquam deficere. Luce 18. Et Paulus: Sine intermissione orate. 1. Thess. 5. videlicet notantes, & magnitudinē vtilitatis & dulcedinis, quæ in continua oratione habetur: alióqui non diceretur, Semper orate.

Alterum est: Quid si intrasti cubiculū, & clausisti ostium, necdum tamen oratio tua abscondita est: vane profectò laborem tuum consumpsisti. Ego quidem ex verbis Domini olfacio, quod si pio animo intras, & claudis cubiculū tuum, curabit Dominus absconsam facere orationem tuam, hæc enim ille media requisiuit à nobis, suum erit, tranquillam & silentem orationem præstare. Quòd si hanc non habemus, culpa nostra fuerit. Quòd si etiam culpa nostra non est, certe si oratione serena priuamur, eius merito non priuabimur.

Sextò nota, quàm in promptu, & velut ad manū orationem nostram Deus voluerit esse, cum ad eam exercendam, cubicula nostra designauerit: pigritamur adire templum, si remotius est: pudet Ecclesiam ingredi, si vestem habemus abiectā. Vt igitur omnis non orandi occasio cessaret propè est verbum in ore tuo, & in domo tua, intra in cubiculū tuum. Rom. 10. Vbi grauissimam orādi necessitatem indicauit Dominus. Si enim necessaria non esset, aut si multum differri posset, non nisi in templo fieri permisisset. Vbi etiam nota: quàm abstulerit Dominus Christianis (maxime fœminis, in quibus orationis deuotio crebrius solet inueniri) vagandi, & Rom. 12.

exeundi de domo, causas & occasiones: siquidem ad orandum, domum & cubiculum mandauit.

Demum nota: Non dixit Dominus, Intra cubiculũ, claude ostium, flecte genua, aut in faciem tuam procide: sciebat equidem Dominus, quod moles corporis nostri, nimis diu super genua cõsistere nequit. Dictum enim est, corpus quod corrũpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantẽ. At ipse volebat nimis diu conuersari nobiscũ, ideo non exegit, vt flecteremus genua. Igitur cùm dicit: Claude ostiũ, idẽ est ac si dixisset. In oratione diu consiste, aliôqui quorsum clauderes ostiũ? Cũ verò dicit: Ora Patrẽ, perinde est, ac si diceret: Eo positu corpus tuum compone, quò ad diuturniorẽ orationẽ aptius videris esse.

Matt. 6.

Sapien. 6.

Graue tamen dubiũ nos vndique circunstat: Num Dominus absterruit nos ab oratione in Ecclesia? An non efficacior, & impetrantior est oratio in Ecclesia? An non Ecclesia vocatur domus orationis? An nõ Ecclesiam ita Deus dispo- suit, vt orantes in ea, minus dæmonum pateant incursibus? Cur igitur orationi, non Ecclesiam, sed proprium cuiuscue cubiculum designauit? Primum huic dubio dici poterat: Christum non curasse, orationi templum dedicare, id enim erat euidens: ad orandum enim templum est institutum. Illud verò voluit docere, quòd in dubium vocari poterat, scilicet an in domibus nostris esset Deus orandus.

Isaie. 55.

Secundò, dici potest, quòd licet multum cõmodi orationi ex templo accedat: at tantopere odit Deus humanæ laudis amorem, vt potius velit orationem in cubiculo minus efficacem: quàm in templo ambitionis labe fœdatam.

Tertiò: Fateor prolixam orationem à templo multum accessionis habere, sed diffiteri nequeo eandẽ (in oratoribus imperfectis) multum habere periculi. Si enim pij orantem vident, laudant: En periculum superbiæ. Si impij vident, mordent: En periculum acediæ à quibus tuta in cubiculo, vt in turre murata, oratio est.

Quartò, Dominus instituebat populum, qui frequentissimè oraret, qui frequentissimè Deum alloqueretur: ideo fuit necesse templa priuata cuiuis cõcedere, siquidẽ id in Ecclesia fieri nequit, quomodo enim subinde domum tuam exeas, quomodo noctu tẽplum Dei frequentare possis? Illas igitur orationes, quas Ecclesia in Ecclesia fieri instituit, certũ est in Ecclesia fieri debere. At alias à nobis orationes feruẽtiores, frequen-

frequentiores, & prolixiones Dominus requirit: quas commode in tuo cubiculo fundas.

Quintò: Si credentium nunc, sicut olim: cor esset vnum, & anima vna optimum esset orãtes in Ecclesia perseuerare. *Actor. 6.* At vel ex tunc indicauit Dominus futurum, vt non omnes haberent cor & animam vnam: sed quòd futura esset multis aliorum oratio molesta: adeò vt multos cogerent ab oratione cessare. Verùm Dominus nostras vehementissimè orationes diligit: ideo ne cessent, dicit: Si periculũ orationi est ex publico, securitatẽ ei præstemus ex occulto, nihil non faciamus, ne oratio cesset. Pretiosum oratio margaritum *Matth. 13.* est: ne nobis pereat, in tuto reponamus loco. Suauissimus *Apoc. 5. 8.* est orationis odor ex incenso, & adipe cordium eleuatus: abscondamus eum, vbi à vento non dissipetur. Scala oratio est, quá anima ascendit in cœlum, caueamus ne à viatoribus *Gen. 28.* impellatur, & cadat.

Orantes autem, nolite multum loqui Nõ minus dubiũ hîc nos premit, quã loco superiori Quid enim? Damnátne Dominus orationes tam prolixas Ecclesiæ: dãnátne orationes priuatas quæ plus nimio durant? Damnátne orationes & preces quasdam satis multiloquas, quæ in libellis precatorijs circũferũtur? Ad hoc primũ responderi posset, quòd loqui in oratione priuata eò maximè institutum est, quo mens corporis onere depressa, ad Deũ eleuaretur. Quasi vox esset flabellũ, quo in mẽte, ignis accẽderetur, aut potius fumus per capnionem ascendens, quo ignis in fornace lucescit. Si igitur mens *Vide S.* adeò deuota est, & inflammata, vt ijs adminiculis nõ egeat. *Tho. 2 2.* Profectò etiã si vox orantis Annæ nõ audiatur, oratio tamẽ *quæst. 38.* acceptabitur. Quia verò Christus hos animos accensos in *artic. 12.* suis fidelibus optat, ideo ne multũ loquantur præcipit. Quasi *1. Reg. 1.* diceret: Volo vos adeò esse flãmantes, (vtpote qui baptizati *Matth. 3.* estis spiritu, & igni) vt non sit necessaria oratio multiloqua.

Secundò, & acutius responderi potest, quòd cùm oratio multum habet verborum, paucum verò ardoris & spiritus, illa multiloqua est: at si multum habeat verborũ, sed multo plus feruentis charitatis, non multiloqua, sed multispirita (si ita loqui licet) nominari debet. Quæuis enim res ab eo quod in ea dominatur, nomen sibi vendicat. Sicut carnales homines, caro, terra, puluis, nominantur. Imò & diaboli dicũtur: At contra viri pij spirituales, cœlestes, Angeli & dij *Ioan. 6.* dicuntur. Igitur si in oratione multum loqueris, & multum *Psalm. 81.*

etiam ardes: oratio tua non est multiloquium. At si multum loquendo, nihil ferues, multiloqua oratio est, hanc fastidit Dominus.

Tertiò dicamus, quòd qui multis egent, multa etiam petant, multumque si libet in oratione loquantur. Porrò, qui vno tantùm egent, vnumque anhelant & suspirant, vnum petant, non multa loquantur. At pij Christiani, non multis
2. Tim. 6. egent, nec multa suspirãt. Habentes enim victum, & quibus tegantur, his contenti sunt. Vnum est duntaxat quod totis
Genes. 33. votis desiderant: Id quod olim Iacob ad fratrem Esau dicebat. Hoc vno, inquit, tantùm indigeo, vt inueniam gratiam in oculis tuis. Ita & Christianos, cupit Christus, hoc vnum quærere, & ideo non multa efflagitare.

Quartò: Si textum expẽdas, non inuenimus dictũ, Nolite multum loqui laudantes Deum, aut benedicentes. Id enim nõ vetat Dominus. Cuius signũ sunt preces horariæ: quibus laudes Dei continuè concinnit Ecclesia. Sed, inquit, Orantes nolite multũ loqui. Quod ad duo referri potest. Videlicet ad petitiones quę vulgato nomine orationes dicuntur, & iudicio meo iubet Dominus, ne multum verborũ expendamus: minutim persequentes etiam minima, quæ nobis optamus. Quasi verò Deus illa ignoret: aut quasi Deo limites figamus ne aliud faciat, quàm quæ petiuimus. Quid enim opus est si filio petis necessaria, minutim à Deo petere pileum, vestem, pallium, calceos, & reliqua prosequi. Satis est dicere: Domine da filio meo quæ nosti esse necessaria. Secundò referri potest ad eã quæ maximè oratio est, scilicet ad eleuationem mentis in Deum: quam constat non multis verbis egere.

Vide S. Demũ, sicut nimius affectus, orationis filum rescindit: ita
Tho. 2. 2. qui orãdo, verbis nimis inheret, affectuũ filũ aliquãdo disse-
quæst. 83. cabit: certè Christus in agonia, multa ardebat, pauca dicebat.
artic. 12. *Scit pater vester.* Iterum se nobis offert dubium quod alios
Lucæ 22. torsit. Si Pater scit quid opus nobis sit, cur igitur orari vult? Num patres carnis cùm sciunt filios indigere orari se volũt? num & heri qui seruos habent, orari cupiunt, vt necessaria prouideant? Quid igitur cupit orari Deus? Respondeo ex regula, quam puto veram, & multis locis diuinæ Scripturæ conuenientem. Quòd licet Deus disposuerit homini, in vita spirituali prouidere: ita tamen voluit, hominẽ se gerere, ac si proprijs viribus & industria sua sibi bona debeat cõparare. Ita voluit hominem in suo negotio laborare, ac si Deo nihil de ho-

de homine esset prædestinatum. Id voluit dicere Sapiens: Posuit, inquit, Deus hominem in manu consilij sui, ad quod volet extendet manum suam. Ergo cura tui Deo est, sed ita curabit, si tu pro te oraueris & laboraueris. *Ecclesi. 15.* *Sapien. 12.*

Sic ergo vos orabitis, Pater noster, qui es, &c. Dum suspicio huius orationis inæstimabiles diuitias, & ingenij mei tam exiguas vires: silere melius esse videbam, quam loquendo de re tanta, pauca loqui. Sed age nonnihil est audendum. *Pater.* Non equidem falsò Pater, nec sola legali adoptione: sed voluntaria per gratiam generatione, vt Iacobus dixit: Voluntarie, inquit, genuit nos verbo veritatis: vt simus nos initium aliquod creaturæ eius. Petrus verò, hanc generationem vocauit regenerationem, cùm dicit: Benedictus Deus qui secundum suam magnam misericordiam regenerauit nos, in spem viuam, in hæreditatem incorruptibilem, &c. Porrò Ioannes, natiuitatem ex Deo nominauit, dicens: Dedit eis potestatem filios Dei fieri: qui nõ ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, aut viri: sed ex Deo nati sunt. Vbi est summa admiratio, quod summus ille rerum omnium princeps, nõ modo homines adoptauerit in filios, sed etiam diuinæ fecerit consortes esse naturæ. Videlicet etiam deitatem quam per naturam Filio dedit vnigenito, eandem per gratiam pijs donauerit vniuersis: vt sicut Filius est Deus per naturam, ita sint homines dij per gratiam: sintq; filij excelsi omnes. O rem ipsis Angelis stupendam. O rem ipsomet Deo dignam. Transfundunt suam essentiam parentes in filios, non eandem illam quam ipsi habent, sed similem: nec ita transfundunt, vt filijs liceat cum data essentia æternum viuere: At transfundit Deus suam in homines essentiam, non aliam suæ similem, sed suam quam ipse habet: & ita transfundit, vt liceat accipienti, si voluerit, eam æternam possidere. Ad eum, inquit, Christus veniemus, & mãsionem apud eum faciemus. Apud eum, inquit, tam gratiose, vt dicat Christus, Oro Pater vt vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint. *Iacobi 1.* *1. Petri 1.* *Ioan. 1.* *2. Petri 1.* *Psal. 81.* *Ioan. 14.* *Ioan. 17.*

Hanc rem incredibilis dignationis, nullus poterat mereri nisi Christus: ex quo, & per quem est omnis paternitas, in cœlo & in terra. Siquidem vt Paulus habet, prædestinauit nos in adoptionem filiorũ per Iesum Christum. Cùm igitur per Christi merita, nos filij Dei simus, hoc tropheum, hocq; clauium primo huius orationis loco Christus collocauit. *Ephes. 3.* *Ephes. 1.*

Et quidem meritissimè. Iudico enim nihil esse quod magnificentiam Dei magis illustret, quàm quòd Pater, ita vocetur. Nulla sanè laus Deo maior, quàm quod Pater sit Verbi æterni. Paterque, sit Christi, qui verbum æternum est. At qui eo ipso, quo Patrem nostrum eum nos nominamus, Patrem etiam Christi, per quem, & in quo nos filij sumus, recensemus. Igitur nullam poteramus nos maiorem Deo cantare laudem, quàm Patrem nostrum eum appellantes.

Iam vide quàm sapienter Christus docuit nos, Deum nominare Patrem, non verò regem, principē aut etiam Deum. Planè vt existimo, nullæ rationes, nulla momenta maiora poterant excogitari ad Dei animū in nos flectendum, quàm Patrem nostrum eum nominādo. Siquidem ipsa natura cogit. Patrem filiorum commodis cōsulere. Ego, inquit, feci, & ego feram. At Domine, si quia fecisti, feres: nunc non modò fecisti, sed etiā genuisti, non modò factor es, sed Pater: feres igitur, sanabis & seruabis. Tum & ipsa ratio demonstrat te nobis propitium futurū. Enimuerò, si dedisti nobis vt Pater noster esses, dabis & reliqua quæ in hac ratione rogamus. Paulus dicit: Si pro nobis tradidit illum, quomodo non cum illo, donabit nobis omnia? Ego audeo dicere: Si nobis te Filiumque tuum tradidisti, quomodo non tecum cuncta donabis? Planè sciebas, quis esses, qui essemus, & qui futuri simus. Et nihilominus te in nos effudisti, ac si nos tanto honore, tantisq; opibus essemus digni. Imò verò licet indigni simus: iam quòd Patrem te nostrum professus es, tua te benignitate cogēte foues nos, amas, & sanas. An non te huius rei præclarissimum tribuisti exemplum, cum tuæ substantiæ prodigum filium, ita amasti, accurristi, in eius amplexus, & oscula ita ruisti, ac si nullum alium filium haberes?

Isaiæ 46.

Roman. 8.

Lucæ. 15.

Noster. Scio ex parentibus multos, qui spurios ament filios, ita verò amant, vt pudeat publicè, talium se filiorum parentes profiteri. At ô rex, non solum nos filios genuisti, viles alioqui, & immerētes, sed & amasti, & publicè voluisti te patrem nostrum vocitari. Hanc enim orationem publicam esse placuit, cùm Patrem te nostrum dici præcepisti.

Quòd si tam effusæ tu charitatis es, vt Patrem te vermium appellari digneris: dignissimum etiam est, vt nos tam profundæ simus humilitatis, vt nemo suo merito præsumat patrem te suum dicere: sed commune potius meritum audaciam præbeat Patrem nostrum interpellandi. Sicut qui

solus

solus est, gigantem aggredi non audet: at cum multis, aggredi non veretur.

Interim tamen admiror, quam est Deus charitatis amator. Siquidem hāc dictionem, noster apponi voluit, sine qua Patrem se nominari nolebat. Pater, sonat charitatem Dei ad nos, & nostri ad Deum. Sed hæc charitas manca est, nisi *noster* addas, vbi charitas inter nos mutua designatur. Itaque sicut Sacrificium missæ, Corpus, scilicet Christi, toties signo crucis à sacerdotibus munitur, vt videlicet corpus Christi, crucis memoria commendetur: ita & oratio nostra, vt grata sit, signo charitatis ad Deū, & ad nos, ipso initio muniri iubetur. Et quidē præparat Dominus orationē fundi secreto in cubiculo, & ostio cōcluso. Sed nec sibi placet oratio secreta nisi fratrū nostrorum, amore & amoris professione signata.

Qui es in cœlis. O rex summe & inclyte princeps, reuera in cœlis es: in Filio, scilicet tuo, & in Spiritu sancto. Hi tibi in se dignum præbent habitaculum. Hi tibi dignas præbent delitias. Hi multo fœlicius enarrant gloriam tuam, quàm cœli isti visibiles. Hæc vera tua laus est, quòd in talibus cœlis sis, maiestatis tuæ, & magnitudinis infinitæ capacibus. Hinc secūda tua laus est, quòd in angelis sis, quodque hi sedes tibi sint: sed longè tua maiestate minores. Hanc laudem tertia laus sequitur. Quòd in cœlis sis sedens tanquam in sede, ex quorū pulchritudine, quam oculis nostris haurimus, animo conijciamus, quanta sit gloria sedentis in eis. *Ioānis 14.* *Psalm. 18.*

Gaudeo quod altissimum sit hoc refugium tuum, tam scilicet excelsum vt nunquā accedat ad te malum, & flagellum non appropinquet tabernaculo tuo. Quid nō gaudeat filius, quòd Pater in tam tuto sit loco, vt nihil illi incommodi cōtingere possit? Gaudeo rursum, si in cœlis es, quòd ego terra sim. Dant enim terræ suas opes cœli: nec vnquam dando lassantur. Planè cœli circumeunt terram sustentāt, illustrant, compluunt, omnibusque rerum thesauris diuitem reddunt. An non gaudebo, quòd Pater meus cœlum impleat, quodque ego terra sim? Iam video cœlum terræ nonnunquam lucem negare suam. At qui bona spes: Non nimis diu negat. Sed vbi negat, solitis solet splēdoribus exhilarare. Ita planè, cum offers faciem tuam, omnia turbantur. Sed vbi emiseris Spiritum, renouabitur facies terræ. Quòd si etiam pluuias, frigora, niuiumque rigores cœli tribuunt terris, id totum in terræ commoda cedit. Videlicet vt post hyemem, *Psalm 90.* *Genes. 3.* *Psal. 103.*

veris succedat pulchritudo, & ęstatis diues copia. Iam si nos tu Pater filios, rigoribus presseris tribulationum, id planè facis, vt ex nobis fructus colligas maiores.

Pater noster qui es in cœlis sicut sol, sicut luna, & sicut stel-
Isaiæ 58. læ. Si anima nostra in die gratiæ, & iustitiæ fuerit, videbit Deum super se sicut solem splendentē. At si in nocte peccati, & culpæ anima somno depressa iacet, videbit quidē Deum, sed qui minore luce fulgere, videatur, videlicet sicut lunam. Fieri etiam potest, vt nō luce Lunę peccatrix anima fruatur, sed minore vt stellarū. Et tanta potest esse vitiorū velut nu-
Exod. 10. bes, vt omni luce destituta AEgyptiacis tenebris obruatur.

Sanctificetur nomen tuum. Harum trium quæ sequuntur petitionum, hic est breuis sensus & ordo: filij fideles ante omnia quęrant, vt nomen Dei, & gloria per totum mūdum diuulgetur. Secundò, vt omnes quibus nomen Dei diuulgatum fuerit, illi pareant, eique obedientiam, vt regi præstent. Tertiò, vt in obedientia semel præbita persistentes, non suam, sed Dei in omnibus faciant voluntatem. Horum primum petimus, cùm dicimus: Sanctificetur, id est, innotescat omnibus nomen tuum. Secundū petimus, cùm rogamus, Adueniat regnū tuum, vt omnes tuo imperio pareant. Siquidem grauissima culpa fuerit, quem semel regem nouerunt, supèr se nolle regnare. Tertium petimus, cùm oramus,
Lucæ 19. Fiat voluntas tua.

Planè si cùm dico, Pater amorem meum in Deum profero: cùm verò dico, Noster amorem in proximos ostendo, æquissimum est, me exprimitus orare, quæ hunc amorem apertius indicent. Indicatur verò si gloriam Patris cupio, & vt eam norint filij desidero. Vtrumque verò cōplector, cùm nomen Dei sanctificari efflagito.

Et quidem, iudicio meo, fere idem est, Sanctificetur nomen tuum. &: Mitte operarios in messem tuam. Nam
Lucæ 10. messis quidem multa, sed operarij pauci. Siquidem per operarios, nomen Dei euulgatur. At quia prędicatores mali, aut tepidi (licet Deum esse pronuntient) non ostendunt tamen quàm sanctus sit: ideo Dominus merito dicit. Sanctificetur.
Lucæ 24. Id est, mitte viros potentes opere, & sermone: qui gentibus aperiant, quàm sanctum sit nomen tuum, quam sanctus ipse sis. Pulchrè siquidem Dominus non dixit, Exaltetur nomen tuum, aut benedicatur, aut magnificetur, (quæ vocabula passim inuenias in veteri lege, in qua Deus potens, ... volebat

volebat, benedictus, magnus & altus) sed legi nouæ vocabula noua conueniunt: sanctificetur, inquit, nomen tuum: notum, scilicet sit omnibus, quam sanctus, quamque purus sis. Videlicet postquam Christus suo sanguine purificauit omnia, postquam Deus in Christo sanctificauit omnia, quæ sunt in cœlis, & quæ in terris: voluit Christus huius tam præclari facinoris notitiam ad omnes peruenire. Sciant igitur omnes, inquit Dominus, quàm Deus sit sanctus, quamque nolit iniquitatem: quia vt peccatum aboleret, vt peccatores mundaret, vt mundum sanctificaret, Christum suo sanguine fœdari permisit. *Coloss. 1.* *Psal. 5.*

O Christum verè sui Patris eximium laudatorem. *Sanctificetur*, inquit. Sanctum te omnes videant. Quia gloriosior multo es, quia sanctus, quàm quia potens, aut sapiens. Olim condens mundum sapiens, & potens apparuisti, nunc verò ostende, quàm sanctus sis. Vide obsecro: Genuit potentia Sapientiam. Potentia rursum: & Sapiētia produxerunt sanctitatem. In sanctitate cessauit omnis productio: quia cùm Deus monstratur potens, sapiens, & sanctus: iam nihil deest: quod cupiat à nobis agnosci. *Isaiæ 63.*

Quia verò non alia ratione sanctificauit Deus mundum, quam per incarnationem, mortem, & resurrectionem Filij sui, per quas visus est Deus sanctus, & iustificans nos: ideo (quantum ego arbitror) sensus Christi in hac petitione fuit, Pater, qui homines, in Filio tuo, filios tuos effecisti: declara, & manifesta hominibus opus sanctificationis tuæ vbi videat, quā sanctus es tu, quàm pius & quàm bonus. Nec enim ita hominū animi rapiuntur cùm te audiunt, aut potentem, aut sapientem, aut iustum: quàm cùm audiunt, te sanctum, & sanctificatorem omnium.

Adueniat regnum tuum. Illud est planè, quod Baptista proclamabat, dicens: Pœnitētiam agite, appropinquabit in vos regnum cœlorum. Quæ etiam verba Dominus initio suæ prædicationis vsurpauit. Hoc regnū est, de quo ipse Dominus dicebat: Regnum Dei intra vos est. Olim enim in veteri lege regnabat peccatum in nostro mortali corpore, siquidem ante legem peccatum erat in mundo, licet peccatum esset mortuum, videlicet, quia non adeò agnoscebatur. In lege verò, peccatum (occasione accepta ex legis prohibitione) maiores vires accepit. Peccatum enim per mandatum, operatum est in me omnem concupiscentiam. Igitur *Matt. 3.* *Marci 1.* *Lucæ 17.* *Rom. 6.* *Rom. 6.* *Rom. 7.*

regnabat peccatum tempore legis. Ideo Apostolus dicit Christianis: Peccatum non dominabitur vobis, non enim estis sub lege. Indicans tempus legis fuisse tẽpus quo triumphos egit peccatum de hominibus.
Rom. 6.

Porrò quia per Christũ vetus homo noster (peccati fomes, scilicet) crucifixus est, vt corpus & massa peccati destruatur, (videlicet eius incentiuo extenuato) fit necessariò, vt regnũ peccati per Christũ cessauerit, & regnũ Dei accesserit. Rogamus igitur vt quia accessit, veniat, & habitet in nobis, data scilicet obedientia Deo, negata verò peccatis.
Rom. 6.

Sed percontaris, si iuxta veritatem Christi, regnum Dei intra nos est: & regnũ non solum appropinquabit, sed etiam iam appropinquauit, cur hic Dominus iubet orare, vt veniat regnum? Respondeo: Equidem ex meritis Christi, ex Dei voluntate, ex Sacramentorum efficacia, ex prædicatione Euangelij, iam regnum Dei intra nos est. Si verò necdum illud accepimus, nostra id culpa venit. Sicut, contra in lege veteri, ex legis efficacia, & suorum Sacramentorum viribus, omnes erant in peccato. Siquidem legalia Sacramenta, nec continebant, nec causabãt gratiam ex se. At multi ex diuina misericordia erant tunc sine peccato. Cùm ergo nunc, cum gratia abundat, multi sint sine gratia: meritò rogamus, vt veniat ad nos regnum Dei.
Lucæ 17.

Secundò respondeo quòd iam supra dixisse me memini: Vult Deus, nostras diuitias (licet iam nobis partæ sint per Christũ) nostra industria à nobis parari. Ergo licet regnum iam accesserit: ita tamen vult Deus, vt nos illud petamus, & ad illud nitamur, ac si viribus nostris esset venturum, & viribus Christi non venisset. Cùm tamen reuera nõ viribus nostris aduenerit, sed Christi. Rectè ergo dictũ est: Cõuerte nos Deus, & conuertemur. Rectè etiã dicitur: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. In primo opes nostras paratas affirmamus, in secundo industria nostra desideratur.
Tren. 5.
Zachar. 1.

Igitur Sacramẽtis Ecclesię iã patet fons domus Dauid. Sed rogamus, vt Deus faciat nos ex eo potare. In medio Ecclesię est arbor vitę, fructib⁹ cœlestibus onerata: petimus tamẽ, vt his fructibus fruamur. Brachiũ Domini, eiusq; dextera iã fecit virtutẽ: oramus tamẽ vt brachiũ hoc nobis reueletur. Demũ iam Euangeliũ prædicatũ est: Sed quia pauci credũt auditui nostro, ideo rogamus vt simus nos ex illis qui credũt. Vides quam cõsequatur hæc secunda petitio priorẽ: Rogat prima
Zach. 13.
Genes. 2.
Psal. 117.
Isaiæ 53.

vt prędicetur regnum, rogat secunda vt à nobis suscipiatur.

Non libet silere, quòd hic mihi succurrit, videlicet, quòd cum anima legibus Dei obedit, regnũ Dei est. Quęuis anima cùm Deum habet sibi fauentem, regnũ intra se habet. O verè rem admirabilem? Totus sanè mundus regnum Dei est. At verò ita cupit Deus imperium animæ: vt vni animæ imperare, regnũ sibi esse putet. Equidem multo pulchrius regnum Deo est vnica anima, quàm totus hic visibilis orbis. Siquidẽ corporeus mundus subiectus est animæ: & propter animam hic mundus factus est totus. Quis igitur non stupeat animæ capacitatem, intra quam regnũm Dei est: ex Christi, regis huius regni, præscripto? Imò quis non stupeat, quòd ipsius etiam Dei, anima nostra sit suo modo capax? Vehementius stupeo, quòd Deus ad animam veniat, & in ea mansionem faciat, quam quòd regnum Dei intra nos sit. *Psal. 8.* *Ioan. 14.*

Demum aduerte, quòd per fidem solam, licet in peccato simus iam dicitur Deus, licet non plenè, in nobis regnare. Regnum siquidẽ non solum ex bonis constat, sed etiam ex malis. Igitur per fidem, subiecimus collum Deo, voluimusq; Deum regnare super nos, & ita ad regnum Dei & Christi spectamus. Vide igitur pulchrum ordinem. Prima petitio petit prædicationem. Secunda fidem. Tertia charitatem.

Fiat volũtas tua. Precamur, fiat volũtas tua, nõ à te, scimus enim quòd volũtas tua à te semper fit: sed à nobis. Est igitur sensus: Faciamus nos Domine tuã voluntatẽ, dum sumus in terra sicut faciũt ij qui habitãt in cœlo. Prudentissima profectò petitio. A nullo enim nobis periculum est, nisi à nostra volũtate. Rogamus igitur, vt tantũ periculũ à nobis Dominus auertat. A nullo nobis fœlicitas maior est, quã à diuinæ voluntatis amore: meritò petimus, vt eius faciamus voluntatẽ. Impij dicũt: Magister, volumus. Et rursum: Impij legationẽ mittũt post Christũ, Nolumus hũc. Est ergo impiorũ vox, Volumus, Nolumus. Piorum verò vox est. Nõ mea voluntas fiat, sed tua. Videlicet, quia per nostrã voluntatem, vt per precipitiũ, descẽdimus in infernũ: per diuinã verò, vt per gradus ascẽdimus in cœlũ. Imò verũ dũ viuimus in hoc seculo, nostra volũtas, piis etiã, infernus est. Sicut eã mortificasse, & eius loco Diuinã collocasse, vere paradisus est. Vis quiescere, teipsum nega. Hec est regula Christiane perfectionis, abnega te propter Deũ. Nõ me latet, quod ad regnũ Dei assequendũ, sat sit, fecisse Dei voluntatẽ in grauioribus rebus, *Matth. 12.* *Lucæ 19.* *Lucæ 22.* *Lucæ 9.*

in his

in his videlicet, in quibus non fecisse, mortale crimen est: sed non te lateat, ad pacem, & quietem assequendam, id est, ad perfectionem comparandam, illud esse compendium, negasse te in omnibus.

Hic diligentissimè Christiane Lector aduerte, quòd hæc oratio iubetur ab omnibus Christianis dici: & iubetur dici non falsò aut fictè, sed verè & ex animo. Ergo ex animo quiuis Christianus debet desiderium habere faciendi in omnibus voluntatem Dei. Alioqui si voluntatem non habet faciendi in omnibus voluntatem Dei, falsò precatur: Fiat voluntas tua sicut in cœlo. Ergo, vt me explicē, dicere volo, quòd non est graue periculum, si nō facias voluntatem Dei, sicut fit in cœlo: sed periculum est, si eam facere non optes, sicut in cœlo fit. Non est piaculum, si alicubi pecces: sed piaculum ferè est, nisi cupias non peccare. Non est crimen non proficere: sed malum est non habere appetitum proficiendi. Vide si mihi diffidis D. Thomam, 3. Par. q. 87. ar. 1. ad. 1. Et quidem cauendum nobis esset, vel in exiguis Diuinæ voluntati resistere, tum quia qui timet Deum nihil negligit, tum quia qui aduersus Deum in minimis incipit infidelis esse, erit etiam & in magnis.

Ecclef. 7. *Lucæ 16.*

Iam verò attende quam sit nephas Deum offendere: & intelliges, quam fuit necesse rogare, ne eius voluntatē offenderemus. Horret & deficit animus, vbi cōsiderat, quam malum & amarū valde sit, relinquere Deum creatorē nostrum. Certe adeò amarum & malum est, vt nulla pœna tantæ culpæ digna sit, nisi inferni. Si igitur non facere voluntatem Dei, tam est Deo dedecus, tamq; nobis noxium, an nō videbitur nimis necessariū, petere vt faciamus Dei voluntatem?

Ierem. 2.

Porrò licet sint nonnulli, qui studēt Dei facere voluntatē, faciunt tamen adeò grauatè, illibenter, & amarè, vt ferè optasses nō fecisse. Ideo Dominus dicit: Fiat voluntas sicut in cœlo, id est, libēter, sine scrupulis, sine anxietate: Hilariter, magno & dulci animo. Hilarem enim datorem diligit Deus.

2. Cor. 9.

Panem nostrum quotidianum. Tribus rationibus adducor, ad credendū non esse hoc loco de pane corporali sermonē. Prior est, quia panis hic corporalis non est panis noster: sed iumenti, id est, corporis nostri. Homo enim non ex corpore est præcipuè: sed ex animo. Cur ergo mentionem faceret de cibo corporis, animæ cibo relicto? Altera est, quia panis hic corporalis, non est supersubstantialis. At in oratione hac

panem supersubstantialem petimus. Dices: Nos nō oramus supersubstantialem, sed quotidianum. Fateor, sed eo sensu **Matt. 6.** accipi debet quotidianus, vt supersubstantialis sit. Tertia est, quia si de cibo corporali mentio esset, frustrà eum peteret iam cœnatus. Et frustrà peteret, cui eius cibi est copia domi. Imò & ille qui facilè eum parare potest. Ea enim à Deo petenda sunt, quæ à nobis aut minimè, aut difficilè parari possunt. Et profectò cum tota oratio de rebus sit spiritualibus, hanc partem solam de corporali pane intelligere: est assumentum vetus, in pannum nouum assuere. Reliquum ergo est, de pane spirituali intelligere. Et tūc suauiter oratio fluit, Panem nostrum spiritualem, tu qui spiritualis es, da **1. Cor. 15.** nobis, qui desijmus esse terreni, & spirituales cæpimus esse.

Quæres quisnam hic panis spiritualis sit? Ego contra quæram à te, quis sit ille cibus inuisibilis, quo apud Tobiam, Raphael angelus se vti profitetur: Respondebit Theologus: **Tobiæ 12.** Cibus est videre: & amare Deū. Et ego similiter respondeo, quòd sicut beatis cibus est, Deum per lumen gloriæ videre, eo frui, ac delectari: ita pijs qui in terra sunt, cibus est, vt cognoscant te, & quem misisti Iesum. Cognoscant, sed, nō illa **Ioan. 17.** obscura cognitione, quâ etiam impij Deum cognoscunt, sed illa dulci & suaui, de qua dicitur: Cibauit illum pane vitę, & intellectus. quam sancti Sapientiam, id est, sapidam scientiam appellant. Quamque Apostolus sentit, cùm dicit: Si **Eccles. 15.** tamen gustatis quam suauis est Dominus.

Cessat nunc solennis illa dubitatio, cur Dominus solum **1. Petri 2.** panem, nihil verò aliud petere docuit? Cui facilis responsio est, quòd panis hic spiritualis, manna absconditum est, omnem habens dulcedinem, & omnis saporis suauitatem. Substantia enim (inquit) tua dulcedinem tuam, quam in filios **Sap. 16.** habes ostendebat: & deseruiens vniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat conuertebatur. Si ergo panis ille antiquus deseruiebat cuiusque voluntati: & cōuertebatur in id quod quisque volebat: quantò verius hic panis animæ, cuius erat ille figura? Igitur hic panis cœlestis, pro cibo potu est, & indumento. Profectò qui hoc pane satiatur, ipsam famem habet pro cibo, nuditatem pro veste, tormentū pro requie, vt verissimum sit quod Sapiētia dicit: Omnia transfigurata, omnium nutrici gratiæ tuæ deseruiebant, ad voluntatem eorū qui à te desiderati sunt, vt scirent filij tui quos dilexisti: **Sap. 16.** quòd fructus non pascunt homines, sed sermo tuus credētes

in te

in te conseruat. Pulchra profectò transfiguratio est, homini pane cœlesti satiato: quòd ipsa fames transformetur in cibū,
Galat. 6. Infamia in bonam famam, & crux in gloriam.

Aduerte tamen nō peti saporem, & dulcedinem in pane, sed panem. Vt viri contemplationi dediti, non despondeant animum, si gustum in cibo non sentiant. Si animus in Deo tibi robustus est, cibū sumpsisti: etiam si saporē non sensisti.

D*imitte nobis*. O rem verè stupendam! etiā illi qui panem cœli manducauerunt, habent culpas, quas condonari sibi
Hebr. 6. precantur. Etiam illi qui semel sunt illuminati, qui gustauerunt donum, id est, panē cœlestem, qui participes facti sunt Spiritus sancti, qui gustauerunt bonum Dei Verbum, & virtutes seculi venturi: etiam hos, contingit labi. Dauid dicit:
Psal. 50. Incerta & occulta sapiētiæ tuæ manifestasti mihi: & tamen hic qui à secretis Dei erat, fœdè lapsus est. Quid ergo fiduciæ habebit vir alioqui spiritualis? Neque verò semel aut bis labi contingit, sed etiā sæpius. Si enim rarenter labuntur viri pii, adeò vt in vita iterum, aut tertio labantur, non institueretur quotidiana oratio, in qua peccata dimitti peteremus.

Dices: Non est sermo de sceleribus, & grauibus criminibus, sed de leuioribus peccatis, in quæ septies iustus cadit in
Prou. 24. die. Atqui liceat paulò diuersè sentire. Primum non tanti sunt leuicula peccata: vt pro eis sit tam ardenter rogandum. Siquidem aquæ benedictę iniectu mundantur. Secundò, Rogamus ita nobis nostra dimitti, vt nos dimittimus proximis sua. At quid erat necesse id rogare? Cùm nemo sit qui proximorum erratula non cōdonet? quare & certum erat Deum amicum ad nostra leuicula conniuere. Neque enim morosum aut præfractum Deum habemus, vt ad minima quæque
Psal. 102. contra nos excādescat. Nouit siquidē figmentum nostrum, & recordatur, quia non Angeli, sed puluis sumus. Esset òue exactissimi rigoris, tantū vrbanitatis, politiæ & munditiei à rusticanis hominibus exigere: quantum Angeli præstant in cœlis. Igitur habemus peccata aliena, de quibus reddenda
Psalm. 18. nobis ratio est. Habemus etiam delicta occulta. A quibus
Ibidem. orabat Dauid, vt mundaretur. Habemus denique ingenium quisque suum, quo hic ad libidinem propensus est: ille ad superbiam, ad irā alius: in quæ, quia facilis est lapsus: rogamus vt nobis remittantur, sicubi labi infœliciter contigerit.

Non ergo est quòd illico animum despondeas, si cecidisti: Id magis annitere, vt resurgas. Ne durare in peccato pergas: homi-

hominis enim est cecidisse, dæmonis verò non pœnituisse.

Res verò prædicãda nobis occurrit. Oramus ita: Dimitte, sicut & nos dimittimus. Quatuor ergo modis nos cõtingit proximorũ offensas dimittere. Primò, cùm odium eius, qui nos offendit ex animo nostro reijcimus, sed iniuriæ pœnam requirimus. Id verò est culpã, non pœnã culpæ condonasse. Secundò, cùm non culpã modò, sed etiã pœnã facilè remittimus. Nihilq; pro iniuria satisfieri poscimus. At offensorem illũ, vt qui stomachũ nobis moueat, refugimus: eum ad nostram consuetudinẽ, nõ admittentes: quatenus, scilicet, sine scãdalo fieri potest. Tertiò, cũ etiã ad pristinã familiaritatẽ, hominem reuocamus: sed velut donis & beneficijs nostris indignum, illi benefacere non curamus. Quartò, cùm obliti nostræ iniuriæ offensorẽ nostrũ beneficijs onerare contendimus. Habes quatuor remissionis gradus. Nunc expende an ita tibi remittat Deus: sicut & tu remiseris? dicit enim Oratio Dominica: Dimitte, sicut & nos dimittimus.

Et ne nos. Quantum iudicio differunt hæc: Tentare, permittere vt tentemur, & inducere in tentationem. Deũ enim tentare, fructuosum, permittere vt tentemur, periculosum: sed inducere in tentationem, funestum est. Tentauit Deus Abrahamum: cui in gloriam, & iustitiã tentatio cessit. Permisit tentari Iob, & Petrum. Quorum alteri tentatio ad coronam fuit, alteri ad lapsum. Induxit verò in tentationem Iudam: cui tentatio ad mortẽ successit. Vt ergo me explicẽ, tentat Deus, & permittit tentare hominem, qui adhuc vires habet, & robur quo facilè tentatori resistat. Imò verò dat ipse vires, & auxilia grandia quibus tentationem repellat. At cùm auxilia illa maiora non dat, tunc inducit in tentationem. Hoc verò est quod pij tantopere timent. Dimisi, inquit, eos secundùm desideria cordis eorum. Et alibi: Curauimus Babylonem, & non est sanata: venite relinquamus eam. Igitur cùm tentatur pius, contra tentationem, fortiore manu luctatur: sed qui in tẽtationem inducitur, perinde est, ac si in obscurum carcerem conijciatur, vbi vix locum ad fugam inueniat: perindeq́ue est, ac si in tentationem velut in mare mergatur, vbi sit difficilis enatandi locus.

Genes. 22. *Iob 1.* *Matt. 26.* *Psal. 80.* *Ierem. 51.*

Attende ergo rerũ ordinem. Primitùs homo pius robur habet, & arma quibus munitus nihil tentationem timeat. Si verò iam potens, manus victas vitio dederit: tunc si iterum tentetur, robur non inuenit, quo adeò facilè vincat. Quòd si

tentetur, cùm iam ægrè resistere potest, tunc inducitur in
Psal. 80. tentationẽ, lapsusque, dimittitur secundùm desideria cordis
Rom. 1. sui, inde traditur in reprobum sensum. Tandem accipit ope-
rationẽ erroris, quo sic agatur ad mala: vt pij Spiritu sancto
vrgente solent agi ad bona. Itaque qui à Deo tentatur, vel à
Rom. 8. Deo tentari permittitur, Dei adhuc amicus est: at qui indu-
2. Thes. 2. citur in tentationem, is propter præcedentem offensam, Dei
est inimicus effectus.

Neque tamen credas, eum qui in tentationem inducitur,
tentationi resistere nõ posse. Imò verò potest, alioqui si non
potest, in eam cadendo, culpa careret, inculpatus enim est,
qui succumbit ei, cui non potest obsistere. At ex eo dicitur
induci, quia tentatio grauis est, vires verò exiguę. Vnde resi-
stere vix potest, potest tamen: mansit enim potentia, non
ad coronam victoris, sed ad culpam vincẽdi. Si enim Petrus
tam fortis, tentatione subigitur: si Dauid, si Adam, quid
iudicas facturum eum, quem peccati durum premit iugum!
Psal. 25. Igitur tenta me Domine, cùm victor euadam: ne inducas me
in tentationem, quæ me deuoratura sit.

Sed libera nos à malo. Hic, Malo, est masculini generis: &
articulum habet emphaticum, videlicet, Libera nos ab illo
iniquo, & scelesto, vt locus planè conuincat de dęmone esse
mentionem. Quod euidens est scientibus Græcè. Iam huius
petitionis sensus apertior erit, recolentibus antiquum fuisse
Ecclesiæ morẽ criminosos tradere Satanæ, vt tradidit Pau-
1. Cor. 5. lus Corinthium illum, in interitum carnis. Tradidit etiam
1. Tim. 1. Himenæum & Alexandrum, vt discerent non blasphemare.
Rogant ergo Christiani, ne contingat ita labi, vt tradantur
Satanæ. Quòd si etiam labantur, & tradantur: ab eius pote-
state liberentur.

Et vide harum quatuor petitionũ, pulchram consequen-
tiam. Da panẽ, quo roborati peccata vitemus. Quòd si non
vitauerimus, dimitte: ne iratus inducas nos in tentationem
peiorem. Quòd si iam induxisti, ne tradas nos in ius diaboli.
Quòd si etiã tradidisti, libera nos ab eius virga & imperio.
Qui sensus si tibi placuerit, miraberis hominis etiam pii fi-
culneam fortitudinem. Qui pane cœlesti roboratus cadere
potest, & à Deo irato induci in tentationem, & quod hor-
rentius est, tradi in potestatem Satanæ. Ego quidem arbitror
Matt. 25. Iudam in hoc malorum venisse profundum. Credo enim
primum virũ fuisse pium: & ideo in Apostolicũ numerum
coopta-

cooptatum. At is ita se præcipitauit, vt traditus Satanæ, diabolus illi misisset in cor facinus infandum. *Ioan. 13.*

Si ergo miraris hominis miseriam, mirare nunc Dei nostri misericordiam. Qui etiam traditum Satanæ, à Satana liberet, sibique iterum reconciliet. Id quod Paulus in suo Corinthio efficere contendebat. *2. Cor. 2.*

Potest & generaliter clausula hæc intelligi, vt generaliter petamus à dæmone liberari. Naturalis est ouis ad lupum inimicitia: ita & ouium Christi ad dæmonem, qui nō modo lupus, sed leo est ferocissimus. Rectè igitur petit Christianus liberari à dæmone, qui legiones habet ministrorum. Qui mille habet nocendi artes, qui adeò est potens, vt non sit potestas quæ comparetur ei super terram. Qui tertiam stellarum partem traxit post se. Qui est Leuiathem è naribus flammas euomens. Cuius halitus prunas ardere facit. Qui si permittitur, errorem seminare potest in intellectu, flammas in appetitu, turbationem in voluntate. Qui habet mortis imperium: cui datum est nocere terræ, & quid tandem non potest si permittatur? Vide igitur quam rectâ ratione petimus ab eo liberari. Quòd si minorem credis eius potentiam, lege historiam Iob, & videbis quantum possit. *1. Petri 5.* *Lucæ 8.* *Iob 41.* *Apoc. 12.* *Iob 41.* *2. Thes. 2.* *Hebr. 2.* *Apoc. 12.* *Iob 1.*

Attende tamen: Diabolus est princeps mundi, & rector harum tenebrarum & rex super omnes filios superbiæ. Eius factionem ingreditur mors: ideo enim dicitur habere mortis imperium. Cùm morte verò peccatum habet fœdus. Quia idem per peccatum mors. Cùm morte verò & peccato reliqua pœnarum genera coniuncta sunt. Iuxta illud: & amica mortis sæua pœnarum genera. Habet igitur diabolus suum imperium in peccato, morte & reliquis pœnis. Hæc enim omnia mala sunt per peccatum in orbem ingressa. Cùm ergo petimus liberari à malo: petimus liberari, ab omni malo culpæ & pœnæ. Vt à regno diaboli eruti: in regnum Christi, (quod est iustitia, pax, & gaudium in Spiritu sancto) ingrediamur, vbi nihil est mali, sed omnia plenissima bona. *Ioan. 12.* *Iob 4.* *Rom. 5.* *Rom. 14.*

Amen. id est, efficiatur hoc, verum fiat, firmum efficiatur. Videlicet quia multos pauit Dominus pane cœlesti, multos eduxit à tentatione, & liberauit à serpentium ictu: at illi postea ceciderunt in deserto defuncti, nec terram promissionis videre aut intrare meruerunt. Quid profuit Iudæ, quid Salomoni bonorum largissima copia, quam à Deo assequuti sunt? *1. Cor. 10.*

sunt? profectò ad maioris pœnæ cumulum bonorum illa liberalitas profecit. Petimus igitur cùm dicimus: Amen, vt
2. Petri 1. certa fiat vocatio nostra. Vt qui cœpit in nobis, ipse perfi-
2. Cor. 1. ciat. Vt non sit in nobis est, & non, sed per Christum sit, Amen, Deo ad gloriam nostram.

Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum. Ex hoc loco faclè colligitur in oratione Dominica, cùm petebamus: Dimitte nobis debita, sicut & nos dimit. &c. non fuisse mentionem de debitis alijs, quā de peccatis & culpis. Ideo enim Dominus explicatè dixit, Si dimiseritis hominibus peccata eorum. Nec dixit: Si dimiseritis debita. Vt semper intelligeremus de offensionibus. Siquidem debita pecuniaria, quæ mihi debes, possum tibi nō remittere. Sicut nec Deus remittit tibi amorem cultum, & vota quæ illi debes. Remittit amanter offensas, quibus eum offendisti: nō remittit fidem, spem, & honorē quæ illi sunt debita. Illi sit gloria, regnum, & imperium, per secula cuncta.

Cùm autem ieiunatis. Proprius hypocritarū, imò & omniū superborū, (quales sunt omnes peccatores) mos est, exterminare facies suas vt alij appareant quàm sint. Reuera peccatoris facies terra est, & tantopere fœda, quanto piorum facies est pulchra. Reuera impij facies, facies est dæmonis,
Actor. 7. sicut pij facies, facies est Angeli, imo & Dei. Viderunt Pharisæi faciem Stephani, sicut faciem Angeli. Quid mirum si faciem Angeli viderunt, in eo qui faciem habebat Diuinam?
2. Cor. 3. Inquit Paulus: Nos reuelata facie, gloriam Domini speculantes in eandem imaginē trāsformamur. Id est, nos autem gloriā Domini, in facie nostra (velut in speculo) suspicimus: ac ideo imaginē Dei referimus. Pari ergo ratione peccatores faciem habent diaboli. Apertum est quod Dominus dixit:
Ioan. 6. Vnus ex vobis diabolus est. Quid ergo mirum, si cui diabolus est, diaboli faciem habeat? Cùm ergo impii faciem habeant tam fœdam, hanc exterminant, aliamque faciem supponunt. Quid miraris, si cornix plumis alienis cupiat vestiri? Ego ita plane sentio: diuites, principes, & quosdam Episcopos nostros, hac ratione se auro, & argento, tam exactè vestire: vt faciem vilem quam ex meritis suis habent, fucis illis mentiantur, & intuentium oculos fallāt. Qui enim faciem habent sanctitate, & vitæ luce fulgentem, faciem alienam fugiunt. vt pulchra matrona fucos exhorret, vt quæ genuinum, non mēdicatum habeat decorem? An non idem faciunt,

faciunt, qui nihil nisi genus suum iactant? Certè exterminant facies fœdas, quas habent, (ex propria desidia) fuligine & situ marcentes, faciemq; pulchram maiorum suorum ostentantes. At Dominus inquit, Cùm ieiunatis: vt qui propriam habetis lucem, eius sanctitatis quæ in animo fulget, & in vultu emicat: non est quod alium vultum quæratis.

Nota verbum. Cùm ieiunatis: Vbi non præcepit ieiunare, sed modum ieiunantibus præscripsit. O quam verum est, quòd Euangelium, & lex gratiæ, est lex scripta in tabulis cordis: & est spiritus vitæ, instigans corda nostra ad opera spiritui, & gratiæ, & Christo, consentanea! Itaq; hic spiritus propensam facit voluntatē ad ieiunium, ad orationem, & ad eleemosynam, etiam si nullus id nobis præcipiat. Cum ergo sciret Christus, suos spiritu accepto, ieiunaturos: non curat præcipere vt ieiunent: sed quomodo ieiunent, docet. Qui igitur non ieiunare Christianos instituunt, spiritui se sciant aduersos. 2. Cor. 3. Rom. 8.

Nota secūdo verbum, Cùm ieiunatis: ita dixit suprà, cùm oratis: at non dixit, cùm facitis eleemosynam. Indicans, ieiunia & orationes communes futuras in ecclesia, ex præcepto quidem Ecclesiæ ieiunamus quadragesimam: & oramus cùm ad missarum solennia conuenimus. Matt. 6.

Nota tertiò. Cùm ieiunatis: & cùm oratis. Non igitur semper, aut ieiunandum corpore, aut orandum. Sunt tēpora certa quæ orationi, & ieiunio dicata sunt. Nec enim spiritus humanus orare semper: nec corpus semper ieiunare potest. Indulgendum nonnihil genio, vt animus posteà, & corpus efficacius operi suo incumbere possint.

Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum. Crederem ego, non nullis adductus argumētis, morem quotidianum antiquis fuisse vngere caput, sicut & apud nos quotidianus est, faciē lauare. Vt enim nostri, qui paulò sunt corporis sui amatores, vnguēta odorata chirotecis admouēt, vt suauiter oleāt: ita & antiqui vnguentum suaue olens capiti, cùm pexebant, admouebant. Quod vel ex textu ipso dilucēre potest. Dicit enim: Vnge caput, faciem laua. Ac si diceret, Sicut quotidie facis, ita fac cùm ieiunas. Vt faciem lauas, vtque pectine, vnguēto peruncto, caput quotidie pectis: ita facito ieiunans. Et hunc arbitror esse natiuum sensum huius loci, vt nihil aliud Dominus prætēdat: quàm dicere cū ieiunas nihil insolitū facias: sed ea duntaxat, quæ facere solebas.

Sed quia potius fido maiorum meorum, quam meæ sententiæ: ideo eorum vestigijs hærens, annotatione dignum censeo, apud Antiquos vngendi caput morem fuisse, in diebus festis, in regum, prophetarum, & pontificum inauguratione, in conuiuijs, & in cultu corporis delicatiore. Hæc ita esse facile cõprobare possum. Sap. 2. dicitur: Vino pretioso, & vnguentis nos impleamus: & non prætereat nos flos tẽporis. Et Isa. 2. dicitur: Et erit pro suaue odore fœtor, &c. Vterque locus arguit, fœminas, & viros vnguentis se deliniisse, in corporum delitias. Iam quod Magdalena fracto alabastro vnxerit caput Domini, arguit, vnguenta conuiuijs adhibita. Quòd verò Elias vngit Iehu in regem super Israel, & Elisæum in prophetam: probat, prophetas & reges inauguratos, vnguenti super caput effusione. Demũ quod diebus festis Palæstini se inungerent, satis probat D. Hieronymi autoritas. Et probari potest ex historia Dauidis: qui pro infante ieiunauit: vt sanaretur. Sed cùm mortuum esse cognouisset, quasi diem festum agens, lauit faciem, & vnxit se, & mutauit vestes, &c.

Lucæ 7.
3. Reg. 19.
2. Reg. 12.

Sensus ergo Christi Domini hic est, Christiane cum ieiunas vnge caput: Diem festum te agere existima. Festus sanè cum spiritus carnem suam vincit, refertque de suo hoste triumphum. Festus est, cùm arma dæmonis, ieiunio exterminat, & hebetat, spemque ei aufert de habenda victoria. Festus est: cùm terrenis homo desinit esse, & incipit esse cœlestis. Festus est: cùm capacior fit homo, cœlestiũ opum, & delitiarum æternarum.

Secundò, cùm ieiunas vnge caput: quia efficeris vt sacerdos, vt rex, & vt propheta. Enimuerò si ieiunas, offers Deo de tuo corpore sacrificium. Non iam brutum, & irrationale, vt lex vetus offerebat: sed sacrificiũ & hostiam humanam, rationalem, imò angelicam, imò Diuinam. Siquidem Christum portamus in corpore nostro: glorificate, inquit, & portate Deum in corpore vestro. sacerdos ergo fit, qui ieiunat: Idem est rex, si verè ieiunat. Habet enim imperium non solum super humerum suum, sed super corpus totum suum: Regitque se in virga ferrea, & tanquam vas figuli conterit figlinam molem corporis sui. Est item propheta, qui non verbis, non digito: sed toto corpore prænunciat vitam esse futuram, pro qua vitæ præsentis bona contemnit.

Ad Rom. 12.
1. Cor. 6.
Isaiæ 9.
Psalm. 2.

Tertiò, cùm ieiunas vnge caput, quia tibi Christum adhibuisti

buisti eo die conuiuam. Si enim quod reliquū è ieiunio fuit, pauperi dedisti, Christum pauisti. Eumque exhilarasti multo iucundius: quàm si nardo pistico eius caput perunxisses. *Matt. 26.*

Imò etiamsi pauperem non reficias, si recte ieiunas, Christum habes conuiuam in ieiunio tuo. Etenim si Petrus quos occidit manducat: multò magis Christus mãducat occisos. At per ieiunium quiuis sese iugulat, & occidit. *Actor. 10.*

Quartò, cùm ieiunas, vnge caput tuum. Delicati homines, quo se delicatiores reddant vnguentis se optimis vngũt. Tu cum ieiunas, existima, ieiunium vnguentum esse quo duritiem, proteruiam, & ferociam corporis tui molliorẽ reddas, alioqui regere non poteris ferreum corpus, nisi oleo ieiunij emollieris. Iam quæ non tormenta in corpore suo fœminæ sustinent, vt capillos inaurent, vt faciem illustrent, vt manus dealbent vt corpus stringant? ita & nos, si sponsari cum Christo volumus, ieiunemus: hac enim corporis cultura, Christo placere licebit.

Quintò, cùm ieiunas, vnge caput, id est, lætissimum te exhibe. Quia si tu te Deo, per ieiunium donas: Deus se tibi per gratitudinem redonat. Quæ verò maior causa lætitiæ, quam Deum intrò recipere?

Sextò: Vt nonnihil ex horto morali decerpamus, vitæ Christianæ, caput, radix, & principiũ, fides est. Facies eiusdẽ vitæ, charitas est. Primũ certũ nobis fecit Conciliũ Tridẽtinum: Secundũ verò D. Augustinus. Vt enim facie cognoscimur: ita charitate suos cognoscit Christus. Igitur cũ ieiunas faciem vnge, id est, fidẽ habe per dilectionẽ operantem. Quis enim nesciat oleum lætitię esse dilectionẽ? Sed rogo, satis ne est ei qui propter peccata quæ fecit, ieiunat: si fidẽ habeat, & dilectionẽ in Deum? minimè quidem: Sed sicut Magdalena caput vnxit, & faciẽ suam lachrymis lauit: ita tu qui peccasti, ne crede ad delenda peccata, satis esse fidem cum dilectione: nisi eandem dilectionem lachrymis laues, & dolore cordis perfundas. Non enim sola fide, & dilectione sine pœnitentia lapsi peccata curantur. Vnge ergo caput, id est, fidem dilectione Dei: Sed eãdem dilectionem, lachrymis doloris elue. *Concilium Trident.* *Galat. 5.* *Lucæ 7.* *Concilium Trident.*

Septimò: Cùm Magdalena vnguentum adduxit, caput Christi vnxit. At sicut caput Christi Deus: ita & facies Dei humanitas Christi est: in qua Dei ingenium resplenduit: & per quam nobis Diuinitas innotuit. Iam cum audis: Vnge caput tuum. Sensus est Deum tibi mollem & benignum per *Ioan. 12.* *1. Cor. 11.*

ieiunium redde. Difficilior res est explicare quid sit faciem,
Zachar. 3. id est, humanitatem Christi lauare. Sed explicatur ex Zacharia: Iesus, inquit, sacerdos magnus, erat indutus vestibus sordidis. Quid propheta? num in IESV sordidum quid esse potest? Equidem nihil sordidum est in IESV: sed oculis peccatorum vestes Christi sordent. Sordent scilicet acta & opera Christi lippis oculis. Ita & facies Christi, eiusque vita impijs sordida est. At quando nos eam adoramus & veneramur, velut lauamus à sordibus. Igitur cùm ieiunas ieiunium tuum in venerationem & reuerentiam ieiunij Christi offer: sicque & Deum vnxisti, & faciem Christi a sorde lauasti.

Nota verò illud: Ne videaris hominibus. Itaque quantum in tua voluntate est, apparere noli: sed si ita vel dignitas tua poscit, vel exempli dandi causa, vel aliud quidpiam: non est peccatum si te ieiunantem ostendas.

Nota secundò, quantùm periculi sit, si vir Deo dicatus, oculos ab interioribus ad exteriora à Deo in terrã conuertat. Aduerte igitur quantum referat versari semper interius: quantùm referat quòd interior homo sis, nunquam verò exterior Ne ieiunes, inquit, vt videaris. quasi dicat: Nunquã oculos à me diuertas. Vana est gratia, & falsa pulchritudo
Prouerb. vlt. honoris humani: nõ hæc aspicias, ne à fallacia huius bracteatæ dulcedine decipiaris. Nam ieiunare vt videaris superbia est. At nihil magis homini nocet, quàm superbia, nihil est, quòd magis odiat in homine Deus. Non enim nata est
Eccles. 10. homini superbia.

Nota tertiò, sed vt videaris à patre tuo. Filialis amoris est opera facere, vt videantur à Patre, & vt Patri placeant: nihil
Psalm. 72. est magis operæpretium bono filio, quàm vt iucundum sit ei eloquium nostrum. Porrò quia noster ignis non ascendit tam purus: quin fumum commistum extollat: nec vnquam nostri pectoris lux tam est candida: quin tenebrarum proprij commodi, quicquam admisceat: ideo inclinat nos Dominus ad interiorem conuersationem ex duobus, scilicet ex amore quẽ ipsi, vt Patri, debemus: & ex retributione quam ab ipso vt Patre expectamus. Pater, inquit, tuus reddet tibi.
Rom. 5. Si Pater, & diues est, hæredem te faciet. Si tuus, id est, tui amator, non te exhæredabit, dignum est vt conuerseris interius, vt hæreditate paterna dignus efficiaris. Summus vero est: summa misericordia fuit, quòd filios nos esse suos voluerit, summa ergo ab illo expecta.

Nota

Nota quartò: Propria Christianorum opera sunt Eleemosyna, oratio, ieiunium. Eleemosyna qua charitas effunditur proximo. Oratio qua Deo. Ieiunium quo corpori noster amor exhibetur. Et licet corpus sit viri Christiani, etiam si castigatione nó egeat, ieiunet, quia sicut reges sumus, dando proximis omnibus eleemosynam, (quo ad licet,) & sicut prophetæ sumus Deum per orationem videndo: ita sumus sacerdotes Deo corpora nostra in sacrificium offerendo.

Nolite. Licet sancti Authores hanc partem superioribus: attexuerint, credo tamen à superiori tractatu esse diuisam: vt quæ rem tractet à dictis longè diuersam: tractat enim de auaritiæ eradicatione. Cùm tamen in superioribus de vanæ gloriæ contẽptu loquutus Dominus fuerit. Tres enim sunt lanceæ a quibus Absalon confossus interijt, scilicet: superbia vitę, quam in prioribus Dominus prohibuit. Concupiscētia oculorum seu diuitiarum, quam in hoc textu eliminat. His verò duobus eiectis facilius est concupiscentiam carnis auellere. Igitur suauis, & blanda literæ textura, de diuitijs, non congerendis loquitur, & persuasi mihi nullam litere violentiam, si possem, inferre. Thema igitur est: Nolite thesauros in terra recondere. Id tribus efficacissimis rationibus probat. Prior ex periculo, altera ex corde nostro, ne collocetur in terra, tertia, ex damno, si collocetur, cor & oculos, totum enim fit tenebrosum. Adsit Christus explicationi. 1. Reg. 18. 1. Ioan. 2.

Prior ergo ratio est: Ne recondatis thesauros in terra, vbi periculo obnoxij sunt, eruginis, tineæ, latronum. Vbi plus innuitur, quàm explicetur Innuitur enim ne recōdatis opes vestras in terra. Alioqui perpetuò erit vobis timendum, ab erugine, à tinea, à furibus. Vt enim nulla tinea, vt nulli fures opes vestras lędant, non poteslis tamen non timere semper ab eis. Porro hæc cura, hic timor, & pauor torquet cor vehementissimè. Qui igitur miser? Putabas te parare thesaurum, & parasti tormentum. Putasti te tibi parasse gaudium, & parasti tortorem, carnificem, lanionem.

Sed verò grauius multo est quod sequitur ex Euangelio: nouimus, quòd Christus veniet sicut fur. Quem furem ipse caueri præcepit, dum dicit: si sciret pater familias, quà hora fur veniret, vigilaret. vt ergo quam maximè fugias tineæ, & aliorum latronum iniuriam: num effugies Christi, (qui sicut fur veniet, (non iniuriam, sed veram iustitiam? Veniet ille, & rapiet à te thesaurum tuum. Lucæ 12. Lucæ 12.

quæ autem cõgregasti cuius erunt? Fateor tu non recõdebas tibi, vt futuræ, sed vt præsenti vitæ proficeres. Sed equidem exiguus, & curtus est tibi visus: & angusta prouidentia, qui tam breui vitæ consulis, non verò futuræ.

Imò si consuluisses futuræ, cõsuluisses etiam præsenti: & quia futuræ non prospicis, existima nec præsenti esse consultum. Pulchrè enim castigat te Deus, vt etiam furtum opum tuarum tu tibi facias: tuque tibi fur sis. Planè tu congregans & recondens: reconditis non frueris: non tibi tuæ sunt opes in vsum. Nihil aliud ergo est quod à fure expectes, quàm quod tu tibi facis.

Et certè à furibus opes tuæ sublata de tua ignauia vindictam suscipiunt: habebas eas incarceratas, in obscuro reclusas. At illæ nunc in vsum veniunt hominum, in quem à Deo erant institutæ

Thesaurizate vobis thesauros in cælo. Planè quos condideris in cœlo, ne crede, tantum futuræ vitæ profuturos. Imò verò qui in cœlo reconditus est, thesaurus est: totum illud faciens quod fecisset, si in terra reconditus esset. Quid enim à thesauro terreno expectares? Certè vt haberes quod tibi diutius viuenti sufficeret. At verò si in terra thesaurus esset reconditus, non permitteret te longius viuere: sed Dominus vt à stulto, ea nocte qua te diuitem credebas, repeteret à te ani-
Lucæ 12. mam tuam. Clarissimum est illud Psaltis dictum: Viri san-
Psalm. 54. guinũ & dolosi, non dimidiabunt dies suos. At nemo forsan
Eccles. 10. est auaro dolosior: nemo forsan qui plures occidat, quos enim non pauisti, occidisti. Igitur auari sunt viri sanguinum, sunt & dolosi: non ergo dimidiant dies suos.

Sed age fac diutiùs viuas. Venit tibi lis, & contentio: vbi thesaurum tuum absumas, admittis crimen, propter quod à iudice spoliaris. Sunt enim diuitiæ congregatæ in malum
Eccles. 5. Domini sui, propter eas enim efficiũtur homines elati, & in-
1. Tim. 6. tractabiles: ac ita multis casibus obnoxij vt diuitias amittat.

Sed fac eas non amittere. Prouidentia Dei est, vt plus habenti, minus sufficiat: sed semper in tristitia miser auarus versetur: non ergo tibi thesaurus tuus sufficit, cuius causâ est tibi corrixandum semper, est tibi cum cognatis perpetuò habenda discordia, est tibi ab hæredibus continuò cauendũ: hoc verò tibi credis esse thesaurum?

Quàm verò suauius agitur cum iusto qui thesaurum ha-
Psalm. 36. bet in cœlo? dictum enim est non vidi iustum derelictum, & sur-

& rursum: Oculi Domini super iustos, vt alat eos in fame. Et *Psal. 32.*
rursum: Diuites eguerunt, & esurierunt: iusti autem non *Psalm. 33.*
minuentur omni bono: Quid precor posset facere thesaurus, quod par sit, huic tam diuiti promissioni? Quod scilicet iustus non minuetur omni bono? Profectò nullus terrenus thesaurus est, qui præstare alicui possit, ne minuatur omni bono. Ergo qui thesaurizauit in cœlo, credat se thesaurum in cœlis & in terris habere.

At dices: Mihi non recondo, sed filijs. Profectò & id præstabit thesaurus in cœlo reconditus. Dictum enim est: Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Si *Psal. 36.*
semen tuum panem non quærit, igitur si thesaurum in cœlo collocasti, existima te in terra thesaurum habere filio tuo seruatum. Eleganter dictum est: Beatus vir qui timet Domi- *Psal. 111.*
num, qui in mandatis eius vult nimis. Potens in terra erit semen eius generatio rectorum benedicetur. Audisti, semen piorum futurum potens, fortè non id præstitisset thesaurus, quem curabas infodere terræ.

Sed diligenter aduerte quod Psaltes hic dicit: In mādatis *Psal. 111.*
eius vir iustus volet nimis. Cōgruit enim nostro textui. Nec enim textus dicit: Recondite vnum, aut aliud opus in cœlo: sed recondite thesauros. Vbi annota: Non solum iubet, vt recondas vnum thesaurum, sed thesauros, vt videlicet vir iustus, non in vnico mandato velit nimis, sed in omnibus. Memento enim, quòd ex seruis qui talenta acceperunt, non *Matt. 25.*
fuerunt seruati, qui vnum, aut alium nummum negotiati sunt: sed qui decem, aut certè quinque talenta exposuerunt ad mensam. Ex talentis verò thesauri recondi solent.

Aduerte rursum: (quod sine dolore animi scribere nequeo.) Si thesaurus est tibi in cœlo repositus: ne crede solū in cœlo, sed in ipso Deo, in ipso Dei sinu, in ipso corde Dei thesaurū collocatū. O quàm verè tutū locū habēt opes tuę? Quis poterit eis incommodare? Sed ò miseriam! Peccatum est quod nobis eas auferre è sinu Dei potest. ò lōgissimas & rapacissimas vngues peccati, quæ ad cœlum pertingere, & à Deo thesauros nobis nostros rapere possūt. O nimiū audax peccatum, quod in diuina penetralia irrumpere nō veretur: indéque, multo tepore & labore, & sudore partas opes sine misericordia, miseris eripit. ò Dei vere rigidam iustitiam, cui omnes fores diuinæ patet: ò verè Dei æquam bonitatē, quæ peccato peccatoribus thesauros rapienti fores nō occludit.

Scio non ita tibi peccatum opes abstulisse: quin si cõuertaris, opes in Dei sinu reconditas inuenias. Sed quid si non conuertaris, an non tibi eas peccatum eripuit? Scio etiam, quòd si non conuertaris, quæ tibi non proderunt opes, alijs profuturas. Thesaurus enim Ecclesiæ ex superfluis sanctorũ operibus, & ex his quæ authoribus suis non profuerunt, aggregatur. Sed quid ego lucror, si ex meis opibus alios video

Lucæ 10. ditatos: Ergo peccatum est, quod mihi si pecco, opes meas abstulit, quod me nudum, & semiuium reliquit.

Hebr. 13. Porrò quàm pulchrè Dominus notauit, non nos hîc habere ciuitatem manentem, sed futuram inquirere! Vt enim qui ad Indos penetrant, inde corradere suas opes contendunt, quas in patriam præmittunt, vt eis in patria frui liceat: ita Dominus vult nos intelligere, nos in India esse, vnde thesauros in cœlum præmittamus. Quis verò credidisset, in terra hac thesauros Indicos esse?

Vbi est enim thesaurus tuus, ibi est & cor tuũ. Igitur si in terra

2. Ratio. est thesaurus tuus reconditus: iam est cor tuum, viuens in terra sepultum: si thesaurum tuum sepelisti, cor tuum sepelisti. Quod si thesaurus tuus à tineis & blattis corroditur: planum est, cor tuum à vermibus etiam corrodi, vt nihil sepulchralium conditionum desit tuo cordi sepulto. Sed ô miserum cor tuum, quod cum vermibus, cumque tam vili milite continuum bellum gerit, quem vicisse verecundia est, à quo vinci, nefas. Quam fuisset tibi fœlicius, corpus potius quàm cor habere sepultũ! Quam fuisset fœlicius à vermibus terrenis corpus, quàm à spiritualibus cor habere corrosum? Tanto enim maius damnum à spirituali tinea cor tuum recipit: quanto est cor corpore nobilius. At cõtra si thesaurus tibi est in cœlo, cor habes in cœlo. Sedes tibi cœlũ est. Quid! Si sedes in cœlo tibi est & terra est scabellum, vbi consistunt pedes tui: num Deus es tu cui cœlum est sedes, terra autem pedum pedamentum. Agnoscis, Lector Christiane, altitu-

Isaiæ 66. dinem huius verbi, In cœlo est cor tuum?

Iam mirari minus possum, cùm audio quosdam Christianos, cùm gaudio suorum bonorum iacturam suscepisse,

Heb. 10. sciẽtes se meliorẽ in cœlo repositam habere substantiã. Imò verò video causam cur Dauid dicat: In imagine pertransit

Psal. 38. homo, & frustra conturbatur. Thesaurizat enim nesciẽs cui cõgregat. At expectatio mea, quæ alia est, nónne Dominus? Cur, Dauid? Quia substantia mea apud te est. Ita planè cuius

substan-

substantia apud Deũ est, quid habet quod expectet, nisi Deũ? Expende vero Theologe, quid sit: Substantia mea apud te.

Iam si in cœlo non sunt lachrymæ, non dolor, non mors: *Apoc. 21.* profecto intelligere potest quiuis an in cœlo cor suum habeat. Si enim spiritualis vir, gaudiũ habet & pacem in spiritu *Rom 14.* sancto, in cœlo est. Si habet gaudiũ plenum, & quod, inquit, *Ioan. 16.* nemo tollet à vobis, in cœlo est. Si sicut mons Sion non *Psal. 124.* commouetur. Si dicit: Mihi adhærere Deo bonum est, & ponere in Deo omnem spem, omnesq; diuitias meas, hic in *Psalm. 72.* cœlo est. Quis verò non stupeat harũ rerum commertium? Cor tuum est in cœlo, & cœlum in te, regnum enim Dei intra vos est. tu in Deo, Deus in te: inhabitabo enim in eis, *1. Ioan. 4.* & inãbulabo. Sed hæc satis. Igitur Christi ratio efficacissima est. thesaurum in terra non colloca, sed in cœlo: nõ sepelias cor tuum, sed diuinum potius efficito.

Lucerna corporis est oculus. Hæc tertia ratio, cuius valor hic est. Si oculus tuus est lucerna corporis, consequens est, vt oculus animæ, sit animæ lucerna. Si hæc lucerna munda sit à terræ commistu, totum te reddet lucentẽ. At si eam terræ miscueris, ipsa tenebris obruta, totũ te reddet tenebrosum: & ô quanta tenebrarum multitudo obruet te?

Emunge oculos precor te Lector. Primũ, inquit Dominus, lucerna corporis est oculus: non dicit, Lucerna hominis: vt scias subtiliter distinguere lucernam corporis, quæ est oculus: à lucerna animi, quæ cor est. Neque statim contemnas, cum audis, cor esse lucernã animi, & proinde totius hominis. Probetur tibi potius modus loquendi sacræ Scripturæ, quàm scholarum tantopere idioma receptum. Atqui *Isaiæ 6.* Spiritus sanctus dicit: Excæca cor populi huius. Et apud *Ephes. 4.* Paulum: Alienati à vita Dei, per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis eorum. Et Christus: Beati mundo *Matth. 5.* corde, quia ipsi Deum videbunt. mundum ergo cor, videt, sicut immundum excæcatur: videre verò & excæcari oculorum est. Vide nunc quàm pulchre annexuit Dominus secundæ rationi tertiam. Secunda ratio dixit: Ne colloces cor tuum in terra. Inde ortum habet tertia. Si cor collocaueris in terra, lucernam tuam in terra locasti, & ideo non iam lucerna erit, sed tenebræ. Id primum: Secundum malum, totus tu efficieris tenebrosus. Tertium: Ipsæ tenebræ in te quantæ? Id est, immensæ erunt. Habemus quid sit lucerna hominis, est enim cor.

Cor

Cor verò potest esse simplex aut nequam. & hic nullũ est medium: aut enim cor tuum dignum est cœlo, & ita oculus est simplex: aut inferno, & ita nequam conuincitur esse. Hic ego non possum non mirari diuinam sapientiam: nam cùm Christus esset Hebræus, & Hebraicè loqueretur: at quæ Hebræis erãt difficiliora, per Latina, & Greca reddidit clariora. Certè verbũ, simplex, Hebræis sonat integrũ, & perfectum.

Iob 1. Ita dicitur: Erat Iob vir simplex. quod peritissimi Hebræi sermonis exponũt: Erat vir integer. & alij. Erat vir perfect⁹.

Et hoc habes: cor eius qui recondit thesauros in cœlo: esse cor simplex, integrũ, atque perfectum. Est enim hoc cor in cœlo, & in Deo: in quo nihil nisi diuinũ esse potest. Contrà verò, cor recondẽs thesaurum in terra, cor nequam esse.

Habes secundò, modum quo liceat tibi cor habere perfectum, scilicet si simplex habere contenderis. Ille verò cor

Lucæ 10. simplex habet, qui vnum tantum respicit. Illud videlicet, quod est necessariũ. Cor simplex est, quod omnia quæ facit. Dei amore facit Deoq́ue placere, vni & soli desiderat. Cor istud planè thesaurum condidit in cœlo: & licèt thesauros habeat in terra, perinde habet, ac habebat Iob: qui cùm amisisset, nihil stultum loquutus est in ore suo. Enimuerò, quia

Iob 1.

1. Cor. 7. iuxta præceptum Pauli, ita possidebat: ac si non possedisset.

Nota verò diligentissimè: Si oculus tuus fuerit simplex totum corpus tuum lucidum erit. Cura enim viri perfecti, simplicis & integri est: se totum lustrare, se totum circunspicere, & lucernâ sua se totum examinare & expendere.

Iob 9. Verebar, inquit simplex Iob: omnia opera mea. Vir integer est totus sibi notus, probat enim se, an in fide sit. vt inquit

2. Cor. 13. Paulus: Quotidie enim viri boni euertunt domum suam,

Lucæ 15. nequid sit quod oculos Dei offendat. Contra viri qui habent thesauros cõditos in terra, sunt sibi penitus ignoti, quia toti

Lucæ 10. sunt in tenebris: habent cor mille peccatorum vulneribus sauciatum, habent cor semiuiuum: nec curant tamen.

Nota secundò: Erit, inquit, lucidum totum. & infrà: Erit tenebrosum totũ, ergo aut places totus: aut displices totus. Non potes Deo partim placere, & partim displicere. Qui

Iacobi 2. enim offenderit in vno, factus est omnium reus.

Nota tertiò: solum cor simplex sufficere ad illustrandum corpus totum. Prima cura tua sit, cor simplex habere. Id si habeas, totus lucidus es. Rectè ergo Dominus petit,

Prou. 23. dicens: Fili, præbe mihi cor tuum. Id enim vbi Deo datum,

& in Deo collocatum fuerit, totum hominem Deo donat.

Nota quartò: ex hoc cor nostrum nequam fieri, quia thesaurum in terra recondit.

Dissimulare hoc verbum nequeo. Dicit Dominus: Si oculus, scilicet cor tuum nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. At Domine diuites hi auari, tumulos in Ecclesijs ædificant, basilicas erigunt, templa Dei exornant: imò frequēter pauperibus eleemosynas largiuntur. An non diuites illi Iudæi magnifica dona in gazophilacium mittebant? An non hæc opera sunt lucida? Cur dicis, totum tenebrosum esse? Planè si recōditos habet diues thesauros, (cùm tot sint miserè egeni,) quæ facit opera, habent gloriam apud homines: apud Deum verò, non item, tenebrosa sunt. Si cor nequam est, nihil inde profectum, Deo gratum est, ad vitam æternam comparandam. Habes ergo, cor thesaurizās, tenebrosum esse: & totum hominem, eiusque opera tenebrosa, & Deo ingrata reddere. *Lucæ 21.*

Si ergo lumen quod in te est. Id est, si cor tuum, quod luminis loco habet anima tua tenebris est obsitum: ipsi tenebræ, id est, ipsa peccata quanta in te erūt? Quasi dicat: Vbi cor amisit lumen, peccata agminatim irrumpunt: non est peccatum vnum aut aliud, sed est omnium peccatorum colluuies. Verissimè enim dictum est: Posuisti tenebras & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluæ. Vbi enim nox cordis est, omnia peccata bestialia certatim irruūt. Solenne dictum Pauli est. Radix omnium malorum cupiditas. nō, inquit, ex hac radice vnum peccatum prodit, sed omnia mala, quasi diceret, vbi cor tenebrosum veneno cupiditatis inficitur, ò quanta mala in ipsum ingrediuntur? Certè quia qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum diaboli, & desideria multa, & nociua, quæ mergunt hominem in perditionem. Non dicit in desideria pauca, sed multa. Ipsæ enim tenebræ quātæ? Cogor ita exponere, quia non possum adduci, vt per ipsas tenebras, aliud intelligam quàm peccata. reliqua enim alia obtenebrari possunt, sed non sunt ipsæ tenebræ. Iam si peccata sunt tenebræ, verè dicit Dominus: Si cor tuum cupiditas inuasit: omnino charitas ab eo relegata est. Vbi enim charitas triumphat, cupiditas perijt. Quòd si charitas è corde cupido explosa est, quantæ in eo erunt tenebræ peccatorum? Vt intelligas quàm verè dictum sit. Nihil est iniquius quàm amare pecuniā: quia videlicet nō est ibi vna iniquitas sola. *Psal. 103.* *1. Tim. 6.* *1. Tim. 6.* *Ecclesi. 10.*

Mich. 6. sola, sed multæ. Dicit Propheta: Diuites eius repleti sunt iniquitate.

Nemo potest duobus, &c. Ante omnia mihi sunt explicanda quædam vocabula. Mammona, Chaldaicum est: significans diuitias, & substantiã. Arbitrorq; non significare dæmonem præfectum diuitijs. Quod hinc colligo: Inquit Dominus: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Et rursum: Si in iniquo mammona infideles fuistis. Vbi apertè nequit intelligi de dæmone, sed de opibus: pari ergo iure & hoc loco, non de dæmone, sed de substãtia & diuitijs mẽtio est.

Alterum vocabulum est: Sollicitudo. Ex cuius intellectu reliqua pendent. Grecis est, merimna. quod significat curam anxiam, & inquietam. Vnde Cicero 4. Tuscula. Quęst. dicit: Sollicitudo, est ægritudo cum cogitatione. Est igitur ægritudo & morbus animi, & 1. de Finibus, dicit: Eas sollicitudines, quibus animi eorum exeduntur, à dijs supplicij causa importari putant.

Tertium est Lilium. Est verò duplex liliorũ genus. Albũ, quod Grecis est liryõ: & rubrũ quod est Grecis crinon, locus verò noster nõ loquitur de lilijs albis, hæc enim cũ in hortis nascãtur, curã, & cultũ hominũ exigunt. Loquitur igitur de lilijs rubris, sub nomine, crina,, & quia hæc nullã curã requirunt, (ea maximè quæ lilia agri sunt,) ideo de his mentio est.

Secundo loco tractandũ mihi est, an liceat sollicitum esse Christianũ. Et primũ apertum est, (licet Caietanus contrarium dixerit,) quòd sancta sit cura & sollicitudo de spiritualibus rebus. Ad Roman. 12. Sollicitudine non pigri, & qui præest, in sollicitudine. 2. Corint. 11. quotidiana sollicitudo mea, omnium Ecclesiarum. Ephes. 4. Solliciti seruare vnitatẽ fidei. Coloss. 4. Epaphras semper sollicitus pro vobis.

Secundò etiam apertum est, quòd sit sancta sollicitudo de temporalibus, quando in spiritualium commodum cedunt. Paulus ad Galat. 2. inquit: Dextras mihi dederũt tantum, vt pauperũ memores essemus: quod etiã sollicitus fui seruare. Quam sollicitudinem apertè monstrauit, in 1. & 2. ad Cor.

Tertiò: Non est mala sollicitudo de temporalibus, vbi prius sunt æterna quæsita. 1. ad Corint. 7. Paulus dicit: Mulier sollicita est, quomodo placeat viro.

Quartò: Profectò si licet habere sollicitudinem placendi viro licebit etiã habere, quomodo pascat pater filios: & cum nõ minore iustitia obligetur quis sibi, quam vxori aut filijs: non

non erit mala sollicitudo, quâ quis sibi consulit in temporalibus, vbi consuluit prius in æternis.

Quintò, quod igitur Dominus damnat hoc loco, id est, quod temporalia quæras æternorum oblitus: ita curare hæc quæ videntur, ac si nihil essent æterna. Hoc enim est, quod dicit Psal. Statuerũt declinare in terram oculos suos. Vocauerunt nomina sua in terris suis. Psalm. 48. Hi dicuntur habitatores terræ. Væh, inquit, habitantibus in terra. Apoc. 8. Mortui in delictis. Ephes. 2. Alienati à vita Dei, per ignorantiam. Ephes. 4. Hi habent hic ciuitatem manentem, & ideo futuram non inquirunt. Hi non se reputant vt hospites, & peregrinos super terram. Ad Heb. 11. & 1. Petri 2. Demũ non sunt ciues sanctorum, & domestici Dei, nec accesserunt ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, &c. Ad Hebr. 12. *Psalm. 16.* *Hebr. 13.* *Ephes. 2.*

Sextò: Quod Dominus hoc sermone contendit persuadere, id est: Vt confidamus de eius in nos prouidẽtia, de eius amore, de eius paterna pietate: quodq; scit nostras necessitates: & amat nos vehementius, quàm ipsi nos. Quod item multo melius nostris rebus consulimus ipsi fidentes, quàm curam nostri habentes. & demum, quòd nostra sollicitudo rebus nostris non commodat: imò incommodat potius.

Septimò, Christus multa verba expendit, cupiens sollicitudinem temporalium à nobis reuellere: quia sollicitudo est acus qua filum in animã ingreditur. Ex sollicitudine siquidem diuitiarum, amor, ex amore apponitur cor, ex corde apposito ingreditur cultus, & obsequium Mammonæ, Deo vero contempto.

Nemo potest duobus dominis seruire. Miraculum est, quòd duobus dominis miser homo seruire velit, quodque à vero Domino suo discedere cupiat. Pulchrè Ieremias dicit: Quis nõ timeat te, ô rex gentium: quia tuum est decus. Si decus, si gloria, si quidquid optari potest, abũdantissimè in Deo inuenitur: quid est, quod homo domino suo cõtempto, alterius domini obsequium quærit? Sanè nulla creatura est, quæ à sui Domini præcepto discesserit. Cur ergo homo discedit? Me, inquit Dominus, non timebitis, & à facie mea non dolebitis? Qui posui arenam terminum mari: præceptum sempiternum quod non præteribit. Intumescent fluctus eius, & non transibunt illud. Populo autem huic factum est cor incredulũ, & exasperans: recesserunt, & abierunt. Et non dixerunt in corde suo: Metuamus Dominũ Deum nostrum: qui *Ierem. 10.* *Ierem. 5.*

dat nobis pluuiam temporaneam, & serotinam, in tempore suo, &c. Profectò iustum erat, vt quem cœli, elementa, & cunctæ creaturæ non relinquunt, nec homo relinqueret. Homo scilicet tot beneficijs auctus. Homo quem ita dilexit
Ioan. 3. Deus, vt Filium suum traderet: non in aliud, quàm in mortem, eamq; acerbissimam. Quid dæmon habet, quo homines in suum vexillũ pelliceat? Estne ille diues? Est pulcher? Estne
Ierem. 2. blandus? Obstupescite, inquit Deus, cœli super hoc, & portæ cœli desolamini vehementer: me dereliquerunt fontẽ aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quę continere non valent aquas. Si homo natus fuisset, vt dæmonem coleret, non erat miraculũ, quòd illi seruiret. At natus est homo, vt summum bonum amando possideret. O quàm verè, inquit:
Ierem. 2. Nunquid seruus est Israël, aut vernaculus, quare ergo factus est in prædam? Quod si ignoranter, aut incautè in Syrtes has homo incideret, venia dignum crimen esset. Nunc verò admonemur, excitamur, terremur, vapulamur: vt dæmonis obsequia fugiamus. nec tamen est qui auellere nos à malo nostro queat. En dicitur nobis: Nemo potest duobus dominis seruire. Si alicui alij seruitis, à Domino discessistis. nec est tamen, qui à veterno excitatus, ad Deum suum accedat.

Vnum diliget Homines alij pij sunt: alij impij. Pius homo:
Deut. 6. Deum diligit, dæmonem odio habet. Deum enim pius diligit toto corde suo. At, qui diligitis Dominum, odite malũ.
Psalm. 96. Impius verò diabolũ sustinet, & Deũ contemnit. Pars ergo illa: vnũ diligit: referenda est ad iustos. Pars verò altera, Vnũ sustinebit, debet referri ad peccatores. Iam miraculi loco est, quod homo sustinere velit dæmonem: quem cœli sustinere
Isaie 14. nequiuerunt: nec sustinere poterat infernus. Infernus, inquit, subter, conturbatus est in occursum aduētus tui. Qui diabolum sustinet, iumentum est: quod super se iugum oneris, (id
Isaie 9. est, iugum onerosissimum) habet. Qui diabolum sustinet,
Ibidem. sceptrum exactoris sustinet. Quàm verò graue sit iugum hoc, quàm durum sit tale sceptrum, vel inde colligi potest, quòd solus Christus id rescindere, & ab humeris nostris áuellere potuit. Rursum inde colligitur, quòd anima nostra, alioqui in cœlũ nata volare, hoc pondere grauata, in infernũ ita demergitur, vt erigere se, & põdus excutere in æternum non possit. Iam si dæmon sustineri posset, Deo nõ contempto, ferri vix poterat: at omnibus lachrymis res digna est, quòd ita tuum pondus diligas, vt potius Deum cõtemnere,
quàm

suam pondus abijcere velis. Elegãter Dominus: quomodo si mulier, contemnat amatorem: ita Israël contempsit me. *Ierem. 3.* Profectò ingemisco, quòd Deus amator sit à nobis cõtemptus. Si amator est, nihil aliud queras. Quid enim non dabit, quid non faciet: imò quid non promeretur, qui amator est? Quis ergo est hic contemptus? Quis contemnens? Quæ porrò contemptus est pœna?

Non potestis Deo seruire & mammonæ. Igitur Mammõ, (qui diuitiarum nomine nuncupatur) Dei hostis publicatur. Inimicus Dei est. Si enim pro eo non est, contra eum est. Bel- *Marci 12.* lum ex nunc Christiani habeant cum auaris diuitijs, quibus & Deo nemo seruire potest. Dux, rex, & vexillifer noster, pauper est: inimicitias cum opibus habuit intestinas, adeò vt *Psalm 68.* in præsepe nasci, in cruce nudus mori voluerit. Qui igitur opibus cupit inseruire, ex pauperis Christi phalange exijt ad alterius ducis castra defecit. Sacra Christi mater dicit: Depo- *Lucæ 1.* suit potentes de sede, & exaltauit humiles, esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Quasi diceret: Christus exeruit dexteram suam, fecitque potentiam in brachio suo: dispersit superbos, deposuit potentes, euacuauit diuites. Igitur pugna inexorabilis est Christo cũ auaris potentibus, & diuitibus. Planè diuites & potẽtes ire in cœlum possunt: sed *Concil.* non ibunt, nisi auaritiam ex animo eiecerint. At quia diffi- *Gangren.* cillimum est opes habere exterius, & animũ pium interius: ideo rectè dictum est, Quàm difficile qui diuitias habent *Matth. 19.* regnum Dei possidebunt. Nunquã non male audijt auaritia, etiã inter Ethnicos, sed inter Christianos maximè: hi enim iubentur Christi vestigia sequi, & ita ambulare sicut ille am- *1 Petri 2.* bulauit. At ille nec vbi caput reclinaret habuit. Vnde igitur *1 Ioan 2.* hæc persuasio hominum mentes inuasit: vt Deo simul & *Lucæ 9.* opibus seruire se posse existiment? Firma stat sententia, Non potestis Deo & mãmonæ inseruire. Quæ sententia etiam si à Christo sancita non esset, ipsa eam confirmaret experientia, qui diuitijs seruit, eas vndecunque corradit, animum habet crudelem, nulli miseriæ compatitur: Vbi ergo charitas est? At in charitate proximi tota lex comprehenditur. *Rom. 13.*

Nolite ergo solliciti esse animæ vestræ. Dum mecũ tacitus hanc periodum expendo, difficilior apparet. Quid Domine, num prouidentiã dãnas? Num prudẽtiam humanã à tuis expellis? Quis est sapiens qui vel triticum in annum non recondat?

Ad hæc, prima responsio mihi occurrit gratissima, quòd

Dominus ſpeciatim cũ Apoſtolis, & prædicatoribus loquitur: Hi enim cum ſarcinam Verbi diuini vbique deferre debeant, liberi à curis eſſe debent. Ne penuriam timentes, ab officio prædicationis abſtineant. Hos vult Dominus eſſe ſecuros: ſiquidem eorum ſpecialiſſimã Pater habeat prouidentiam, & ipſi non poterunt huic officio plenè inſeruire, ſi curam victus & veſtitus ſibi aſſumant.

Secunda reſponſio etiam placet: Quòd ſi ad omnes Chriſtus ſermonem direxit, eius ſermo emphaſim habet. Similiterque fecit Dominus, ac faciunt, qui virgam recuruam in rectum flectere contendunt: in diuerſam partem eam reflectentes. Ita Dominus à cura ſecularium rerum, omnino nititur corda noſtra diuellere, vt vel hac ratione, minus illa curemus. Exẽplum huius habemus in præcepto de diligẽdo

Deuter. 6. Deo ex toto corde, anima, mẽte, viribus. Nemo ſanè eſt qui hæc efficere ad plenum poſſit. At facere iubemur, vt dum ad cacumen ex imo contendimus, ad medium ſaltem perueniamus. Ita nihil curare præcipimur: vt dum id præſtare conamur, minus nos cura ſollicitet.

Tertia reſponſio eſt. Huius præcepti virtus ex præcedentibus pendet. Nemo, inquit, duobus poteſt ſeruire Deo, & mãmonę. Ideo ſi ſollicitudo ſecularis à Dei ſeruitio auocare vos debet, præſtat nihil ſollicitum eſſe, non igitur veto vos eſſe ſollicitos: veto tamen eſſe ſollicitos, ſi hæc ſollicitudo Mammonæ ſeruire coëgerit.

Quarta reſponſio: Arbitror hæc verba Domini non eſſe præceptum, ſed ſolùm conſilium: non enim damnationis verba aliqua profert, ſed dulcedinis, & blanditiarum. Et cùm nimis durè loquitur, ita dicit:: Quanto magis vos modicæ fidei? At modica fides non eſt mortale peccatum, ſed

Matth. 14. noſtrę naturæ imbecillitas. Vt cùm Petrus validum ventum timet, & modicæ fidei taxatur.

Quinta reſponſio, quæ ſcholaſtica eſt: Planè vir de cœleſtibus ſollicitus, primò, & maximè: licet poſtmodum ſollicitetur de terrenis, non poteſt dici ſollicitus de temporalibus, ſolẽne ſiquidẽ eſt Theologis, quiduis à precipuo ſuo

1. Cor. 15. nominari. Sicut pij nominantur cœleſtes ſpirituales, diuini:

& Gal. 6. contra verò impij vocãtur puluis, terra, caro, atque putredo. Si igitur præcipua ſollicitudo tua eſt de cœlo, licet nonnihil ſollicitus ſis de terra, verè implesi hoc præceptum, ne ſollicitus ſis de eſca, aut de veſte.

Sexta

Sexta responsio est: Is reuera dicitur sollicitus de esca & veste, qui à sollicitudine, suum remedium pendere putat. At qui nihil omittit operæ, quo minus assequatur quod optat: expectãs tamen operæ suæ successum à Deo, is iactauit verè cogitatum suum in Dominum. Et hęc est conditio piorum. Planè Dauid dicit: Non enim in arcu meo speraui, & gladius meus non saluauit me. Saluasti nos Domine de affligentibus nos. Et alibi: Nec enim in gladio suo posséderunt terram, & dextera sua non saluauit eos: sed dextera tua, & brachiũ tuũ. At profectò pugnabat Dauid pro virili: pugnabant & Iudei. Sed quia non expectabãt fœlicem finem ex brachio suo, sed ex Deo: Ideo non dicuntur in gladio suo possedisse terram. Ita qui omnia necessaria facit, ad cibum assequendum, cum tamen expectãs à Deo, sollicitus dici nequit de esca, sed Deo. Hoc enim est, quod Psalmus dicit: Oculi omnium in te sperant Domine: & tu das illas escam, certè omnia recipiunt à Deo escam, non otiosa: sed nec sollicita. *Psal. 54.* *Psal. 43.* *Ibidem.* *Psal. 144.*

Septima respõsio. Fortasse Dominus nil aliud vetat, quam sollicitudinem in longissimum tempus. Sanè aues, & cætera animalia quærũt sibi cibum: at non in multum tempus: imò nec auara formica, nisi ad annum in horrea sua conuehit.

Nonne anima plus est, quàm esca? Sensus est vt arbitror: Si anima est plus quam esca, quęrite prius cibum animę, quàm escam, quæ est cibus corporis. Et si corpus est potius, quàm indumentum: quærite primum vitam æternam corpori, quàm vestem. Potiorum enim potior debet esse cura. Curate ergo primum, vt & anima, & corpus in æternum viuãt, quàm quibus temporaliter non moriantur.

Sed libet te Domine interrogare: Tu ipse dicis: Ego sum panis vitæ: tu igitur esca animæ es. Et Paulus dicit: Induimini Dominum IESVM Christum. Tu igitur vestis nostra es. Si igitur anima est plusquam esca, num est anima potior quàm tu? Imò & si corpus est veste melius, erit ne melius te, qui corporis nostri vestis es? An non dedignaris minor nobis esse? Planè sicut placuit tibi, minister noster esse, & inter nos versari nõ sicut qui maior est, sed sicut qui ministrat: ita & placuit hac ratione minor videri, quòd cibus & vestitus noster esses. *Ioan. 6.* *Rom. 13.* *Matt. 20.* *Luca 22.*

Respicite volatilia cæli. Rubore suffundor hoc Domini verbum audiens. Quid Domine, tam inscius est homo, tam ignarus & rudis, vt etiam à brutis addiscere debeat? Fa-

Genes. 2. est homo sapiens: ad imaginem siquidem Dei sapientissimi. Cur ergo à volatilibus cœli, vt à magistris, omniũ magister homo docebitur? Video iam, quòd homo qui in honore
Psalm. 48. erat, iumentum factus sit: & ita dignè ad bestias erudiendus mittitur.

Porrò consolabor meipsum: is enim qui me respicere volatilia iussit, ideo iussit, vt dũ in volatilia cœli oculos erigo, ad cœlum erigam: imò ad Deum potius, qui multo locupletius me docebit, quàm ipsa volatilia cœli docere poterant. Nec enim missus sum videre bestias terræ, ne scilicet deijciens oculos ad bestias terræ, terram spectarem: & à terrenis oculi detinerentur.

Iam te precor Lector attende: Nescio quid subolet mysterij. Solenne est, volatilia cœli dæmones nominare: nam
Matth. 13. Dominus dicit de semente, qui prope viã cecidit, Volucres, inquit, cœli comederunt illum. Et explicans quæ essent hæ volucres, dicit: Venit diabolus, &c. Igitur, volucres cœli dæmones sunt. Porrò certum est his, qui vel gustum sanctarum Literarum habent, quàm frequenter Dominus faciat, quæ
Iob 1. dæmones ab eo petunt. Petit dæmon locum tentandi Iob:
3. Reg. 22. Petit facultatem intrandi in porcos. Petit etiam vt decipiat omnes prophetas. Et Dominus fecit voluntatem eorum. Clarum verò est, quòd cùm facit quæ illi cupiũt, velut pascit
Genes. 41. eos: pascit igitur Deus coruos istos, qui canistrum cibis plenum, in capite pistoris Pharaonis, deuorare permittuntur. Audi nũc valentissimũ Christi argumentũ. Si, inquit, dęmones etiã, hostes Dei, Deus ipse pascit, non defraudans eos desiderijs suis, quãto potius pascet vos, sibi amicos & seruos!

Non libet hinc discedere, quin admoneam Lectorem huius verbuli: Si volatilia pascit Deus, quæ non seminant, quantò magis pascet vos seminantes? Textus enim ita dicit: Volatilia quæ non seminant pascit Deus, nónne pluris estis vos quàm illa? At profectò, si homo otio, & desidia torperet, non esset pluris quàm volatilia, imò longè minor: illa enim nunquam torpore & otio marcescunt. Quid enim ab homine alienius, quàm otium? Planè iustus Adam operari
Genes. 1. iubetur. Et peccator, non nisi in sudore vultus pane vesci
Genes. 3. permittitur. Et homo natus est ad laborem, vt auis ad vola-
Iob 5. tum: vt ergo quæ nunquam volaret auis, auis non esset: ita qui otiatur homo, nec homo est. Igitur efficacia rationis est: Si volatilia quę non seminant, pascuntur: quantò magis vos pasce-

Pascemini qui seminatis, meritis, & in horrea conuehitis?

Considerate lilia agri non laborant neque nent. Vt videlicet laborando, & nendo vestem quam habent conficiant: horsum enim loquitur de labore filandi, & nendi.

At vere locus dubij plenus est, cùm dicit: *Dico vobis neque Salomon in omni gloria sua, vestiebatur sicut vnum ex eis*. Quid? Non erat pulchrior Salomon gemmis fulgēs & auro: quam vile lilium agri? Regina Saba videns vestes Salomonis, & seruorum eius, præ admiratione stupet, nec in ea est spiritus num admisit spiritum lilia considerans? Iam si Salomon sapientissimus erat, cur non potius ex lilijs vestem contexuit, quàm ex gemmis & auro? Et demum, quis est, qui non pulchrius aurum dicat quàm lilium? 1. Reg. 10.

Ad hoc respondeo: quòd oculos fecit nobis cupiditas: quibus non quę verè sunt, pulchra credamus: sed quæ apparent. Si amas fœdam fœminam, pulchra tibi videtur. Et Cottæ Ciceroniano, lusci cuiusdam pueri oculi pulchriores videbantur, quàm nobiles Veneris oculi. Ita & auaris nobis, vestis ex auro, pulchrior videtur, quàm lilia campi. Elegāter Ambrosius taxat auaros, qui lubentius spectant aurū quàm Solem. Si tibi oculi essent sani, in lilio spectares Dei artificis manum: in veste aurata manum hominis, qui eam texuit, videres. Quantoque tibi gratior esset Deus homine, tanto pulchrius videretur lilium, quod pinxit Deus: quàm vestis quam texuit homo. Profectò Spōsus Deus, nihil ferè habuit, quo pulchritudinē sponsę laudaret accuratius, quàm dicens: Sicut lilium inter spinas, ita amica mea inter filias. Demum nō ea pulchra, aut decora iudices: quæ contēpsisse, & fugisse, decorum, & pulchrum est. Memor esto Publicolas illos, Valerios, Attilios, & Cincinnatos diuitias viriliter despexisse. Cantic. 2.

Maius dubium est quod me torsit: Cur Dominus cùm proposuisset pulcherrimas lilij vestes ad fœnū agri transcurrat? Cur non dixit: considerate lilia, quæ si ita Deus vestit, quanto potius vos? Sed relictis lilijs ad fœnum descēdit. Ego credo mysterium subesse. Apertum est, lilia cāpi pios significare: Sicut contra fœnum significat impios. Sponsa enim dicitur lilium & omnis caro fœnū, hoc enim fœnū est, quod hodie est: & cras in clibanum inferni mittendū erit. At, non erat grande argumentum: Si Deus lilia, id est, pios vestiret. Maius multo est, si etiam impios sic vestiat: Argumēti ergo virtus est: Considerate lilia, quæ piorum vicem obtinent, Isaiæ 40.

quàm pulchrè vestiantur à Deo. Cõsiderate etiam infideles: qui fœnum sunt, citò in infernum mittendi. Cùm igitur hos Deus ita diuites reddat, quanto magis vos.

Ex his facilè colligere licet, quàm verū sit, quod si per lilia iusti intelligantur, nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur, sicut vnum ex his lilijs, vestis siquide nuptialis quā iusti
Matth. 22. vestiũtur, & stola illa prima, quā pater veniẽtes ad se induit
Lucæ 15. longè præcellit Salomonis vestes, quantumlibet pulchras.

Rursum collige, quàm sit verum quod fœnum hodie est,
Hebr. 13. & cras in clibanum mittitur. Impij enim hodie tãtum sunt. Pij hodie & cras, sicut Christus est hodie, & est in æternum.
Sap. 5. Sed impij hìc viuunt, postea morituri. Elegãter, licet dolenter, impij in inferno dicunt: Nos nati, continuò desiuimus esse, vnicum enim diem vixerunt: quem diem non cupiuit
Ierem. 17. Sanctus ille, cùm dixit: Diem hominis non desideraui, tu scis Domine. Vt igitur hodiernus dies breuis mora est: ita &
Iob 13. breui impij vixerunt, homo enim natus de muliere breui viuit tẽpore. O verò rem eximiè horrendā: Cras in clibanum mittitur. Vbi impius ita possidebitur ab igne, vt possidetur fœnum, cùm in clibanum conijcitur, penetrat mors intima
Psalm. 48. viscera mali, mors enim depascet eos. Vide verò firmitatem impiorum, qui nunc comparantur fœno, nunc paleis.

Quantò magis vos modicæ fidei? Iudicio meo graue, imò & grauissimum probrum est, cùm dicitur modicæ fidei. Video non esse peccatum mortale: sed video nihil viro fideli, ferè dici posse, quod grauior sit contumelia: quàm quod modicæ
Abac. 2. fidei sit. Sanè si iustus ex fide viuit: quatenus fides est initium salutis, fundamentumq́; & radix totius vitæ spiritualis (vt ex Concilio Tridentino docemur) apertè fit, si modica fides est, modicam, etiam esse salutem. Vbi enim radix tenuis est, necesse est totam plantam tenuem esse. Solenne est
Tho. 22. Theologis quod fides per alias virtutes, actus omnium vir-
q. artic. 1. tutum exercet, sicut solet manus, per digitos, at si debilis est manus, necesse est debilia esse opera ex digitis prodeuntia.
22. quæst. Eleganter, inquit Thomas, ad fidem spectare lucem in intel-
5. artic. 4. lectu, promptitudinem, deuotionem, & confidentiam in affectu. Si igitur fides est exigua: necesse est, lucem exiguam esse, deuotionem, & confidentiam modicam. Si hæc exigua sunt, quid magnum in nobis esse potest? Demū si Dominus
Lucæ 18. dicit: Fides tua te saluam fecit. Vbi exigua est fides: necesse est, salutem extenui filo pendere. Et quidem rem hanc ipsa consi-

confirmat experientia, quot enim naufragium patiuntur in fide, quia prius eam habuerunt exiguam? At nos fide contenti minore, quàm illa, cui hic Dominus (vt exiguam) exprobrat, confidimus, & securi iacemus.

Est verò graue dedecus quod Deo inurimus, quando modicæ fidei sumus: grauissime enim vir probus lædisse putat, cũ modicã in illo fidẽ habemus, quãtò Deus lędetur grauius?

Hæc enim gentes inquirunt. Gentes non habent patrem Christum, nihil ergo mirabimur: si patre destituti, sua solicitudine sibi consulant. At pater vester est Deus: qui vult, vt de vobis non solicitemini.

Item gentes, quia peccatores sunt, minores sunt quàm huius seculi bona. Si enim peccator nihil est, minus sanè est, quam id quod aliquid est: non ergo mirandum, si minora appetant, & quęrant eas res quę maiores sunt. At nos tantò sumus cibis, potibus, & vestibus maiores, quantò sunt humanis diuina maiora. Quærant igitur nos cibi & vestes, nos non ea quæramus.

Rursum qui nihil habent in cœlo, nihil mirum, si toti quęrant terram: gentes spem non habent, non habent in cœlo 1. *Theff*. 4. repositam meliorem substãtiam: ideo quærant sibi terrena. *Hebr*. 1. Nos verò thesaurum, redemptionem, & iustitiam habemus 1. Cor. 10. in cœlo. Cur ergo secularia curamus?

Adde. Qui nullam in futuro seculo habituri sunt requiem, nihil mirum si hic satientur. Qui enim non habent in terra promissionis panem, descendũt pro cibis in AEgyptum. At *Genes*. 42. nos quibus parata est in cœlo mensa. quibus disposuit Pater *Psalm* 22. regnum, vt edamus, & bibamus: qui potãdi sumus ex fonte *Lucæ* 22. dulcedinis, imò de torrẽte voluptatis. Quib⁹ ea parata sunt, *Psalm*. 35. quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor ascende- *Isaiæ* 64. rũt: cur hic cepis, & alliis, & AEgyptiorũ carnibus satiemur?

Demum quibus seruilis conditio est, nihil mirum si nihil *Num*. 11. aliud tractent quàm terram. At qui filij sunt, qui in sabbato sunt delicato: indignum est si terram, & nihil aliud tractent. *Isaiæ* 48.

Scit enim Pater vester, quòd his omnibus indigetis. Et scit, quòd propter eum indigetis: eius enim amor fecit, vt hæc omnia relinqueretis, & eum sequeremini. At esset crudelis Deus, si curam non haberet eius, qui propter cultum Dei, curam abiecit sui. Si igitur cura & solicitudo cibi & potus eum vexarit, qui propter Deum omnia reliquit, dicat sibi, quod dicit Elcana vxori suæ Annæ, tantopere de sua sterilitate solicitæ:

Nunquid non melior, inquit, ego tibi sum, quàm decē filij?
1. Reg. 1. Ita planè dicam ego: nunquid non melior mihi Deus est, quàm omnis cibus & potus? Profectò qui credit suas Deum scire miserias, & non sperat diuinū adiutorium, iam fatetur se esse in inferno damnatū. Damnatorum enim miserias & calamitates nouit Deus, & perpetuò illis subuenire recusat.

Sed vigilantissimè Lector aduerte, Deus pater vester scit, quòd his omnibus indigetis. Deū immortalem? Quid? Non est Pater Deus illis, qui omnibus non indigent? Solumne pater est ijs, qui his omnibus indigent? Num non erit pater diuitum, qui cibos, potum, & vestes habent? Equidem non est Pater diuitum: nisi parati sint propter Deum (cùm oportuerit) pauperes esse, & victu & vestitu indigere. At Pater Deus est diuiti, qui plus vult dare, quàm habeat: quiq; nonnunquam indigere vult, vt alij non indigeant.

Rursum aduerte: Scit Pater quòd his omnibus, nempe cibo, potu, & veste indigetis. Igitur viri pij his solis indigēt.
2. Tim. 6. habentes enim victū, & quibus tegamur, his cōtenti sumus. Verè Deus pater est corū, qui victu & vestitu contenti sunt, reliqua contemnentes. Nec enim ferè contemnere potest hæc ima, nisi qui iam fruitur summis.

Quærite ergo primum regnum Dei. Quasi dicat: Agnoscite opes & diuitias regni diuini. Agnoscite vos illis esse natos. Agnoscite quod nisi regnum quæratis, in infernum trudemini. Agnoscite, quòd si id quæratis: reliqua omnia quæ quæritis, erunt vobis adijcienda. Quærite, inquit, regnum,
Psal. 144. non quodcunque, sed regnum Dei. quod est regnū omnium seculorum: id est, quod diuitias, delitias, & honores, (quæ omnibus fuerunt seculis) in se cōprehendit, vt è manu eripi possint: sed in æternum possidebit, qui ea semel habuerit. Quærere iubemur illa bona, quæ regnum Dei sunt. Nihil dici potuit excelsius, quàm regnū Dei. Vt nescias quid mirere prius, aut Dei largitatem, qui in regnum suum hominem asciuerit: aut hominis stuporē, qui ad tantam promissionem languet, nihilque mouetur. Ego verò ex duplici capite stupeo. primùm quòd nihil regni diuini splendor nos moueat, etiam pœnis inferni conteritos, nisi tantas opes quęramus. Alterum, quòd cùm ad assequenda secularia bona, via proposita sit certa, facilis, & aperta, scilicet si quęramus regnum Dei: nos ne regnum quęramus, sponte caremus secularibus, quæ alioqui tantoperè quærebamus.

Sed

Sed causam huius iam teneo: Saul cùm audit se regno Hebræorum potiturum, nihil mouetur: imo Samueli rem tantam promittenti, inquit: Nunquid non filius Iemini ego sum, de minima tribu, & de minima cognatione in Israel? Quare ergo loquutus es mihi sermonē hunc? Quasi diceret: Non hæc ad me pertinent. At is qui riserat verbū de regno, vbi insiluit in eum spiritus Domini, regium animū induit: nihilque, nisi regium conficere cœpit. Ita & nos cùm homines tantum sumus, nihil ad nos regnum Dei pertinere putamus. Sed cùm primum in nos Spiritus Domini insiluerit, intelligemus nostram dignitatem, & nihil regio nomine indignum facere tentabimus. 1. Reg. 15.

Sed mouet forsan te, quòd hic Dominus promittit Hæc, inquit, omnia adijcientur vobis: at multis seruis Dei hæc non videantur adiecta. Quod & agnouit Paulus, dicens: Circuierunt in melotis egētes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. Imò in se est expertus Apostolus, cùm dicit in fame, & siti, in ieiunijs multis, in frigore & nuditate. At quis Paulo regnum Dei quæsiuit vehementius? Hæc cùm vident imperfecti, potius sollicitudini suæ se committunt, quàm promissioni diuinę. Sed à te Lector inquiro, quísnam dicetur cibum habere: qui cum cibo quem habet, dolet, an qui cum cibo quo caret, gaudet? Planè cibus quæritur, vt animus cibo contentus sit: qui igitur fame contentus est, is magis habet, quàm qui cibo contentus esse nescit. Hæc est igitur diuina prouidentia, vt si regnum quæras aut cibus tibi adijciatur, aut (quod est cibo maius) animus, scilicet sua sorte contentus. Audi Apostolum: quem fame, siti, & nuditate confectum proponebas. Non quasi propter penuriam dico: ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse. Scio humiliari, scio & abūdare. in omnibus institutus sum, & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati. Da tu mihi hunc animum, & ego tibi regias opes relinquo. Hebr. 11. 2. Cor. 11. Philip. 4.

Et aliud etiam aduerte: Non quærit regnum Dei, qui reliqua superflua quærit. Quòd si necessaria quærit hæc ferè vbique parata reperiet. Eleganter Dominus: Cùm misi vos sine sacculo & pera, num aliquid defuit vobis? Respondent illi, Nihil. Pauca enim illi quærebant, quæ vbilibet obuia inueniebant. Lucæ 22.

Nolite ergo solliciti esse in crastinum, crastinus dies sollicitus erit sibi: sufficit diei malitia sua. O vtinam tantum apud nos

Sap. 7. ratio valeret, quantũ impotens cura valet. Ratio dicit: Vita nostra vapor est, fumus est, sagitta volans est, nauis cursus est, memoria hospitis vnius diei est. Cur ergo in tam breue tempus tanta nos cura solicitabit? Quod si etiam longissima vita futura sit, annitẽdum nobis esset, vt quam minime curis & anxietatibus grauaretur. Satis sunt ea mala quæ inuitis nobis, nostram vitam lacessunt, impugnant, & expugnant. Cur ergo libentes, alia præterea mala, (velut onus oneri) inijciamus? Vehementiùs nos curæ exagitant, quàm ea quæ vulgò magna mala censentur: cur ergo ea quærimus, quæ nos adeò pungunt?

Illud dignum expensione est: Sufficit diei malitia sua. Quænam hæc malitia fuerit? Sanè iustitia regni diuini est
Deut. 6. vt Deum toto corde, anima, mente, memoria, fortitudine, & viribus quæramus. Ita enim sancti in cœlo, nihil aliud tractant, & nihil aliud erat tractari dignum: iustitia enim exigit, vt Deus ita colatur. Cùm igitur dies quibus viuimus,
Genes. 47. hoc iustum nos vetent implere, planè mali sunt. Malitia enim est iustitiam vetare. Si ergo dies hodiernus suis necessitatibus auocat nos, ne iustum Deo impendamus, cur curas dierum sequentium assumemus, quibus magis à iustitia ista
Genes. 1. recedamus? Antequam peccasset homo, vidit Deus cuncta,
Genes. 2. quæ fecerat: & erant valde bona. Proferebat enim terra homini (non otioso, sed operanti) cibos necessarios, sine
Genes. 3. tamen hominis cura. Post peccatum verò, agnouit homo bonum, & malum. Diesque mali & pauci etiam apud iustos
Gen. 47. inuenti sunt: vt non nisi cum cura & angustia panis noster
Genes. 3. sit vescendus. Christus igitur reparator innocẽtiæ, præcipit, vt si in sudore panis sit vescẽdus, vescamur tamen sine cura, sicut Adam vescebatur.

Matth. 18. Iam si est necesse, vt veniant scandala, ita vt non possimus peccata omnia cauere, se i peccandum est contra fratres, aut contra Deum: an non dies mali sunt? Adeò mali vt sat sit eis malitia sua.

Quòd si malum valet pro laborioso, ô quàm mali sunt dies nostri, quamque omni labore plenissimi! Siquidem in eis Deum amare debemus, & timere, corpus nostrum castigare, & fouere, proximum diligere & cauere, infernum expectare & vincere, pœnas amplecti & superare.

CAPVT

CAPVT VII.

Nolite iudicare, & non iudicabimini.



Ggrediar locum hunc, vbi rogatum habuero Lectorem, prius cūcta percurrat, quam quidpiam damnare præsumat. Ea igitur in primis dubitãdi ratio se offert: Cur Dominus iudicare vetuerit: Siquidē ipsemet instituit Apostolos, Ecclesiæ suę iudices, dicens: Sicut misit me Pater, mitto vos. Quodcunq; solueritis, aut ligaueritis super terram, solutum, aut ligatum erit. & Paulus iudicat Corinthium, Petrus Ananiā, & tandem de fide est, ligari in cœlo, quæ iudices Ecclesiæ rite ligant in terra. Ioan. 16. 1. Cor. 5.

Ad hoc prima responsio fuerit, Apostolus inquit: Nihil damnationis est, iis qui sunt in Christo. Cuius ratio est, quia sicut in Adā omnes moriuntur: ita in Christo omnes viuificantur. Ipse etiā habet, quod Christiani sunt iustificati gratis per gratiam Dei, & per redemptionem Christi. Planè multò plures iusto sunt mali Christiani: At Christianitas ex se, ex suaque ratione facit suos cultores, bonos, pios, in quibusq; nihil sit damnationis. Christianitas enim regnū cœlorū est, quod iam in nos appropinquauit. Vt igitur in regno cœlorū nulli penitus sunt mali: ita in Christianitate ex sua ratione, nulli deberēt esse mali. Vt qui iam mortui sunt peccato, non ei amplius victuri. Cōsepulti enim sumus, vt in nouitate vitę ambulemus. Iā vbi nulli sunt mali, nulli plane sunt iudicādi. Lex enim iusto nō est posita, sed iniustis, nō subditis impijs & peccatoribus. Si quis verò iustos iudicet, vt malos, planè is sibi damnationem acquirit. Nolite ergo, inquit, iudicare, quia nemo ex vobis esse deberet iudicio dignus. Exemplum accipe. Est monachorū conuentus strictissimus religioq; & obseruātia grādis. Si in eorū domū quis te introducat dicet: Caue quempiā monachorū rideas: caue iudices, viri sunt sancti, & probatissimæ vitæ. Ita futurū erat inter nos, sumus.n. regale sacerdotium, gens sancta, dilecti Dei, & vocati sancti. Rom. 8. Rom. 5. Rom. 3. Matth. 4. Rom. 6. 1. Tim. 1. 1. Petri 2. Rom. 1.

Secunda respōsio. Equidē verissimū est, nihil esse dānationis his qui sunt in Christo, si nō secundum carnē ambulant. Sed quia perspiciebat Dominus multos futuros qui secundū carnem ambularent, cur dixit: Nolite iudicare, & nō iudicabimini? Rom. 8.

bimini? nũ iudicabitur, qui fornicariũ, talẽ esse iudicauerit?

Psal. 84. Responsio: Vult Dominus Christianos suos conuerti ad cor. Loquitur enim pacem in plebem suam Dominus, non in quosuis, sed in sanctos. Si roges, Qui sunt hi? sanè sunt qui conuertuntur ad cor suum, in corde suo habitantes, vbi in-
Lucæ 17. terior homo est, vbi habent regnum cœlorum, quod intra vos est, dicit Dominus. Quia igitur oculi viri spiritualis, toti vident se: nihil curantes, reliqua cuncta videre, ideo nihil
Ierem. 17. iudicant. Et propterea nõ iudicantur. Certè prauum est cor hominis: qui igitur sui infirmi cordis plagas curare contendit, nihil curat alienas. Sensus ergo Domini est: Si tua tantùm exactè curaueris, alios non iudicabis.

Tertia responsio: Sciebat quidẽ Dominus, futuros multos
Gen. 34. exteriores homines: qui cum Dina interius nesciunt latere. Ideo posuit Apostolos qui iudicarẽt: at admonuit eos prius, quale esset ingeniũ charitatis, quæ si iudicat, coactè iudicat. Nolite ergo iudicare. Nullũ lapidẽ non mouete, antequam iudicetis. Videte Deũ, qui cupiens seruare mundum, quem iudicare iure meritò poterat, mille quæsiuit remedia, mille
Ioan. 3. excogitauit artes, ne iudicaret. Non enim venit Filius homi-
1. Cor. 13. nis, vt iudicet mundum, videlicet quia charitas, quam venit Christus accendere, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Grauatè igitur ad iudicandum mouetur. Qui verò animo crudelis est, damnationes & tormenta desiderans, hic nescit cui spiritus sit.

Lucæ 9. Quarta respõsio eademq; acuta: Solũ cum illis Dominus loquitur, qui apertos habẽt oculos, vt festucas alienorũ oculorum perspiciant. Profectò festuca, palea est minutissima, videriq; vix potest: nisi is qui eã in oculo patitur, admoneat te quòd intus eam habet. At sunt malè feriati homines, qui has festucas nitantur videre. Hos nocentissimos homines Dominus alloquitur: Ne, inquit, iudiceris. Ne dicatis, Sine, eijciam ab oculo tuo festucã. Pestilentissima pestis est, etiam minimas labeculas fratrum nostrorũ curiosè peruestigare. Etiã si eas inuestiges ad eruendũ: quantò potius erit pestis, si eas educas ad reprehendendũ, & calumniandum. Reprehendit Dominus eos, qui festucas vidẽt ad sanandũ: quanto potius reprehendat, eos qui eas vident ad amplius figendũ.

Quinta responsio: Admonentur carnales homines, qui peccatorum mortalium trabes in oculis habent, ne de vita spiritualium hominum iudicent. Explicatius id dico: Admonentur

nentur Prælati, & confessores, ne si carnales sint, cõfessiones virorum spiritualium audiant: vt de eorum infirmitatibus iudicẽt. Ea enim quæ infirma in eis sunt: fortiora sunt, quàm illa quę, vt fortia, carnales exercẽt. Ideo enim Petrus futurus omniũ pastor, interrogatur: an plus omnibus amet. Neque enim festucas omnium euellere debet, qui non est omnibus sanctior. Igitur de trabibus iudicare quiuis poterit: de festucis verò non nisi qui liber à trabibus est. *Ioan. 20.*

Sed interim aduertat qui festucas habet, aduertat, inquã, vir, qui spiritualia tractat: ne confessorem suum, aut Prælatum despiciat, etiam festucam aliquam in oculis habentem. Sat viro spirituali sit, confessorem habere, trabem in oculis non habentem. Non enim Dominus dicit: Hypocrita eijce primum festucam ab oculo tuo. Sed eijce primum trabem ab oculo tuo, & ea eiecta videbis eruere festucam. Igitur in iudice (vt benè iudicet) requiritur sanctitas, à trabibus libera: non verò requiritur mundities à festucis pura. Rara enim auis est, omnino à festucis aliena: multo verò rarior, quæ cum scientia (ad iudicandũ necessaria) nõ coniunxit aliquot festucas, quas scientiæ ventus, inflans, secum attollit. *1. Cor. 8.*

Sexta responsio est. Si quis nouit verbum Domini: Quod *Matth. 25.* vni ex his minimis fecistis, mihi fecistis: nouit etiam, quòd iudicans fratrem, Christum ipsum iudicat. Est enim quiuis nostrum membrum Christi, frater Christi, & anima cuiusuis *Rom. 12.* nostrum sponsa est Christi. Quis ergo adeò desipiat, vt Christum, & res tãtopere Christo dilectas, iudicare velit & damnare? Dauid dixit ad Abiatar, Qui quæsierit animam tuam, *1. Reg. 22.* quæret & meam. Ita quiuis nostrũ putet se à Christo audire: Qui quæsierit animã Christianorũ, & animam meã quærit. At nescio quid horroris habet, ipsum Dominũ velle dãnare.

Septima, quartæ similis responsio est: Non damnat hic Dominus eos qui de alienis trabibus iudicare pergunt. Sed eos qui de festucis sollicitãtur: ac tãtopere dãnant, vt necesse putẽt eas ab oculis euellere: ac si ipsæ festucæ per se ab oculis non dilabantur, aut qui habẽt, euellere minimè sufficiant. Si trabes priuatus iudicas, operam perdis: sed non adeò contra te Dominus excandescit. At quòd festucas damnes: quodq; *Marci 9.* credas, esse necesse eas ab oculis eruere: quodq́ue nemo nisi tu, eijcere sufficiet: id sanctitatis est & ignorantissimæ, & arrogantissimæ. Festuca est quòd discipuli illotis manibus manducent: quodq; cum sponso suo non ieiunent: quodq́ue *Marci 2.*

sabbatis

sabbatis spicas euellant. At tu Pharisæe hæc iudicas & damnas: nõ pateris eas esse in discipulis: aut nõ credis discipulos eiecturos cum fuerit necesse, hoc dãnat Dominus. O secula nostra hoc Pharisaismo plenissima, in quibusdam festucis euellendis sumus toti: crimina maiora non curamus.

Qua mensura mensi fueritis. Sensus est: Si charitas est mensura qua aliena opera mensuratis: charitas erit, qua vestra
1. Petri 4. mensurabũtur. Igitur charitas multa dissimulat: operit enim multitudinem peccatorum, & quæ non amantibus peccata videntur, amantibus aut bene, aut certè non male videntur. Quòd si reuera mala sunt, charitas amanter corripit: & si necesse est, dolenter magis quam inimice castigat. Hæc est charitatis mensura. Hac Deus metitur piorum opera, plura enim hi faciunt: quæ oculis nostris mala videntur, Diuinis
Gen. 27. tamen vere probantur. Vt furto sublata benedictio Iacob,
1. Reg. 15. furens in Agag vindicta Samuelis, & alia. Idque magnum solamen sit sanctis hominibus, quòd multa admodũ faciunt opera: quę si a malis fierent, vt crimina damnarentur à Deo: sed quia à pijs fiunt, non damnantur, sed forsan coronantur
Exod. 2. ab eo. Occidit Moses AEgyptium, & in sabulo abscondit.
Num. 25. Occidit Phinees fornicantes: an non hæc crimina videri possent? planè. Sed zelo Dei facta, charitas Dei suscipit. Quòd si etiam mala sunt quæ iusti faciunt, corripit & punit Deus: at non in furore corripit & punit, sed in multitudine miserationũ suarum. Hac ergo mensura metitur pios Deus. Impij vero, timeo dicere qua mensura mensurentur à Deo.
Psal. 17. Sed dicit Psalmus: Cum sancto, sanctus est Deus: sed cum peruerso, peruersus est. Humiles enim saluos facit, sed ocu-
Psal. 108. los superborũ humiliat. & alibi: Dolosi iniquitas inuenitur ad odium. Imò non modò iniquitas eorum inuenitur ad
Isaiæ 1. odium: sed & neomenias, & sabbata eorum odiuit anima Dei, & oratio eorum sit in peccatum. Et sicut impij pios
Sapien. 5. riserunt & subsanauerunt dum viuerent: ita Deus in eorum
Prouer. 1. interitu ridet & subsannat, dum illis quod timebãt acciderit. O verò rem vehementer & timendam, & deflendam: quòd Deus in nostro interitu rideat, & subsannet.

Quid autem vides festucam. Quatuor mirabilia in hoc textu considero. Primum quod in oculo alicuius hominis esse trabs possit. Secundum, quod qui trabem habet, eam non eijciat. Tertium, quod qui trabem habet in oculo suo, festucas in alienis oculis videre possit. Quartum, quòd habeat

habens in oculo suo trabem, festucam ex alieno oculo velit eijcere.

Redeo ad primũ, quòd trabs sit supra hominis humerũ, frequẽs est: at impossibile videri potest quòd trabs in oculo sit. Num oculus locus trabis esse potest? num oculus tam exiguus: trabis, (quæ res est grandis & grauis,) poterit esse capax? Planè tam est oculus capax trabis, quàm anima peccati mortalis. Quis credere posset, quòd in animam incidere posset peccatum: quod talento plumbeo grauius est. Quòd tam grande est, vt supergrediatur caput hominis, dicente Dauid: Iniquitates meę supergressæ sunt caput meũ, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. Longè minus idonea est anima peccato mortali, quàm oculus trabi grauissimæ. Rectissimè Dominus trabem dixit in oculo: vt intelligeres minus cõuenire animæ peccatũ, quàm trabem oculo. Quis, inquit Iob, gustare potest, quod gustatum affert mortem? Si stupes quòd trabs sit in oculo: stupent cœli, & eius portæ desolanter vehemẽter, quòd peccatum sit in anima. Obstupescite, inquit, cœli, & portæ eius desolamini vehementer. Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquarum viuentium, &c. Imò & ipse Deus (si fas est dicere) stupet, dicens: Nunquid seruus est Israel, aut vernaculus? quare ergo factus est in prædam? Dominus ergo per trabem in oculo, peccatum intellexit in anima. *Zachar. 5.* *Psalm. 37.* *Iob 6.* *Ierem. 2.* *Ierem. 2.*

Iam secundum miraculum sequitur. Si trabs incidit in oculum, quomodo cum trabe quiescere oculus potest? Si festucã oculus pati nequit, quomodo trabẽ pati potest? Imò quod longè mirabilius est, si miseria animæ nostræ peccatũ mortale suscepit: quomodo cum illo perdurat? infœlicitas fuit, hosti portas turris aperuisse: sed summa admiratio est, hostem interius velle retinere. Peccatum est infirmitas, est pestis, est mors animæ. Peccatum est inimicitia cum Deo, est inobedientia, & quædam proditio contra Deum. Peccatum est egestas à Deo in domo impij. Peccatum est fames quâ filius prodigus consumitur. Peccatum est omnia mala, sicut cum gratia veniunt omnia bona. Demum peccatum animæ est, quod trabs oculo. Quomodo igitur tã familiariter cum peccato anima viuit? Manus Israel sub cophino seruiunt in Aegypto, cur manere vult in Aegypto? Cur animæ placet domus horroris, & vastæ solitudinis, qualis peccatũ est? via illorũ (id est, peccatorũ) est scandalũ ipsis, ipsi verò in ore suo *Prouer. 3.* *Lucæ 15.* *Sapien. 7.* *Psal. 80.* *Deut. 32.* *Psal. 40.*

compla-

Psal. 140 complacebunt. Habent ossa sua dissipata secus infernum, &
Num. 21. non discedunt. A viperis mordentur, nec remedia quærunt?
Genes. 35. Quod tandem est hoc peccati veneficium? perdidimus primogenita, & paruipendimus. Adeò excantandi præsentem peccatum vim habet.

Isaiæ. 28. Quòd si miraris hominis fœdera cum peccato & cum inferno: iam nescio an miraberis, quòd trabē peccati habens, videre festucam in oculo alieno possit. Qui trabem habet in oculo exoculatus est. Qui alienā festucam videt, acutissimè videt. Quomodo ergo oculis carens, acutissimè videt? Profectò oculus trabem sustinens, non oculus est, sed calybs & adamas. Quomodo igitur calybeus oculus videt: cū ferreus oculus, fictus potius oculus sit, quàm verus? Si hæc admiraris, adde multò maius miraculum: quòd mortalium nemo videre festucas soleat, nisi qui trabes habeat. Qui enim trabe
1. Petri 4. carent, charitatem habent. At charitas cùm operiat multitudinem peccatorum, hásce festucas non videt. Neque enim
1. Cor. 13. cogitat charitas malū, vt de fratre sinistrè suspicetur. Oculi
Genes. 3. Adam innocentis non videbant nuditatem, nocentis verò
Genes. 3. nuditatem conspexerunt. Oculi Adam innocentis solum sciebant bonū: nocentis verò, sciunt & bonum & malum,
1. Reg. 14. sed potius malum. Dauid non mittit manum in Christum Domini, & cùm fortè discidit oram chlamidis Sauli, dolet vehementissimè. At Philisthæi nihil Saulem morātur. Doeg
1. Reg. 22. Idumæus irruit in Sacerdotes Domini, pij verò Saulis serui nolunt in eos extendere manus. Itaque viri iniqui trabem habētes, oculos & manus, & gladium in seruos Domini so-
1. Reg. 6. lent inijcere. Meminerint viri proximorū scrutatores, quòd Bethsamitarum quinquaginta millia percusserit Deus, eò quòd vidissent arcam Dei. Id est, quia scrutati sunt arcæ interiora. Igitur peribimus & nos, si scrutabimur interiora oculorū quæ sunt in fratribus nostris: nam verius anima sancta arca Dei est, quàm arca illa vetus: & multo interior est intentio hominis in anima, quam vrna, & virga in arca. Vide verò exitum Iudæ festucam in oculis Christi videre volētis.

Matt. 26. Vltimum quod mirabar, illud erat, quòd habens in oculo trabem, fratri dicat: Sine, eijciam festucam ab oculo tuo. Stulte cur te idoneum iudicas festucæ eruendæ, cùm trabem habeas? aut cur ita desipis, non intelligens, quàm te festucam habēs ridebit, & dicet: Túne in me festucā vides? Túne etiā si videres, eijcere posses? tibi ne, etiā si posses, oculum meum

ego permitterem? & quamuis me tibi cōmitterem, an non erat æquius, te tibi trabem, quàm mihi festucam eruere? Frequenter planè in mētem meam venit: quàm multi sint confessores indocti: an nō his diceret Christus: Hypocrita eijce primum trabem ex oculis tuis? Contrà verò quàm grauatè viri pij & docti hanc fugiant functionē. Rursum, qui trabem habent, episcopatū desiderant. At qui irreprehensibiles sunt, (vt fere nec festucas habeant) hoc munus abhorrent. Quid igitur est? qui trabem habet, putat se festucas euellere posse: qui verò nec festucas fere habet, indignum se putat vel trabibus eruendis? 1. Tim. 3.

Minimè ab hoc loco discedam, nisi vnum aut alterum addam. Primum indicauit Dominus, cùm peccata festucis, & trabibus comparauit, quam impatiens peccati anima nostra esse debeat. Sanè, quā est oculus festucæ, & trabis impatiens tenerrima res est oculus, vt vel à minutissima re lædatur, & adeo lædatur, vt & lachrymas effundat: multo tenerior res est anima, vt vel ab exiguo peccato, incōmodetur. Sentiunt piæ animæ quod dico, bonarum enim mētium est agnoscere, dolere, & flere eas tam leues culpas, quæ vix culpæ sunt. At sunt multæ animæ, quæ cū leonibus, vrsis, & draconibus peccatorum iucundè commorantur. Sicut & oculus mortuus, facilè & festucas sustineat, & trabes. Sed non ita Dauid cùm dicit: Iniquitatem meam agnosco, & peccatum meum contra me est semper. Psalm. 50.

Alterum est: Trabs & festuca vtraque ad ignem nata est. Ita peccatū ad ignem inferni nascitur. Festucas verò (quam Paulus fœnum & stipulam nuncupauit) non ita nascitur ad ignem: sed qui eam in oculo habuerit saluus erit, sic tamen quasi per ignem. 1. Cor. 3.

Nolite sanctum dare canibus. Hactenùs Christús sermonem fecit, contra eos qui trabem habet in oculis. Nunc verò eos alloquitur qui sanctum habent: quíque margaritas habent, & ideo & sancti sunt, quia sanctum possidēt, quod alijs dare gestiunt: & diuites sunt, qui nō solum eas habent, sed etiam cōmunicare desiderant. Profectò diues est, qui tot margaritas haber, vt & porcis velit ex eis cibū preparare. Sanè quia charitas diues est, & non quærit quæ sua sunt, nec enim sua sibi abscondit, sed omnibus se est dare parata. 1. Cor. 13.

Iam ingens occurrit dubitatio, cur Dominus prohibuerit sanctū dare canibus? Planè ipse sanctus est & sanctitas ipsa:

at ipse se Iudę dedit in Eucharistia, à quo vt à cane breui erat
Lucæ 22. lacerandus. Imò ipse tradidit se in manus canum. Sic enim
Psalm. 21. ait, Circundederunt me canes multi: & cùm se à canibus
Ibidem. lacerari videbat, dixit: Erue de manu canis vnicam meam.
Quòd si per sanctum non dandum canibus. Euangelium
intelligas, planè Euangelium etiam canibus dādum est, dixit
Mar. vlt. enim Dominus: Ite docete omnes gentes: quas cōstat fuisse
Matth. 15. canes, teste Domino, qui dixit Chananæa: Non est bonum
sumere panem filiorum, & dare canibus, & profectò Euangelium
rete est, quod mittitur in mare. Vbi nullus delectus
Matt. 13. habetur, congregat enim rete hoc ex omni genere piscium.

Ad hoc dubium prior responsio clara est: Neque Euangelium, neque sacramentum, neque bonum aliquod verbum dari debere, ijs canibus, qui nos à Deo & ab ecclesia disrumpent. Itaque si periculum est, quòd infidelis aut iniquus corrumpet me, disrumpet à gratia Dei: huic cani ego non dabo sanctum meum, huic ego non proponam fidem meam, cùm his enim neque cibum sumere, neque aue dicere. Et hoc est
Ioan. 2. quod Dominus ait, Nolite dare sanctum canibus, ijs videlicet,
Can. qui reuersi contra vos, rumpent & laniabunt animam vestram. Cùm enim Dominus dicat: Ne fortè conuersi rumpant vos, illud vos potius ad animā, quæ potior nostri pars est, quàm ad corpus referri debet.

Altera responsio est: Si ex mea correctione, consilio, aut iudicio, nihil aliud speratur, quàm quòd lanier, aut discerpar, aliud damnum graue recipiam: non debeo aut corrigere, aut iudicare. Licet enim animus charitate plenus, seipsum omnibus cupiat exponere: & velut margaritas suas ad omnium pedes effundere: admonetur tamen, ne id faciat, vbi nihil aliud expectat, quàm corporis sui damnum. Sanè si suo sanguine paratur proximo salus, pulchrū est, canibus corpus laniandam offerre: vt alterius anima vitam recipiat. Sicut Dominus fecit. Sed vbi nihil expectes, nisi damnum tuum: stultum est huic te periculo exponere. Nam cùm martyres carnificibus velut canibus, excarnificandos sese exhibebant, non dabant illis sanctum suum, sed nobis, qui ex eorum laniena sanamur.

Tertia responsio est, nescio an germana: Paulus docet in
Ad Heb. 5. vita Christiana gradus esse suos. Sūt enim quedam elementa exordij sermonem Dei, videlicet pœnitentia ab operibus mortuis, fides in Deum, doctrina baptismi, impositio

manuum, persuasio resurrectionis mortuorum, & iudicij infernalis. Gradus his altior est frequentius ad sacram communionem accedere, ab his etiam peccatis cauere, quæ licet crimina nō sint, grauia tamē sunt: & denique seruire iustitiæ. Gradus perfectus est honori, delitijs, diuitijs, mundo & tandem si mortuum esse: quod Apostolus vocat reformari in nouitate sensus. Hic igitur gradus, reuera sanctitas est: & illud sanctū, de quo hîc Dominus loquitur. Ideo enim habet apud Græcos articulū, to agion. Admonet ergo Dominus, vt Christiani sancti (cupientes Christianitatem suam ab omnibus apprehendi) sanctum hoc, gradumque sanctitatis summum à canibus & porcis abscondant. Itaque prima canum, & porcorū institutio, num sit omnimoda & plena omnium rerum mortificatio. Aliquid enim dandum est, aliquidque indulgendum, his qui suo assueuerunt luto. Si enim rigorem tam exactū, ab his canibus exposcas: & ipsi in sua bestialitate durabunt, & suos institutores contemnent. Meminerint igitur viri sancti, quòd Apostoli gentium institutores, ab eis solum exegerunt: vt cauerent ab immolato & sanguine, & fornicatione. Et Petrus Apostolus plus in hanc lenitatem inclinans quàm in graues rigores, à Paulo reprehensus est.

Ad Hebr. 6. *Ad Ro. 6.* *Ad Rom. 12.* *Actor. 15.* *Galat. 2.*

Quarta responsio: Nimis differunt, porcis, & canibus aliquid videndum proponere, & vt comedendum exhibere. Non negat Dominus, quin porci, & canes videant, & audiant mysteria, quæ Euangelium prædicat. At quòd canes ea tractent manibus, imò potius pedibus, id est, quod vetat. Vetat igitur ne Episcopi sint, neque prædicatores, curati aut beneficiati, si canes sunt aut porci. Videant quantum velint, audiant quantum velint: non est inde margaritis, aut sanctitati periculum. At periculum est, si eas ita habeant, vt conculcare liceat. Inde enim tota nostræ Ecclesiæ calamitas & laceratio manauit. Et licet officia secularia malis hominibus dari non debeant: at Dominus nihil de his loquitur: sed de sancto, & Margaritis Christianis.

Quinta responsio: Margaritæ potius sunt ornamentum diuitum, quàm ipsæ diuitiæ. Cum igitur anima habet charitatem, diues est: sed cùm habet gustus Dei, iubilos, & reuelationes, illæ sunt margaritæ, quibus diues anima exornatur. Paulus laudat Corinthios, quod diuites essent in omni verbo, & in omni scientia: ita vt nihil illis deesset, in vlla gratia. Gratia verò hic comprehendit, deuotionem, hilaritatem,

1. Cor. 1.

animi fœlicitatem, &c. Quæ sentire phas est loqui minimè. Hæc sunt iudicia illa, Dauidi desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum. Et dulciora super mel & fauum. *Psalm. 18.* Hanc igitur sanctitatem, has gemmas, & monilia (quibus Dominus sponsam suam exornat) iubet abscondi. Et sicubi manifestanda sunt, non nisi inter perfectos sunt reuelanda. *Isaiæ 61.* *1. Cor. 2.* Alioqui si quæ in cubilibus tuis exultando sentis, si exultationes Dei in gutture tuo probatus, communiter populo propalaueris: fieri potest, vt ridearis. Et id parum: fieri potest vt sicut iniquus, & malè de Deo sentiens castigeris. Igitur Sacramentum regis abscondere bonum est. Castigatur enim Ezechias thesauros suos Babylonijs ostendens. *Psal. 149.* *Tobiæ. 12.* *Isaiæ 39.*

Iam verò si sanctum dandum non est canibus, cur anima nostra cùm sancta est, & cùm margaritas habet, canibus dabitur? Imò cur leonibus deuoranda obijcietur? cur serpentibus laceranda & discerpenda exponetur? Dæmon canis est, sanguinem Iezabel lingens. Dæmon leo est, rugiens, quærẽs quem deuoret. Serpẽs est callidior, & crudelior cunctis animantibus. Cerastes est insidiator semitę, vt mordeat vngulam equi. Cur igitur tam violentæ bestiæ animam nostram misere laniandã exhibemus? quasi non esset vncta oleo sanctitatis & exultationis. Flet Dauid Saulem & Ionathã, quia occisi erant à Philisthæis in circũcisis. Quantò vehementius defleuisset animam à canibus discerptam? forsan Dominus dolenter dixit: Ne fortè conuersi disrumpant vos. O quàm dirum, quàm dolendum, & timendũ est, disrumpi à canibus his. Flet Dominus Lazarũ cuius corpus mors deuorauerat: at potius defleret animam quam mors longè horrẽtior absumit. Quã tenere dicit Dominus: ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli: ne fortè impleantur extranei viribus tuis, & labores tui sint in domo aliena, & gemas in nouissimis. Reuera tradit animos suos crudeli, qui post Diuino cultui multos dicatos labores, se dæmoni & peccatis tradit: desertor ex castris Dei, ad crastra diaboli. *4. Reg 9.* *Genes. 3.* *Gen. 49.* *2. Reg. 1.* *Eodem.* *Ioan. 11.* *Prouer. 5.*

Petite, & accipietis. Non ego miror, si Christus iubeat, vt petamus, quæramus, & pulsemus. Siquidem ipse, nos, à nobis petiit, nos ipse quæsiuit: & vt illi aperiremus pulsauit. Ipse est qui dicit: Ego sto ad ostium & pulso: si quis aperuerit mihi, intrabo, & cœnabo cũ illo. Et sponsa testatur, se audire vocem sponsi. Vox, inquit, dilecti mei pulsantis, aperi mihi soror mea, anima mea, columba mea, immaculata mea, *Apoc. 3.* *Cantic. 5.*

quia caput meum plenũ est rore: videlicet, quia per noctem perseuerauerat pulsans: & idcirco ros noctis caput eius irrorauerat. Pulsauit igitur Christus: quæsiuit etiã nos. Reliquit siquidem nonaginta nouem oues in deserto, & ouem vnam quæ perierat, cum suo multo sudore, quæsiuit. Quin & Christus est, cuius personã gessit Ioseph, cum erraret in agro: & rogatus quid quæreret: fratres, inquit, meos quæro, indica mihi, vbi pascant. Pulsauit ergo & quæsiuit, & quia Christus de se dicit: Mendicus sum ego, & pauper: planè non aliud mendicando petebat, nisi animã nostram. Imò cùm sitiens potum petebat in cruce, non ferè aliud petebat, quàm salutẽ animarum. Credat igitur quiuis Christianus quòd animas nostras mendicans Christus petit, quodque animas nostras quærit, quòd etiam ad animas nostras perseuerat pulsans. Quod ergo ille non in suum, sed in nostrum facere commodum, tãto iam tempore consueuit, id nos in nostrum facere meritissimè iubet. Lucæ 15. Genes. 37. Psalm. 39. Ioan. 19.

At dices. Quid erat iubere necesse? num necesse est, famescenti iubere vt cibum petat, & quærat? si nudi sumus, si infirmi, si inter hostes, si in summo versamur periculo: ipsa nos natura petere, & quærere, & pulsare docebit, quid necesse est id præcipere? At qui ego vel hinc colligo eximiam nostram cæcitatem, imò stuporem verius, quos tantis calamitatibus pressos nec natura docet, nec necessitas stimulat, nec ipsa Christi præceptio ad petendum & quærendum inuitat. Facile possum desperare de infirmo, si cibum semper fastidit: de fatuo, si suam fatuitatem non sentit: de inermi, si fortissimos hostes non timet.

Porrò Dominus multis verbis petere docet: Petite, inquit, quærite, pulsate. & rursum: Omnis qui petit, accipit. & item: Quis est pater, &c. Tot verba Christus in hac re consumit, vt facile pateat, nos in grauissima, imò in extrema versari necessitate: quos tantopere Christus petere docet. Alioqui si exigua nostra necessitas aut nulla foret. Deus qui Deus est, qui sapiens est, qui nostri amantissimus est, non adeò nos ad petendum extimularet. Quòd si necessitatem forsan non penetras attentissimè expende: Vita Christiana cœlestis est & diuina, non animalis aut terrena. Ex Dei munere est, non ex nostris viribus: gratia est, non ex nobis, ne quis glorietur. Gratis datur, non argento, aut vlla commutatione. Si igitur solus Deus est, qui gratiam dat, & gloriam, (non Ephes. 2. Isaiæ 55. Rom. 9.

enim ex operibus gratia datur, sed ex vocante.) Igitur si vis hanc vitam, eam ab eo qui dare potest pete: eam quære, ad eius fores pulsa. Tantam enim petendi necessitas est, quanta viuendi.

Iam si semper Christus petere, quærere, & pulsare iubet: ita vt nunquam vita nostra à petēdo, quęrendo, & pulsando vacet: manifestè sit nostrum remedium non esse, & in procinctu positum: vel ad manum. Si enim facilè inueniretur, &

Isaiæ 11. daretur, non continuè petere iuberemur. Igitur altus puteus

2. *Par.* 11. est, vnde sunt hauriendæ aquę saluatoris. Per medios hostes irrumpēdum est, vt aquam bibamus, ex cisterna Bethlehem.

Ioan. 4. Et ò miseros nos, puteus altus est, neque in quo hauriamus habemus. Habemus os ad bibendum, sed neque situlam, neque cordam ad extrahendum habemus. Ipsa siquidem efficax oratio, quâ petimus, & hauribus, à Deo est. Nā quòd

Rom. 8. oremus nescimus, sed spiritus orat pro nobis. Igitur petendum est, vt sciamus gratiam donum Dei esse, non ex operibus nostris. Quęrendū est, vt sciamus hoc donum dari laborantibus. Pulsandū, vt sciamus, eum dono Dei frui, qui cum petat, & quærat: non lassatur, sed ad fores Sapientiæ pulsans perseuerat. At verò primo loco ponitur, Petite, secundò, Quærite: vt sciamus, quòd licet gratiam possidere sit diuini muneris, & nostri laboris: prius tamē & potius est muneris Dei quàm operis nostri.

Hebr. 9. At dices: An non Christus introiuit iam in sancta, æterna

Rom. 5. redemptione inuēta? An non per fidem habemus accessum

Zach. 13. in gratiam istam? an non iam patet fons Domini in medio domus Dauid? quid igitur tam miseros non esse contendis?

2. *Cor.* 8. Si in Christo diuites facti sumus, cur tātopere pauperes nos esse doces, vt nūquam non sit nobis petēdum? Quod si Chri-

Roman. 8. stus pro nobis interpellat in cœlo, quorsum oportet nos petere in terra? Huic ego respondeo hanc esse diuinam prouidentiam. Ita parauit nobis suas opes, ac si nullū nostrum laborem requirat: ita verò laborem nostrum requirit, ac si

Marci 22. nobis nihil ille parasset. Tauri quidem, & altilia occisa sunt, & omnia parata: si comedere vis, pete, quære, pulsa. Igitur agnosce te pauperē, agnosce paratas tibi diuitias: sed etiam agnosce eas otiosis non dari.

Attende etiam: Dominus iubet petere, quærere, pulsare. Petimus verò ore, quærimus pedibus, pulsamus brachiis. Aduertis quam nihil vult Dominus esse in nobis otiosum.

Rursum,

Rursum, petimus aliquādo de longè, quęrimus in via. Pulsamus cū iūcti domui sumus. Quasi admoneret nos Domin⁹. Vt petamus in iuuenta, quæramus in virilitate, pulsemus in senecta. Vt nulla pars nostri, nulla ætas debeat in hoc negotio cessare. Reuera grāde negotiū est primū illud quęrendū: quia regnū est: quod qui habet, reliqua se habere cognoscat. *Matth. 6.*

Interim aduerte Dei longanimitatem, qui ita expetitus, quæsitus, & pulsatus: non fastidit, non lassatur, non repellit, Imò ad frequentiam maiorem exhortatur: exemplo etiam adducto de improbis viduæ precibus, quæ ab iniquo iudice iuditiū extorsit. Orationi igitur instate. nec enim Dominus grauatur, cuius miserationes sunt super omnia opera eius. Attende enim quot per orbem ad Deum fundantur preces, & gemitus: & intelliges capacissimam Dei longanimitatem qui tot gentium postulata non exhorreat. *Lucæ 18.* *Coloss. 4.* *Psal. 144.*

Quis ex vobis homo, quem si petierit filius eius panē, piscem, aut ouum. Non me contineo, quin subrideam. Quid Domine, Vis nos nihil aliud à Patre tuo petere, quam panem, pisces, & oua? Num vitam Cartusiensium, Christianos tuos habere cupis? si carnem comedere à tēpore Noë hominibus licuit, cur non mentionem de carnibus intulisti? Et quidē respondere quis possit, quòd Christus erat reparator innocentię: in qua homines sine carnium esu vitam peregissent beatam. Ita & Christus forsan optasset suos, à cura carnium fore alienos. Siquidem carnes non nisi magno ære comparantur, & apparantur. In cuius testimoniū post resurrectionem, pisces assos cum fauo mellis Dominus manducat. Imò & ante resurrectionem, suos sectatores nō nisi cum pane & pisciculis pauit. Non hæc intelligas, vt malum sit carnes manducare. Absit, sed quod liberius erat, & facilius sine carnibus vitam transigere. *Genes. 9.* *Ioan. 21.* *Ioan. 5.*

Sed verò, quid est, quòd panem, piscem, & oua dixit? Res sanè difficilis. Interim hoc accipe: Per panē, vitæ necessaria intelliguntur. Panis siquidem ad viuendum est necessarius. Per pisces, vitæ delitiæ intelliguntur. Ambrosio teste, qui abundātiam piscium dicit hominum illecebram, atque delitias. Per oua verò non solū opes significantur pręsentes, sed maximè futurę. Ouum siquidē expectatio pulli est. Vt igitur intelligāt omnes à Deo, non solū esse expectanda necessaria (quæ sunt panis) sed etiam vitæ delitias (id est piscis) quādo ita expedit: & non solum à Deo esse expectanda præsentia,

ſed & futura, in ouo præſignata, ideo Dominus panē, piſcē, & ouum in mediū adduxit. Porrò quia Deus dat præſentia & futura temporalia, quantum conuenit hominum ſaluti, ideo non dixit Chriſtus quòd Pater dabit panes, piſces, aut oua. Sed panem tantum, piſcem & ouum.

Video tamen me, à literali ſenſu nonnihil diſcedere. Dominus enim cū de pane, piſce & ouo eſſet loquutus, intulit: Quanto magis pater veſter, dabit ſpiritum bonum petentibus ſe? Igitur plana literæ ſeries eſt, vt Chriſtus per panem, piſcē & ouum, Spiritum ſanctū intelligat, vt Lucas teſtatus
Lucæ 11. eſt. Ideo enim vnicum panem, vnicum piſcem, vnicū etiam ouum dixit: Quia vnicus eſt etiam Spiritus ſanctus.

Sed premor nunc dubio maiori: Quomodo Spiritus ſanctus eſt panis, piſcis, & ouum? & quidem dictu facile eſſet, quòd Spiritus eſt panis, ſcilicet neceſſarium nobis alimentum, eſt & piſcis, quia omne delectamentum habet. Eſt & ouum, quia in eo eſt omnis ſpes vitæ & virtutis, vt nunc nunc dicebam.

Verùm altior, credo, ſenſus ſublucet: etiā ſi penetrare non detur. Admonebo tamē eius quod occurrit. Panis oritur ex grano, quod primum cadens in terram moritur: tum creſcit in germen pulcherrimum. Deinde calore torrente aduſtum grana in culmine gerit. Quæ molita, & à mulieribus aqua ſubacta, & fermentata panem conficiunt. Igitur Chriſtus eſt granum frumenti, quòd in terram noſtram demiſſum eſt,
Ioan. 12. velut emortuum, quia exinaniuit ſe. Creuit hoc granum per annos triginta. Poſt quos, heroicorum meritorum grana in
Philip. 2. fine vitæ, velut in culmine attulit. Hæc merita in ſacra ſua paſſione velut molita ſunt. Manſerūt tamē in horreo ſanctæ mulieris, id eſt, Eccleſiæ. Quæ accipiens hæc ſacra merita, aquis baptiſmi, vel pœnitentiæ cōmiſcet. Et Spiritū ſanctum
Lucæ 13. velut fermentum addit, vnde Sacramentū efficitur. En tibi
Exod. 12. panis, & ideo dictū eſt, quòd Eccleſia abſcondit fermentum in farinæ ſatis tribus: cùm tamen Synagoga non vteretur fermento, ſed azimis. Quia ſacramenta Eccleſiæ ſpiritum habent, panisque ſunt fermentatus, & ideo ad veſcendum idoneus: at vetera ſacramenta hoc ſpiritu carebant.

Piſcis verò Spiritus ſanctus dicitur, vel quia gaudet habitare in aquis multis, qui ſunt populi multi. Vel, quia neſcio quid habet Spiritus ſanctus cum aquis. Siquidem in exordio mundi naſcentis, ſpiritus ferebatur ſuper aquas. Et

quando Christus baptizatur ad aquam adstat Spiritus sanctus in specie colūbæ. Est planè piscis animal simplex, gregaliū, fœcundū, latens, & quod vix scias quâ re alatur. Quę omnia quadrantissimè Spiritui sancto conueniunt.

Porrò ouum, mortuum nunc est, viuet verò. Habet enim vitam & animam latentem, quam suo tempore proferet in lucem. Ita Spiritus sanctus facit nos mortuos quidē propter inhabitantem spiritum in nobis. Sed is ipse Spiritus qui viuificauit Christum mortuū, viuificabit etiam mortalia corpora nostra. Habes ratiunculas quare Spiritus dicatur panis, piscis & ouū. Contrarijs rationibus spiritus hominis carens Spiritu sancto, habensq; spiritū dæmonis, (quem peccatum mortale spiritui humano coniungit) dicitur lapis, serpens, & scorpius: lapis quia durus, in quem cadens semen non germinat, vtpotè quòd humore careat. De quo lapide dicit Baptista: Potens est Deus ex his lapidibus suscitare filios Abrahæ. Serpens est, qui super pectus suum gradiens, terram comedit cunctis diebus, terrena enim sapit, ad cœlestia non attollitur. Scorpius est, qui cauda sua venenum effundit. Id vero est, quod vere timendum est. Quòd enim dum viuimus à peccato lædamur: noxium est, at quòd in fine vitæ iniquitas calcanei nostri nos circundet, & in infernū proijciat, tota infœlicitas est. Romans. 8. Matt 13. Matth. 3. Genes. 3. Psalm. 48.

Etiam si illud addidero. Panem petant, ij qui nunc à peccatis exeunt. Dominus enim puellæ defunctæ iubet dare quod manducet, panem, scilicet. Piscem petant qui iam cum Christo resurrexerunt, & vita virtutū viuunt. Sicut Christus pisces assos post resurrectionem manducauit. Ouum petat qui proximus est morti. Siquidem ouum edi nō potest, nisi putamine fracto. Ita rogemus, vt cùm putamen corporis nostri frangetur animam nostram Deus manducet. Marci 5. Ioan. 21.

Si ergo vos cùm sitis mali. Duo hic mihi dicenda: Alterum quomodo verum sit, quòd omni petenti Deus det, multò magis quam patres carnis nostræ. Alterum verò, quomodo verum sit, quòd nos mali simus. In priori puncto dubitatio est, dicit enim Dominus: Omnis qui petit accipit, qui quærit inuenit. At Luc. 13. habetur: Contendite intrare per angustā portam, multi enim, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt. Vbi res dolenda nimis annotatur, quod quærent multi intrare, & non modò non intrabunt, sed nec intrare poterunt. Imò & hoc loco dicitur: Pauci inueniunt eam.

 Si igi-

Si igitur multi quærent: & pauci inuenient, non eſt verum quod omnis qui quærit inuenit. Et miſer Saul indulgentiam non eſt aſſequutus, quam etiam cum lachrymis petijt.

Hebr. 12. Ad hoc reſpōſio plana eſt, quòd ſicut plena bona ſunt, quę diuina ſunt: ita & eam orationem, petitionē, aut inquiſitionem, Deus vt plenam & eo nomine dignam arbitratur, quæ à diuino ſpiritu proficiſcitur. Igitur oratio quæ ab humano ſpiritu naſcitur, nō cenſetur à Deo in albo plenæ orationis: quare ſi hæc ſuo deſiderio fruſtretur, nihil Deus mentitur. At impoſſibile eſt eam orationem ſuo fine fraudari, quam Spiritus ſanctus accendit.

Secunda reſponſio eſt: Res non propter ſe quæritur: ſed propter gaudium, & vſum: quem ex eis habituri ſumus. Non enim quæro panem propter panem, ſed propter eſum, & ſaporem. Quod ſi vel panis ſine ęſu, vel eſus ſine pane daretur, mallem eſum & voluptatem panis, ſine pane: quàm panem ſine ſua voluptate. Ita igitur qui (vt debet) petit: certiſſimè ſciat: quòd vel percipiet quod petit, vel voluptatem, quam ex eius vſu erat cōſequuturus, Paulus enim ſcit abun-

Philip. 4. dare: ſcit etiam penuriam pati, id eſt, ſcit in penuria ita gaudere, ac ſi abundaret.

Tertia reſpōſio eſt ex textu ipſo: Omnis qui petit accipit, nō ſtatim ac petit. Sed ſi quærat, ſi pulſet. Id eſt, ſi nō laſſetur

Lucæ 15. petens, quærens, pulſans. Nec enim mulier illa drachmam quam perdiderat inuenit, niſi poſt totam domum euerſam. Euerte & tu tuam domum totam, & inuenies. Vide etiam, Deus per triginta & tres vitę ſuę annos, ſuo multo te labore quæſiuit. Si nō te adhuc inuenit, quid mirū ſi tu eū quæras, nec inuenias? tu te negas Deo: & vis Deum ſe tibi cōcedere?

Quarta reſponſio eſt etiam ex textu: Non dicit textus: Omnis qui petit, quod petit accipit, ſed Pater dabit bona petentibus ſe. Si igitur non accipis quod petis, non erat bonum quod petebas, aut aliud dabit bonum, quod verè ſit petenti bonum.

Quinta reſponſio etiam ex textu: Si petis panem, piſcem, aut ouum: dabit Pater, forſan non panem aut piſcem, ſed Spiritum ſanctum, qui tanto melior eſt pane, piſce, aut ouo.

Quis verò non miretur Patris largiſſimam largitatem, qui petentibus Spiritum ſanctum donat? ò rem verè mirandam!

Ioan. 3. Non ſat erat Patri pro nobis proprium tradidiſſe Filium, eundemq; nobis dediſſe (Filius enim datus eſt nobis) addidit

dare

dare & Spiritum. Quasi vel spiritus res esset vilis, aut homo *Isaiæ 9.*
res esset nobilis. Datur verò spiritus non in hostem, aut iudicem, sed vt veniant nobis omnia bona pariter cum illo.
Et datur rursum, sine auro, sine cõmutatione. Sat est si petas. *Sapien. 7.*

Omnia ergo quæ vultis. Videri cunctis poterat, quod vbi
audissent homines Deum adeò prodigum, vt petentibus, sit *Isaiæ 50.*
Spiritum suum sanctum daturus, omnes nos statim accurreremus, statim peteremus. Quis enim Spiritum sanctum tam vili pretio non emat? At Dominus vbique sui memor, & vbique nobis proximorum amorem inculcãs, admonet: Vt ea faciamus proximis, quæ ab illis nobis fieri poscimus. Et tunc veniet ad nos Spiritus sanctus, ad quem dandum, & accipiendum vniuersa lex ordinatur, & prophetæ. Vacuus igitur Deo es, & te plenus: si vis quòd Deus se in te effundat. effunde te in proximũ. Si quid tibi vis fieri, quod proximo nõ feceris, iam te tibi reseruasti: reseruabit se Deus etiã sibi.

Vbi Lector agnoscis, quam verè Paulus dixerit: Omnia *Rom. 13.*
præcepta in hoc vno instaurari, scilicet, dilige proximum
tuum. Et rursum: Qui diligit proximum, vniuersam legem *Galat. 5.*
impleuit. Item Ioannes: Qui diligit fratrem suum, in lumine *1. Ioan. 2.*
manet, & scandalum in eo non est. Et rursum: Nos scimus
quod translati sumus de morte ad vitam, quia diligimus fra- *1. Ioan. 3.*
tres. Et demum Christus dicit: In hoc cognoscent omnes
quòd discipuli mei estis, si dilectionem habeatis inuicem. *Ioan. 13.*

Quis hic non miretur, quàm Dominus curam nostri, velut Pater susceperit & quam videatur sibi curam neglexisse. Non, inquit, colite me, hæc enim est lex & prophetæ. Sed colite fratres, hæc enim est lex & prophetæ. Quorũ verborũ hic sensus esse videtur: Quidquid ab ipso mundo nascente, vsque ad finem Deus per legem, aut prophetas mandat, huc maximè respicit, ne lædamus proximos. Quos adeò tenerè Deus diligit, vt nunquam cesset admonere, ne quispiam eos lædat: quos si læserimus, tangimus pupillam oculorum Dei. *Zachar. 2.*

Intrare per angustam portam. Quantum datur assequi ordo hic est. Prior est porta, per quam intrare iubemur. Post ingressum per fores, sequitur arcta via ambulanda. In fine verò viæ est regia ciuitas, vrbs, scilicet beata Ierusalem, ad cuius valuas pulsandũ est. Quocirca illa tria verba priora, scilicet, petite, quærite, pulsate, ad hæc tria referenda sunt. Videlicet, Petite ingressum per portam angustam. Quærite arctam viam. Pulsate ad cœlestis aulæ, valuas beatas.

Si quæ-

Si quæras quænā est hæc porta, aut quæ via? Ipse respon-
Ioan. 10. det Christus: Ego sum, inquit, ostium: per me si quis introie-
rit, ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Est igitur
Christus porta angusta, quia humilis. Porrò idem Christus
Ioan. 14. dicit: Ego sum via, veritas, & vita. Est ergo Christus simul
porta & via: sed alia ratione porta, & alia via. Porta est, cùm
infideles ad fidem: vel iniusti ad iustitiam conuertuntur. Via
verò est, cum ijdem conuersi per vias iustitiæ gradiuntur, id
est, per viam quam Christus ambulauit. Cùm igitur infide-
lis vel iniquus ad sanctitatem vitæ vocantur, & instigantur:
planè vocantur vt portam ingrediantur. Cùm verò ijdem
extimulantur vt surgant, comedantq; panem: quia grandis
3. Reg. 19. eis restat via, vsque ad montem Dei Horeb: tunc animantur
vt per viam procedant.

Interrogauerunt tamen maiores nostri, quâ causa porta
hæc & via angustæ dicantur? Primum quidem angusta est,
qui per eam non nisi vnus transire potest, duos quippe non
Ioan. 3. capit. Vt enim in cœlum non ascendit, nisi vnicus qui de
cœlo descendit, reliqui enim si in cœlum sunt ascensuri, in
illo vnico ascendere debent: ita per hanc portā, & per hanc
viam, nemo intrare, aut ambulare potest, nisi Christus, &
reliqui in Christo. Desperēt igitur omnes infideles, via cœli
non nisi Christum capit, & eius membra.

Secundò arcta via est & angusta porta, maximè tēporibus
hisce. Planè ante Christum via cœli erat vepribus, & spinis
obsepta. Vix illa discerni poterat: at Christus Dominus viā
illustrauit, imò & initiauit: teste Paulo. Habentes, inquit,
Hebr. 10. fiduciam in introitu sanctorum, in sanguine Christi, quam
initiauit nobis viam, nouā & viuentem, accedamus ad eum.
Post Christum via hæc per Apostolos & sanctos illos, qui
primitias spiritus acceperunt obtrita, & plana facta est. Post
patres nostros, pauci viam illam terunt, multæ herbæ, lapi-
des, & sordes ex adiacenti via, huic viæ sacræ iunguntur. Illa
ex se erat arcta, nunc indies fit arctior & angustior.

Tertiò ad rem propiùs: Porta angusta est, quia cùm intrat
Concilium iniquus in eam, ex iniquitate recedens, timores patitur &
Trident. angustias. Qui enim ad pietatem vocatur, timere incipit in-
sess. 6. c. 6. fernum, quem meruit. Christi iudicium veretur, in quo damna-
natur. Deum sibi inimicū horret, peccati sordes in pedibus
dolet. Tot angustijs angustatur, vt reuera sentiat angustias
portæ. Sanè si qui ingreditur, cum peccatis ingredi posset: Si

non vitia deberet deserere. Si non propriam voluntatem, appetitum & semetipsum deberet deponere, lata esset via, at hæc omnia sunt reijcienda, alioquin non te capiet porta. Qui enim non odit animā suam, non potest esse meus discipulus. Tandem angusta porta est, per quam ingredi nequit, nisi id quod spiritus efficitur. Caro enim & sanguis (crassa hæc) illuc non ingrediuntur. *Luce 14.* *1. Cor. 15.*

Neque verò solū angusta porta, & arcta via, ipsa in se est: imò quidam ex maioribus nostris eam multo reddiderunt arctiorem, & angustiorē. Itaq; iam magis veremur adiectas quā innatas vię angustias. Vt verissimū sit, quòd pauci inueniunt viā, & verissimū, quòd pauci possunt intrare per eam.

Aduerte verò, quod licet Dominus dixerit arctā viam & angustam portam, non dixit tamen arctissimam viam, aut angustissimā portā. Alioqui si tantæ essent angustiæ, frustrà Dominus in mundum venisset, vt saluos nos faceret. Dilige Deum, crede in Christum. Ne læde proximum, Ecclesię præcepta ne temerè viola: & hæc est salutis nō arctissima via. Et totā lex & Prophetę in hoc incūbunt, vt bene facias iuxta vires proximo. Hęc via arcta est, sed non arctissima. Quòd si etiam arctissimam eam, quidā sanctiores iusto faciant. etiam mille eam scrupulis, imò ingentibus saxis, impediāt: nihil desperandum. Sunt enim tot sanctorum exempla, est Christi præsens adiutorium: Est Spiritus sancti efficacia, est Sacramentorum robur. Hæc viam reddunt facilem. Quòd si adhuc tibi difficilis est. Memento quòd virtuti diuinæ nihil est impossibile, hāc tibi Deus virtutē est dare paratus. Si petas, habebis: si non petis, tibi viæ difficultatem adscribe. *Luce 1.*

Attendite à falsis prophetis. Quantum arbitror, hæc prima Domini admonitio dicentis: Attendite à falsis prophetis, ad Episcopos spectat: & ad eos, qui populo, pastores, rectores, & Doctores preficere debēt. His dicitur: Attendite ne falsos prophetas præficiatis: cauete ne in re tanta, (in qua summa rerum omniū consistit,) decipiamini. Etiam si qui pręficiendus est, veniat vt ouis: examinetur, an sit rapax intrinsecus lupus, id est, an quærat quæ sua sunt. In qua re, quia peccatū est à maioribus nostris, ideo in desperato loco ferè iacet Ecclesia. Hanc rem à Christo tam attentè animaduersam, Paulus item animaduertit: cùm adsciscens omnes maiores natu Ephesiorum, dicit: Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo Spiritus sanctus posuit vos Episcopos, ad regendam *Act. 20.*

Eccle-

Ecclesiam Dei. Ego scio quòd post discessionem meam, intrabunt lupi rapaces, &c. Quòd si quisquam contendat hanc admonitionē ad omnes fideles spectare, nec ego dissentio. Et quidem prudentissimè nos Dominus à falsis prophetis
Genes. 3. attendere iussit. Iustū enim est vt Adam serpentem caueat, Noë aquas diluuij. Abraham ex suo sacrificio abigat aues.
Genes. 15. Loth fugiat à Sodomitis: quos etiam vidisse exitium fuit,
Genes. 19. miseræ eius vxori. Caueant planè filij Prophetarum à colo-
4. Reg. 4. cynthidis, quæ licet in olla sint: sunt tamen mors in olla.
Prouer. 7. Denique caueāt à muliere extranea, & aliena, quæ verba sua dulcia facit: præparata ad decipiendas animas, garrula, vaga, quietis impatiente, nec valente in domo consistere, &c. Quę
Prouer. 5. Deus in Prouerb. cap. 7. elegantissime prosequitur. Rectè
Psal. 143. Dauid inquit. Libera me de manu filiorum alienorum: quorum os loquutum est vanitatem, sed dextera eorum, est dextera iniquitatis.

Quídni attendendum à falsis prophetis, à quibus non corporis imminet, sed animæ: nō temporarium periculum, sed æternum? O rem horrendam penitùs! audis falsum pro-
Prou. 16. phetam, sequeris illū, videtur via illa tibi recta: at nouissima eius ducunt te in perditionem. Cogitabant impii, se rectè suum iter confecisse: at vbi se in fine deceptos vident, dicunt:
Sapien. 5. Ergo errauimus. O infœlicem errorem, cui nullū remedium iam subuenire potest. Attendite igitur à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestibus ouiū: at non veniunt in fructibus ouium. Oues omni ex parte sunt vtiles, simplices, patientes, sociales: isti verò qui veniunt ad vos: omni ex parte sunt
Matt. 24. lupi, omni ex parte rapaces. Longa enim oratione, viduarū domos deuorant.

Atqui Domine si nos cauere hos lupos veste ouilla contectos præcipis, quid faciemus vbi non vestem ferunt simplicium ouium, sed vestem afferunt pastorum? Quid enim grex faciet: vbi lupum mitra, baculo, & gremiali viderit decoratum? Facile planè est lupum abigere, vbi se ouem esse dissimulauit: sed quæ ouis contra pastorem insurget? Naturale siquidem est oui lupum horrere, pastorē verò diligere. Sed ô stuporem Christianorū! ô cæcitatem! Non iam oues fugiunt lupos & leones, ouium vel pastorū figura fallentes: imò sequuntur & amant lupos, & leones, leonum, imò dæmonum habentes imaginem. Quid enim aliud est pastor, aut prædicator iniqua bella gerens, & odia: quàm pastor

dæmo-

dæmonis faciem ostendens? Taceo reliqua vitia, quæ quia in Superioribus nostris videre cõsueuimus, minimè exhortemus. Iam si is pastor cauendus est, qui speciem habet sanctitatis: vt vel ouinam certè pellem habeat: quanto potius est cauendus, qui & animo, & pelle, leo est. Ille deglubit, sed non scandalizat: hic facit vtrumque.

Lupos aiunt terra saburrari. O verò si nostri lupi terram quam calcant oues, deuorarent tantum. Id est, ô si lupi hi, solum temporalia Christianorum obligurirent. Sed calamitas non est ista duntaxat. Sed calamitas hæc est: quòd cùm Petrus occidit leones, vrsos, & serpentes eos manducans, Act. 10. vertit in Deum: at lupinus pastor oues manducans, vertit in diabolum. Planè si rapimur à malo pastore, ex Apostolis Ioan. 6. (vt Iudas) diaboli efficimur. Hoc verò fieri potest: dici pro dignitate non potest.

A fructibus eorum cognoscetis eos. Sapientissimè respondet ad interrogationẽ, quà oues à talibus lupis tremẽtes rogarent: Domine si tantũ ab his imminet periculũ, quomodo eos cognoscemus? Et quidem Dominus in illis prioribus verbis, quibus dixit: Attendite à falsis prophetis: qui veniũt ad vos ostentantes pellem ouinã. plenè eos dignoscere docuit. Siquidem veri pastores nõ ipsi veniunt, sed mittuntur. Neque veniunt ad vos, sed lubentius se abscondunt. Neque ostentãt pellem ouinã: imò gaudent, si nõ ita pellis videtur.

Primò audi singula: Christus est qui licet ipse venerit, at Ioan. 1. lubentius dicit se missum à Patre, dicit enim: Qui misit me Ioan. 6. Pater. Et rursum: Ego mitto vos, sicut misit me Pater. Sed Ioan. 10. denique Christus potest dicere: Ego lux in mundum veni. veri pastores tamen, non veniunt, sed mittuntur, quia filij Rom. 8. Dei à Spiritu aguntur, & speciatim mittuntur ad prædicandum. Ephes. 5. Nemo enim assumit sibi honorẽ, nisi vocatus & missus. At, qui lupi sunt, ipsi veniunt ex se. De quibus sæpe dicit Ierem. 14. Dominus, quòd eos ipse non miserit, vt est apud Ieremiam. 23. 27.

Secundò, rursum verus pastor qui mittitur: non lubenter Ioan. 10. venit ad vos. Sed cum Mose dicit: Mitte quem missurus es: Exod. 4. neque enim eloquens sum ab heri & nudiustertius. Et cum Ieremia dicit: A, A, Domine sicut puer nescio loqui, & cum Ierem. 1. Spõsa flet quod à sua quiete abducatur, quodq; lauerit pedes Cantic. 5. suos, nec placet rursum inquinare illos. At malus pastor in theatrum & forum sponte cõcedit: in eum videlicet locum, Psal. 28. vnde plus vtilitatis & sanguinis alieni poterit deuorare.

Tertiò,

Tertiò, demum: Bonus pastor pellem ouinā non ostentat, sed abscondit: nō eam ipse omnibus cōspicuam profert, sed ipsa pellis nonnūquam etiam ignaris pastoribus sese prodit.

Hęc verò pastorum, & doctorum indicia videri poterant abstrusiora, quā quę a simplici ouium plebe intelligi possint: idcirco dominus & magister omniū apertiora docet argumenta: quibus falsi prophetę dignoscātur. A fructibus eorū, inquit, cognoscetis eos. Iam non est omnino manifestum de quibus fructibus loquatur. Sed profectò ipse se Dominus explicat: Nūquid, ait, Colligūt ex spinis vuas: aut ex tribulis ficos? Igitur in hoc dignoscuntur falsi prophetæ: si ficus proferunt, & vuas, & quidem proferre nequeunt, cùm sint ipsi tribuli & spinæ.

Quæris quas ficus & vuas prophetæ ferre debeant? Audi: Num. 21. Exploratores à Iudæis explorationi terræ promissionis demandati, cùm redeunt, ferunt ficus, vuas, & malogranata. Significantes quòd prædicatores, (qui exploratores nostri sunt) Patriā cœleste vel de longè explorarūt: & inde afferūt verba, & opera, quę dulcedinem cœlestem referant: afferunt charitatem quandam cœlestem, quę in vua significatur, dulcedinemq; cœlestē, (qualis in nostro deserto nō inuenitur) per ficum significatam. Cùm ergo oues sentiunt in prædicatoribus, & pastoribus, cœleste nonnihil, quale in hac terra non reperitur: indicium est prædicatoris Euangelici, ficus & 1. Cor. 2. vuas ferentis. Iactat hæc de se Paulus: Non, inquit, in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis: sed in doctrina spiritus. 2. Cor. 13. quasi dicat: Nō terrena loquutus, sed planè cœlestia. Et alibi: An experimentum quęritis eius qui in me loquitur, Christus? Quasi dicat: Cœlestis est doctrina, non tota terrena.

Quæris curiosius, Cur Christus solum de ficu meminit & vuis, non de malogranatis? Certè quia in lege noua cessant malogranata. veritas enim non contecta, malogranati putamine, sed aperta (vt ficuum & vuarum) in Euangelio proponitur.

Forsan non est tibi adeò delicatus gustus: vt ficus & vuas ex cœlo deductas percipere queas. Facilius argumentum audi: Si prædicator docet vnitatem, & charitatem: argumentum veri Prophetæ est. Ficum enim grana multa vni pedamento coniuncta continere videmus. vuarū racemus multa item grana vni pediculo adhærentia coercet. Si vero prædicator docet scismata, & discessionem: si prædicat aliam fidem,

fidem, alios mores quàm vniuersalis & Romana docet Ecclesia, hic falsus propheta est. Igitur præcipuũ veri Prophetę specimen est, quòd vnitatem ad vnum Christum, ad vnum Pontificem, ad vnum Regem docet. Vnus igitur Deus, vnitatis & pacis amator, eos Prophetas mittit, qui vnitatem ament & pacem. *Galat. 1.* *Ephes. 4.*

Secundò, ficus & vuæ calent, vt Galenus autor est. Si igitur Prædicator teporem, licentiamq́ue prædicet, falsus Propheta est. Si verò feruorem, caloremq; charitatis animis audientium infigat, verus Propheta est: ficus enim & vuas audientibus profert edendas. *Lib. simpl. Medicamentorum.*

Tertiò, ficus & vuæ pingues reddunt edentes, eodem autore Galeno. Si igitur Prædicator pinguiores reddat animas audientium ficus ille prædicauit & vuas. *Li. simpli. alimentorum.*

Aperit se nobis locus eximius, si Prædicator proferre debet ficus & vuas: igitur ficus arbor esse debet, & vitis. Rectè quidem Christus ad animam dicit: Ficus protulit grossos suos, vineæ dant odorem: surge, propera, amica mea. Quasi dicat: si verus Propheta iam laborauit pro virili, surgant audientium animæ. Rectè rursum Nathanaëli dicit Christus, Sub arbore ficu vidi te. quasi Christus non respiciat animas, nisi sub veri prædicatoris, id est, ficulneæ vmbra cõsederint. Demum Christus vitis est vera, debet etiam predicator vitis esse, aut certè palmes. Contrà falsus propheta spinetum est, & rubus, qui aculeis suis Deum & homines pungat. *Cantic. 2.* *Ioan. 1.*

Iam si verus Propheta ficus est & vitis, & falsus, est spinetum & rubus: arbor erit bona, fructus bonos proferẽs bonus Propheta, contra arbor erit mala, malos reddens fructus falsus predicator. Et propterea Predicator ver⁹, vt arbor bona, (id est, vt bona ficus, bonaq; vitis) fructus bonos proferet. Spinetum verò fructus nequit bonos proferre. Dices, quid? Bonúsne prædicator bonos semper edit fructus, nunquam verò malos: & contrà, malus prædicator nunquam bonum faciet fructum? Respondeo: Etiam ficus, & vites inutiles aliquando reddunt fructus: sed quia frequentius ex natura vitis bonos profert fructus, ideo bona arbor est. Spinetum verò mala arbor est: quia ex natura sua, aut non reddit fructum, aut inutilem. Vt igitur ex bona ficu aut vite colligimus bonos quos habet fructus, malos (si quos habet) reijcimus: ita bonos fructus boni predicatoris colligamus, malos (si habet) abijciamus. Siquidem in prædicatore est nonnihil

Iob 4. semper defectuosum. Cùm in Angelis sit prauitas à Deo re-
Galat. 2. perta. Et Petrus ille reprehēsibilis fuit: & non est homo qui
Eccles. 7. non peccet. Sed si prædicator omnes, aut plures malos fructus facit: hic excindendus est, & in ignē mittendus. Igitur si prædicator hæreses dissеminat, exscindatur ab Ecclesia per excōmunicationem: & in ignem mittatur, vt ardeat, etiam si hæretici Lutherani disrumpātur, clamātes hæreticos non debere excommunicari & comburi. Quid enim si Ecclesia nunc faciat, quod Deus in futurum facturus est? At Deus eos exscindet, (quam Theologi vocant pœnam damni) & in ignem mittet (quam illi pœnam sensus nomināt.) Absoluit Dominus hanc partem verbo sequenti.

Igitur à fructibus eorum cognoscetis eos. Quòd licet à me explicatum sit patere Lector tamē si vnū verbum adiecero: Sine dubio, fructus prædicatoris sunt verba suæ prædicationis, vt igitur animal rationale, ab irrationali per verbum dignoscitur: ita & verus à falso prædicatore per verbū prædicationis
Psalm. 118. suæ erit discernendus. Verba veri prædicatoris, sunt gladius
Heb. 4. acutus, pertingens ad diuisionem animæ & spiritus: non sunt talia verba falsi prophetæ: Narrauerunt iniqui fabulationes, sed non vt lex tua, id est, narrant velut fabulas, ex quibus gustus dulcescit, non ex quibus animus, gladio penetrante discinditur.

Psal. 149. O quàm pulchre dictum est: Exultationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum: ad faciendam vindictam in nationibus, & increpationes in populis. Planè qui in gutture animæ suæ. Dei delectationes sentit, is prædicator verus est: is habet gladium verbi Dei ancipitem: vt
Ierem. 1. cum Ieremia euellat & plantet: & cum Paulo increpet, con-
1. Cor. 14. uincat, & dijudicet audientes.

Secundò: Verus prædicatur habet alios fructus: videlicet
Psal. 126. filios quos Deo genuit, vt enim filij sunt fructus ventris: ita fideles sunt fructus prædicatoris. Igitur verus prædicator filios gignit vere pios: non tales gignit falsus propheta. Audi
1. Cor. 9. Apostolum: Nónne opus meum vos estis in Domino? Et si alijs non sum Apostolus, vobis tamē sum. Nam signaculum Apostolatus mei vos estis in Domino. quasi dicat: à fratri-
Galat. 5. bus meis agnoscite me, imò à vobis ipsis me cognoscite. Vos enim estis signum & sigillum, quo Apostolus dici, & haberi mereor. At isti falsi prophetæ qui resistunt veritati:
1. Cor. 5. vt fermentum modicum, totam massam corrumpunt.

Tertiò,

Tertiò, fructus prædicatoris sunt opera eius. Non vnum aut aliud: in his enim labi poterit, sed a fructibus eorum plurimis cognoscetis eos. Maximè si quæ dicit, facit. Elegantissimè enim dictum est in Psalmo: Pauit eos in innocentia cordis sui, & in intellectibus manuum suarum deduxit eos. *Psalm. 77.* Id est, is prædicator verus est: qui in innocentia pascit. quique pascit in ea intelligentia, & doctrina quam manus suæ pepererunt. Id enim est, in intellectibus manuum suarum, id est, operum. Si igitur veniens in ouina veste in omnis verbis ouinam præstat vitam, ouemq; se omnibus præbet ad vsum is verus propheta est. Quòd si cupis ouinam vitam nosse, vitam Christi contemplare, is enim vt ouis ad occisionem ductus est. Nullum vero animal vtilius homini, quam ouis. *Isaiæ 53.* Nihil vtilius debet esse homini, quam prædicator.

Non omnis qui dicit mihi Domine Domine. Docuit cœlestis doctor, quomodo oues cognoscant pastorem suum: nunc docet, quomodo se quisq; pastor agnoscat. Et licet ad oues etiam hæc doctrina referri possit: maximè tamen ad eos spectat, qui in Christi nomine prophetant, & dæmonia ejciũt. Vix verò reperias locum altioris, & terribilioris eruditionis quam est hic, quem exponimus. Primum enim docet, in quibus exercere se debeat prædicator. Tum admonet, quòd etiam si in his se promptum inueniat: nec dum tamen tutus est, vt intret in regnum.

Igitur cum hi falsi prædicatores dicunt: *Domine, Domine, nonne, &c.* his verbis docent munus prædicatorũ tria complecti: in quibus prædicator se debet exercere. Primum quidem in affectu, quo inflammatus dicat, Domine, Domine. vel vt Paulus docet in quo dicat, Abba pater. Id verò nescio quomodo fieri facile possit, nisi per orationem, quæ est eleuatio mentis in Deum. *Rom. 8.*

Secundo: Exercere se debet prædicator in prædicatione: non quauis: sed eâ quæ prophetiæ nomen meretur. Et non quacunq; sed in prædicatione prophetica, quę fit in nomine Christi. Hoc enim est quòd hi prophetæ dicunt: Nónne in nomine tuo prophetauimus?

Tertiò, exercere se debet in operatione multarum virtutum ita enim dicunt, Et in nomine tuo virtutes multas fecimus. Oret igitur prædicator vt affectu ignito dicat: Domine Domine. Secundò, prophetet in nomine Christi. Tertiò, multas virtutes faciat.

Libet nonnihil attingere eorum quæ proposui. Si prædi-
Lucæ 10. cator est altera Maria: quæ secus pedes Domini profundè suscipit verba Christi: inueniet in se pium amorem in Christum, quo dicat: Domine Domine. Iam si lumen habet: quo mysteria fidei speculetur, Prophetæ nomine insignitur.
Psal. 130. Quod si non habet cor exaltatũ, neque elatos oculos, neque ambulat in magnis aut in mirabilibus super se, planè Propheta est in nomine non suo, sed Christi. Demum si Mariæ adiungit Martham: vt diffidentes reconciliet, vt infirmos visitet, vt tristes exhilaret, vtque loca pia restauret, is planè virtutes multas facit.

At Deum immortalẽ, & quid deesse poterit viro qui per orationẽ Maria est: per lumen quod habet, est Propheta: per humilitatem est propheta Christi, & per industriam multas virtutes facit? Num est quod requiras in homine tanto? Respondet Dominus durissima verba: *Neque is, inquit, intrabit in regnum cælorum: nisi fecerit voluntatem Patris mei*. Id verò est
1. Cor. 13. quod Paulus dicit: Si habuero linguarũ donum, quo dicam, Domine Domine, Si habuero omnẽ prophetiam, & nouerim mysteria omnia, ita vt in nomine Christi, montes transferam. Si demum habuero eam diligentiam vt omnes opes meas in pauperes distribuam, si charitatẽ non habeam, nihil sum. Maior ergo virtus, maiusque miraculum est: vt homo faciat voluntatem Patris, quàm vt reliqua miracula faciat. Quòd si propheta quem pinximus, non intrat in cælum, quomodo intrabit, qui neque affectum habet quo dicat, Abba Pater: neque lumẽ habet quo nouerit mysteria: neque prophetat in nomine Christi, sed capitis sui somnia fingit: neq; virtutes facit in bono, sed mõstra potius edit in malo?

Miraris forsan: audi quod mirere magis: *In illa die, inquit, confitebor illis: quia nunquam noui vos*. Vbi multa sunt admiranda. Primũ: Largitas immẽsa Dei qui sustinuit hos prædicatores in nomine suo prophetantes: nec voluit vt ignis de
Lucæ 9. cælo in eos descenderet, vt Ioannes optabat. Imò verò non sustinuit modò, sed gratijs honorificauit: affectum eis pium tribuens, quo dicerent: Domine Domine lumen tribuens quo prophetarẽt: fiduciam qua in nomine Christi mirabilia perficerent, & perseuerantiam, qua non vnam aut alteram ederent virtutem, sed multas.

Secũdum, quòd hi prædicatores mirabilia facientes, nunquam habuerunt gratiam iustificantem. Dicit enim textus. Nunquam

Nunquam noui vos. Fieri igitur potest, vt ex quo quis prædicationis munus inchoauit, ad vitæ finem, nunquam fuerit in gratia, & adhuc mirabilis propheta fuerit.

Tertium: Ex hoc textu colligi videtur, nonnunquã fieri. vt Deus fidẽ, & gratias gratis datas homini infundat iniquo. His enim prædicatoribus fidem dedit & dona, cùm essent tamen iniqui. *Ita diuus Tho. 2.2. q.6. ar. 2. ad 3.*

Quartum: Si Deus cœlestia dona iniquis tribuit, quid grande conficimus, si temporalia nostra, etiam inimicis nostris largiamur?

Quintum: Quanto rubore perfundetur prædicator, magister faciendæ virtutis, operarius tamen iniquitatis? Plane in die iudicij, quemuis pudebit suæ iniquitatis: sed nescio vbi comparere poterit, qui profitebatur pietatem: exercebat iniquitatem. *Rom. 2.*

Sextum: Ex illo verbo, *Recedite à me*, videtur colligi, prædicatores dum viuunt maximè esse Deo coniunctos. Cuius est ratio multiplex. Prior, quia nunquam non verba Dei tractãt. Deum habent semper in ore, habent etiam in cogitatione, & deberent eum semper habere in affectu.

Altera, quia reuera habet Deus specialissimam curam eorum. Vt enim Pater nũquam deseruit Filium suum, quem ad prædicandum hominibus misit: ita nec Christus suos vnquam dimittit prædicatores. Ita enim ipse promisit, cùm dixit: Sicut misit me Pater, mitto vos. Quanto verò fuit maior Dei ad prædicatores coniunctio dum viuerent: tanto maior significatur furor, in illo verbo, *Recedite à me.* quod eis in iudicio dicetur. *Ioan. 20.*

Tertia: quia illa met verba quæ mali prædicatores tractabant: erant ex se potentia Deo, ad destructionem omnis iniquitatis: erant rimæ per quas Sol iustitiæ in eorum animas gestiebat intrare, erantque canales & tubi per quos cœlestis aquæ flumen eorum corda irrigare conabatur. *2. Cor. 10.*

Quarta: quia iudicio meo cũ prædicatore iniquo semper Deus colluctatur: vt eum ab iniquitate deijciat. Iam nunc expende illius verbi, *Recedite*, rigorem, & terrorem.

Vltimò attende verbum illud. *Operarij iniquitatis*. non dixit qui facitis iniquitatẽ, sed *operarij*, quasi eorum officium fuisset operari iniquitatem. Eum enim operarium dicimus, qui dicatus est operi faciendo. Maximè ergo reprehenditur prædicator, qui se iniquitati dicauit.

Omnis ergo qui audit verba mea hæc, & custodit ea, assimilabitur viro, &c. Vir hic sapiens, qui domũ suam supra petram ædificauit, Verbum Dei est: Planè vir, quia virtus est Dei: &
Isaiæ 53. brachium Domini: & gigas qui exultauit ad currendã viam
Psalm 18. suam: & vir quem fœmina circundedit. Planè etiam vir sa-
Coloss. 2. piens: quia Dei est Sapientia, in quo sunt reconditi omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei. Hic igitur vir sapiens domum suam, id est, suam humanitatem fundauit super petra. Planũ arbitror esse, quòd humanitas Christi sit Verbi diuini
1. Cor. 6. domus. Si enim nos sumus templum Dei, & in nobis Deus inhabitat: quantò potius in sua sacerrima humanitate habi-
Prou. 9. tare dicemus? Verissimum enim est, Quòd Sapientia quę est Verbum Dei ædificauit sibi domum suam, secundũ carnem, &c. Hanc ergo humanitatem supra diuinitatis suæ petra fundauit, quando eam sibi adeò vniuit, vt verè diceremus: Deus factus est homo, & factum est, vt homo esset Deus. Pulchre verò dicitur domus supra diuinitate fundata. Siquidem deitas mansit oculis hominum, sicut fundamentum, abscondita: humanitate, velut domo, oculis mortalium detecta. Contra hanc domum venerunt flumina, & flauerũt venti: imò venerunt maria, & omnes aduersariæ potestates: venit totus infernus, & irruerunt in hanc sacram humanitatem, nec cecidit tamen, quia fundata erat supra diuinitate.
Psal. 68. Contra quam omnis seculi potestas minor est. Venerunt, inquit, aquæ vsque ad animam meam. Et rursus: Veni in alti-
Eodem. tudinem maris, & tempestas demersit me. Sanè, quia benè
Eccles. 51. fundata erat domus Domini, altitudo ventris inferi non modò non absorbuit domũ, imò contra ita firmauit vt eius firmitate domus nostræ firmæ factæ sint. Misit enim Deus
Psalm. 17. de summo (inquit hæc domus) & assumpsit me de aquis multis. Eripuit me de inimicis meis fortissimis, & ab his qui oderunt me, qui confortati fuerant super me. Cum igitur Christum contemplaris in nocte suæ sacræ passionis, cum
Hebr. 5. lachrymis, & clamore valido pro liberatione clamantem: intellige tunc frementes ventos, & furẽtes fluctus, & grandinis pluuiam: velut agmine facto, in Christum irruisse: adeò
Psalm. 68. vt Christus dixerit: Eripe me de luto vt non infigar. Libera me de profundis aquarum, non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum. At tanta erat huius domus firmitas, vt nec particula eius deciderit. Dicit enim:
Psalm. 114. Eripuisti oculos meos à lachrymis, & pedes à lapsu. Enimuerò

verò si Christus in agonia, vel minimum peccatū admisisset: nonnihil ex domo decidisse diceremus. At quia nemo est Ioan. 8.
qui eum arguat de peccato, (siquidem peccatum non fecit, 1. Petri 2.
nec est dolus inuentus in ore eius,) plane fit vt nec ruina domus magna aut parua facta sit. Quod si etiam domus hæc in sepulchrum lapsa videtur: non lapsa est tamen, sed profundius collocata, vt tutior nostra ædificatio consurgeret. Si enim mortuus est, propter peccata nostra mortuus est, sur- Roman. 4
rexit tamen propter nostram iustificationem.

Vt igitur Verbum Dei ædificauit supra sua deitate, suam sacram humanitatem: ita qui præcepta Christi, in his tribus capitulis contenta, perfecerit: ædificat domum suam, id est, corpus & animam suam, supra petram, id est, supra Christo. 1. Cor 10.
Quod vt planius sit, recolamus ex Apostolo, corpus nostrū 1. Cor. 3.
esse templum ac domum Spiritus sancti: imò totos nos, dicit, esse domum Dei. Nescitis, inquit, quod templum Dei estis, & spiritus sanctus habitat in vobis? Ad quod probādum 1. Cor. 6.
adducit textum Dei apud Ieremiam: Inhabitabo in eis, &c. Vos enim, inquit, estis templum Dei viui, sicut dicit Deus, Leuit. 26.
quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos. Imò ipse Dominus dicit. Ad eum veniemus, & mansionem apud Ioan. 14.
eum faciemus. Sumus igitur domus Dei, templum, & sedes. Et Apostolus nos vocat Dei ædificationem. Interim enim quod viuimus Deus & nos, nos ipsos ædificamus: siquidem, vt adiectione lapidum & laterum crescit structura, ita adiectione sanctorum operum, & virtutum acquisitione, crescimus in templum sanctum, in Domino. Quocirca erigere se, quiuis potest per gratiam Dei, & sua opera: in celsissimum 2. Cor. 5.
culminis fastigium. Quātum enim homo exterior corrumpitur, tātum homo interior, qui ad imaginem Dei conditus Coloss. 3.
est, renouatur de die in diem. Renouatur, inquam, & crescit: donec occurrat in virum perfectum, in mensuram ætatis, qua Ephes. 4.
plenus omni virtute apparuit Christus.

Huius verò ædificationis fundamētum, & lapis fundatus, est Christus, vt testatur Apostolus, dicens: Superædificati Ephes. 2.
supra fundamentū Apostolorū & Prophetarū, ipso summo angulari lapide, Christo IESV. In quo omnis ædificatio constructa crescit, in templum sanctum in Domino. Finge ergo magnum lapidem, rotundum tamen, si super eo ædificare velis, necesse est, eius rotūditatem aliorū lapidum adiectione ita cōplanari, vt super plano ædificari multæ domus

 possint,

possint: ita Christus rotundus lapis est: quia sine principio est,& fine: cùm tamen vbique sit principium & finis,siquidem est A & Ω.
Apoc. 1.

Huius ergo lapidis rotunditas, adiectione Apostolorum & Prophetarũ plana facta est. Ita enim ex oraculis Prophetarum,& vita Apostolorũ Christus est illustratus: vt nemo nisi stultus sit, qui se supra Christo ædificare non velit, & possit. Quare qui præter ea quę Apostoli docuerũt verbis,& operibus,aliud Euangelium, aliam ædificationem,aut aliud fundamentum struere conatur, anathema sit.
Galat. 1.

Porrò bitumen quo quiuis huic se fundamento superædificare debet, charitas est, & fides in Christo promissa. Cum igitur operamur per fidem & charitatem in Christum, nos Christo coniungimus. Et cum opera operibus superadijcimus,nos ipsos augemus & ita domum Deo ædificamus,in qua ipse inhabitet,adoretur,& sedeat. Quin,non solùm Deo domum ædificamus: sed & nobis. Vir enim sanctus non solùm intra se habitat (vtpotè qui interior homo sit:) sed etiã intra se suas habet opes: imò mens bona intra se regnum possidet. Siquidem, regnum Dei intra vos est.
Lucæ 17.

Porrò cõtra domũ quæ sic in Christo ædificatur, descendit pluuia, flant venti, & irruunt flumina. Sanè quia militia vita hominis est,non vno die,mense,aut anno,sed quamdiu viuit super terram. Itaque de cœlo, de terra, ab Aquilone, & vndique domus hæc quatitur. Dicitur enim in Sapientia, quòd omnis creatura armatur contra hominem, factaq; est in muscipulam pedibus nostris.
Iob 7.
Sap. 14.

Igitur pluuia de cœlo est: venti vndiquè flant,flumina de terra ortum habent. Crederent igitur pluuiam significare prosperitates de cœlo, etiam piis hominibus descendentes. A quibus periculum est vel mollitudinis,vel tumoris in anima. Sicut terrã à pluuia,tumescere,& mollescere videmus. Flumina verò significant omnia prospera & aduersa quę ex rebus seculi nobis cõtingere solent. A quibus periculũ ingẽs nobis est: sumus enim terra,& ideo facile à flumine irruente dissipamur. Venti verò sunt ea omnia tentamenta, quæ à dæmonibus insurgunt. Quorùm impetũ neque Iobi domus sustinuit. Quorũ acutum flatũ nec Adã sensit,nisi cũ lapsum se vidit. Quorũ artem & astutiã & Paulus ipse timet. Sicut igitur vẽti vndique flant: ita & aduersarius noster diabolus vndique circuit quærens quẽ deuoret. At vẽtus per rimulas etiam
Iob 2.
Genes. 3.
2 Cor. 2.
1. Petri 5.

etiam illabitur, vt sciamus quàm sit nobis difficile (qui tot patentes habemus fenestras,) dæmonum illapsus cauere.

Licet verò omnia prospera & aduersa: de cœlo, de terra, de aduersarijs potestatibus veniant, irruant & concutiant domum hanc, ipsa firma, perseuerat, etiā si iungantur arma iustitiæ, famæ, & ignominiæ: licet armentur præsentia instātia & futura, principatus & potestates, & omnis creatura non poterunt nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo. Videlicet, quia sicut Eliseus dixit: Plures sunt nobiscum, quàm cum illis. Et sicut Dominus ait: Nemo rapiet oues de manu mea: quia Pater qui dedit, maior omnibus est. Certè donū gratiæ ordinis est diuini, quam qui habet, potestatem habet calcandi super serpentes. Siquidē super aspidem & basiliscū ambulare poterit, & conculcare leonē & draconem. Habeamus nos Christum qui semen Euæ est, & licet nos Eua simus (cuius calcaneo insidiatur serpens,) Christus tamen eius conteret caput. Itaq; domui nostræ vt cadat, neutiquam ex pluuia ventis, aut riuis periculum imminet, sed ex semetipsa vi le miseram sortem, tu tibi periculum es, venenum, & pestis. Hactenùs de domo supra petra cōstructa. 2. Cor. 6. Rom. 8. 4. Reg. 6. Ioan. 10. Lucæ 10. Psal. 90. Genes. 3.

Nūc de domo quę corruit: Vir stultus qui ædificauit super arena, diabolus est. Vir, quia non est potestas quæ cōparetur ei super terra. Stultus quia cùm dæmones sapientes essent, stulti facti sunt, siquidē mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in imaginem miserādæ creaturæ. Tanta verò calamitas diabolo cōtigit: quia ædificare se voluit super se, super amore sui, & super gloriæ vanę cupiditate, quæ arena est exigua, nec lapidis obtinet firmitatem. Arena quidem diuisa est, & dispersa: at Deus vnus est, & qui ei adhæret vnus spiritus est. Porrò qui ab eo dissēdit, non fit vnus spiritus, sed per multa dissipatur. Arena, bibula est, nec satiatur vnquā. Porrò lapis, quē bibit humorē, conseruat, nec sitim in eo agnoscas. quia qui bibit ex aqua cœlesti sicut lapis, non sitiet iterū. Ædificauit igitur diabolus se, & suos super arena exigua: ideo venerunt flumina & vēti, & in eius ædificiū irruerunt. Siquidē omnia illa dona sapiētiæ & probitatis quibus Deus Angelū exornauerat, velut agmine facto, in eum irruerunt: fuerunt enim ruinæ eius occasio. Cecidit igitur domus illa, & facta est ruina grandis sanè, siue spectes eum qui decidit, siue tertiā partem stellarum, quam secum abduxit, siue locum in quem detrusus est, siue demum carceris æternam infœlicitatem. Iob 41. Rom. 1. Ephes. 4. 1. Cor. 6. Ioan. 4. Apoc. 1[illegible]. Isaiæ 4[illegible].

Huic stulto ædificatori similis est, qui audit hæc Domini verba, nec facit ea. Sane hic ædificat etiã domum: sicut & ille qui audit verba & facit. Par sanè est vtrique labor. Neque enim tibi persuadeas minus laborare, & angi impios, quam pios. En Dominus dicit, quòd sicut pius laborat, domũ ædificans, ita laborat & impius: ædificat enim & ipse domum, se scilicet & opera sua ædificat super delitijs, diuitijs, & honoribus, quæ omnia arena sunt, & puluis, cinis & terra. Si
Genes. 18. enim homo propter quẽ hæc omnia sunt, puluis est & terra, an non magis erunt & illa? Plane terrena sunt, nõ cœlestia,
Lucæ 10. diuisa sunt non vnum: Domino teste, qui dixit: Martha solicita es, & turbaris erga plurima: non erga vnum. at Maria vnum illud, quod necessarium est delegit. Sunt igitur arena,
1. Cor. 7. non lapis. Recte Paulus: Mulier nupta cogitat quæ viri sunt, & diuisa est. quia vt terrena sunt in se diuisa: ita animum diuisum efficiunt. Cùm igitur animus ex se noster, infirmus sit: si diuiditur, minor fit: virtus enim dispersa minor est. Animus ergo per secularia dispersus infirmissimus est. Non igitur cadentis pluuiæ, irruentiũ fluminum & flantium ventorum ictũ sustinere poterit. Labitur plane in quauis tentatione, misera (quæ Deo non nititur) anima. Si enim & quæ
Matt. 24. nititur Deo, caderet, nisi electa esset, & nisi breuiarentur dies illi tribulationis: (imò & cadunt nonnunquã electi, sed non
Psalm. 36. collidũtur, quia supponit Deus manũ suam:) quanto potius cadent, & collidẽtur impij? O verò magnã domus ruinam! Magna reuera est ruina eius qui in peccatum mortale cadit: maior heu qui in infernum labitur. Ego plane nescio quo dolore & lachrymis prosequar eum, qui cùm in gratia esset, id est, in cœlo: in peccatũ mortale decidit, id est, in infernũ.
Ephes. 2. Ex throno Dei vbi cum Christo sedẽt Christiani in cœlestibus, ruit in æterna tormenta: ô verè magnã ruinã. Profectò non potest non esse magna ruina, ad quam reparandã Deum ruere, & mori fuit necesse. Quod si est lapsus ille timendus,
Apoc. 2. quo anima ex gratia cadit in culpã, quanto erit ruina maior, quando ex morte hac priore, in mortem cadit secundam.
Psalm. 33. Reuera ruina grandis, quia mors peccatorum pessima: quã ossa animæ ita confringuntur, vt ad nullum bonũ agendum vires inueniat: quam vires animæ ita conciderunt, vt illa vera & viua tormenta, nullatenus ferre possint. Demum
Iob 10. magna est ruina: quia non manet lapis positus super lapidem, tum quia in inferno nullus est ordo: tũ quia in inferno.

nihil est firmum. Quare nec ibi inuenitur lapidis firmitas: quia hic fuit super arena, & nō super lapide ædificatio facta.

Et factum est cùm consummasset, &c. Colligamus ea, quæ authoritatem, gratiam, & admirationem verbis Christi conciliabant: Primū, erat illi vox sonora & suauis. Vt sponsa Cantic. 5.
de eo prædicat, dicens: Labia eius, lilia distillantia myrrham primam. Et rursum: Species eius vt libani, electus vt cedri, Cantic. 5.
guttur eius suauissimum.

Secundo erat illi summa ad persuadendum ars: habebat enim linguam eruditam: vt sciret eum qui lapsus est, verbo sustentare. Ideo enim dicitur, quod habuit linguam sicut sagittam, & sicut gladium acutum, pertingentem vsque ad Isaiæ 64.
diuisionem animæ & spiritus, compagum & medullarum. Hebr. 4.

Tertio erat ei natiua gratia, ad allectandos, & inescandos auditores: vt in medio concionis surgeret mulier, & clamaret: Beatus venter qui te portauit. Lucæ 11.

Quarto. Sicut anima Christi fuit instrumentū diuinitatis, ad edenda miracula in corporibus hominum: ita vox Christi erat instrumentum eiusdem deitatis ad facienda mirabilia in animabus. Vide S. Thomam. 3. Parte quæst. 13. artic. 2. & Secunda Secundæ q. 178. artic. 1. Igitur sicut erat res omni Lucæ 18.
admiratione digna, quòd Christi manus visum præstaret cæco, & quòd Christi vox vitā Lazaro præberet defuncto: Ioan. 11.
ita multò erat maiore admiratione digna, quòd eadem vox vitam præberet animabus defunctis. Quod si non intelligis audi: Verba Christi non solum excitabant animos audientium, nec solum suadebant, vt solent cæteri prædicatores, vsque faciebat Ieremias: cuius ori Deus sua verba concessit, Ierem. 1.
sed etiam illa Christi verba dabant virtutem, & potentiam ipsis animabus, vt vellent quæ ipse prædicabat: dabat igitur gratiam, sine qua anima mouere se ad iustitiam coram Deo non potest, vt in Concil. Trident. sess. 6. c. 5. docetur.

Quintò: patet ex dictis, quòd reliqui prædicatores prædicant, vt homines, neque enim dant voci suę vocem virtutis, sed Christus prædicabat vt Deus: iam enim aderat, qui lo- Isaiæ 52.
quebatur. Non ergo qui audiebant Christum, hominem videbantur sibi audire: sed Deum.

Sextò addebat authoritatē summa vitę innocentia. nemo enim potuit illum arguere de peccato. Ioan. 8.

Septimò Miraculorum claritas. Vt enim Moses claritate vultus sui, ostendebat se legislatorem: ita Christus, clari- Exod. 34.
tate

Ioan. 10. tate operum suorũ. Ideo enim dicebat: Opera quę ego facio
Ibidem. testimonium perhibent de me. Et rursum: Si mihi non creditis, operibus credite.

Octauò: qui de longinquis regionibus veniunt, & narrant noui orbis miracula, audientium ora intenta tenent: & mi-
Ioan. 3. rari faciunt auditores: quanto potius, qui de cœlo veniebat,
Matth. 5. & mirabilia vitæ cœlestis referebat?
Ibidem. Nonò: Christus dicebat: Beati estis cùm vos maledixerint homines propter me. Et rursum: Nõ veni soluere, sed adimplere. & alia multa, quæ solus Deus dicere iure poterat. Id
Ioan. 5. erat loqui cum potestate. Iam tenere audientiũ animos: ne lapidarent eum qui se Deo æqualem faciebat: erat grandis potestatis argumentum. Maximè cùm admirarentur turbæ, & sequerentur eum qui talia dicebat.

2. Cor. 13. Decimò: Paulus loquebatur tam magnificè vt diceret: An experimentum quæritis eius qui in me loquitur, Christi? Quanto magnificentius Christus ipse loquebatur ore suo? Loquitur enim Deus per sanctos. Sumit tamen diuina loquela contagij nonnihil, ex ipso qui loquitur. Eloquentius enim loquebatur Deus per Isaiam, quàm per Amos. At in Christo loquela Dei pura perfectaque proferebatur. Itaque admirabantur turbæ, quia Pharisæi, & Scribæ, nunquam loquuti fuerant ad modum quo sua Christus verba resonabat. Siquidem loquebatur verba nunquam audita: proferebat lucem nunquam visam, inuitabat ad cibum nunquam gustatum.

CAPVT VIII.

Cùm autem descendisset de monte.



Idebar mihi nihil adijcere posse, ijs quæ à maioribus nostris tam magnificè dicta sunt. Addam verò multa: quædam verò deprompta ex Magni Radulphi Dauiacensis Commentarijs in Leuiticum. Per lepram intellige propositum & voluntatem manendi in peccato. Igitur (vt habes in 13. & 14. cap. Leuit.) lepra alia est in cute, alia in carne viua, alia in cicatrice, alia in capite, barba, caluitio, vestibus. Primò: Tunc in cute est, cùm quis primùm, ex gratia in peccatũ lapsus est: non ita tenaciter tamen peccato hæret, quia si eum

si eum reprehendas, facilè à peccato resiliat. Secundò: Tunc est in carne viua, quando peccatū altius penetrauit: & anima ita placet sibi in peccato, ac si soli peccato viueret. Tertiò: Tunc in cicatrice, quando redit homo ad peccatum, de quo sanatus fuerat. Quartò: Tunc in capite & barba, cùm peccatum est contra fidem Christi, qui caput est Ecclesiæ: aut honorem Sanctorum qui sunt barba qua Christus decoratur. Quintò: Tunc in caluitio, cùm peccatū ex virtutibus nascitur. Si enim superbis de paupertate, & defectu vitiorum: nata est lepra in defectu pilorum, id est, in caluitio. Sextò: Tunc in vestimentis, cùm quis exteriorem iustitiam contemnit, id est, sacras cæremonias. *Psal.* 132.

Porrò emūdatio leprosi hęc erat: Offerebat ille duas aues, cū ligno cedrino, hyssopo, vermiculo, & cocco: alter passer immolabatur, super vase fictili, & aquis viuētibus, alter verò sanguine prioris tinctus, dimittebatur liber in agrū: leprosus tamen septies sanguine passeris primi tingebatur. Per hos duos passeres, Christū, & peccatorem intelligo. Cùm enim homo nō quærit speluncā, in qua velut serpens habitet: sed quærit altaria Domini, vt nidū faciat, & ponat pullos suos, tunc auis est. Christus verò passer est solitarius in tecto, quē pater & mater reliquerunt, sed Dominus, inquit, assumpsit me. Hyssopus verò, petrę adnascēs & mala pectoris purgās: fides est: quæ Christo Petræ viuæ hæret. Cedrus quæ in altū surrigitur, spes est, immortalitate plena. Vermiculus verò seu coccus manifestè indicat charitatē, purpureo seu igneo colore rubentē. Leprosus igitur pro sua sanitate, duos passeres Deo offerat, scilicet Christū, & se, simulq; fidē, spem, & charitatem. Ita tamen vt primus passer immoletur, quia per fidē in sanguine Christi incipit redemptio nostra: & quidē licet non quotidie Dominus cruento sacrificio immoletur: quotidie tamē, dū in hostia offertur, idē fit, ac si suo sanguine respersus offerretur. Quotidie enim Christus est sacerdos, hostia, & sacrificium. Huius ergo passeris sanguine, quem in hostia bibimus, & quo tingimur, cùm hostiā sacrā manducamus, sanamur, & perfectè sanamur: quia sine sanguinis Christi intinctione, nullus ad perfectum adductus est. Hæc verò perfectio significatur, cū dicit: Intingatur septies. Cùm verò hoc sanguine perfusus peccator fuerit, in agrū auolare debet: cedrū, hyssopū, & coccū sibi ligata ferēs, id est, ligatus fidei, spęi, & charitati, ô rem mirabilem in agrum inuitatur: *Leuit.* 14. *Psalm.* 83. *Psal.* 101. *Psalm.* 26. *Matth.* 16. *Sapien.* 5. *Lucæ* 12. *Rom.* 3. *Rom.* 6. *Heb.* 9.

vt de-

vt deferat quæ in mundo sunt, & in cœlo sit cõuersatio eius.

Tunc, inquit textus: Lauet vestiměta sua, id est, exteriores operationes. radat pilos corporis sui, id est, omnia superflua à se rescindat, ita dignus erit ingredi in castra, id est, in consortium Sanctorum. Manebit tamen (inquit,) extra tabernaculum suum, donec pilos capitis, superciliorum, & barbæ resecuerit. Non enim datur homini pax, & tranquillitas conscientiæ (quod est habitare in tabernaculo suo) donec abraserit omnes cogitationes, & omnia quę Christo capiti, & sanctis qui sunt barba, superflua visa fuerint. Sed te precor,
1. Cor. 3. an non stultus iudicabitur ita rasus? Ita plane. Sed qui vult sapiens esse, stultescat. Nam & Paulus vt sanus esset, prostratur in terram, velut stultus, & mortuus, &ç.

Actor. 9. Non libet tamẽ silere, quòd passer ille qui immolabatur, in vase fictili immolabatur: nam si Christus mortuus est, in
Hebr. 9. corpore fragili mortuus est: idq; per Spiritum sanctum, qui per aquas viuentes in sacris literis significatur. Dicamus nonnihil de textu.

Descendit de monte. Id est, de maiestate, de legis rigore, de
Psalm. 93. vindicta, de duro illo nomine: quod esset Deus vltionum,
Exod. 20. Deus zelotes, vindicans peccata in quartam generationem. Descendit ergo in humilitatem, & mansuetudinem. ò verò miram hominum miseriam: non sequuntur Christum nisi
Philip. 2. exinanitum, & in forma serui. Sed ò mirabiliorem Domini
Ioan. 12. in deiectione virtutẽ, qui cùm exaltatur à terra, tunc omnia
Luce 10. trahit ad se. & quod in monte nõ fecerat: in humilitate facit. Profectò Christum crucifixum colunt Christiani: nullus verò maior descensus, quàm crucis: nec vlla sequela maior, quàm Christianorum. Si ergo Prædicator vult turbas sequentes, vere sit humilis, descendẽs de monte: sequẽtur profectò eum turbæ, maximè si eum in monte, Deo cum Maria tenentem, charitas facit vt cum Martha descendat. Grauatè quidem descẽdit de suo lecto sponsa, ne lotos pedes rursum
Cantic. 5. inquinet: sed amor proximorum descendere facit: ac ita ex animo eam turbæ sequentur.

Cùm verò turbæ sequuntur, leprosus sanatur: Ergo ideo leprosi sanantur, quia turbæ sequuntur. Cùm turbæ sequuntur, velut placidior Deus redditur: & ad misericordiã propensior. Imò cùm multæ turbæ sequuntur, multæ orationes pro miserijs releuandis effundũtur: quibus Deus inclinatur ad suam benignitatem exercendam. Quia si turbæ multæ sunt,

sunt, quæ sequuntur: maiora merita crescũt, quę velut cogũt Deum suas in nos opes effundere. Quantò igitur pauciores sunt serui Dei, tantò Deus ad misericordiam effundendam contractior redditur. Verum enim est, quod in multitudine populi dignitas regis ostenditur: sicut in paucitate plebis ignominia, & velut contractio principis est. Verum etiam & illud est: In multiplicatione impiorum, multiplicabuntur scelera. Demum verissimum est, quòd tunc per tecta submittitur infirmus corã Christo, cùm multi eum audiunt, vt nec ad portam capere possint. Rogate ergo dominum messis, vt multos mittat operarios in messem suam. Cur igitur multi religionis specie tumentes, tunc dolent: cum multos pietatem & deuotionem sequi vident? Prou. 14. Prou. 29. Luca 5. Luca 10.

Ecce leprosus venit. Meritissimè Matthæus dixit: *Ecce leprosus*. Rem enim mirabilem dicebat, videlicet, quòd leprosus veniret. Quid enim habet leprosus cum Christo? Leprosus est qui animum peccandi habet: qui in suo æterno à Deo abscessit: qui ciuis inferni iam est: qui pactum cum inferno fecit. Quomodo igitur hic ad Christum venit? Sanè grandis est tyrannis peccati, graue iugum dæmonis, grandis cæcitas leprosi, grandis deprauatio voluntatis suæ: quomodo igitur leprosus tot catenis ruptis ad Christũ potuit accedere? Imò cùm mortuus esset peccato, quomodo venire potuit? Venit verò sponte, venit non coactus (vt Lutherani mentiuntur.) Imò venit adorabundus, genibus flexis, sed corde magis flexo. Quia nemo mũdari à lepra potest, nisi Christũ adoret. Pater enim omne iudicium, etiam leprosi dedit Filio: vt omnes honorent: & adorent Filium, sicut & Patrem adorant. & arbitror nullam esse in hac vita adorationem, qua magis gaudeat, & ferè magis glorificetur Christus, quàm adoratione leprosi. Gaudiũ siquidem est maius corã Angelis Dei, (& ideo etiã coram Christo) super vno peccatore pœnitentiam agente, quã supra 99. iustis. & vehementior ferè gloria est ab inimicis adorari, quàm à domesticis. Vt grãdis siquidẽ gloria dicitur: Coram illo procident AEthyopes, & inimici eius terrã lingẽt. Sẽtiebat planè leprosus Christi maiestatẽ, sentiebat & suę lepræ fœtorẽ, tremebat coram tanta celsitudine. Habes igitur lector typũ vbi mundationẽ peccatorum agnoscas. Primũ enim peccator intima Dei inspiratione afflatus venit ad Christũ. Vbi suę lepre fœditatẽ vidẽs, tremit, & adorat, & dicit: non sine gemitu, & parturientis dolore. Isaiæ 28. Tren. 1. Ephes. 2. Ioan. 5. Luca 15. Psal. 71.

Domine

Domine si vis, potes me mundare. Sed te quæso leprose, cur non dixisti: Domine munda me? Labem tuam agnoscis: potentiam Christi tu ipse fateris, cur non dicis: Munda me? Sanè quia qui se peccatorem agnoscit, vix vel mutire audet: dignũ enim se inferno videns, dicit: Mereor Domine, tuam contra me vindictã: si eam exercere libet, fugere nõ possum, adsum. Sed si nõ rigore iustitię, sed multitudine miserationũ vti erga me velis, tu solus me mundare potes. Adde tamen secundam causam. Planè si Christus nihil aliud erat adhibiturus ad leprosi mundationem, quàm sola verba: nihil aliud leprosus diceret, quàm, Munda me. Porrò quia ad mundan-
Hebr. 9. dum leprosum adhibẽda erat mors Christi, (passeris scilicet
Leuit. 14. immolandi:) & illa mors erat tam acerba futura, cuius sanguine erat lepra septies intingenda: si igitur tanti constabat medico, leprosi mundatio, an non iustè leprosus timeret dicere, Munda me? An non consultius dixit: Si vis, potes? Ita enim Dauid non abruptè dixit: Parce mihi, sed cogitatè pre-
Psal. 50. catur: Miserere mei secundùm magnã misericordiam tuam: & secundùm multitudinem miserationum tuarum. Sciebat enim peccatũ mundari, nõ solo verbo, sed sanguine Christi: qui non nisi ex multitudine miserationũ erat effundendus.

Vnde iam intelligis Emphasim illius verbi: *Volo*. Parum fuit Deo condere mundum, parum etiam est, quòd mun-
1. *Thes.* 4. dum ipse gubernet. Sed illud *Volo*, sanguinem eius fudit, & mortem conciliauit. Sanè voluntas Patris fuit, sanctificatio & mundatio leprosi. Hæc eadem fuit voluntas filij. Holo-
Hebr. 10. caustum, inquit, pro peccato noluisti. quid ergo? Corpus
Psalm. 39. aptasti mihi, quod ego immolem tibi. In capite igitur libri scriptũ est de me. (Hæc enim est summa & caput libri legis)
Matt. 26. vt hanc tuam voluntatem facerem. Deus meus, Volui. Si enim non potest fieri, nisi vt bibam calicem, fiat voluntas tua. Ecce ego in flagella paratus sum.

Epist. 1. *decret.* Memini Sixtum Papam probasse quòd Christus sit Deus, ex illo verbo: Ego facio opera Patris mei. Felix etiam Papa
Epist. 3. *decret.* idem probat ex illo: Ego quod vidi apud Patrẽ loquor. Idem cõtendit Soter Papa ex eodem verbo. Quanto igitur vehe-
Epist. 1. *decret.* mentius probabitur ex hoc verbo: *Volo mundare*. hoc enim *Volo*, idem valet ac si dixisset: Mala quæ tu pro peccatis tuis commeritus es, ego mihi sumã: pro eis moriar, super hume-
Lucæ 15. ros meos collocabo Lepramq́; tuam (quantum phas est) in
2. *Reg.* 12. me transferã. Dixit Natham ad Dauid? Transtulit Dominus pecca-

peccatum tuum, sed in quem transtulit? Certè in humeros Christi. Nam & Ezechias, inquit: Proiecisti post tergum *Isaiæ 38.*
tuum omnia peccata mea, planè quia omnia languores nostros ipse tulit. Fuit enim Christus murus & antemurale in *Isaiæ 53.*
quem omnes calamitates inciderunt, ne in domos ciuitatis *Isaiæ 26.*
inciderent. In hoc igitur verbo, *Volo*, commendat Christus *Rom. 5.*
charitatē suā, quia pro leprosis mortuus est, transferēs in se *Isaiæ 53.*
leprā nostrā. Vnde nos reputauimus eum, quasi leprosum.

Sed aduerte: non prius dixit Dominus, *Volo mundare*, quàm manum extenderet. Olim siquidem manum suam Dominus in sinu gestauerat: Quod dolens Dauid dicebat: Vt quid auertis manum tuam, & dexteram tuam de medio *Psalm. 73.*
sinu tuo in finem. At tunc extendit manum, cùm ieiunat, laborat, & sudat. Sed tunc maximè, quando expādit tota die manus, ad populum contradicentem. Tunc maximè, quādo *Isaiæ 65.*
cornua in manibus eius. Quādo expādit alas suas, & assumpsit leprosum: id est, quādo expensis in cruce brachijs, operatus est salutem in medio terræ. Tūc igitur extēdit manum: *Abac. vlt.* *Deut. 32.* *Psalm. 73.*
sed tunc tangit infirmum, quando per Sacramenta inserit eū in se. Scimus enim quòd nullus leprosus, aut æger sanari possit: nisi tangatur a Christo, à quo virtus exibat, & sanabat omnes. Nihil ergo mireris, docte Lector, si manus Moysi in *Lucæ 6.*
suo sinu reclusa sana erat. At eadem è sinu extenta leprosa *Exod. 4.*
videtur. Quia videlicet referebat illa Mosaica manus manū Christi in se quidem sanam: at vbi ad peccatores extēditur, leprosa monstratur.

Et confestim mundata est lepra eius. Duo hic aduerte. Primū, quod impossibile erat peccatum, seu lepram mundari: nisi per cōtactum Christi. Ideò enim Patres antiqui detinebantur in Limbo, quia nondum venerat manus, quæ suo tactu lepram expiaret. Peccatum siquidem infinitatem habet: quę nisi pretii infinitate cōsumi non potest. At vbi valor infinitus sanguinis Christi lepræ accessit: subitò, cōfestim sanatur. Vbi enim abundauit virtus peccati, superabundauit poten- *Rom. 5.*
tia sanguinis Christi. Vetus ergo homo noster cum Christo *Rom. 6.*
confixus est, & caro Naamam leprosi sicut caro pueri (nam *4. Reg. 5.*
pueri cœlum intrant) restituta est.

Secundò nota: Non dixit Matthæus, Confestim leprosus sanatus est. Sed confestim est lepra sanata. Sane cùm Dominus peccatorem extimulat, vt à peccato & lepra fugiat: statim leprosus lepram suam horret: ad Christum venit, eum

adorat, & rogat vt mundet. Et contingit, vt peccator contritionem de peccato suo habeat, dicente Christo, Volo, mundus esto. Tunc confestim sanatur lepra, etiam ante confessionem peccatorum coram sacerdote. Porrò quia ante confessionem, adhuc leprosus astrictus est, vt cōpareat coram sacerdote, (etiam lepra mūdata) coram quo lepram suam detegat: ideo fugatam dicit Matthæus lepram, sed leprosus adhuc liber non est. Licet enim reuelationem habeas, quod lepra tua sanata sit, adhuc ostende te sacerdoti.

Quòd verò Dominus admonet vt nemini dicat, consilium consultissimum est, ne vocationem tuam, & lepræ spiritualis mundationem traducas. Sacramentum enim

Tobiæ 12. regis celare bonum est.

Quòd verò munus offerri sacerdoti iussit Dominus, indicat: sacerdotes peculium hoc habere, munera, scilicet eorum qui sua peccata confitētur. Dignus enim est operarius mercede sua.

Matth.10. Demum quòd dicit. *In testimonium illis*. Monstrat quòd *Matth. 11.* iustificatur sapientia à filijs suis: qui credere noluerunt, cum adessent testes omni exceptione maiores. Quid ergo nos faciemus: cum venerit Dominus, & iniustos repererit: Cum tot viros à Deo vocatos, & à lepra mundatos, mittat quotidie: vt ipsi videntes ad Christum conuertamur? Hæc nos sacerdotes, nobis dicta intelligamus. Simul etiam aduerte, quòd nullus leprosus (id est, peccator) propter peccatum suum à castris Ecclesię eiectus, ad fidelium conuersationem admitti debet, nisi sacerdotum iudicio. Id est, nullus excommunicatus communioni reddendus est, nisi per sacerdotes: Id quod mandauit Petrus apud Clementem. Epist. 1. & 2.

Cùm autem introisset Capharnaum. Hæc sacra historia intelligi dupliciter potest. Primum de laicis hominibus: qui seruos habent infirmos: Vt ipsa narratio præ se fert. Quam expositionem prosequētes, tria aut quatuor annotare libet. Primū, quàm pij esse debeant laici, humiles in Deum, fideles in Christum, amantes in suos. De quatuor Centurionibus

Lucæ 23. mentio fit in testamēto nouo. Videlicet de hoc, & de eo qui

Actor. 10. ad Christi crucem dixit, Verè filius Dei erat iste. De eo qui à

Actor. 27. Petro edoctus est, & de eo qui Paulum benignè tractauit. & hi omnes pij fuerunt. Vt notaretur: Si laicus homo, gētilis, militiæ adstrictus, & aliorū præfectus, ita humilis est & pius: quantò potius, reliqui omnes, qui pietatem professi sunt?

Secundò,

Secundò nota: Erat huic Centurioni seruus pretiosus, & infirmus: Vbi admonemur: ne quicquā seculare pretiosum, aut clarissimum habeamus. Alioqui morietur, aut infirmabitur. Solenne Deo est, pios in eo maximè vulnerare, quod ipsi habent maximè pretiosum. Adam in Abele percussus est, Abraham in Isaac, Iacob in Rachel, Dauid in puerulo sibi recens ex Bethsabee nato. Adeò enim amor ille tener tuus (quem in secularia collocas) pretiosus est, vt eum Deus sibi cupiat & optet. Adde, Deum velle vt nullas opes, nisi ipsum Deum habere glorieris. Vide Petrum de sua fide gaudentem ad vocem ancillæ prostratum. Paulum de castitate gloriosum, stimulo carnis irritatum. Videlicet ne simus fidentes in nobis, sed in Deo.

Genes. 4. Gen. 22. 35. 2. Reg. 12. Matt. 26. 2. Cor. 12. 2. Cor. 1.

Tertiò nota: Habebat hic Centurio milites quibus dicebat, Vade, veni: & obsequebantur. Verè erat hic prudens, & amabilis homo. Vt cui ad nutum obsequebantur, qui inter omnes minus obsequi solent. est enim militum gens vt plurimum, dura & peruicax. Agnoscant igitur Principes nostri documentū pulcherrimum. Si volunt subditorum obedientiam, habeant eos pretiosos. Ideo enim arbitror, Centurio habebat milites obsequentes, quia pretiosos eos habebat.

Quartò nota: etiam in militibus, etiam in laicis, & secularibus nonnunquam esse tam sublimia dona, vt in reliquis tanta non inueniantur. Nec enim Iudæorum Deus tantum, sed & gentium. Id est, non est Deus Ecclesiasticorum tātum, sed & laicorum. Planè Iob rex erat, & Tobias laicus. Vide verò eorum patientiam.

Rom. 3. Iacobi 5.

Quintò nota. Cur huius fidem laudarit Dominus? Planè non laudat Dominus fidem iacentem & otiosam. Sed vbi animus tuus, summa reuerentia Christum tractat, summa humilitate seipsum despicit, summa charitate proximū curat: prodit se tūc fides, quā Deus miratur & laudat. Vt enim fides mediantibus alijs virtutibus, producit actus omnium aliarum virtutum: ita mediātibus actibus aliarum virtutum, augetur. Cùm ergo summas habueris alias virtutes, tūc laudabit, & mirabitur Dominus fidem tuam. Vide obsecro D. Thom. 2. 2. q. 3. artic. 1. ad tertium. Igitur quiuis nostrum dicere solet, Domine non sum dignus, vt intres sub tectum, &c. At non cuiusuis nostrum Christus fidem mirabitur.

S. Thom. 2. 2.

Sextò, nota illud, *Non inueni tantam fidem in Israel*, quod quidem (vt Theologi loquuntur) formaliter verum est.

Siquidem Israël tãtùm complectitur legem, at ex lege nemo ad perfectum adductus est. Lex enim perfectũ facere nequit,
Heb. 9 10. sed gratia. Si enim ex lege esset iustitia, & fides illa tanta, quæ à Deo laudari meretur, Christus gratis mortuus esset.
Galat. 2. Quia verò in Lege, & in Israël iustitia hæc non inuenitur, ideo Christus venit, &ç.

Septimò nota; *Multi ab oriente & occidente.* Solùm meminit orientis & occidẽtis: quia gigas noster exultauit ad currendam viam suam, à summo cœlo egressus, id est, ab oriẽte, &
Psalm. 18. occursus eius vsque ad summum eius, id est, ad occidentem.
Psalm. 49. Et quia à solis ortu, vsque ad occasum laudabile nomen Domini. Vbi igitur laudatur Deus, & vbique imperat, inde eius veniunt filij.

Vltimò nota: *Fiat tibi sicut credidisti.* Non ergo tribulatio & infirmitas fugiendæ sunt, nec tantopere traducendæ: quæ fidem nobis efficiunt, tam eximiam: quę Deum laudatorem nostri, & admiratorem, nobis conciliant: quęque Deum nostris votis obsequentẽ præstant. Sanè nisi fuisset huius Centurionis seruus infirmatus, nec talem forsan ipse habuisset fidem: nec à Deo ita fuisset laudatus. & hactenus explicatio de laicis.

Sed quia hæc explicatio ad laicos duntaxat contracta est: libet eam ad omnes Christianos extendere. Sanè in priori miraculo de leproso, significata est conuersio, & mundatio peccatoris à peccato suo. Ordo igitur rectus exposcit: vt in curatione serui Centurionis, liberatio hominis pij à tentatione carnis suæ significetur. Arbitror ergo per Centurionem virum pium significari. Per eius seruum paralyticum, & planè moriturum: credo notari carnem vel corpus furiis tentationum agitatum, & iamiam morti peccati vicinum. Quòd verò Centurio Seniores ecclesiæ, ad Christum adduxit: typus est pij hominis, qui periculo tentationis pauidus, omnes rogat, vt à Christo suam liberationem implorent. Quòd autem Centurio se indignum Christi aduentu fatetur: apertè indicat virum pium, qui (quando, cum sua carne luctatur) maculas ab ea contraxisse credit: ac ideo se Christi conspectu indignum existimat. Quòd demum Christi verbo puer sanatur, indicat, fieri posse: vt in hac vita caro parum, aut nihil rebellet contra spiritum. Sed pace
Iob 5. à Deo cum bestijs terræ facta: vir pius in sua tranquillitate lætetur.

Habes

Habes Lector velut in transenna huius historiæ significationem. Nunc precor: finge te videre Paulum carnis stimulis agitatum, rogantemque suppliciter: vt angelus ille Satanæ discederet ab eo. At ex aduerso, vide carnem Pauli repugnantem legi mentis, & captiuantem eum in lege peccati: ac proinde clamantem: Infœlix ego, quis liberabit me ab hac carne moritura, nisi per gratiam Dei liberetur? Si hoc intelligis planum erit Paulum, & quemlibet pium, significatum esse per Centurionem: & carnem Pauli significatam per seruum Centurionis, &c. Tractemus nunc singula. 2. Cor. 12. Rom. 7.

Vir pius Centurio est, id est, miles qui sub se, cẽtum milites habet. Et primũ quòd pius, sit miles, testatur Iob, dicens: Militia est vita hominis super terram. Et rursum: Cunctis diebus quib' milito, expecto donec veniat immutatio mea. Et Paulus, Arma militiæ nostræ, sunt potentia Deo. Iob 7. Iob 14. 1. Cor. 10.

Quòd verò pius centum sub se milites habere debeat, quibus suam animam custodiat, explicauit Sponsa cùm dixit: Sexaginta fortes lectulum Salomonis ambiunt, omnes ad bella doctissimi, propter timores nocturnos. Fortes viros sponsa dixit esse sexaginta, propter continuum laborem: senarius enim numerus est laboris. Eosdem nunc fatemur esse centum, propter perfectionem. Nam centenarius perfectionis numerus est. Quilibet ergo pius habere debet centum, siue sexaginta fortissimos viros, quibus animam suam, quæ est lectulum Salomonis, custodiat à periculis nocturnis. Et quidem si nobis est colluctatio, non cum vno milite, sed cum principatibus & potestatibus: necesse est, vt quiuis nostrum perfectum militum habeat numerum, quo tanto hosti resistat. Cantic. 3. Ephes. 6.

Plane si in carne nostra multa desideria sunt, quæ aduersus spiritum militant: & multæ concupiscentiæ, quæ militant aduersus animam: necesse est etiam in viro pio, multas esse virtutes, quæ pro Deo, pro fide, & pro anima militent aduersus carnem, dæmones, & infernum. At quia non sat est, vnam aut alteram habere virtutem (qui enim offenderit in vno, fit omnium reus) ideo dicitur, quòd pius habeat centenarium: id est, perfectum numerum virtutum, velut militum. Nec enim nascitur Isaac Abrahæ, nisi iam centenario, id est, nullatenus nascitur pietas, nisi centenario, & omnibus virtutibus perfecto. Et hac ratione, præmium centuplum promittit Dominus ei, qui reliquerit patrem, ac Iacobi 4. Iacobi 4. Genes. 17. Matth. 19.

matrem, &c. Quasi diceret: Quia centum milites estis, centum præmia propono. Igitur quiuis pius homo Cēturio esse debet.

Sed age videamus, quísnam est huius Centurionis seruus? Huic respondeat Deus ipse. Caino dixit Dominus, Subter te
Genes. 4. erit appetitus tuus. Vix enim inuenias alium qui natura seruus sit præter appetitum: Seruus ergo à natura institutus, est appetitus, siue homo vetus, siue homo exterior, siue caro, siue corpus, siue Adam terrenus, siue quouis alio nomine nominetur. Vtinam verò vt natura eum seruum instituit: ita seruus semper esset. Sed væh, quia frequentissime è seruo, dominationem tyrannicè rapit: aut quod peius est, nos ei illam concedimus. Tunc enim homo qui in regio honore
Psalm. 48. erat, non intelligit, & ideo comparatur iumentis. At licet sæpe appetitus dominetur in nobis, seruus tamen adhuc est. Potius enim est, quod Deus dedit, vt esset quàm quod nos eum esse voluimus. Benè tamen est, quòd Centurio pius: eum agnoscit, esse seruum, spes enim remedij sublucet, cum teipsum nosti, qui sis.

Hic igitur seruus iacet nonnūquam in domo paralyticus, id est, dissolutus. Cùm enim appetitus tuus à te frænatur, &
Prouer. 2. cohibetur: vt non exultet in rebus pessimus: sed vt cor tuum
Psalm. 83. & caro exultent in Deum viuum, non iacet paralyticus: at
Isaiæ 35. cùm manus habet dissolutas, & debilia ad bonum agendum genua: quando videlicet, velle adiacet nobis: sed perficere
Rom. 7. non inuenimus: tunc paralyticus est Adam noster, imò potius Eua.

Et si paralyticus est, aliquando malè torquetur: vide Dauidem dicentem: Concaluit cor meum intra me, & in medi-
Psalm. 38. tatione mea exardescet ignis. Videlicet, quia cùm peccator cōsisteret aduersum Dauid, caro exardescebat. At si cor igne torretur, planè malè torquetur. Et quidem cùm caro obedit spiritui: tunc si torquetur, bene torquetur. Crux enim illa
Matth. 5. bona est, cui merces copiosa manet in cœlis. Porrò si proxima morti peccati caro est, male torquetur. Et profectò malè torquetur, & quodam inferni genere torquetur homo: qui ex parte vna Deum offendere nulla ratione cupit: at ex parte
Ephes. 6. altera ad offendendum, à carne vehementer solicitatur, & propè velut reprobo sensu impellitur. Rectè Paulus rogat, vt possitis resistere in die malo. Malus dies malum tormentum est, cùm tentatio iamiam hominem vincit.

Egregi

Egregiè verò dicit: *Erat seruus illi pretiosus.* Nisi enim pius homo suum appetitum haberet pretiosum, nihil ab eo sibi periculi immineret. Sed quia Eua fuit pretiosa Adæ, ideo tam sumus miseri omnes filij Adæ. Sane pretiosus est mihi peccanti appetitus, quem plus æstimo quàm Deum: quam eius gratiam, eiusque gloriam. Si enim ne molestia afficiam appetitum: molestia afficio Deum, eiusque dona contemno: planum est, quam sit ille mihi pretiosus. Imò verò pretiosior est peccanti appetitus, quàm peccans ipse sibi. Vult enim subire inferni tormenta potius: quàm suum appetitum contristare.

Porrò eleganter describitur hic paralyticus in Capharnaū, id est, in villa pulchra, & delectabili. Ideo enim appetitus languet: quia inter pulchra, & delectabilia versatur. Neque enim per loca arida & inaquosa spiritus malus, qui appeti- *Lucæ 11.*
tum proritat, requiem inuenit. Requiescit verò sub vmbra calami, & in locis humentibus. Et quidem si præda ex Moab *Iob 40.*
non fuisset pulchra, & delectabilis: appetitus Saulis non incidisset in paralysin, nec mortem Sauli parasset. *1. Reg. 15.*

Iam verò si Eua nostra, siue miser appetitus, iamiam est abstractus & illectus: fit, vt morti vicinus. At nihil est quod *Iacobi 1.*
pius homo timere magis debeat, quàm mortem peccati. Tunc roget amicos, roget sacerdotes, nullum lapidem non moueat: vt Christus eum ab illa morte præseruet. Hoc ergo dicit: *Domine puer meus iacet, & malè torquetur.* Vbi duo aduerte, alterum, quod non dicit: Domine sana puerum: fortè enim non ita conuenit, sed forsan melius est, vt virtus in *2. Cor. 12.*
infirmitate perficiatur, & aurum in igne probetur. Alterum, sat visus dixisse, *Puer torquetur*. Sicut sorores dixerunt: Do- *Ioan. 11.*
mine quem amas infirmatur. Quasi dicant: Munus regis est succurrere militi periclitanti. Pastoris est accurrere oui à lupo deuorandæ: Medici est obsistere morbo grassanti. At tu Domine rex es, pastor, & medicus.

Ego veniam (*inquit Dominus*) *& curabo eum.* Quasi dicat: Sacram sume Eucharistiã, ego tunc ad te veniã, & tuam Euam curabo. Firma est hæc expositio ex Augustino: qui Centuriones esse dicit, qui ad Eucharistiam verentur accedere. Ergo aduentus Domini ad Cēturionem, est aduentus Christi in Eucharistiam, ad eum qui communicat. Eleganter verò dicit *Veniam, & curabo*. Siquidem frequenter experiuntur qui communicant: carnis petulantiam & dissolutionem

per communionem adstringi: tentationes minui: & ferè
Zachar. 9. infirmam carnem sanari. Testis huius rei est Deus ipse, cùm ait: Quid enim bonum eius (id est, Ecclesiæ) est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinās
Ephes. 5. virgines. Igitur vinum de quo Paulus ait: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria: hoc ipsum (cum sanguis Christi est)
Rom. 6. non facit lasciuos, sed potiùs germinat virgines. Ego igitur veniam, & curabo. Etenim si Christus ex infirmitate, cruci affixus, veterem nostrum hominem cruci affixit, & debilitauit: quanto nunc potius, quando viuit ex potentia Dei, carnem nostram curare poterit?

Domine. Respondet Centurio: *Non sum dignus, vt intres sub tectum meum.* Duo mihi consideranda sunt. Alterum: Cur Centurio qui diligebat gentem Iudæorum, & synagogam ædificauerat: id est, qui proximos diligebat, & Deum colebat, asserit indignum se, vt suo tecto Christum recipiat? Planè quia quo plus Deum amas, hoc Deum magis æstimas, teque vehementius contemnis, ac ideo indignum te Deo reputas.

Adde quòd ad rem magis spectare videtur, si Centurio non haberet domi infirmum seruum: fortè hilarissimè Christum in domum suam prouocaret. At quia non nihil infirmitatis hæsit Centurioni ex seruo suo, ideo nec se Christi colloquio: nec domum, eius ingressu dignam æstimauit. Ipsa nos experientia docet: Cùm anima nostra suum sibi habet obsequentem appetitum, gaudenter Christum audet suscipere. At cùm appetitus iacet infirmus, indignam se
Lucæ 5. Christo statim profitetur. Dixit enim: Exi à me Domine quia homo peccator sum.

Alterum considerandū hîc occurrit: Cur Centurio dicit
Eccl. 14. d. tectum se habere? si ille synagogam ædificauerat, pauper non erat igitur nec in casa, aut tecto habitabat? Respondeo: Vir sanctus palatia reputat, vt tecta: & loca irrigua & amœna, terram desertam & inaquosam esse putat. Si enim
Hebr. 11. improperium Christi, magis esse diuitias credit, quàm thesaurum Aegyptiorum: igitur thesaurum carbones esse credit. Pius igitur homo omnia arbitratur vt stercora: imò vt detrimenta: vt Christum lucrifaciat.
Philip. 3. Adde & illud: Centurio iam cognoscebat Deum in Christo, & ita cognoscebat nihil esse adeò pulchrum, & pretiosum: quin Deo vile tectum esset. Sicut enim nihil bonum

nisi

nisi Deus: ita nec Deo quicquam bonum, nisi quod diuinum est. *Matt. 19.*

Adde rursum: Cùm animus tristis est, suique tædium, habens, omnia fastidit. *Luce 7.*

Si de sacra communione mentionem esse velimus: rectè corpus nostrum dicit esse tectum: in quod indignum est, vt intret Christus. Sanè tectum impedit ne lucem videamus: ita & corpus hoc aggrauat animā, ne lumen cœli videat: néve ad superna feratur, aut res prope se iacentes videat aperte. *Sap. 6.* Quòd vero corpus non sit dignum Christi ingressu, manifestissimum est. Est planè corpus nostrū vitiorum omnium radix, & fons: imo sterquilinium, & sentina peccatorum, vbi dæmones suas sordes dimittunt, ac veluti ventre exonerant. Quid igitur tam fœtenti, ad Christum, domo? Aptior plane locus Deo est infernus: si ibi culpæ non essent, quam domus paralytica, atque peccatrix.

Sed tantùm dic verbo. Vbi primum nota, quam sapienter dixit Centurio: Dic verbo. Parum quippe prodesset quòd Christus in domum ingrederetur, nisi verbo diceret: Christi enim diuinitas omnia implet, etiam peccatores: at nō sanat eos, quia non dicit, vt sanentur. Equidem vult Christus omnes saluos fieri: sed quia non dicit verbo vt sanentur, multi manent infirmi. *1. Tim. 2.* An non ingressus est in domum Simonis Dominus? plane: Cur ergo non fuit ille sanatus? Quia Christus non dixit verbo, vt sanaretur. *Luce 7.*

Secundò nota, subtilissimè dixisse, *Tantùm dic verbo.* Non enim, inquit, *dic verbo.* Sed adiecit, *tantùm dic.* Certum enim est Deum & Christū eius, dixisse verbo: Pœnitentiam agite: *Matt. 4.* & conuertimini ad me, & quærite Dominum dum inueniri potest. *Isaie. 55.* At hæc à nobis non fiunt. Cur ita? Quia licet Dominus hæc verba dicat: ex alia parte liberam relinquit cuique suam conuersionem. Quasi ex vna parte diceret, & ex altera non diceret. Quasi que non plenè, sed dimidiatè, diceret. At cum tantùm dicit, id est, cum semel & efficaciter (vt loquuntur Theologi,) tunc sine dubio, & infallibiliter, (vt etiam ipsi dicunt) sanitas contingit. *Psalm. 61.*

Tertiò nota Theologissimè Centurionē dixisse: *Tantùm dic verbo, & sanabitur.* Asseruit siquidem, verbum esse vitam & sanitatem. Si enim seruus erat infirmus & moriturus: igitur si verbo sanatur, & viuit: verbum est vita, & salus. Id quod Ioannes altissime dixit: Quod factum est, in ipso vita *Ioan 1.*

Ioan. 15. erat, & vita erat lux hominum. & Dominus: Ego sum via, veritas, & vita.

Quartò nota altissimè dictũ: *Dic verbo & sanabitur seruus*, qui erat moriturus. Si enim seruus iuxta naturam erat moriturus (ex legibus enim naturæ viuere non poterat) igitur asseritur Christus potentiam habere super omnem naturã. Et vt Theologi aiunt, habet Christus potẽtiam absolutam, non tantùm ordinariam.

Quintò nota, quòd cùm vox (seu verbum ab ore Christi emissum (pertingere ad locum vbi iacebat infirmus, ex se ipsa non posset: nisi quatenus erat deitatis instrumentum (hac enim ratione efficere potest vbi non pertingit.) Planè fit, vt Centurio affirmans verbũ Christi sanare posse distantem infirmum: affirmauerit etiam verbum illud diuinitatis fuisse instrumentum. Neque enim soli deitati salutem adscripsit, sed etiã verbo: quod ex suo Christus ore proferret.

Non inueni tantam fidem in Israël. Non miratur Dominus fidem, sed tantam fidem. Nec enim admodum miratur Dominus fidem nudam. Miratur tamen fidem cùm magna est, vt in Chananæa: & cùm tanta est, vt in Centurione. Percontaris, quid fecerit, vt fides hæc tanta esset? Primum, fecit amor quem erga Deum Centurio habebat. Ædificauerat

Lucæ 7. quippe ille synagogam: planè in cultum Dei. Secundò, fecit amor erga proximos, tantus vt etiã Iudæos diligeret: aiunt enim seniores illi, *Diligit gentem nostram*. Tertiò, fecit tanta humilitas: vt vix in Euangelio parem inuenias. Cùm enim Centurio esset, & diues esset, (vt qui synagogã ædificasset) & honoratus esset: siquidem Iudei dicunt, dignus est, cui hoc

Eadem. illi præstes: ille tamen, domum suam indignam Christi ingressu asserit, & (quod est profundissimæ humilitatis testimonium) non se dignum existimauit: vt ad Christum veniret. Ita enim Lucas eius verba refert. Sanè quòd nudus

Eodem. & malus Adam cõspectum Dei fugiat, iustum est. sed quòd

Genes. 3. vir sanctus (etiam inimicorum testimonio) coram Christo venire non audet, Angelicum est. Siquidem tremunt coram Deo Angelicæ potestates. Quartò, fecit fidem tantam sublimis quædam de Christo cognitio, & præclarissimum lumen: quo illustratus Centurio, tam diuinè sensit de Christo. Miratur ergo Christus fidem talibus subnixam columnis: talibus depictam coloribus, talibus fulgentem stellis, talibus micantem radijs.

Subit

Subit me tamen admiratio: Cur Chriſtus non contentus hanc fidē laudaſſe, cum Iſraëlis probro laudarit? dicit enim: *Non inueni tantam fidem in Iſrael.* Huic ego dubitationi dum mente voluo quod reſpondeam, in memoriam venit, lucta Iacob, ſiue Iſraëlis cum Angelo. Cæpique mecum reputare Iſraëlis luctam, perſimilem luctæ noſtri Centurionis cum Chriſto. Ille contendit cum Angelo, hic cum Chriſto: non poteſt Angelus præualere cum Iacob: nec præualere vult Chriſtus cum Centurione: nō dimittit Iſraël Angelū donec ei benedicat, nec Centurio Chriſtum niſi poſtquam dixerit, & benedixerit verbo. Quid verò mirabile eſt, ſi maiorem inuenerit Chriſtus in Centurione (gentium locum habēte) fidem: quam Angelus in ſuo Iſraële, (qui Iudæos referebat.) At Angelus qui pugnabat cum Iſraele, Chriſti perſonam referebat. Verum ergo eſt, quòd non repererit Chriſtus in Iſraële tantam fidem, quantam in Centurione. Geneſ. 32.

Sed maius adhuc myſteriū hic ſublucet: Pugnauit Iſraël cum Angelo, fuitq; pugna in aurora, (id eſt, in principio eius diei, quo Iſrael terrā Promiſſionis intrabat.) Pugnauit etiam Centurio cum Chriſto in aurora, id eſt, in principio prædicationis Chriſti, quando animarum noſtrarum regnum Chriſtus ingrediebatur. Cùm igitur fides ſit noſtræ peregrinationis lux & ſol: maior lux eſt in aurora noſtrę diei, quàm in aurora diei Iudaicæ. Noſtra enim fides eſt explicata, ablatum enim eſt velamen à facie Moyſi, reuelata facie Deum ſpeculamur. Cùm ergo Chriſtus dicit: *Non inueni tantā fidem, ſeu lucem in Iſrael*, ſenſus eſt: Non inueni tantam fidem, tam apertam, explicatam, & ſplendidam in Iudaiſmo: quàm in gentilitate incipit emicare. 2. Cor. 4.

Fiat tibi ſicut credidiſti. Cogit me locus hic, difficillimam tractare quæſtionem: & in qua hoc tempore, tota nobis cum hæreticis, lis eſt contentio. Cur Dominus Centurionis ſalutem adſcribit fidei? Et vt dubiū vrgentius ſit, quæſtio eſt: Cur Dominus in Euangelio, & Paulus in Epiſtolis, tribuunt fidei iuſtificationem, miracula, & beatitudinem? Siquidem vix reperias in Euangelio iuſtificationem à peccato, aut miraculum à Chriſto factum: quod ipſe Chriſtus non adſcrībat fidei. Longum eſt referre huius rei teſtimonia. Sed primum habes hoc loco: *Sicut credidiſti fiat tibi.* & capite nono: Confide filia, fides tua te ſaluā fecit. Et ibi: Secundum fidem veſtrā fiat vobis. Cap. 15. Magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis.

Iam

Iam ipse Dominus dicit beatos, eos qui credunt. Vt Petrus
Matth. 16. beatus dicitur, quia Pater ei reuelauerat. Et, Beati qui non
Ioan. 20. viderunt, & crediderunt. &, scripta sunt vt credentes, vitam
Ioan. 20. æternam habeatis. Porrò vbi reprehenduntur Apostoli? re-
Matth. 8. prehenduntur, quia claudicabãt in fide. Vt, quid timidi estis
modicæ fidei? & naufraganti Petro idẽ dicitur. & cùm Apo-
Matt. 14. stoli sanare nequiuerunt dæmoniacũ, reprehenditur eorum
Matth. 17. modica fides. Si consulis Apostolum vbique iustitiam, fidei
Rom. 1. tribuit. Iustus, inquit, ex fide viuit. Et, iustificati gratis, per
Ro[illegible] gratiam ipsius, & per redemptionem factam à Iesu, & per
Rom. 3. fidem. Et rursum, arbitramur iustificari hominem per fidem
sine operibus legis. Et demum omnia opera heroica anti-
quorum patrum fidei adscribit, ad Hebr. 11. Vbi totus se in
Hebr. 11. laudes fidei diffudit.

Iacobi 2. At in contrariũ est Iacobus. Quid, inquit, prodest fratres
mei, si fidem se quis dicat habere, opera verò non habeat?
1. Cor. 31. num fides poterit saluare eum? & Paulus ipse: Si habuero
tantam fidem, vt montes transferam, charitatẽ non habẽs,
Matth. 7. nihil sum. Et Dominus ipse: Multi dicent, Domine, Domine,
nónne in nomine tuo prophetauimus? & ego dicã eis: Non
noui vos: & demũ tota Ecclesia clamat, fidem sine operibus
non seruare: imò verò magis condemnare. Ita Concilia
omnia in quibus de hac re disputatum fuit, & sancti scriptis
tradiderunt. Et hæc plana veritas est.

Statuitur ergo conclusio, Fides sola neminem iustum ex
integro facit, nec ad cœlũ perducit. Pendet igitur dubium,
cur Paulus & Dominus iustitiam, & salutem vendicãt fidei?
Pro explicatione accipe Lector, quatuor graduum scalam,
quâ in cœlum itur. Primus est, fecisse cũcta opera bona, quæ
viribus naturæ, sine speciali Dei adiutorio, homines facere
solent. In hoc gradu fuerunt Philosophi. Secundus est,
fecisse omnia opera quæ lex vetus iubebat, sine fide tamen
in Iesum, ex Maria natum. In hoc gradu fuerunt & sunt Iu-
dæi à nostra fide abhorrentes. Tertius est, credere in hunc
Iesum, & in omnia quæ ab Ecclesia Romana nobis credẽda
traduntur. Quartus est, credere in hunc Iesum: & eius man-
data seruare. Quòd igitur Dominus, & Paulus tantopere
fidem inculcant, nihil aliud est, quàm dicere his qui sunt in
primo, & secundo gradu. Non vobis sat est opera naturæ
facere, aut legis. Nisi enim fidẽ in Iesum habeatis, nulla ratio-
Heb. 9. ne vobis erit salus. Quia sine hac fide, impossibile est placere

Deo. Hic est sensus vt arbitror genuin' Apostoli & Domini.

Vrges tamen adhuc: Si gradus tertius, qui est fidei, suos seruatores nō seruat, nisi in gradu quarto sint, cur Dominus & Apostolus, eos qui credunt, iustos & beatos dicunt? Respondeo ex verbis Concilij Tridētini, Sess. 6. c. 8. Eò, inquit, per fidem iustificari dicimur, quia fides est principium fundamentum, & radix nostræ iustificationis. Sine qua (quicquid aliud boni habeas) impossibile est placere Deo. Vbi magna animaduersione sunt auscultāda illa tria verba, principium, siue initium, fundamentum, radix. Sanè principium radicale, virtute continet reliqua. Habet enim Philosophus in fine Elenchorum, principiū vt est mole minimū, ita esse potestate validissimū. Et equidem potius fides quàm timor est initium sapientiæ. De timore seruili mihi mentio est. *Ita Diuus Thom. 2. 2. q. 19. ar. 7.*

Iam cùm audis fundamentum esse fidem, ita ferè intelligas, sicut dicitur Christus fundamentum totius spiritualis ædificij. Vtrumq; verò explicatur per illud verbum, Radix: quo verbo nihil significantius dici potuit. *Psal. 100.*

Iam multa Theologica sunt audienda, quibus hæc materia dilucidior fiat. Primum est: Quod natum est ex pluribus sequi, tribuitur ei quod est primum. Sicut vita tribuitur animæ nutritiuæ. Eo enim viuimus, quia nutrimur. Similiter animal dicitur propter tactum, qui est primus inter omnes sensus: licet enim animal videat, audiat, tamen simul ac tactum quis habet animal est. Cùm igitur in iustificatione, primus motus animæ in Deū, sit motus fidei, necessariò fit, vt iustificatio tribuatur fidei. Hæc ferè ad verbum ex D. Thoma. 4. dist. 17. ar. 3. q. 3. *1. Cor. 3.*

Audi nunc nostra: Beatitudo huius vitæ (quæ iustificatio dicitur) respondet, & assimilatur beatitudini cœlesti. Iam consideremus, quónam pacto anima sit in cœlo beata? Et primum quidē vnitur Deus animæ, (per modum speciei, vt Theologi dicunt.) Vnitur quidē intimè: eleuando animam ad quoddam esse supernaturale, & diuinum. Secundò infundit Deus animæ lumen gloriæ: quo illustratus intellectus Deum beata visione videt. Iam tertiò anima Deum videns, eum summè amat. Quartò verò, videns, & amās, in perfecta delectatione consistit. Igitur controuersum Theologis est, quidnam horum quatuor animā beatam efficiat. Henricus respōdit, in vnione prima, fieri beatam. Thomas in visione. Scotus in amore. Aureolus in delectatione: & reuera origo *Vide S. Thom. 1. Parte qu. 12. ar. 2. ad. 3.*

beatitu-

beatitudinis (ex Deo) est vnio. Sed ex Deo, & nobis est visio. Simul enim ac mens Deum videt, beata est: tam enim est visio illa diuina, vt diuinam faciat animam.

Rursum controuersum Theologis est, an voluntas eius, qui Deum videt, possit Deum nō amare? & Scotistæ omnes, nonnulli etiam Thomistæ respondent, posse. Finge igitur beatum, cuius voluntas Deum non amet. Eritne iste beatus? erit quidem, sed inchoatiuè: erit quidē, quantum est ex Deo, & eius lumine: sed non quantùm ex sua voluntate. Habes erudite Lector figuram viuam negotij nostri. Ita enim per omnia contingit in iustificatione impij. Primò vnitur Deus animæ per gratiam, secundò ei infundit lumen fidei, tertiò nascitur amor, & quartò de peccato dolor. At sicut beatitudo tribuitur visioni: ita & inchoata iustitia, fidei. Est enim maximè notandum, quòd tam nobile est lumen fidei, vt ex se hominem iustum facere incipiat, licet iustum non integrè faciat. Cùm enim anima hoc lumine collustrata possit Deū non amare, si non amauerit, iustitiam inchoauit, non absoluit. Huius ergo rei hæc summa est. Fides, est lumen supernaturale, diuinum, supra omnes creaturas. Qui ergo fidem habet, fit inchoatè supernaturalis & diuinus, & partem habēs diuinæ iustitiæ, & nisi is ipse sibi sit impedimento, nihilo carebit, vt planè iustus sit. Quantùm enim ex Deo est, ipse dās fidem, daret etiam & reliqua omnia dona ad vitam iustitiæ necessaria. Quòd si habēs fidē, mille peccata mortalia habet, nihilominus, principium habet iustitiæ Dei, eius, scilicet, fundamentum, atque radicem. Qua forsan ratione Paulus omnes Christianos (licet essent eorū mali nonnulli) sanctos vocat absolutè, sanctificatos, dilectos Deo, &c. Cur ita? quia habebant fidē. Audi eum: Omnibus, inquit, qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis sanctis. Vocatis, id est, effectis. Et rursum: Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu, vocatis sanctis, &c. Et item: Omnibus sanctis qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo, & alibi sæpè. Vt enim sacerdos, licet sit in culpa mortali, at nihilominus sacerdos est, & Spiritum sanctum habet ad remittenda peccata, si pastor sit: ita & quiuis Christianus Spiritum sanctum habet ad credendum, ad sperandum, ad obediendum Ecclesiæ, licet non habeat charitatem. Si igitur Spiritum sanctum habet, (licet contristatum propter culpam mortalem) planè Deo sanctificatus est, & inchoatiuè iustus, licet non ex integro.

Concilium Trident. sess. 6. c. 6.

Rom. 1.

1. Cor. 1.

Ephes. 1.

Vide 1. q. 1. c. ita fit. & c. vt cui déter. & c. multi. & expressè. eadē. c. per Isaiam.

Quo igitur finiam, si Christianus habet fidem infusam, noua creatura est. De qua Apostolus: Si qua ergo in Christo, noua creatura: vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua. Si fidem habet, factura Dei est, parata ad opera bona: vt in eis ambulet. Si fidem habet, ordinis est diuini. vocatus, scilicet, in admirabile lumen Dei. Si fidem habet, membrum est Christi, licet mortuum. Si fidem habet, filius est Ecclesiæ. Ius & potestatem habet ad regnum Dei, & item ius & facultatem habet vt se Deo offerat, ideo regale sacerdotium. Est itaque domesticus Dei, ciuis sanctorum, professor nouæ religionis. in arca siquidem Ecclesiæ grana cum paleis reperiuntur: in sagena boni pisces & mali. Habes igitur causam quare Dominus, & Apostolus, tam magnificè laudarunt fidem.

2. Cor. 5. Ephes. 2. 2. Petri 2. Rom. 12. Ioan. 1. 2. Petri 2.

Et cùm venisset Iesus, &c. Rectissimè locus hic de synagoga intelligitur. Certum enim est, Petrum esse sponsum Ecclesiæ: ideo enim & annulũ desponsationis in digito gerit: & adeò matrimonium inter eos firmum est: vt Prælati inferiores, qui nupserunt particularibus Ecclesijs, eas deserere nequeant, sine Papæ consensu. Extant de hac re, Canones, & decreta multa. Huius verò Ecclesiæ Catholicæ mater, synagoga fuit. Author est Bernardus in illud: Tenui eum nec dimittam donec introducam eum in domum matris meæ. Quasi dicat Ecclesia: Tenui Christum, nec dimittam: donec ad synagogam eum introducam. Reliquiæ enim Iudæorum saluæ fient in seculi fine. Ergo, Christo ingresso in Ecclesiam, quæ est domus, & sponsa Christi, adest synagoga phrenesi incredibili languens, quâ legis vmbras, veritatem esse credit. At Dominus in fine mundi, cùm stat, (cùm videlicet iam non moritur) imperabit febri, & auferet velamen ab oculis Iudæorum. Surget tunc synagoga, & ministrabit Christo & Ecclesiæ.

Cantic. 3. Rom. 11. Rom. 6.

Potest secundo intelligi: Ecclesia secundùm exteriorem hominem, Petro, & reliquis Prælatis nupsit. Neque enim in interiorem hominem ius habent Prælati. Iudicant enim de his quæ vident. Iam mater huius exterioris Ecclesiæ est Ecclesia eadem secundùm hominem interiorem. Id est, Corporalis Ecclesiæ, Ecclesia spiritualis est mater. Hæc socrus Simonis vbiq; iacet, negligitur, & nimijs affectibus terrenorum torquetur, decumbit igitur magnis febribus. O vtinam non omnia

Ita habetur di. 32. ca. erubescant. & 2. q. 5. c. cõsuluisti. & 6. q. 1. cap. si omnia

non vera essent, quę loquimur. Fideles enim qui nūc sumus, secundùm interiorem hominem, vehementer infirmamur. Causa verò est calor nimius, ex sanguine multo & corrupto. Id est, ex multis, & male partis diuitijs. Christum precor in Ecclesiam ingressum, vt stet: nec prætereat nos, imperetq́ue febri: vt abeunte, ministrare incipiamus. At signum hominis interioris sani est, *quòd surgat & ministret eis*. Id est, vt quæ sursum sunt quæramus, non quæ super terram: hoc enim est surgere. Et item id non satis est, nisi proximis nostris ministremus. Hæc enim vniuersa lex est: si proximum diligamus.

Colloss. 3.

Rom. 13.

Tertiò intelligi potest: Petrus desponsatus est cum quauis oue, hoc enim est pascere gregem, eum affectu maritali prosequi. Omnium verò ouium mater est Ecclesia Romana. Socrus igitur Petri, Ecclesia Romana est: Rogandus Deus est, vt nunquam illa magnis cupiditatis febribus decumbat. Et quod de Petro dicitur, dici de qualibet Ecclesia, & Prælato suo potest.

Ioan. 10.

Quartò intelligitur: Quæuis anima fidelis Petri sponsa est. Mater verò quæ has animas gignit, prædicator est. Paulo teste, qui dicit: Per Euangelium ego vos genui. Quòd si prædicatores haberent eum animum virilem quem Paulus habebat, non dicerentur matres animarum, aut socrus Petri: sed dicerentur Patres fidelium, & Petri soceri. At quia Prædicatores decumbunt, & languent magnis febribus: ideo socrus dicuntur, & fœminæ sunt, non viri. Iam si magnis febribus decumbunt, periculū est, ne mendacia & vanitates prædicent, (vt solent, qui vehementer febricitant) Christo placeat, vt febrem & ardorem quo fluentes aquas sitimus, ipse restinguat, vt sic surgamus & ministremus fidelibus.

1. Cor. 4.

Vespere autem facto. Loquemur primò de vespera mundi. Secundò de vespere Christi. Tertiò de vespere hominis.

Sane (iuxta quosdam) durabit mundus annis sex mille. Priores duo mille fuerunt, sine lege, & velut mane mundi. Duo alij habuerunt legē Moysi, fueruntq́; mundi meridies. Postremi duo mille sunt vespera mundi, in qua Christus, totum mundum sanauit languoribus, totq́; eiecit ex nobis dæmonia. Rursum vera vespera mundi erit dies iudicii. Quo tempore omnia sana fient. Siquidem impij punientur, & pij præmia laborum suscipient. Idq́ue vnico verbo fiet, illo, scilicet, ite maledicti, & venite benedicti. Illa erit vera mundi vespera.

Vide Nicolaū Lyram, tractatu de incarnatione Christi contra Iudæos in fine glossæ ordinariæ.

Matth. 25.

vespera, quando vocabuntur omnes operarij: vt recipiant mercedem suam, licet nouissimi tunc primi fiant. *Matt. 20.* *Eodem.*

Habuit & suam vesperam sol iustitiæ Christus, in cruce siquidem occidit: & in sepulchro absconditus est. Sed sanauit tunc verbo multos. Potentior enim ostensus est calor solis occidentis, quam meridiani. Siquidem Centurio morientem confitetur: quem viuum crucifixerat. Et lapides sentiũt potentiam morientis, quos Iudæi arripuerunt: vt iacerent in viuente. Denique sol, luna & stellæ retrahunt suam lucem, Christo in cruce moriente tanquam maioris lucis vim non sustinentes. Omnia ergo sanat, Christi potentissima infirmitas. Sãsona enim plures prostrauit moriens quam prostrauerat viuus. *Lucæ 23.* *Matt. 27.* *Ioan. 8.* *Iudic. 16.*

Est & altera Christi vespera. Quando enim Dominus piæ animæ adest, illuminans ei vultum suum: illustransque faciem super seruum suum: tunc oritur Christus animæ, quasi splẽdor matutinus. Quando vero in ducit sponsam in cellam vinariam, tunc splendet sol in meridie, quod tẽpus nũquam non optat sponsa, dicens: Indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie. Sed non diu durat hæc fœlicitas, abscondit enim Christus suam lucem in manibus, & occidit hic sol animæ. At non desperet anima. Tunc eius languores sanantur, Bonũ mihi (dicebat, qui hoc senserat) quia humiliasti me. Et rursum, humiliatus sum & liberauit me. Adeò enim nostra miseria magna est: vt lucem Dei diu sine periculo superbiæ non sustineat: ne igitur superbiat, ei occidit sol. Vel etiam vt lucis pretium, ex eius absentia sentiat. Sanatur ergo vespere. *Psalm. 62.* *Psalm. 30.* *Cantic 2.* *Cantic. 1.* *Iob 36.* *Psalm. 118.* *Psal. 114.*

Demum, suas homo vesperas habet: Pars enim vitæ prior: quã animaliter viuit, mane est. Licet vitiorum nebulis obscuratum. At si huic vitæ animali, succedat vita spiritualis: hæc est vespera in qua sanatur homo. Et est vespera de qua scriptum est, factum est vespere gratiæ & ei succedens mane gloriæ dies vnus. Nihil enim interstat, inter vesperam vitæ gratiæ, & mane vitæ beatæ nisi quod homo hic noster exterior corrumpatur. Et ideo nulla mentio de mane animali, quia secundum terram vixit. Porrò verbo sanantur infirmi, quia fides ex auditu. Et rursum, in auditu auris seruiunt mihi. *Genes. 1.* *2. Cor. 15.* *Rom. 10.* *Psalm. 17.*

Secunda, hominis vespera, est tempus tribulationis. In hoc vespere, sanãtur homines à languoribus suis. Siquidem dum prosperitate lucente calidi sunt, sua mala non sentiunt:

at vbi tribulatione succedente frigescunt, sentire incipiunt
Psalm. 8. sui morbi efficaciam. Rectè ergo dictum est: Imple facies
Psalm. 17. eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Et
Lucæ 15. rursum: In tribulatione mea inuocaui Dominum. Et item, filius prodigus ad patrem non redijsset: nisi necessitas eum,
Lucæ 14. & miseria compulisset. Et fortasse is sensus est eius loci. Compelle eos intrare. Id est, miserijs preme, vt intrent. Nec enim animę nostrę castellum, nisi fame & penuria adactum, Deo se subdere solet.

Tertia, vespera est senectę, in qua dignum erat vt sanarentur homines: qui eatenus fuerant infirmi. Dignum erat vt
Psalm. 58. conuerterentur ad vesperam: & famem gratiæ paterentur, vt canes. Paratus est quidem Dominus eos sanare, qui in hac
Ierem. 13. vespera venerint infirmi: sed nescio, an Æthiops mutabit colorē suū, aut pardus suas varietates. Ne igitur, qui assueuit malis, desperet, ideo (vt arbitror) dictum est, quod etiam
Genes. 21. vespere, Dominus suos sanat infirmos. Ideo enim & Saræ iam seni filius natus est: & venerandæ etiam Sunamitidi, cui
4. Reg. 4. in senio Deus filium dedit.

Quarta, vespera est tempus mortis. In qua viri pii à languoribus huius vitæ sanantur. Sanantur etiam impij nonnulli, fateor: miraculum ferè est quòd impius in vita, sanetur
Sapient. 3. in morte. Dictum enim est. Nationis prauæ, diræ sunt con-
Psalm. 33. summationes. Et item: Mors peccatorum pessima. & item:
Philip. 3. Quorum finis, interitus, & consummatio in perditione.
Rom. 2. Thesaurizauerunt enim sibi mali iram in diem iræ. Sed nihilominus fieri potest, vt etiam in hac vespera, salus misero homini contingat, vt textus noster habet.

Vt impleretur quod dictum est: Ægrotationes nostras accepit. Locus iste est difficilis. Primum enim Dominus hic sanat languores corporales, vt dæmoniacos, & reliquos languentes: hæc vero mala nunquam Christus suscepit. Nec enim dæmoniacus fuit, aut aliquo corporali morbo correptus. Iam, textus Isaiæ solum loquitur de languoribus animæ.
Isaiæ 53. Dicit enim, Dominus posuit iniquitates nostras super eum, male igitur Matthæus locum illum, ad languores corporis traduxit. Non est tamen tam intricatus nodus hic, quam Porphirius ille putabat. Sane iustitia Dei seuera est, nullum enim peccatum finit esse sine pœna. Et ideo omnes illi, quos Christus sanauit, infirmi: eam infirmitatem propter suas culpas patiebantur. At si Dominus simplici iussu sanasset infirmos:

infirmos: iniuriam diuinæ iustitiæ quadantenus irrogasset. Quid ergo remedij, vt Christus sanet, sine iustitiæ querela? Remedium est, vt Christus sese obliget & adstringat, ad eas pœnas subeundas: quas illorum infirmorum culpæ merebantur: ita enim iustitiæ Dei fit plus satis, & locus datur languorum saluti. Ita Christo placuit, volens sanare infirmos, rigori diuino sese obstrinxit: ad suorum infirmorũ meritas pœnas luendas. Id vero est: *Infirmitates & ægrotationes accepit*. Vt intelligas, quantum nos amarit Christus, quàm se contempserit sese pro nobis pœnis adstringens: quam denique est Dei seuera iustitia.

Adde secundò, quos sanabat Dominus in corpore, sanabat etiam in animo: vt essent eius opera perfecta. Et totum *Deut.32.*
hominem sanaret in Sabbato: si igitur sanans languores, sanabat & peccata, rectè Matthæus citauit locum Isaiæ, qui *Ioan. 7.*
est de peccatis.

Adde tertiò, etiam si Dominus non sanasset animæ languores, cùm sanabat corporis morbos: at quia morbi corporis, significabant morbos animæ: & Dominus cum illos sanabat, hos sanare cupiebat (& ideo sanabat illos, vt viam pararet, ad hosce sanandos) rectè sanè, dum illos sanat, & infert, hos sanare comprobatur. Siquidem illos, in horum figura sanabat. Sicut cum Iudæi æneum serpentem adorabant: Christum adorasse dicimus, & nos adorantes crucem, Crucifixum adoramus.

Adde quartò: Quidnam absurdi est cõcedere, quòd Isaias de languoribus corporis, & animæ loquutus sit? Cum enim dicit: Vere languores nostros ipse tulit: de corporalibus intelligit. Cum addit: Et dolores nostros ipse portauit, de peccatis sensit. Hæc enim nõ ille accepit, sed eorum dolores. Non enim culpa, sed pœnam in se sumpsit. Credo hãc esse tolerabilem explicationẽ. Siquidem Matthæus Isaiam explicauit. Igitur vterque de corporalibus languoribus loquutus est.

At vero profectò non esset res hæc tanto silentio prætereunda: Christus ò mortales, iam languores corporis de medio sustulit, sustulit etiã & animæ peccata, hostes animæ & corporis iam ille fugauit. Quid igitur est, quòd languores corporis, adeo timemus, & horrescimus? languores iam non sunt, sed merita cœli. Quid est quòd animæ mala committimus? cur reuocamus hostem in patriã quem Christus relegauit tãto sudore: Veniat in memoriam nostram, quod

Galat. 6. Paulus dicit: Mihi absit gloriari, nisi in cruce. Et item: Libẽtes
2. Cor. 12 gloriabor in infirmitatibus meis. Quid ita? quia infirmitates mala iam nõ sunt, sed potius tãta bona, vt in eis Christianus gloriari debeat. Sustulit igitur Dominus è medio infirmitates. quas reliquit, nõ sunt infirmitates: sed perfectio virtutis.
2. Cor. 12. Siquidem virtus in infirmitate perficitur. Non veto, quin doleas, sed admoneo vt thesaurũ agnoscas, sed de his aliás.

Sequar te, inquit Scriba ille, nesciẽs quò tandẽ Christus iret, si enim no sset, quòd ad crucem, & mortẽ & sepulchrũ ibat: forsan non diceret, sequar te, quocunq; ieris. Id ei Dominus indicat: vulpes & volucres habent suffugia sua: ego verò nec foueam aut sepulturam habiturus sum meam. Id enim vbi sepeliar, alienum erit. Et crux vbi suspendar non mea erit, nec enim mihi debebitur. Ergo si sequi me vis quo iero, eo verò ad crucem & monumentum: in quibus nec habiturus sum quicquam meum, vis ne eò ire?

Porro quod dicit: *Vulpes foueas habent*, potest forsan hunc sensum habere: Dæmones qui vulpes sunt, habuerunt foueas suas, tempore legis naturæ. Siquidem & in Adam & Eua
Actor. 7. foueã sibi dæmon inuenit. Angeli verò (per quos lex Moysi data est) qui volucres cœlestes sunt inuenerunt nidum, suæ legis obseruatores. At Christus in lege sua noua, (quam tunc inchoabat,) non inueniebat, vbi caput reclinaret.

Potest alium etiam habere sensum. Mali prædicatores
Ezechi 13. vulpes sunt: dictum enim est: Væh prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident: quasi vulpes in deserto, prophetæ tui Israël erant. Causa verò quare com-
1. Cor. 3. parantur vulpibus, illa est: quia sequuntur spiritum suum. De quibus dictum est: Comprehendit sapientes in astutia sua. quasi dicat: Comprehendit Deus vulpes, in vafritie sua. Boni verò prædicatores, volucres cœli sunt: debent enim
Psalm. 83. habere nidum (cum passere, & turture) altaria Domini virtutum: dicit ergo Dominus: Boni, malique viri inuenirent suæ quieti locum: at Filius hominis nõ habet lectum, in quo recumbat, imò nec puluinar, vbi caput reclinet.

O verò rem indignissimã: Filius hominis hominum mi-
Matt. 20. nister, (siquidem non venit ministrari, sed ministrare.) non inuenit, vbi lassum caput reclinet. Non iactat Christus suos magnificos titulos, quod scilicet rex sit Deus, sit magni con-
Luc. 9. silii Angelus mirabilis, fortis iactat nomen amicum, Filius hominis. At hic rex venit seruire homini: & pro tam grandi famulatu,

famulatu, scilicet pro anima, (quam in redemptionem dat *Marci* 10.
pro multis) nō inuenit vbi caput inclinet? Aiebat Dominus:
Seruum etiam ex agro fessum, non accumbere: sed præcingi *Lucæ* 17.
vt hero suo ministret cœnaturo. Ita planè: sed, num adeò est
herus crudelis: vt vel ceruical non det seruo suo, iam lasso,
vbi caput coniiciat? At meminerint homines Christum esse
sponsum, cui sponsalectum debet: esse regem, qui aureum
reclinatorium meretur esse: certe lassum, cui merito charitati debetur, vbi quiescat.

Libet vero expendere verbum hoc: Non habet vbi reclinet caput. Quid Domine an non habes Virginem sacram, tuam matrem, quæ tibi lectum paret? Quod si matrem reijcis tuam: an non habes patrem, in cuius sinu & delitijs caput reclines? Multa sese aperiunt dicenda. Primum eo erat animo Christus: vt non solas fugeret opes, & delitias terrenas, vt sua maiestate minores, sed etiam paratus esset reclinatoria etiam cœlestia reijcere, si ita esset consentaneum Patris honori. Imo verò verè ea reiecit. nam in cruce pendes: velut
qui omni erat solatio destitutus, quæritur: Pater cur reli- *Marci* 15.
quisti me? Et rursum: Clamaui per diem & non exaudies: & *Psalm.* 21.
nocte, non ad insipiētiam mihi. Planè quia Pater voluit eum
cōuertere in infirmitate, vt nihil esset in eius parte inferiore *Isaiæ.* 53.
ex lætitia integrum, sed nimio dolore contritū. Idque Pater Filio cupiente præstitit. Tunc verum verè fuit. Non habet Filius hominis, neque in terra, neque in cœlo vbi caput reclinet. Nam nec in cruce reclinare poterat, vetantibus spinis, ne cruci caput hereret. Quadrauit igitur ei verbū illud: Quid enim est mihi in cœlo, & à te quid volui super terram? defecit caro mea, & cor meum: ô Deus cordis mei, & pars
mea in æternum. Et illud: Veni in altitudinem maris, ama- *Psalm.* 68.
ritudinis: & tempestas, demersit me. Laboraui clamans: Igitur sicut Paulus erat in omnibus institutus, sciebat enim pati angustiā, & abundare, esurire, & refici, itaq; in omnibus caput erectū habebat & liberum: ita Dominus nullam rem capiti suo imposuit, sed Patri suo se liberum seruauit, hoc
vno contentus quod Deum Patrem haberet. Verè dicens: *Psal.* 107.
Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, quasi recinctum, surrectum, & non alicubi reclinatum. Hæc de Christo erga Patrem suum.

Secundò, dicēdus ille sensus est: quo caput Christi dicitur Deus, vt verbum Christi sic intelligatur: Omnes quæ sūt,

& inuenerunt sibi quietem, ego verò capiti meo, id est, Deo meo quæro quietem, nec inuenio. Id tibi suadeas Lector nihil Christum in sua vita optasse magis, quam inuenire
Psalm. 131. locum Domino tabernaculũ Deo Iacob. Multo sane verius (quàm Dauid) dicebat: Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei, si dedero somnum oculis meis, & palpebris dormitationem, donec inueniam
Ioan. 2. locum Domino. Ita sanè hæc, eius cor cura angebat: hic zelus eius animam exedebat, & tabescere carnẽ faciebat, hac de causa peregrinabatur, sudabat: imò sanguinem & vitam hac ratione profudit.

Iam quærere libet: quænam causa sit, quòd Christo tam ardentibus votis, requiem patri suo in animabus nostris optãti, nemo sit, qui vbi caput reclinet tribuat? Nemo sit qui Christi desiderijs faciat satis? Et primo quidẽ hæc vna causa videri potest quia Deus (caput Christi) grauis videtur ho-
1. Reg. 6. mini tenero & delicato. Dicunt dolenter viri Bethsamitæ, (qui percussi a Deo sunt, quia arcam Domini sus ceperant & respexerant.) Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti huius? Plane caro nostra mollis est, Deus videtur grauis, recusat tantum onus in se recipere.

Altera causa est, quia puluinum cui caput incumbit, necessario capiti cedere debet: ita & anima Deum suscipiens cedere Deo debet, subijci, & humiliari. At quis est qui humi-
2. Cor. 5. liari patiatur? Siquidem nolumus expoliari, sed super vestiri. nolumus subijci: sed exaltari.
1. Cor. 1. Tertia causa est: quia nolumus Deum reclinatum. Christus Iudæis est scandalũ, & gentibus stultitia. Cur ita? Quia Christus sese reclinauit, si caput suum non inclinasset: facilè
Philip. 3. ab omnibus esset receptus, sed non inuenit, vbi requiesceret, quia sese exinaniuit. Facilè gentes Deum adorãt, facilè Iudæi Deum colunt, at quam difficile Deus crucifixus recipitur? Hac vna ratione quia inclinauit se. Vt enim animus noster in se humilitatem odit: ita & in Deo, quem colit, humilitatem agnoscere non sustinet.

At verò mortales, si in vobis Deus quiescere debet, inclinare se debet. Grandis enim princeps quomodo in vilem casam intrabit nisi inclinatus? Iam si propter nostram salutem lassatus est Deus, quomodo quiescet, nisi sese reclinet? Nam reijciet sponsa principem, dilectũ suũ, quem ipse suæ sponsæ amor ad eam reclinauit? Eo se inclinat, ó anima, sponsus

tuus, vt amorem erga te ſuum perſentias: & amãtem, etiam
humiliatum, in tuo gremio ſuſcipias. Quomodo enim dile- Cantic. 1.
ctus tuus, inter vbera tua commorabitur, niſi ſe deijciat?
Quid verò ſi ſua hac deiectione promereri voluit, quòd a te
reciperetur, num ſua cum mercede fraudabis?

Sed non eſt ſilendum hic dubium. Cur Chriſte Domine
quereris, quod nõ habeas, vbi caput tuum reclines? An non Pſal. 88.
tui ſunt cœli, tua eſt terra? Qui ergo cœlos habet, certè vbi
caput reclinet habet. At vero potius Chriſtus animas optat
vbi quieſcat, quam cœlum. Cum enim condidiſſet omnia, Prouer. 8.
dicit: Delectabar per ſingulos dies, ludens coram ipſo, omni
tempore, ludens in orbe terrarum: ſed delitię meæ, eſſe cum
filijs hominũ. Quaſi diceret: Lætabar in operibus manuum
mearũ: ſed vbi caput reclinarem, quærebam: quærebã ſcilicet
filios hominũ, ſanè cœli pulcherrimi ſunt: ſed hi ſunt ſedes Iſaiæ 66.
vbi Deus ſedet: non ſunt reclinatorium vbi caput reclinet.

At dices: An nõ habet Chriſtus Angelos, in quibus dignè
caput inclinet? Cur ergo queritur, ſe non habere vbi caput
reclinet? Neſcio an id audeam dicere: maius gaudium eſt
Chriſto, ſuper vno peccatore pœnitentiam agente: quàm
ſupra nonaginta nouem iuſtis illis (qui choros Angelorum Lucæ 15.
ſignificant) qui pœnitentia non indigent. Quid miraris, ſi
neſcio quid ſolatij inueniat Deus in hominis anima, magis
quam in Angelo? Sanè ſi Chriſtus animas noſtras aſperſit Apoc. 1.
ſanguine ſuo, ita vt nulla purpura, nulluſq; muricis ſanguis,
adeo pulchra ſint, quam anima cocco illo ſanguinis Chriſti S. Thom.
bis tincta: quid mirum eſt, ſi Deus ſuum ſanguinem magis ſuper Epi.
in nobis, quam Angelos amet? Planè Angeli omnes ſunt Ephe. le. 3.
adminiſtratorij ſpiritus. Sed nunquam Angelos apprehen-
dit: ſed ſemen Abrahæ. Quocirca animas noſtras altiori no- Hebr. 1.
mine Chriſtus dignatus eſt, ſcilicet ſponſarum, in quarum
brachijs, & vberibus ſponſus caput ſuum reclinet. Cantic. 1.

Sed en magnus pudor, & verecundia vultum operit no- vlt.
ſtrum: nos ſumus, quos Deus quærit, vbi caput inclinet: & in
nobis locum non inuenit ad manendum, nec ſibi, nec came-
lis ſuis. Quid Domine nec in gente noſtra eſt, qui capiti tuo Gen. 24.
requiem concedat? Dolere potius libet, quam reſpondere.
Equidem anima noſtra poſt maledictionem Adæ terra eſt, Geneſ. 3.
quæ ſpinas profert & tribulos: non ergo idonea eſt, vt ibi
caput ſuum Deus reclinet. Si enim dixerimus quòd pecca-
tum non habemus, ipſi nos ſeducimus: at peccata quieſcere 1. Ioan. 1.

Deum,in se non sinunt. Terra sumus: iterum,ac tertiò, terra
Ierem.22. sumus:at non est æquum capiti diuino,terram adeò terram, adeò duram, adeoque immitem supponere. Igitur Domine si anima nostra dura terra est, tu eam tuo sanguine infunde, vt mollis reddatur, & tuo capite digna. Si terra est, tu eam tua virtute in cœlum conuerte.

Quàm verò anima nostra optare debuerat si saperet, se puluinar Deo offerre, sciens, si se capiti diuino subijceret, Deum se habituram in possessionem: vt enim caput habet puluinar, ita & puluinar capite gaudet,& vt caput in puluinari quiescit, ita & quiescit, puluinar in capite.

Quis verò non stupeat, quod Deus in anima: velut caput in ceruicali, quiescere cupiat? Et profectò, cùm adeò Dominus in terra salutem nostram cupiat, (velut vehementer fessus & lassus, & hoc maximè fessus, quia minimè quod quærit inuenit.) quietem in nobis quærit,nec est tamen qui voluntatem eius impleat.

Illud verò reputa,quod cùm vehementer cupiat caput in nobis reclinare, (velut cupit qui lassatus est,) at neminem cogit: sed liberi arbitrij quemuis esse sinit, adeò leges quas
Psal.148. semel instituit, seruari & non præteriri statuit. At si esset in nobis vel mica prudentiæ, sola hæc querimonia, quod reclinatorium non inueniat, sat esse deberet, vt ei illud exhiberemus.

Zachar.2. Videat verò, qui reclinatoriũ & lectũ Deo parat,qualem lectum ei sternat: Rex est, & non qualiscunque lectus illi congruit. Si verò quis nosse desiderat, qualis esse lectus
Cantic. 3. debeat: audiat qualē in Canticis designetur? Ferculum Salomonis est de lignis Libani, columnas habet argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, quod media charitate constrauit.

Sine mortuos sepeliant mortuos suos. Cùm audio quòd mortui mortuos sepeliant, & intelligo eos esse mortuos, qui Christum non sequuntur, non sine dolore videre videor, quandam rempublicam mortuorum: vbi edant mortui, bibant,emant,vendant,nubant,& nuptui dent. Deus bone quid
Psal.141. cœlestes illi ciues, (qui verè viuunt,) sentiunt, cùm hanc mortuorum turbam conspiciunt? Cernés videant homines, qui viuere se credunt, ita negotiari ac si viui essent. Quàm verò foetebit locus hic cadauerum, non iacentium, sed inuicem se sepelientiũ? Quid enim aliud facere credas mortuos

hos, quàm se mutuo sepelire? Sine, inquit, mortuos, vt se sepeliant. Plane cùm diues nihil ambit quàm pecuniam, animam suam grauat terrenis affectibus, igitur sepelit ipse se. Et cum libidinosus miseram afficere, & inescare concupiscit: quid aliud facit, quam eam sepelire, terreno affectu eius animam operiens?

Tu Lector considera quid viri pij facere contendant, sanè contendunt terrenos affectus, ex suis & aliorum animis remouere. Hoc vero nihil aliud est quā se & alios exhumare: oculosque & membra, quæ terra superiniecta sopierat, terra amota reddere liberiora. Si igitur spirituales homines ex humano officium exercent, homines terreni quid erunt aliud quam humatores, & sepultores cadauerum.

Nec est prætereundum quod dicit: *Sepeliant mortuos suos:* Siquidem pretiosa in conspectu Domini, mors sanctorum Psal. 115.
eius. sunt enim mortui mortuorum, & sunt mortui viuorum: imo Dei viuentis. Igitur cùm Christum sequimur, Lucæ 20.
mortui sumus cum Christo: sed vita nostra est abscondita: at cum mundo militamus, vita nostra videtur, sed mors ab- Coloss. 3.
scondita est cum dæmone in inferno.

Iam verò intelligis cur inter mortuos, non inueniat Vita vbi caput reclinet.

Et ascendente eo in nauiculam. Elegantissimè hoc loco, describitur vitæ Christianæ progressus, id est, quomodo Christiani tententur, & quomodo a tentatione liberentur: faciet 1. Cor. 10.
cum tentatione prouentum. Igitur nauicula, in quam Christus ascendit, vita Christiana est. vt enim mare tranare nemo potest sine naui: ita sine vita Christiana, in seculo saluari nemo potest. Et vt solæ illæ animæ quæ in arcā Noe intrarunt, Genes. 8.
euaserunt diluuium: ita ij soli seruabuntur a diluuio seculi, qui vitam Christianā ingressi sunt. Et nota quòd Iudæi non Exod. 13.
super nauim transeunt mare rubrum, sed per ipsum mare. Sane quia Iudæis licebat bene agere, bonorum temporalium respectu: ibant igitur per media temporalia. At Christiani Coloss. 3.
super mare transeunt, in nauicula, quia quæ sursum sunt quærimus, non quæ super terram: non videlicet bona huius maris, sed cœlestia.

Et eleganter dicitur vita Christiana nauicula: quæ tota tecto desuper aperta est: tota vero ex imo munda [illegible] licet [illegible] ipsum mare contingat. Quia vita Christiana tota cœli respicit, tota a cœlo respicitur, tota a cœlo

 depen-

dependet, tota à cœlo influitur. Ex parte verò externa mare contingit, sumens ab eo necessaria vitæ. Cauens ne per aliquam rimulam affectio maris in vitã Christianam irrepat. Nullum enim periculum habet nauis, nisi ab aquæ marinæ ingressu. Ita nullum periculum habet vita nostra, nisi cùm ingressum humanis affectibus concedimus.

Vt verò elegantissime dicta nauis est vita Christiana, quæ ad portum affert salutis: ita horrende & lachrymabiliter dicta nauicula est. Vtinam nauis grandis, & nimium capax fuisset: sed nauicula est, arcta est, angusta est, breuis est. Non modò arcta, quia pauci sunt, qui intrant in eam: sed etiã quia
Matth. 7. ipsa arcta est, nec multos capit. Vt enim arcta est via quæ ducit ad vitam: ita & arcta est nauis, quæ ducit ad regnum. Igitur vita Christiana, non est spatiosa, sed arcta & cõstricta.

Est verò hæc nauicula vna: nec enim plures habet nauiculas Christus, neque existimes in aliam nauiculam ascendere
Ephes. 4. Christũ, in aliam verò discipulos. Vna tantum est. Sicut vna fides, vnum baptisma, vnus Deus. Igitur si vis viuere Christiane, vide quomodo Christus, & discipuli eius vixerunt.

Rectissime igitur nauicula crux dicitur, id est, vita crucis. In hac enim vita cruciata & afflicta nauigarũt Patres nostri, & per crucem venerunt ad regnum. Planè hæredes sumus Dei, & cohæredes Christi, si tamen compatimur, id est, si in cruce per mare nauigamus.

Ascendente (ergo) *Christo in nauiculam, sequuti sunt eum discipuli eius.* Id est, ascenderunt & ipsi. Quid vero, ex tot turbis quæ Christũ pedestrem, pedestres sequebantur: nunc
Lucæ 12. iam nauigantem, nemo sequitur nisi discipuli eius? Certè cùm prædicatur Christus, Redemptor, amator, miracula faciens: nemo est, qui eum non sequatur, adeò vt conculcare se turbæ videantur: at si in nauiculam ascendit sanctæ conuersationis, eum pauci sequuntur, qui scilicet erant præordinati ad vitam æternam. Atqui ô turbæ, sine nauicula,
Actor. 13. traijcere vobis in cœlum non licet.

Et ecce motus magnus factus est, & ipse dormiebat. Et, vt alibi habetur, dormiebat super ceruicali. Primum dicamus, quid sit, Christum in vita Christiana dormire. Dormire verò est, quiescere in ea, vt in proprio lecto: nullibi enim gaudet, aut quietem accipit, nisi in hac vita Christiana. Nec enim gaudet in Sapientia, aut in diuitijs, aut in ipsa virtute, si extra vitam Christianam sit. Desperent Mauri, aut Iudæi,

qui

quantumuis iusti: non dormit, aut quiescit ibi Deus.

Secundo dormit hic Dominus, quia silet, & minimis affe-ctus, dissimulat, ac si dormiret. Attolle oculos, te precor, & inspice tot hominum contra Christum iniurias: non infi-delium solum, sed & fidelium, nec fidelium duntaxat, qui iniqui sunt, sed eorũ etiam qui deuoti nuncupantur. Ad has omnes tacet Christus, ac si dormiret: factus enim est, sicut *Psalm. 37.* homo nõ audiens, nec habẽs in ore suo redargutiones. Dixit *Isaiæ 42.* enim: Tacui, semper silui, patiens fui. vt parturiens loquar.

Tertiò ea ratione dicitur dormiẽs, quia & alio loco apud *Matt. 21.* Lucam, dicitur: Peregrè profectus & absens. Videlicet, sinit res esse sui consilij: ab eis nihil nunc exactè requirens.

Quarto dicitur dormiens, quia in lege veteri videbatur laborans, tum qui peccata illorum sustinebat. Dicit enim: *Isaiæ 1.* Laboraui sustinens, tum quia nouam legem adornabat, & ædificabat: vt igitur per sex dies laborauit, & in die septimo *Genes. 14.* requieuit, ab omni opere suo, ita per tempus legis veteris operabatur: nunc vero iam requiescit, relinquitur enim sabbatismus populo Dei. Siquidẽ in lege noua, nec peccata *Hebr. 4.* esse debuerant, quæ Deus sustineret, nec nouam aliam legem Deus machinatur: quiescit ergo & dormit.

Quinto dicitur dormiens, quia cùm vigilamus exteriora nostra mouentur, & agitantur: interiora vero quiescunt. Contra fit cum dormimus exteriora cessant, interiora verò nullam requiem habent. cibus enim coquitur, experitur, di-stribuitur, assimilatur, & incorporatur, vt Medici dicunt. Ita plane Christus in vita Christiana, exterius ferè cessat, inte-rius operatur. exterior homo corrumpitur, interiore reno-uato. Decor internus est, siquidem exterius decolorauit *2.Cor. 4.* sponsam sol. Internus est pulchra, exterius est fusca: dormire ergo videtur. *Cantic. 1.*

Sexto dicitur dormire. Quia qui Christum habet, silentio, recessui, solitudini velut dormiturus studet. Videas nunc in [illegible] hominum, & virorum qui perfecti esse student, totos silentio studere quorsum? Vt dormiant, & Christum in eis quiescentem, non excitent.

Septimò dicitur, quia dormire suos facit: dormire scilicet [illegible] & omnis secularis [illegible] paratos, tranquillos, silentes, [illegible] anxios, [illegible] patientes, adeò exterius & interius [illegible] dormire [illegible] & demum adeò viles & abie-ctos [illegible] non esse credas, videlicet, qui in mundo non sint.

Tandem

Tandem quis non credat Christum dormire, cùm in hostia sacra, sub albentibus cortinis velut in lecto iacet?

Sed non vacat mysterio, quod dormit super ceruicali. Primùm, quòd modicis contentus fuerit: nec enim ambulauit in magnis, aut in mirabilibus super se. Id est, super ceruicali, & non super lecto.

Psal. 130. Secundò quòd huius vitę quies, & dormitio potius quieti in ceruicali, quàm in lecto comparatur. Nec enim sponsa *Cantic 13.* vnquam lectū suum commendat, sed lectulum, aut ceruical potius. Sanè qui in lecto cubat, in horas multas dormire vult: at qui in ceruicali, ad paucas.

Tertiò habes Dominum ex labore fessum, ex itinere, & prædicatione lassatū: non tamen iacentē in lecto, sed cubantem in ceruicali, vt facilius corpus ad orationē excitaretur.

Quartò, quam velit nos Dominus intelligere, se esse paratissimum: velut in procinctu, ad fauendum nobis? Sane si in lecto iacuisset, quis crederet eum è lecto surrecturum, vt laborantibus opem ferret: at nunc, quia iacet super ceruicali, paratus est è sua quiete cōsurgere, vt miseriæ nostræ auxilio *Psal. 144.* sit. Propè igitur est Dominus omnibus inuocantibus eum, dummodò in veritate inuocauerint. Et quidem in tempore legis veteris, per annos bis mille vocatus, venire renuebat: quia dormiebat, velut potens crapulatus à vino. Nunc verò *Psalm. 77.* facilè surgit: vt qui super ceruicali quiescat.

Quintò, quod dormiat Dominus super ceruicali, pauperem, & asperam vitam commendat, quam ab ipsa origine vitæ ad finem vsque, commendare non cessauit. Natus in præsepio, dormiens super alieno ceruicali, moriens in cruce, quid aliud contendit, quàm vitam exiguam, & parcam complecti?

Sextò etiam admonet nos præsenti vti commoditate, & dum tempus & ratio se offert, angustè viuendi, lautā vitam non queramus. ergo in naui ne quærito delitias. Paulus pru- *Philip. 4.* denter institutus est: Scit enim in conuiuio, comedere: scit in fame, penuriā pati. scit ergo abundare, & egere. Septimò innuit, sat esse Christiano si caput suum quiescere, & blandè *1. Cor. 11.* dormire fecit. reliqua nihil curet. Caput nostrum Christus est. si huic quæsiuimus quietem, sat fuerit: etiam si nobis tam blanda quies parata non sit.

Porrò quiescente Christo, venti fremere cœperunt: intumuit mare, quatitur fluctibus nauicula, & tanta cōtentione

exigi-

exagitatur, vt propè mergeretur. Duo hic libet admirari. Primum quod venti, fluctus & mare cōtra Christū sæuiant. Alterum quod contra eum iacentem in ceruicali desæuiant. Grande miraculum: quod contra Christum, caro nostra, & mundus arma capiant, quodq; contra eum insaniant, quem Angeli reuerentur, potestates tremunt, & omnis cœlorum machina adorat. Iam si Christus tyrannus esset, aut alicui noceret: nihil mirū, si læsi contra nocentem armarentur. At contra Christum iacentem, dormientem, & super paupere ceruicali? Quis furor ô mortales? Quid vobis Christus & pij Christiani nocuerunt? an non potius vestra quærunt lucra? Quid enim aliud quærat, qui verè proximorū charitate exuritur? Quod si etiā Christiani lęsissent: tamen pauperes sunt, nihil sunt, cruc fixi, & mortui, cur contra pulices insanitis? 2. Cor. 13. Coloss. 3. 1. Reg. 16.

An non verissimè venti insani dicentur, qui tam cæco furore, contra innocuos, tam debiles, tam inimicorum amatore, fluctibus maris, & totis viribus armantur. Planè: vt venti sine ratione nautis innoxijs nocent: ita & impij pios demergere sine ratione desiderant. Rectè dictum est: Odio habuerunt me gratis. Et Pilatus, & Herodes nullam inuenerunt causam, in eo quem ad mortem damnauerunt. Rectè etiam clamet Scriba Ephesius, dum Ephesus tota confunderetur: Periclitamur argui seditionis, cùm nullus obnoxius sit, de quo possimus reddere rationem. Psalm. 68. Ioan. 18. Actor. 19.

Attende nunc miraculum aliud, quod nauicula proxima est naufragio: iamiam erat submergenda. Christum habet nauicula, & periculū naufragij sustinet. ô Christiane, si cum Christo periculū tibi est, quid sine Christo? An non iniquum est, peccare: ac ita nauiculam in mare demergere? Num melior est vita sub aquis, quàm super nauicula? An nō sub aquis mors est? An non in nauicula, est spes ad portum veniendi? At dices mare spatiosum est, arcta verò nauicula. Verum id: sed per spatiosa itur ad perditionem: vt per arcta peruenitur ad regnum. Psal. 103. Matth. 7.

Quòd si te venti vehementer impugnant, vt iamiam irrumpant, clama ad Christum. Hanc enim misericordiam, & fœdus nobiscum habet Christus, vt inuocatus, à naufragio liberet. Igitur in oratione, in clamore, in apertione oris tui, tua salus est. Si peris, tua culpa peris, quia non aperuisti os tuum, non impleuit te salute Christus. Excitatur ad vocem ouis pastor, ad vocē pulli gallina, ad filij vocem pia mater. Psal. 80.

Quid

Quid timidi estis, inquit Dominus, modicæ fidei? Qui magnam fidem habet, non dicit: Salua nos perimus: non enim qui ardentem fidem habet, perit, qui ergo prope interitum est, paruam fidem habet. Qui magnam fidem habet, fluctibus & ventis obsistit: & in ventorũ, & maris cõflectatione lætatur.
Galat. 6. Mihi, inquit Paulus, absit gloriari nisi in cruce: vbi venti
2. Cor. 11. perflant. Gloriabor libenter in tribulationibus, & fluctuum impetu. Hæc enim fides est magna: quæ nõ solum gloriatur
Rom. 5. in spe filiorum Dei, sed & gaudet in tribulationibus, sciens quia tribulatio patientiam operatur, cui regnum debetur. Vide verò quemadmodũ antequam eos liberet, reprehẽdit. Signum enim liberationis reprehensio est. Per quam dignus tribulatione priore, efficitur dignus liberatione sequenti. Meritò verò reprehendit eos. Si enim cum Christo erant, cur timebant ventos? Iniuriam facit fortissimo viro, si ab eo in manibus portatus, ventos timet. Cur enim timeat ouis
Lucæ 15. in humeris pastoris? Cur timeat agnus in brachijs Christi?
Isaiæ. 40. Cur timeat puellus in vlnis suæ matris: Cur timeat sponsa
Cant. 2. 8. quam dextera amplexatur sponsi? Num times Christi debi-
Ioan. 10. litatem? At ille dixit: Nemo capiet eas, scilicet oues, de
Deut. 32. manu mea. Modicæ igitur fidei: quid timidi estis? Si super alas suas vos defert magnarum alarum aquila, quid timetis scarabeos? Tempore antiquo mirum non erat, si fideles
Matt. 28. timerent, longè enim erat salus ab eis: at nunc nobiscum est Deus. Et ipse promittit: Ego vobiscum sum vsque ad con-
Hebr. 11. summationem seculi: vide verò, non dixit. Quid timidi estis modicæ charitatis, aut modicæ fortitudinis. Siquidem radix omnium virtutum est fides.

Nota mundi tribulationes ventum hic dici: Cur igitur ventos fidelis pertimescat?

Imperauit Dominus ventis, & mari. Solet enim nonnunquã Dominus reprehendere intrinsecus corda eorum, qui nos
Gen. 20. affligunt. Ita reprehendit Abimelech pro Abraham, Labam
Genes. 31. pro Iacob, Mariam & Aaronem pro Mose. Sed ea verè in seculo magna tranquillitas est, cum Dominus imperarit nõ solum exterioribus aduersarijs: sed & nostræ carni, vt subditantioni sit, quatenus per vitam præsentem fieri potest.
Isaiæ 11. Cum videlicet ludit puer paruulus super foramine aspidis, id est, cum spiritus noster parum a sua carne timet. Cum pax
Iob 5. fit cum bestijs terræ, id est, cum affectionibus nostris. Quod tunc fit, quando ea quæ alij habent pro aduersis, nos pro felici-

fœlicibus reputamus. Illa verè est tranquillitas magna, quæ contingere non solet nisi post tribulationẽ, & tempestatem magnam. Hæc enim illius meritum est.

Tunc reuera mirantur homines Christi potentiam, & dicunt: Qualis est hic? Vix credit homo Christum tantam potentiam habere, donec caro nostra post mortẽ in spiritu surgat: & eiecto Ismahele, Isaac ludat solus. & cessante parere Lia, incipiat prolem habere Rachel, & donec defuncto Dauid, qui erat vir sanguinum, & belligerator, succedat Salomon, qui regis pacifici nomen obtinuit. Genes. 21. Genes. 30. 2. Reg. 1.

Duo sunt hic mihi aduertenda: Alterum, quàm parum credidissent, (qui prope naufragium erant) tantam futuram, tam subitò, tranquillitatem? Certè vt intelligamus, quod facilè est, in conspectu Dei, subitò honestare pauperem. Et in die malorum ne simus immemores bonorum. Sicut contra in die bonorum, & tranquillitatis, ne in vtramque aurem dormiamus, sed memores simus malorum & tempestatis. Alterum est: quòd tranquillitas per Christi terrorem & comminationem facta est. Nihil enim est adeò, quod carnis nostræ insultus cohibeat, quã timor & terror Christi. Rectè ille dicebat: Confige timore tuo carnes meas, &c. Eccles. 11. Eodem. Psal. 118.

Et cùm venisset Iesus, &c. Libet nonnulla dicere iuxta literam, mox ad moralia descendam. Primum occurrit quod Matthæus dicit: *Exierunt de monumentis duo habẽtes dæmonia.* Vbi considerandum, cur dæmones habitare cupiunt in sepulchris? Responsio prior est. Quia diabolus inuexit in mundum monumenta, & sepulturas: ideo gaudet in effectibus suis. Plane mundus nesciebat monumenta, sicut nec sciebat mortem. Deus enim mortem non fecit: nec lætatur in perditione viuorum. Creauit enim omnia, vt essent: & sanas fecit nationes orbis terræ. Si igitur Deus mortem non fecit: ergo nec sepulturã, quę domus mortis est. Eleganter inquit. Deus creauit hominem inexterminabilem, inuidia autem diaboli, mors introiuit in orbẽ terrarum. Igitur per eandem inuidiam, introiuit monumentum. Sapien. 1. Sap. 2.

Secundo, Certum est duos esse principes Deum & dæmonem. Domino teste, qui diabolum principem mundi huius nominat. Ad Principẽ Deum spectat vita, & terra viuorum, id est, cælum. Quare ad principem diabolum spectat mors, & infernus, & sepulturæ mortuorum: gaudet igitur in rebus suis. Ideo vitæ Princeps Christus, contra mortem, inquit: Ioã. 12. 14.

O mors

Osee 13. O mors ego ero mors tua, & morsus tuus inferne.

Matt. 22. Tertiò, Dominus inquit Sadducæis: Non est Deus mortuorum, sed viuorum: igitur, verè mortui non sunt Dei, sed diaboli. Siquidem iusti, qui vita hac functi sunt, non sunt
Ioan. 11. mortui, sed dormiunt. Igitur diabolus est dominus mortuorum. quare & monumentorum, in quibus hi vere mortui habitant: sepulchra enim eorum, domus eorum in perpetuum. Nec enim incredibile est, illa monumenta in quibus hi dæmoniaci latebant, hominum fuisse impiorum: & sicut
Psalm. 48. eorum animas in inferno, ita & corpora in sepulchris possidebant. Nam sicut omnia, quæ habent pij iure hæreditario spectant ad Deum: ita quæ habent impij, diaboli sunt.

Secunda cõsideratio est: Cur dæmon faciat dæmoniacos
Lucæ 8. esse nudos? Hic enim dicitur: Vestimento non induebatur. Cur igitur? Primo quia verecunda nuditas, per peccatum, &
Genes. 3. diabolum in mundum inuecta est. Ante peccatum Adam, lux eum vestiebat. Post peccatum viderũt, se esse nudos. gaudet igitur dæmon in victoria sua, & delectatur in imaginibus suorum triumphorum.

Secundò: quia dæmon est turpis, & impudicus: gaudet igitur in nuditate, quæ est illectamentum impudicitiæ. Vnde
1. Cor. 11. Paulus iubet: Mulieres velatum habere caput, propter Angelos bonos. qui sicut sunt pudici, ita gaudent pudore, & velamentis: quæ sunt pudoris pædagogi.

Daniel. 4. Tertiò: Nabuchodonosor ex hominibus abiectus, fœnum vt bos comedit, & rore cœli nudus inficiebatur. Ita Adam post peccatum: ex paradiso, & Angelis abiectus: nudus di-
Psalm. 48. missus est. Et in signũ imperij amissi, ex homine iumentum nudum factum est. Cupit ergo videre diabolus, hominẽ, ita semper nudum: & lætari de eius nuditate, sicut olim lætatus est, si hoc verbo vti licet.

Quartò, erat sæuus hic dæmõ, & crudelissimus. Cupiebat ergo habere hominem semper nudum, vt eum facilius læderet, & lapidibus concideret: hac enim ratione habitabat in montibus, vt inde facile præcipitaretur: & in sepulchris, vt pedore defunctorum facilius extingueretur.

Tertia cõsideratio: Cur dæmon nolebat dæmoniacum in domo sua habitare? Primò. dæmon ex propria domo relegatus, nõ patitur quenquam in sua domo habitare: abiectus dæmon è cœlo in perpetuum fuit, nollet quenquam in sua domo gaudere.

Secundò

Secūdò, quia in ciuitatibus res sacræ sunt. Est enim verbum Dei, quod prædicatur, sunt domus Dei, in quibus colitur, frequenterq; nomen Dei in populis inuocatur. At omnibus rebus diuinis vehementer dæmon offenditur, ideo populos fugit, deserta desiderat.

Tertiò: Miser dæmoniacus in domo sua à suis aliquod remedium inueniret: vel certè impediretur ne se læderet. Sæuus ille dæmon lædere liberius volens, ad desertum adduxit, sicut Cain adduxit Habelem in desertum, ne ab aliquo vetaretur. *Genes. 4.*

Quarta consideratio: Cur dæmon rumpit catenas, nec dæmoniacum ligatum patitur esse?

Primum, quia superbus est, & ideo liberrimus esse cupit. Vnde conditio, & ingenium hominum impiorum est illud, decantatum in Psalmo: Disrumpamus vincula eorum, & proijciamus a nobis iugum ipsorũ. Et illud quod Dominus exprobrat: A seculo confregisti iugum. Est igitur hominis impij nulli velle subdi: sed vt liceat quod libeat. Contra vir pius subiectus est omni humanæ creaturæ propter Deum, sciens quòd qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. *Psalm. 2.* *Ierem. 2.* *1. Petri 2.* *Rom. 13.*

Secundò: Cum dæmoni sit paratus carcer perpetuus, & vincula æterna, (Petro dicente: quod Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos) vbi dæmon videt vincula, & catenas, horret & fugit: sunt enim hęc suorum tormẽtorum similitudo. *2. Petri 2.*

Tertiò, nullus domare dæmonem aut demoniacum potest. Vbi significatur obstinatio animi. Demonem siquidem, quia damnatus est, nemo domare, aut ad meliorem mẽtem reuocare potest. Et ad reuocandum dæmoniacum nulla humana virtus pertingit. Sola diuina virtus eò peruenit. Siquidem non est potestas, quæ dæmoni comparetur super terram. *Iob 41.*

Quintò, considerandum occurrit, quare dæmones hi clamabant, & Christum adiurabant per Deum, ne eos ante tempus torqueret? Et ante omnia vide Lector etiam dęmones audere adiurare Christum, per Deum viuum. Ita etiam adiurauit eundem Christum Caiphas, dicens: Adiuro te per Deũ viuũ, vt dicas nobis, si tu es Christus? Itaque nihil tã sanctum quin dæmon eo abutatur. Et nihil item tam sanctum, quin dæmonis ministri eo abuti possint. Vt enim transfigurant *Matt. 26.* *2. Cor. 11.*

se, in Angelum lucis: ita assumũt sibi verba Dei, etiam contra Christum.

Porrò quòd dicunt: *Venisti ante tempus, torquere.* admonet, non primo Christi iussu exisse dæmonem. Videlicet, quia arbor longo radicata tempore, non primo ictu deijcitur. Nec bene constructa turris, primo tormento diruitur. Væh igitur si dæmon longo tempore in nobis habitat, non aufugiet primo Christi verbo iussus. Iubebat enim Christus (licet non efficaciter) eum exire. Et ille respondebat: Quid
Marci 5. nobis, & tibi. vt expressè Marcus testatur.

Iam quod aiunt: se à Christo torqueri, ita intellige: Christus habet verbum, quod instrumentum est deitatis. Et ideo verbum illud à deitate vim accipit, & sanandi infirmos, & torquẽdi demones. Igitur verbo Christi affligebatur dæmõ, velut igne cremante. Sed quod addunt: Venisti ante tempus torquere, arbitror hunc habere sensum. Sunt quædã peccata, quæ temporale punitione ad certum tempus Deus castigat,
Ier. 25. 29 vt manifestum est in peccatis: quę ante vltimam internecionem Iudæi cõmiserunt. Peccauerat igitur peccatum Gerasa, aut duo dæmoniaci illi propter quod à dæmone ad tempus puniebantur. Et quia tempus nondũ erat finitum, ideo queruntur se ante prefinitũ tempus ab officio puniendi priuari.

Demum quod tanto nisu à Christo contendunt, ne in abyssum deijciãtur, causa fuit quia gaudẽt (si modò gaudẽt) nobiscum pugnare, & colluctari. Ideo enim nomen habent. Legio (quod nomen militare est.) gaudent de nobis referre triumphum, gaudent de nostra miseria, gaudent de Dei offensa, gaudent de regni Dei diminutione, gaudent de sui regni cremento. Quibus gaudendi causis priuarentur in abyssum detrusi.

At dices, cur petierunt mitti in porcos, & non potius in aues, aut pisces? Sanè quia amant immunditiam. Nec enim immerito dicuntur spiritus immundi. Adeò degenerauit spiritus ille præstantissimus.

Sexta consideratio. Cur Dominus rogatus, vt sineret in porcos ire, cõcessit statim, vt Marcus inquit? Cur igitur tam facilè tantum nocumẽtum fieri permisit? Hanc credo fuisse
Leuit. 11. causam: Porcos pascere erat Iudæis prohibitũ. At Dominus facilè nocet, in his quæ contra eius leges possidemus. Sicut
1. Reg. 4. dein tunc nocere, mederi est. Ita puniuit Deus Heli, in filiis
2. Reg. 12. suis: quos ille contra legem Dei fouerat. Puniuit Dauidem in filio:

in filio: quem ex adultera Bethsabeæ sustulit. Punit ergo Gerasenos, in porcis: quos contra legem Dei possidebant. Secundò, quia (vt modò dicebam) arbitror peccatū aliquod Gerasenos admisisse, cuius causa eius ciues dæmonio vexabantur, quòd peccatum nondū erat satis punitū: porcorum verò nece, castigatio integra perfecta est. Et ideo tam facilè Dominus eam fieri permisit. Tertiò, quid miraris si vtitur Deus damno impiorum, in suam gloriam: quando etiam
vsus est in eundem finem pijssimi Iob, & puerorum inno- *Lucæ 2.*
centium detrimento.

Septima consideratio: cur vniuersa ciuitas exijt rogatura IESVM, vt discederet à finibus suis. Christus beneficus, liberauerat tam calamitosos, à tanta miseria tutas fecerat vias à dæmonum sæuitia, dæmones abegerat ab ea ciuitate. Cur igitur ab ea relegatur? Si perierunt porci, ea culpa dęmonum fuerat. Quòd si vnus aut alter Christum eijceret, ferendum erat, sed vniuersa ciuitas eijcit. Et eijcit nō ab vna aut altera domo, sed ab vniuersis finibus regionis.

Respondeo: si miraris quòd exire rogatur: ego miror, quòd rogatur, & nō potius expellitur: miror quòd propter porcos, non placuit bella cum Christo gerere. Hoc enim est mundi ingenium, arma furentia rapere contra Christum bene merentem. Porrò Geraseni sciebant Christi munus esse dæmones eijcere: & crediderunt, nullum futurum porcum in tota regione: quin in eum Christus dæmones conijceret. Ne ergo temporalia amitterent, libenter cedunt æternis.

At verò certum id sit, neminem sine aliqua temporalium iactura, Christum posse recipere. Ecce, dicunt, Nos reliquimus omnia vt sequamur te. Et Paulus omniū detrimentum facit: vt Christum lucrifaciat. Quid? Si Christum vis non modò porcos, sed & te es negaturus & oditurus. Ea præsertim sunt tibi relinquenda, quæ contra legem Dei habes: vt
sunt porci quos Iudæis, habere non licebat. Igitur qui non *Matth. 19.*
reddunt quod male possident, similes sunt Gerasenis, eij- *Philip. 3.*
cientibus Christum, ne in temporalibus nocere pergat. *Lucæ 9.*

Aduerte verò quòd vniuersa ciuitas Christum eijcit. Quia pauci sunt qui suscipiunt, multi qui eijciunt. Vniuersa ciuitas
Christū, vt crucifigeretur clamauit: pauci in sepulchro mor- *Ioan. 18.*
tuum condiderunt. Multi ergo sunt vocati, sed pauci electi. *Matt. 20.*

Hactenus nos litera detinuit, sed si libet Lector, audi nonnulla de moribus. Arbitror ego hoc loco, peccatores maxi-

mos, in maximam liberationis suæ spem erigi, & sustolli. Dæmoniaci hi sæuissimi, peccatores desperatissimos, & in malorũ profundo, peccatis multis obrutissimos significãt. Igitur si hi liberati sunt, liberari se posse, desperati confidãt. Age verò mecum, expende quam graphicè describatur à Matthæo, is qui est grandis peccator.

Primùm: erat, inquit, dæmoniacus, vel erat homo in spiritu immundo. Profectò non est quod maiorem miseriam desideres, nam deficere ex regno Dei, & in ius & ditionem diaboli transire, summa miseria est: malum enim & amarum
Ierem. 2. valde est, te reliquisse Dominum Deum.
Isaiæ 61. Secundò, erat nudus: Sanè, vir pius ornatus est monilibus:
Ephes. 4. sicut sponsa, id est, ornatus est donis illis & virtutibus, quæ Christus ascendens in altum hominibus dedit. Cùm igitur peccauit miser, nudus his donis relinquitur. Is enim qui
Lucæ 10. descẽdebat ex Ierusalem, à latronibus expoliatus est, nudus
Matth. 22. & semiuiuus relictus. Sed ò miseriam, qui veste hac nuptiali nudatus est, conijci debet in tenebras exteriores.

Tertiò: Non manet domi, id est, inter domesticos fidei,
Psalm. 67. inter eos qui sunt vnanimes in domo, demum inter pios &
Matth. 18. iustos qui in nomine Christi congregantur: in quorũ medio Christus est. Igitur, vt signũ pij animi est, pios quærere cum quibus cõuiuat: ita impij est, piorũ domũ ac cœtum fugere.
Isaiæ 28. Quartò: habitat in monumentis: quandoquidem foedus inierunt impij cum morte, & cum inferno faciunt pactum.
Prou. 12. Quod tunc fit, quando ipsum peccatum placet. Deusque & eius cœlũ contẽnitur, fit scilicet cum impius in profundum peccatorum venit, quasi in monumento habitaturus.

Quintò: Manet in desertis, id est, in locis inuijs Deo, & Sanctis. In locis videlicet, per quos nec Deus, nec Angeli transierunt. Quòd tunc fit, cùm implicat se negotijs secula-
1. Ad Timot. 6. ribus: cùm habet desideria multa & nociua: quæ mergunt homines in perditionem. Maximè verò desertum habitat, qui fidem negat, aut in excommunicationem incidit.
Psal. 130. Sextò: Manet in montibus, dum quærit sublimia, dum ambulat in magnis & mirabilibus super se. Demum cùm querit dignitates, & honores: vnde non in cœlum ascendat, sed in infernum periculosius præcipitetur.
Marci 5. Septimò, ex Marco, hic dæmoniacus clamabat. At de
Isaiæ 42. Christo dicitur: Non clamabit, nec aliquis in plateis audiet
Psalm. 32. vocem eius. Dauid verò cõqueritur. Quoniam tacui inueterauerunt

rauerunt ossa mea: dum clamarem tota die, clamat coram mundo, & tacet coram Deo: signũ ergo dæmoniaci est: lites gerere, vbi clamoribus aduersarium obruat. Signum etiam est clamosum esse in rixis & contẽtionibus. Siquidem silentium est cultus iustitiæ.

Octauò, concidebat se dæmoniacus lapidibus, quod tunc fit, cum quis obstinationem addit obstinationi, sicut Pharao fecit. Peccata enim obstinationis, lapides sunt: ex quibus Volebat dæmon, vt Christus faceret panes: & forsan quòd Iudæi se lapidibus circuncidèrent, significabat eorum generationem obstinatam suo Seruatori futuram. *Isaiæ* 32. *Exod.* 11. *Matth.* 4. *Exod.* 4.

Nonò: Non poterat catenis vinciri. Catenæ sunt Dei beneficia erga nos: eius nimia charitas per Christi passionem exhibita, eius minæ & terrores. De his enim dictum est: In funiculis Adam traham eos. Vbi miraculum est infirmum dæmoniacũ catenas rumpere, quas sani rũpere nequirẽt. ita plane: Pius rũpere non potest hæc Domini vincula: quę impius tam facile frangit. Itaque infirmitas est potẽtia ad rumpendum: pietas, & sanitas debiles ad rũpendum constituit. *Oseæ* 11.

Decimò: Nemo eum domare potest. Quid enim debuit Deus facere, quod non iam ad domandũ fecerit? Si hæc non domant, quis poterit domare? Quærebat diues aliquem nuntium: qui veniret ad suos fratres admonẽdos. Respondet ei Abraham: Si tuos fratres, verba Dei non domant, nullus domare poterit. At tunc erant sola Dei verba: nunc vero sunt verba maiora, & facta meliora, quis eum domabit qui ab his non domatur? *Isaiæ* 5. *Lucæ* 16.

Vndecimò: Tam est sæuus: vt per viam neminem transire sinat. Id facit desperatus peccator: quando impedit viros bonos, ne boni sint: quando etiam iniquas contendit facere vias Domini: de his dicitur, Quæ perfecisti destruxerunt, iustus autem quid fecit? Et, abominantur impij, eos qui recti sunt: habent enim hi odio Christum, & Patrem eius gratis. Expendat nunc quiuis, an aliqua harum conditionum sibi conueniat: vt intelligat, si dæmoniacus est. Et ab eis sit alienus: vt sentiat se à diabolo extorrem. *Psalm.* 10. *Prou.* 19. *Ioan.* 15.

Porrò etiam si demoniacus sæuissimus sis qualem depinximus, en tibi venit Christus, te sanaturus. At clamat demoniacus: *Quid tibi, & nobis est Fili Dei?* Et sane verum dicitur: nihil enim habet caro, cum spiritu: prudentia carnis, cum sapientia Dei, Spiritus rectus, & principalis, & mundus, cum *Lucæ* 13.

ſpiritu recuruo, ab annis decem & octo, cum ſpiritu erroris & immundo. Rurſum verbum illud: *Quid tibi & nobis*: planè hominem indicat de ſe deſperantem: crimina ſua letalia agnoſcentẽ, & ideo clamantem: Nihil in me habes. Maior eſt *Geneſ. 4.* iniquitas mea, quàm vt veniam merear: dignum inferno me profiteor. Ideo ne me ante tẽpus torqueas. quaſi dicat: Nunc permitte me peccare: iam poſt morte in inferno torquebis.

Gloria verò ſit Chriſto, qui venit ante tempus torquere: ne in tremendo die: imò in æternitate torqueamur. Verè *Pſalm. 9.* adiutor in opportunitatibus eſt, qui hic nos torquet: vt in æternum cõregnemus. Sanè in hoc tempore torquet iuſtos *Pſalm. 93.* Dominus: vt mitiget eos à diebus malis. Imò & iniuſtos vult triſtitia, & contritione torqueri, vt eis peccata dimittat, vt taceat Lutherus, qui vult peccatores dæmoniacos ſine dolore, & tortura à peccatis liberari: imò verò torqueantur, vt clament: & clament vt indulgentiam inueniant. Et planè dignum eſt torqueri, ſi non alia cauſa, certè hac: quia tanto tempore non Dei, ſed diaboli poſſeſſio fuiſti.

Sed vide: Torquetur diabolus, & dæmoniacus hic, quia Verbum Dei contempſit: ille, quia ſuam poſſeſſionẽ, ſuumque atrium fortis armatus amittit. Et quia in throno regio, *Lucæ 11.* *Ephеſ. 2.* id eſt, ad dexteram Dei in cœleſtibus in Chriſto ſedere videt, eum quem in ſepulchris latitare eatenus coëgerat.

Non verò libet diſcedere ex hoc loco: ante quam illud addam: *Veniſti, inquit, ante tempus torquere.* Verbũ illud referri poteſt, ad dæmonem, & ad dæmoniacum. Si ad dæmonem & duplex eſt ſenſus. Prior: Ante, ò fili Dei, torquendus ſum, & expoliandus in tempore paſſionis tuæ. Cur ante illud tẽpus *Coloſſ. 2.* me torques? In cruce enim expoliauit Chriſtus principatus, & poteſtates, &c. Alter ſenſus: A te poſt diẽ iudicij torquebimur, cur nos priuas eo vnico gaudio: quòd habemus dum non ſumus in abyſſo, libertate ſcilicet, & quod non ſimus in catenis.

Si ad dæmoniacum referatur. Senſus eſt: Volebam ego tempus hoc meę iuuentæ, & florentioris ætatis coronari *Sapien. 5.* roſis: & nullũ eſſe pratũ, quod non mea pertranſiret luxuria. Tormentum verò pœnitentiæ ſeruabam, ad ſenectam: vel vſque ad mortem. Tu verò venis ante tempus à me diffinitum, torquere me doloribus pœnitentiæ. Venis igitur ante tempus torquere, quia caro nullum putat eſſe pœnitentiæ tempus, niſi quando tempus non eſt.

Mitte nos in porcos. Hinc mihi colligere videor, sicut nul-
lus gratiam amittit: quin se alius eam recipiat: ita dæmon
si ab vno ejicitur, in alium mittitur. Dicit Deus: Tene quod Apoc. 2.
habes, ne alius accipiat coronã tuam, igitur quam vnus per-
dit, alius accipit. Ita si ex vno dæmon ejicitur, in alium insi-
lire permittitur. Quæris in quem? certè in pascentes porcos.
Igitur paratus dæmoni est: qui indulget nimium cibo, potui,
Veneri. Væh enim vobis qui nunc saturi estis. Væh vobis qui Lucæ 6.
ducitis in bonis dies vestros. Væh vobis qui epulamini quo- Iob 21.
tidie splendide induti bysso, & purpura. Cauete, quia ruitis Lucæ 16.
magno impetu in præcipitium. Quid enim aliud est, tantos
sumptus facere ad edendum, bibendum? quàm magno im-
petu in præcipitium ruere? Vt enim pij magno feruore, &
impetu, auocant se à carnalibus rebus, id est, ab occasione
cadendi: ita vos magno impetu ad carnalia, id est, ad ruinam
properatis.

O verò miserum spectaculum: pro duobus dæmoniacis
liberatis: magnum gregem porcorum præcipitatum. An nõ
sat esset, duos porcos perijsse? At planè intelligis multos esse
vocatos, sed paucos electos: qui enim à dæmone liberantur, Matthæi
sunt sicut botri, ex vindemia remanẽtes. Cùm totam vinde- 20. 21.
miam diabolus auferat. Sunt etiam sicut oliuæ: quæ vbi Mich. 7.
excussa est arbor, manent in cacumine arboris. Isaiæ 24.

Sed si triste spectaculum est porcorum amissio: pulcher-
rimum est, dæmoniacus liber, ad pedes IESV sedens. Sedet
ad pedes, vt cum Maria audiat Verbum Dei. Sedet ad pedes, Lucæ 10.
vt ex eis vnguentum colligat. Siquidem vnguẽtum in capite
Aaron, descendit in barbam, & in oram vestimenti eius, id Psalm. 132.
est, ad pedes. Sedet ad pedes, vt ostẽdant, non se altiore loco
dignum reputare. Sedet ad pedes, quia postquam liberatus à
dæmone, nihil est in Christo tam vile: quin tu venereris & Matth. 3.
adores. Tã enim tibi est pretiosus, is qui te liberauit, vt cor-
rigiam sui calceamẽti, non videaris soluere dignus. Sedet ad
pedes: vt ibi humiliatus dignus sit exaltari, nam qui se humi- Lucæ 14.
liat, exaltabitur. Sedet ibi tunc ad pedes, qui collocandus est & 18.
in brachiis, imò & super humeros. Velut fecit pastor ille, qui Lucæ 15.
amissam inuenit ouem. Hactenus dictum mihi de moribus
est. Precatũ te cupio Lector, cuius animum appellas ad ea
quæ mihi in mentem venerũt, forsan legisse non pœnitebit.

Arbitror ergo hos duos dæmoniacos à Christo liberatos
populos fuisse gentium, & Iudæorũ, & quia præcipue gẽtes

liberatæ sunt, ideo de eis speciatim mentio fuit Marco, & Lucæ. Eiecti igitur dæmones in primitiua Ecclesia ex gentibus & Iudæis, rogauerunt Christum in porcos mitti. Hos porcos certissime credo fuisse Machumetanos, in quos dæmones insilierunt. Quod verò magno impetu ferantur in mare, plus video, quàm vellem. Video enim eos in infernum tendere. Sed magno strepitu, magno nisu, & magna copia. Totus enim mundus eorum strepitu plenus est. Quod si per mare orbem accipias, planum est eos contra orbem magno
Ioan. 10. impetu pugnare. Sed tandē ab orbe sunt occidendi, quando fiet vnum ouile & vnus pastor. Christo gloria, Amen.

CAPVT IX.

Et ascendens Iesus in nauiculam.



TRIBVS modis historiam hāc explicare cupio: vbi prius circa literam quatuor annotauero.

Primum, quòd hi portatores paralytici, nihil veriti sunt, tectum aliene domus fodere, damnūque proximo inferre: dummodò suum sanarent infirmum. Imo nec timuerunt, num fortàn sua illa audacia animum Domini (qui subtus erat) offenderet, tanta est profligandæ infirmitatis cupiditas. Docuērūt nos tamen proximo esse subueniendum, cùm extremè patitur: etiam cum proximi non graui nocumento. Non enim graue admodum damnum erat, tectum aperire.

Secundò, nota vsque ad Christum, non fuisse in terra
Concilio potestatem causatiuam remissionis peccatorum. Siquidem
Floren. sub vetera sacramenta non causabant gratiam: & ideo non cau-
Eugen. 4. sabant remissionem peccatorum. Primus ergo cui hæc potestas debetur, Christus est. Qui quā ipse habuit principalem suis discipulis communicauit, ministerialem. Habet igitur Ecclesia huiusmodi facultatem: sed quam accepit à Christo.

Tertiò, nota illud verbum, *Fili, remittuntur tibi peccata.* Primum dicit fili, mox subdit, remittuntur tibi peccata. Vt
Ioan. 15. intelligas, verum esse dictum Domini. Non vos me elegistis: sed ego elegi vos. Ex electione, prædestinati dicuntur filij: ex qua deinde prouenit remissio peccatorum.

Quartò, ibidem nota. Illud verbum remittuntur tibi

peccata: primùm valere idem, ac si diceret: Parata est tibi remissio peccatorum: suscipe eam si libet. Rursum, sensum hunc habet: fili, ego in te remissionem peccatorum efficio, id est: Ego te iustum facio, & quia ad remissionem requirebatur fides, ideo dicens Dominus: *Confide fili*, simul fecit in infirmo fidem eodem infirmo cōsentiente. Hactenus litera.

Prima quæ se offert explicatio hæc est: Hic paralyticus est genus humanum, quod ex peccato Adæ paralysin contraxit; non obedientibus viribus nostris imperio rationis. Hic infirmus, charus erat omnibus viris sanctis: qui Christum præcesserunt. Siquidem vehementissima charitate, eius curationem optabant. Rectè igitur, iacebat genus humanum in charitate Sanctorum: velut in lecto vbi portabatur. Si enim Deus dicit: Audite me, qui portamini ab vtero meo, *Isaiæ 46.*
qui gestamini a mea vulua, vsque ad senectam ego ipse, & vsque, ad canos ipse portabo. hanc verò suam Deus charitatem in Sanctos illos antiquos transfundebat. Igitur, sicut Deus ferebat in visceribus suæ charitatis infirmū hominum genus: ita ferebant & Sancti. Igitur baiuli generis nostri, Sancti illi fuerunt. Cum vero hi nossent Christum venisse in domum, id est, in carnem suam, statim ab eo contendebant, sui infirmi sanitatem. Porro quia non sat erat ad salutem hominum Christum audire loquentem (multa enim turba audit Christum, sed non multa sanatur.) Ideo Christi domum, id est, carnem perfodiunt. Vt per foramen infirmus ingrediatur & sanetur.

Dure, Lector accipis quòd Sancti perfoderint, & vulnerarint carne Christi: quâ eius diuinitas tegebatur. Siquidem *Ioan. 19.*
impij Gentiles, carnem illam sacram, tectum deitatis, vulnerauerunt. Sed nihil est quòd id dici verearis: vt enim Pater *Vide S.*
tradidit morti, & vulneribus Christum & ipse se Christus *Thom. 3. par. q. 47. art. 1. & Rom. 8.*
vulneribus tradidit: ita Sanctorum Patrum amor & charitas Christum tradidit vulneribus. Nec enim impij possent Christum vulnerasse: nisi sanctorum Patrum charitas, eum ad vulnera adegisset. Videbunt, inquit, quem transfixerunt, *Isaiæ 53.*
& plangent eum planctu. Igitur hi ipsi qui transfixerunt, *Zach. 12.*
planxerunt, at impij non planxerunt, sed pij: ergo piorum desiderium Christum transfixit. Quod apertius illorum dicitur: His plagatus sum in domo eorum, qui me diligebant: Ac si diceret, has plagas mihi mei amici fecerunt. Amor quem in illis conspiciebam, vulnerauit me, & cruci subiecit.

Per foramen verò lateris Christi ingressi omnes sumus. Et ibi per fidem accessum habuimus in gratiam istam, vt iusti essemus. Idcirco enim dicitur: *Confide fili.* Quia per fidem
Hebr. 11. accessus est ad iustificationem: sine qua impossibile est placere Deo. Nec otiosè hi portitores generis nostri, dicuntur quatuor. Siquidem nec immeritò Patriarchæ ex quibus est Christus secundùm carnem solum quadraginta à Matthæo
Matth. 1. numerantur. Quia quatuor, numerus est laboris & infirmitatis. Porrò post iustificatum infirmum oblatrant Iudæi: quasi Christus esset blasphemus. Id ipsum & nunc oblatrāt. At Dominus iubet nos lectum nostrum tollere: id est, charitatem Patrum nostrorum imitari.

Quod si forsan non intelligis quomodo introiuimus, per apertum Christi foramen, & vulnus: id ita accipe, non potuisse nos membra corporis Christi esse, nec ab eo perfectè diligi, nisi meritò vulnerum illorum.

Secunda explicatio occurrit luculentior: Christus abijt in cœlum post ascensionem: velut in suam ciuitatem. Erat
1. *Cor.* 15. enim ipse de cœlo: sicut Adam erat de terra. Porrò qui infirmum portant, Prælati sunt, & qui populi curam gerunt. Hi enim non solum in lecto, sed & in vlnis, & humeris subie-
Isaiæ 49. ctum sibi populum ferre iubentur. Dicente Domino: Ecce leuabo ad gentes manum meam, & ad populos signum meum: & afferent filios tuos in vlnis: & filias tuas super humeros portabunt. Et erunt reges nutricij tui, & reginæ nutriciæ tuæ. Igitur sacerdotes portant oues suas in vlnis, & reges sunt earum nutrices. Erit ergo sacerdotum, & regum munus, cœlum infodere, precibus, clamoribus, meritis, &
Matth. 11. exemplis domum cœlestem aperire. Dictum est enim: Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Vim igitur inferant Prælati cœlestibus tectis, vt infirmas oues, ante Christi oculos statuant. Nec statuant solum: sed suis meritis à Christo iustificationem ouium impetrent. Vt Christus, videlicet, vidēs Prælatorum fidem, infirmis fidem vitam infundat: quia ab infirmitate surgere possint. Signum verò sanitatis infirmi erit, si lectum suum portet. Lectum est quies infirmi: est igitur charitas & amor infirmorum, & iacentes. Cùm igitur lectum habes & amorem, vbi quiescunt infirmi, sanum te esse confide. Nota quòd lectus & amor non tibi iam sano dicatur: sed infirmis, sanctus enim sibi est alius pius. Quòd si te, tui in cœlum non [illegible]

Prælati

Prælati: en ad manum sunt portitores, qui eò te ferant. Tua enim desideria, tuæ orationes, & clamores, infirmum te coram Deo statuere possunt, hi sunt qui tectum cœli perfodiunt. Dictum enim est: Oratio humiliantis se penetrat nubes: non has aëreas, sed cœlestes. *Eccles. 35.*

Tertia explicatio est: Christus veniens in mundum, in suam ciuitatem venit, dicit enim Ioannes: In propria venit. Nascens vero ex Iudæis, & factus sub lege, in domo Iudaismi consistebat. Est enim Christus ex semine Dauid secundum carnem. Habes Christum in domo Iudaica. *Ioan. 1.* *Rom. 1.*

Porrò is ipse Christus (quatenus Adam nouus) ferebat nos infirmos. Sicut enim in fœlici sorte Adam terrenus nos carnaliter tulit: ita fœlicissima sorte, Adam nos cœlestis spiritualiter portauit. Vt enim in Adam omnes moriuntur: ita & in Christo omnes viuificabuntur. Igitur paralyticum Christus ferebat in corde, in vlnis, & in humeris. *1. Cor. 15.*

Sed fieri nō poterat, vt Iudaismo integro sanaretur infirmus. Lex enim neminem tulit ad perfectum: & ex operibus legis non iustificamur. Impossibile enim est sanguine vitulorum aut taurorū peccata mūdari. Rumpat igitur Christus legem: rumpat & Iudaismum. Cessent legalia, vt paralyticus sanetur. Ita planè factum est. Cùm enim rupta fuit in cruce Christi caro, clamauit ille, consummatum est. Tunc tectum Iudaicæ domus diruptum est: in cuius signum velum templi discinditur. *Hebr. 10.* *Galat. 2.* *Hebr. 10.* *Lucæ 23.*

Quia vero Christi carne discissa, discissoque velamine templi, Iudaismi tectum ruptum est, & simul etiam tectum cœli apertum est, & introitus Sanctorum patet: planè fit, vt omnes nos infirmi iam simus coram oculis Dei. Per Christi siquidem merita, qui eramus longè, facti iam sumus propè, coram Deo scilicet. *Heb. 10.* *Ephes. 2.*

Porrò quia merita Christi adduxerunt nos coram Deo, ideo ab ipso audimus: *Confide fili remittuntur tibi peccata.* Id est, tuorum peccatorum remissio iam per Christum facta est. Is ipse qui tectum aperuit, peccatorum remissionem meruit. Nihil aliud superest, nisi quod tu viuide confidas: vt saneris, & iustificeris.

Sed ô quanto labore Christus tectum aperuit! ô quanto sudore nos supra legem tulit! Sanè non nisi sudore sanguinis, & tectum apertum est, & nos sursum sublati, & coram oculis Dei positi. O verò quantum est ingratitudinis, si para-

si paralyticus coram Deo constitutus, Dei sanitatem gratis oblatam respuat, & contemnat.

Audiant tamen qui sanari cupiunt: quid facturi sint: *Surge, inquit, tolle grabatum, vade in domum.* Surge, inquit, ne facito quæ fecisti: ne, inquam, iaceas vbi iacuisti, tolle grabatum, id est, carnem tuam ne ad terram coniungi permittas. Vade in domum. Quæ sursum sunt quærite: non quæ super terram.

Colos. 3.

Quartam explicationẽ audire ne pigeat: Venit Christus in suam ciuitatem, id est, in mundum, qui ciuitas Dei est, licet eius ciues oderant eum. Porrò intrauit in domum, id est, in Ecclesiam. In qua vt Lucas ait, sedet Dominus docens: si quidem extra Ecclesiam, non est salutis doctrina. Habet hæc domus Dei tectum suum, id est, has exteriores cæremonias: quæ tam sunt necessariæ Ecclesiæ, quàm est tectum domui, & corpus animæ, & folia fructibus. Hæc enim omnia iniurijs paterent, nisi suis velaminibus contegerentur.

Lucæ 19. Lucæ 2.

Ad ianuam huius domus, siue Ecclesiæ: multa turba est: tum infidelium, tum etiam eorum fidelium, qui ad spiritum gustandum (qui interius est) nondum intrauerunt. Fœlix enim illa est anima, quam sponsus Christus introduxit in cellam vinariam: quæ non ad ianuam est, sed intra domum. At quia angusta porta est, ideo turba non intrat.

Cantic. 2. Matth. 7.

Et quidem turba nõ modò non intrat, sed impedimento est infirmis ne intrent, & salutem accipiant. Multi siquidem, turbæ dissolutam & laxam vitam videntes, occasionem accipiunt non intrandi ad Christum: ad quem introissent, si omnes introeuntes vidissent. Quid igitur remedij vt sanetur infirmus? Remedium esset si prędicatores, quorum curæ demandatur infirmus, iam supra tectũ ascendissent, cœloq; proximi essent. Tunc aperirent sacras cæremonias: docẽtes non sat esse turbis, si exteriori cõuersatione Christiani sint: nisi ad spiritum veniãt. Planè hæc exteriora oportuit facere: sed illa interiora non omittere.

Matt. 23.

Video: Labor magnus est, tectum ascendisse, maior verò, in tectum infirmos subleuasse. At non immeritò dicit Christus: *Quorum fidem vt vidit, dixit, confide.* O vtinam tam efficacem, perfectam, & integram haberent prædicatores fidem: vt eam Christus aspiciens, diligens, & probans, diceret populo, confide.

Porrò si per gratiam Dei aliquis infirmus sanetur, sciat se

passu-

passurum contradictionem: non à turbis, sed à Scribis: qui cum illo etiam ex scripturis contendent, nondũ ei remissa peccata. Speret tamen: is ipse qui remisit, sanabit.

Libet hoc vnicùm percontari. Quid fuit Christo facilius, dicere: *Remittuntur tibi peccata*, an dicere: *Surge & ambula?* Sanè si expendas Dei amorem, gaudium in cõuersione peccatoris, sanguinis pretiosi communicationem, & pretium, quo plus æstimat Deus animam, quàm corpus: multo facilius dicit Christus: dimittuntur tibi peccata. Ac si expendas quòd peccata dolore animi sui, deleuit Christus: paralysin verò plagis sui corporis sanauit, vt supra dixi, difficillimum fuit dicere, dimittuntur tibi peccata. Quæ non dimittebantur, nisi quia Christus se adstringebat, magno ea animi sui dolore deleturum.

Et cùm transisset. Duobus modis explicanda hæc mihi historia est. Primum Matthæus erat ex populo Dei: erat enim fidelis. Alioqui cum gentili Christus non manducasset, vt Petrus ad Cornelium dicit. At hic Matthæus fidelis à fideli Act. 10.
populo requirebat vectigalia: vt infideli principi, scilicet Cæsari penderet: Cæsari, scilicet qui princeps erat mundi.

Certum vero est diabolum esse principem huius mundi, ex Domini testimonio dicẽte: Venit princeps mundi huius, Ioã. 12. 14.
& in me non habet quicquam. Et Paulus vocat diabolum Ephes. 2.
principem potestatis aëris huius, & harum tenebrarum. Hic princeps ab omnibus etiam fidelibus tributum exigit: quæ nostra miseria est. Sanè si non peccaremus: tributũ, ille non acciperet. Sed non est homo, qui non peccet. Imò septies in Eccles. 7.
die cadit iustus, qui si dixerit quòd peccatum non habet, ipse Prou. 24.
se seducit. Peccata igitur sunt vectigalia: quæ hic princeps à 1. Ioan. 1.
nobis accipit, sicut & bona opera, Deus.

O verò nefas! non solùm Princeps hic tributa à nobis ipse colligit: sed etiam Publicanos habet, suorum vectigalium collectores. Et si hos haberet infideles, nihil mirum. Nihil enim mirum si tyranni illi antiqui, ministri diaboli contenderent cum Christianis: vt Christum negarent, eumque offenderent: vt ita peccatum Christianorum dæmoni penderetur. At quòd sint fideles, qui à fidelibus peccata colligant, id est, eos ad peccandum inducant: id verò grauissimum scelus est. Igitur publicanus est, qui alios cogit, sollicitat, suadet, mouet ad peccandum. Pater qui filias prostituit, herus qui ancillas violat, Iuuenis qui virginem

solli-

sollicitat, Inimicus qui de inimico vindictam accipiat, sceleris sibi conciliat fautores. Demum qui furore satanico accensus, quærit quos à deuotione, ad vitam secularem prouocet, hi omnes publicani diaboli sunt. Horum personam gessit Matthæus.

At in eo quod dicit, se ad telonium sedisse, grauius scelus indicatur. Constat enim vel leuiter erudito, tres esse in peccato gradus, scilicet, ire, stare, sedere. Qui significati sunt à
Psal. 1. Dauide, cùm dixit: Beatus vir qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum, non stetit: & in cathedra pestilentiæ non sedit. Miserum est in peccatum ire, miserius in peccato stare, miserrimum sedere. Si ergo miserrimum est in peccato sedere: quid erit sedere in summo peccato (quale Publicanorum diaboli est?) occidere animam tuam malum est: munus occidendi animas habere grauissimum est. In hoc officio gaudere & velut sedere, quantum est nefas? Videant igitur principes seculares, videant & qui animarum curam habent: si suo malo exemplo publicani dæmonis sunt, ad eius telonium sedentes. Iam enim aperui in quam horrendo sint statu.

Sed non est adeò horrendus languor, quem non præcidat medicus noster. Nullus est tam miser Matthæus: quem (si videat Christus) non sanet. Mirum verò est, quòd amantes oculos, Christus in insignem peccatorem conijciat. Summa gratia est, in tam fœtidum infernum respicere. Sed quæ non gratia, à gratiæ fonte speranda sit? Voca igitur me, & ego respõdebo tibi: & tu operi manuum tuarũ porriges dextrã.
Iob 14. Vt enim ea quę non sunt, cùm à Deo vocantur, respondent:
Rom. 4. Ecce adsumus. ita mortui in delictis & peccatis, efficaciter
Ephes. 2. vocanti Deo ad nouam vitã, statim respondent. Fiunt enim
Galat. 5. noua creatura. Sane si Iohannus Augustus, hac efficaci vocatione à Deo vocatus esset, respondisset: nec leuitatis repre-
1. Cor. 2. hendisset Matthæum qui vocatus respondit: Sed animalis homo nõ percepit, quę Dei sunt. Potest sane vocatus à Deo sic vocantem non sequi. Sed certò sequetur. Si vocatur La-
Ioan. 11. zarus, exibit à monumẽto. Si vocatur Paulus, respondebit:
Actor. 9. Domine quid me vis facere? Planè liberè sequutus est Christum Matthæus, liberè etiam Paulus: sed ita vterque liberè, vt etiam certò. Ita enim Deus in vocatione seruat arbitrij iura: vt nec libertatem auferat arbitrij, nec vocans à vocatione frustretur. Elegãter Aristoteles: Omnia rei sibi cognatę

insitum desiderium habent. Cùm ergo efficax illa vocatio Dei, vocatum faciat diuinum: facit etiam sequacem rerum diuinarum. Quid verò diuinius Christo vocante? Vocatus ergo Mattheus sequitur. Nec modo sequitur: sed grande, suo vocanti conuiuium facit. Cui tamen intersunt alij publicani conuiuæ.

Imò verò ea ratione grande conuiuium fuit, quia fuere publicani conuiuæ. Nullum cibum lautiorem Christo appones, quàm publicanos: si cōuertantur. Famescebat Christus, cùm in prædio Samariæ sedebat super fontem, adferunt ei cibos discipuli, renuit ille. Cur ieiunus cibum reijcit? quia satur erat, ex lautissimo conuiuio. ait enim: Vos comedite, meus cibus est, vt faciam voluntatē Patris. Est autem Patris voluntas publicanorū, & meretricum sanctificatio. Horum igitur animas edere conuiuium grande Christi est. Nam Petro dicitur: Occide & manduca, ille verò videns viperas & scorpios (videlicet publicanos & meretrices) cibum reijcit. Sed Domini mandato intelligit, quàm esset epulum generosum: si publicanus munus suum dimittat, vt sic muneri mortuus, à Petro manducetur. Sanè sicut nobis ditissimum cōuiuium est Christus, in Eucharistia: ita & nos Christo nobile sumus conuiuium, si peccata dimittamus. Ioan. 4. 1. Thes. 4. Act. 10.

Vide verò, si Dominus moriens, gaudet esse inter latrones, vt vel vnum, in fame sua, & siti manducet: quanto potius gaudebit esse inter publicanos, vt plures ex eis manducet. Hoc est illi conuiuium pinguium medullatorum, de hoc conuiuio dicitur: Manducauerūt, & adorauerunt omnes pingues terræ. Pingues & diuites erant publicani, manducant cum Christo: ideo adorant Christum, & manducantur à Christo. Isaiæ 25. Psal. 21.

Porrò gaudenti Christo, quòd non vnum prodigum filium: sed multos reciperet, perstrepunt Pharisæi. Ah nullum est opus Christi, cui non obganiant Scribæ. Circuunt Scribæ mare, & aridam: vt vnum faciant proselytum. Christus vno conuiuio multos facit: & inuident illi. Auertat à nobis Dominus Pharisaicum spiritum: ne cùm videmus aliquem, ad sanctimoniam vocari, statim eius conuiuium amaritore respergamus. Matt. 23.

Respondet verò Dominus: *Non est opus valentibus medico.* Id est, non veni ego medicus, hos valentes, & sanos vocare. O rem vehementissimè timendam: valentes Scribæ &

Phari-

Pharisæi, literis & lege turgentes, sanctitatis specie beati, hi non vocantur à Christo. Cur tandem? quia adeò sanctos se esse existimant, adeò putant se sibi sufficere: vt iustitię Dei
Rom. 10. non sint subiecti. Quàm paucos ex his videas spiritu fer-
Rom. 12. uentes, orationi instantes, necessitatibus aliorum communicantes. Addit Dominus rem vehementer latissimam: *Sed male habentibus.* Vbi percontor, cur Dominus tam lubenter,
Lucæ 15. inter malè habentes versatur? Cur tympanum & simphonia in prodigi inuentione paratur? Cur conuiuium est, cum
Lucæ 7. Magdalena reparatur? Cur adeò gaudet cum perditā ouem
Lucæ 15. & drachmam reperijt? Cur plus gaudet de vna ouicula inuenta: quàm de nonaginta nouem, quæ non eguerunt medico? Sane gaudium magnum esse debet, cùm Deus nouum condit mundum: imò cùm velut nouum quendam condit
Galat. 6. Deū. Quid enim aliud est vir, ex iniquo factus iustus: quàm noua creatura, nouus mundus, & velut nouus Deus? Gaudium est Christo peccatum destruere: miserum è tanta miseria eripere: diabolum victorem deijcere: regnum inferni
Psalm. 82. labefactare. Gaudium est quòd natus sit Christo filius, & frater: cui Christus opes, & regnum communicet. Gaudium denique est, quòd diuina bonitas, patientia, & longanimitas adeo splendeat: vt dignum cœli regno efficiat eum: qui in æternum erat inferno dicatus.

Et hic est, sensus acutus eius loci: *Misericordiam volo.* Hanc, scilicet quā tantus peccator, qualis Matthæus, in tantum euaderet Christi regni consortem. Sacrificium verò sine hac misericordia, id est, sine animo charitate pleno renuit Dominus. Præcessit lex & status sacrificiorum, successit lex misericordiæ. Lex nostra lex gratiæ est, & misericordiæ. Igitur non vult Deus Pharisæos qui ad legem sacrificiorum spectabant: sed Matthæos qui ex lege misericordiæ erant. Subindicat ergo Dominus Pharisæis, iam legem eorum abrogari: nouamque succedere.

Secundo explicari potest hæc historia, de quouis nostrum, id est, eorum qui in via Dei, se credunt ambulare, cupientes Deū mortali crimine nulla ratione exasperare: at nihilominus publicani sunt, mundo, & carni, & diabolo, tributa soluentes, iique ex populo Dei. Populus Dei sunt intellectus, voluntas, memoria, viresque hominis pii. Quòd si pius homo qui mortalia crimina cauet, ex alia parte honoribus, diuitijs, & delitijs acquirendis incumbit: apertum est

est, quàm cogat intellectum de vanis hisce cogitare, memoriam tractare, viresq; omnes quærere terrena illa, quę cupit. Id vero an non est stipem à populo Dei exigere: vt dæmoni soluas? O quàm erit grande Christi opus, si ex hac mensa negotia mundi perstrepenti: si ex hac sessione tepida surgas: & relictis omnibus sequaris vnicè Christum.

Tunc verè fit in tua anima conuiuium: cum te, tuaque omnia Deo tribuis in cibum: tunc erit lætitia grandis in corde: cum omnia interiora tua dicent: Domine quis similis tibi? eripiens pauperem de manu fortiorum eius: & ex vsuris, & iniquitate, redimens animam. Tunc igitur, comedet Christus ex tota mente tua, ex tota anima tua, ex tota memoria tua, & ex totis viribus tuis: quæ omnia prius mundo tributa pendebant. *Psalm. 34.* *Psalm. 74.* *Deut. 6.*

Adduces etiam tecũ alios publicanos. Nullus enim adeò viuide, & efficaciter, peccatores ad Christum adducit: quàm is qui totus se Deo resignauit, & cum quo Christus conuiua est. Reliqui prædicatores loquuntur mysteria Euangelij, ex auditu, & lectione librorum: at qui Christo in suo corde parauit conuiuium, loqui videtur experta: & quę velut contrectauit de verbo vitæ, adducit igitur Christo Matthæus publicanos. *1. Ioan. 1.*

Non desunt tamen Pharisæorũ obtrectationes. Sunt equidem tot charismata, & dona: quibus Christus cõuiuam suum replet: sunt tot reuelationes quibus eius intellectum illustrat: tot ignes quibus eius affectum inflammat, tot delitiæ quibus eius gustum oblectat: vt cùm tanta dona Theologissimi quidam, in viro simplici (Christi tamen conuiua) sentiunt, velut obmurmurant: cur illa dona vilibus hominibus communicarit Christus non verò sapientibus, de sua sapientia turgentibus? Atqui Deus, hoc est ingenio, vt cum simplicibus sit sermocinatio eius. Sapientiam verò sapientum, & prudentiam prudentum, superborum reprobet. Qui enim vult sapiens esse inter vos, inquit Paulus, stultus fiat: vt sit sapiens. Alioqui Christus Patrem suum confitetur: quòd abscõderit conuiuia sua, à sapientibus, & prudentibus: reuelauitque ea paruulis. Venite, inquit, ad me (non sapiẽtes & prudentes) sed qui laboratis & onerati estis. Hi enim onerati, & laborantes opus habent medico: non verò valentes illi: quamuis sapientissimi & prudentissimi. *Prouer. 3.* *1. Cor. 1.* *1. Cor. 3.* *Matth. 11.* *Eodem.*

Vbi precor te Lector aduerte: Solet Christus suis paruulis

tam admirabile lumen infundere: vt illa charitate videant maculas suas, infirmitates, & defectus. Quos vbi vident ardentibus votis se Christo sanandos offerunt. Et vt illi ardenter sanitatem cupiũt: ita Christus efficaciter impartitur: & cùm sanis iam amice, iucundissimeque versatur. Reliqui verò lucem illam cœlestem non habentes, (vt qui tepidè viuant) suos non agnoscunt languores. Nec enim habent lucem: quâ suum cor prauum, & vix cum luce scrutabile scrutētur: ideo sanos se credunt. Quia quos habent languores non vident: atque propterea Christum non aduocant, vt languoribus medeatur. Hoc est, quod Dominus ait: Non habent hi opus medico, sed illi. Quo enim quis saniorem se reputat, infirmior est: & quo infirmiorem se videt, sanitati vicinior est.

1.Petri. 2.
Ierem. 17.

Addit Dominus: *Misericordiã volo*. Vnde illa mihi regula inferri videtur: Nullum est opus Christo gratius, quàm occasiones quærere, quibus animas Deo veneris. Hanc misericordiam hic commendat, conuiuijs etiam interesse: vt inde publicanos è peccatis ad sanctimoniã traducas. Munus ergo Christi fuit: quauis occasione animas Deo dicare.

Rursum quòd ait: *Misericordiam volo*, videtur mihi eundem habere sensum, cum illo verbo Pauli: In dilectione proximi tota lex instauratur, & comprehẽditur. Idem ergo est misericordia: quam Deus vult, & amor proximi, sine quo reliqua despiciuntur.

Rom. 14.

Rursum collige, eos qui Christo recens adhærent, ferendos esse non obiurgandos. Hactenùs.

Tunc accesserunt ad eum. Licet sancti locum hunc sanctè explicarint: dubius adhuc videri alicui poterit. Primũ enim: Si ipse spõsus ieiunat, cur & filij sponsi, ipsum imitãtes, non ieiunent? At Christus ieiunauit, quadraginta diebus & noctibus. Secundò: Sponsus nunquam est à nobis auferendus manet siquidem in Sacramento. Et qui sponsum per peccatum amittit, ille ieiunare non curat. Si verò conuertitur ad sponsum, iam eum habet: cur ergo ieiunet? Tertiò: Nos sumus sponsi filij, & per eius gratiam fratres: cur ergo nobis ieiunium indicit Ecclesia? Quartò: Planè Apostoli vtres erant veteres, & tamen spiritus eis commissus est nouus. Quintò: Imò videtur congruentissimum, committere ieiunium homini veteri, vt renouetur. Sextò: Equidem non videtur congruum ieiunium homini nouo. Cur enim innocentem

Matth. 4.
Matth. 28.

ectem & iustum affligas? Septimò. Igitur malè facit ecclesia, promiscuè committens ieiunium nouis, & veteribus hominibus.

In re hac grauissima notandum est, longè diuersum fuisse ieiunium priscis illis patribus, quàm nobis. Illi cùm ieiunabant: exterminabant facies, saccis se induebant: puluere caput spargebant. Iuxta illud: Olim in cilicio & cinere pœnitentiam, id est, ieiunium egissent. Vide Iudith. 8. Ioëlis 2. Ionæ 3. fiebat igitur hoc ieiunium, à Iudæis in fletu, & planctu exteriori, significantibus amaritudinem interiorem. Iam planum est, non conuenisse tale ieiunium Apostolis, de suo Messiha reperto lætissimis: de eius familiaritate gaudentibus, de certitudine quòd essent scripti in libro vitæ securis. *Lucæ 10.* *Lucæ 10.*

Alterum ieiunium est Christianum, quòd licet corpus deprimat: mentem tamen eleuat, & licet vires corporis auferat: virtutes tamen animo largitur, & præmia. Est igitur ieiunium quo corpore ieiuno, anima satur est: corpore tristi anima est lætissima.

Secundò, Lector diligentissimè nota, & distingue tria tempora. Prius, ab Adam ad Christum: secundùm à Christi aduentu ad Spiritus sancti descensum. Tertium, inde ad seculi finem. In primo tempore ieiunium res erat vetus, tristis frigida, & insipida. In secundo, ieiunium vinum erat: sed nouum, id est, mustum. Pannus erat: sed rudis & asper. Hoc enim significat pannus rudis: ὁ ῥάκος ἄγναφον. Id est, pannus exiens a textore, nondum datus fulloni. In tertio, ieiunium factum est vinum coctum: & quòd bibi conueniat, factumque est pannus, sua ruditate, & asperitate amissa, blandus & mollis.

Forsan non intelligis causam eorum quæ dixi, eam igitur accipe: Lex vetus non dabat spiritum, nec vires ad implenda sua præcepta. Igitur legale ieiunium ex se, carebat calore spiritus, virore & alacritate virili: res erat frigens, & insuauis, erat igitur velut acetum. Porrò cùm Christus venit, omnis asperitas virtutum cœpit emollescere, & omnis insuauitas velut musto efferuescente, remoueri. Quia tamen nondum spiritus erat datus, ideo nondum virtutes amiserant omnem frigiditatem & asperitatem. Igitur in tertio tempore, vbi spiritus est datus, quia IESVS est glorificatus, ieiunium, afflictio, persequutio, flagella, crux, & *Ioan. 7.*

Malac. 3. mors ex musto, vinum facta sunt: & ex rudi panno, & aspero (velut fullonis Christi opera) in mollem & generosum reddita sunt.

Iam nunc quàm diuinè Christus, & quàm quadranter respondit! Vinum, inquit, vetus, (imò subacidum potius) conuenit vtribus veteribus: Quales homines fuerunt in lege veteri, quando non erant per spiritum renouati. Mustum verò non conuenit veteribus vtribus, id est, discipulis meis: donec enim per Spiritus sancti descensum renouentur, veteres sunt. Veniens dies, quando ablato sponso, veniet Spiritus sanctus: quando vinum iam efferbuerit: tunc sicut vinum nouum erit: ita & vtres noui erunt. Conueniet igitur

Ecclesf. 3. vinum vtribus. Seruate ergo res temporibus suis: vetera veteribus accommodate: mustum custodite donec efferbuerit: & pannum, donec perficiatur. Cùm verò & pannus fuerit perfectus, & vinum potabile: tunc hominum vsui concedetur.

Arbitror hac explicatione proposita omnia argumenta cessare.

Ad primum: Sponso ieiunante ieiunabunt etiam eius filij: cum ieiunium illis conuenerit. Nam ex Aristotele, mustum pueris non est dandum.

Ad secundum responsio est vehementer annotanda hæc verò est: Homines Iudæi, quamuis sanctissimi, erant tamen vtres veteres, ex lege sua. Contra homines Christiani (licet scelestissimi) noui vtres sunt ex lege Christiana Explica-

Rom. 11. tur id ex Paulo, qui inquit: Iudæi secundum Euangelium, inimici Dei sunt: sed secundum electionem, charissimi: propter Patres. Iudæi igitur, qui propter infidelitatem, sunt inimici Dei, ijdem propter Patriarchas sunt charissimi. Ita ergo Christiani ex suis moribus, veteres, & abominandi, propter Christum tamen, & Euangelium, & gratiam in nos effusam, sunt vtres noui, & propterea obnoxij sunt ad ieiunandum, non ieiunio veteri, sed ieiunio Christiano. Non

2. Ad Corint. 7. ieiunio in tristitia seculi, quæ mortem adducit: sed in ea tristitia, quæ est secundùm Deum: quæ pœnitētiam in salutem stabilem operatur. Per hoc ad tertium. Ita est, filij & fratres sponsi sumus: sed non est nobiscum corporaliter Christus, ideo ieiunemus: sed nouo ieiunio.

Ad quartum: id habet Spiritus sanctus, vt cùm ingreditur veterē vtrem, eum renouat. Vt enim ingressus vtrem mortuum,

tuum, & fœdum: facit viuum & pulchrum: ita ingressus veterem, nouum facit.

Ad quintum dictum est, nos (licet peccatores) non esse veteres, sed nouos vtres.

Ad sextum. Imò ieiunium nouo congruit homini: vt homine exteriore corrupto: qui interior est, indies renouetur. 2. Cor. 4.
Quanto enim qui exterius est crucifigitur, & mortificatur Rom. 10.
(modo sit rationabile obsequium) tanto qui interius est incrassatur, & dilatatur.

Ad septimum sicut ad quintum responsio est.

Indignè hinc discederem, nisi multa, quæ reliqua sunt expenderem. Primum, Dominus comparat nos vestimento. Quia Pharisæis reprehendentibus: cur Apostolis non indiceret ieiunium, respondet: quia vestimento veteri non conuenit additio panni rudis. Igitur Apostoli, & omnes homines vestimenta sunt. Vetera quidē in veteri lege, noua verò in noua. Iam id explicatione indiget. Cuiúsnam sumus vestimenta? Si diceretur, quòd Christus est vestis nostra: id planum esset, quia vt factus est cibus noster: ita factus est Ioan. 6.
indumentum, dicente Apostolo: Induimini Dominum Rom. 13.
IESVM Christū. At difficile est nosse, quomodo nos vestes Dei simus. Sed equidem secundùm Paulum: Nos eramus tenebræ: nunc autem lux in Domino. Si lux sumus, profectò Ephes. 5.
Deus est amictus lumine sicut vestimento. Et planè ratione quà sumus domus, & templum Dei: sumus etiam vestes Dei. Psal. 130.
Imò verò quo intimius, & propinquius nos sibi Deus ad- 1. Cor. 5.
iungit: hoc verius nomen vestis, quàm domus habemus. Vestis enim propinquior est, quàm domus. Quid moror? si nos corpus eius sumus: quid mirum, quòd vestes etiā simus? Ergo vt virum Christianum, Christi mores seruantem, ho- Rom. 12.
minem dices Christo vestitum: ita & dices, Christum quendam esse, homine indutum. Vt enim nos sumus in Christo: ita est Christus etiam in nobis. 1. Ioan. 4.

Secundò comparat nos Dominus vtribus, siue enim in lege veteri, vtres eramus: sed veteres: siue in lege noua: noui quidem, vtres tamen sumus. Agnouit hoc Dauid, cùm dixit: factus sum sicut vter, in pruina. Vocans ergo Psal. 118.
nos Dominus vtres, primum admonuit: quòd mortui fuerimus: trahentes originem, ex animali mortuo, scilicet ex Adam: in quo omnes mortui sumus, sicut vtres ex pellibus 1. Cor. 15.

animalium mortuorum conficiuntur. Admonuit etiam: quòd sicut vtres, nũquam vento carent: nisi cùm plene sunt: ita & vita nostra ventus est. Et caput nostrum superbiæ vento semper est plenum, ideo stipulis sumus leuiores. Admonuit tertiò, quòd sicut vtres, ex ordine suo, ad vinum recipiendum facti sunt: ita & nos non quiescamus, donec impleamur virtute ex alto. Admonuit demum quòd sicut vter habens vinum, non ex se habet: ita nisi aliunde impleamur, vacui erimus.

Iob 7.

Actor. 1.

Tertiò, comparat Dominus ieiunium assumento. Iam causam expectas: nota primum quòd verbum assumentum (quòd Grecis est τὸ ἐπίβλημα) potius significat adiectionẽ, & additionẽ: quàm vesti detritæ pannũ assutum. Cùm igitur Christus, ieiunium vocauit adiectionem, significauit vitam Christianam ex fide & charitate constare. Ieiunium verò, & eleemosynam esse quædam adiecta: & velut assuta huic vitæ Christianę. Vestis igitur nuptialis, coccinea, & ex bisso, bis tincta, fides & charitas est. Huius vestis polymitę & talaris, limbus, & velut ornamentum est ieiunium. Corporalis siquidem exercitatio, ad modicum vtilis est. Videlicet vtilis est, ad ornamentum: sed pietas, quæ est integra vestis, ad omnia valet. Quæ ergo mens ieiunijs, non verò charitati intenta est, ea sanè de ora vestimenti non de veste lætatur. At cõtra, decor filiæ regis est ab intus, in veste interna. Licet ea vestis interna fimbrias habeat aureas: opera scilicet exteriora. Hæc enim oportuit facere: at illa præcipua non sunt omittenda.

Gen. 37.

1. Tim. 4.

Psalm. 44.

Matth. 23.

Quartò, comparauit ieiunium vino Et quidem si primam rerum faciem spectes nihil videtur vinum cùm ieiunio conuenire. Imò potius ieiunium abstinet à vino, & si in adducta de vtre parabola persistas: viñũ iniectum vtri, vtrem implet: contra, ieiunium homini adiunctum: hominem extenuat. At vide Christi prudentiam, ne Christiani ieiunia horrescerent: ea vinum dixit esse. Et quia mentiri non potuit: eo ipso quo ieiunium dixit esse vinum, fidem suam obstrinxit: id facturum ieiunium in mentibus nostris, quod facit vinum in corporibus nostris. Et ita canit Ecclesia, qui corporali ieiunio mentem eleuas. Quasi dicat: mentem extra se abducis: ac ideo inebrias. Addit Ecclesia, virtutes largiris, id est, vires largiris (sunt virtutes animo, quod vires corpori) Igitur ieiuniũ est abstinentia a vino in corpore: & est vinum

ipsum

ipſum in mente. Vt nunquam Chriſtianus queri poſſet de Chriſto. Sicut enim relinquens domos aut fratres: cẽtuplum recipit in hac vita: ita qui vinum relinquit in corpore, vinum centuplum recipit in mente. *Matth. 19.*

Quintò, comparauit ſe ſponſo. Quòd prius Baptiſta teſtatus eſt, & poſtea Paulus, cùm dicit: Deſpondi vos vni viro. Si Chriſtus ſpõſus eſt, & anima noſtra, ſponſa eſt: eôs amores, delitias, teneroſque amantium affectus, à Chriſto anima expectet, quæ reliquæ ſponſæ à ſuis corporalibus ſponſis ſolent. Neque enim ficte ſponſum ſe Chriſtus dicit. Hos Chriſti & animæ blandos affectus, cantica canticorum deſcribunt. Sed audi nunc deſponſorum conditiones. Sponſi, vnius generis ſunt. Neque homo cum Angelo, aut cùm bellua deſponſatur. Secunda, ſponſa dotem adducit. Tertia, propria corpora ſibi mutuò tradunt. Neque enim vir habet poteſtatem ſui corporis, aut mulier. Quarta, generat ſpõſus, materiam fœtui fœmina ſuggerente. Quinta, ſponſorum bona ſunt communia. Curat tamen ſponſus rem familiarem: contra ſponſa ſponſi filios curat. Sexta, hæreditatem ſponſi, eius filij adeunt: nobilitatem, genus & arma ſortiuntur. *Ioan. 3.* *2. Cor. 11.* *1. Cor. 7.*

Quis verò eſt tam ſaxeus, qui has in Chriſto ſeruatas conditiones, non ſtupeat, non exoſculetur, & adoret? Ergo quia Verbum Dei nobis erat natura diſſimile, homo factus eſt: vt deſponſatio inter homogeneos coaleſceret. Tertia: Dos verò, quam nos Deo attulimus, abyſſus miſeriarum ſunt, ſcilicet infirmitates noſtras quas ipſe tulit, & languores quos portauit. Tertia: Iam verò, vtinam ſicut ille ſe nobis dedit: ita quiuis noſtrum ſe illi donaret. Puer enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. Iam ſe ille dedit: expectat, vt vicem illi rependamus. Porrò non miraris Deum eſſe tuum? Ita planè dilexit Deus mundum: vt mundo vnigenitum ſuum daret. O ſi totus me illi traderem, ó ſi nullum ius in me ipſe haberem: ó ſi non ego in me, ſed viueret in me Chriſtus. Quarta: Generat Chriſtus per prædicatores, per patres, & per alios viros bonos, qui prædicationem Chriſto ſuggerunt: ſicut fœmina fœtui materiam ſubminiſtrat. Quinta: Reliqua vt clara: ita ſtupenda. Et quantũ veritatis habent tantum verecũdiæ incutient, quòd adeò nos pauperes exiſtimamus, cùm adeò diuites ſumus. Sexta demum. Si nobilitatem & arma ſponſi ſortimur: *Iſaiæ 53.* *Iſaiæ 9.* *Ioan. 3.* *Galat. 2.*

arma verò Christi crux & mors,& ignominia. Vide an hæc arma Christiane velis? Vide Christiane an hic sponsus, sponsus sanguinum sit. Angelus enim ipse est, gladium habens, quo incircuncisum occidere vult. Vide igitur ne incircuncisa anima tua sit. Vt enim amat hic sponsus pios: ita contra impios sæuit. Certumq; tibi sit, quòd si Christus nunc sponsus sanguinum tibi fuerit, sponsus pacis in posterum erit: id est, si propter Christum te nunc circuncidis, plena in futurum pace fruêris.

Exod. 4.

Hæc illo loquente ad eos, &c. Fateor cum sanctis Patribus locum hunc intelligi de gentilitate: quæ sanitatem puellæ, id est, Synagogæ præripuit. Ita enim prodigus ille filius stolam, & vitulum saginatum, fratri in agro laboranti, eripuit. Et ita Centurio ille sanatur, Domino in cruce moriente: quasi dicas à fimbria & vltimo vitæ Christi sanatum. Sed sanato Centurione venit Ioseph serò, petens corpus IESV. Veniet, scilicet serò Israël petens fidem. Sanabitur ergo synagoga astantibus Apostolis, & parentibus. Quia propter Apostolos,& Abrahã, & Sara (eorũ, scilicet intercessione) Iudæa sanabitur. Dicit enim Paulus Iudæos inimicos Deo propter Gentiles, amicos tamen propter Patres.

Luca 15.
Ioan. 19.
Rom. 11.

Verùm animus est nõ iam de synagoga loqui, sed de moribus nostris. Princeps ergo synagogę, seu Ecclesiæ est Papa, est etiam quiuis Prælatus, imò & quiuis Paterfamiliás, est Princeps Ecclesiæ, quæ in domo sua est. Celebre enim est Paulo, cuiusuis familiam fidelẽ, Ecclesiam appellare, & ideo paterfamiliàs Iairi vicem habet. Porrò cuiuis Prelato familia est iamiam moritura, aut certè mortua. Præsertim diebus nostris cum antiquus ille rigor, & vigor Ecclesiæ perijt. Cum omnes in lecto diuitiarum & delitiarum iacemus, maximè qui Ecclesiastici sumus.

Rom. 16.

O vtinam Prælati omnes, Ecclesias suas ita iacere videntes, Iairi essent: gemitusque, & clamores effunderent: vt Dominus dignaretur curare Ecclesiam illis cõmissam. Verum est, quòd multi nuntij veniunt, dicentes, iam mortuam esse, id est: Multi viri boni dicunt, rem iam esse desperatam. Nec esse remedium Ecclesiæ iacenti. Sed beatus erit Prælatus si perseuerauerit. Collige ergo primùm quàm debeat quiuis Prælatus pro sua Ecclesia clamare, adorare, & procidere. Secundò, quòd nõ procidit nisi Iairus, id est, illuminatus. Non enim angitur à solicitudine suæ Ecclesiæ: nisi quem Deus

illuminat. Tertiò, tantum apud Christum Prçlati clamorem valere, vt propter eum, sanare eius Ecclesiam velit.

Porrò quia difficilimum est sanari communitates, & populos, interim quòd hos Dominus sanare venit mulier sanguinis fluxum patiens sanitatem recipit. Huius mulieris nomen, genus & patria tacetur. Id solùm dicitur, quòd erogauerat substantiam suam, in medicos: ac ideo pauper erat. Ita planè viles, ignobiles, & pauperes sunt: qui sanitatem præoccupant. Vt verum sit, quòd vocat Dominus ea quæ Rom 4.
non sunt. Et item: Non multi sapientes inter vos, nec multi 1. Cor. 1.
nobiles: sed infirma mundi elegit Deus, & ea quæ non sunt.

Secundo: Languorem fœminæ dicit textus fuisse, sanguinis fluxum. Et quia in sacra Scriptura, in sanguine est vita, & anima: si sanguis continuò fluebat, vita etiã fluebat. O rem miseram: viuimus, vita exeunte & pereunte. Hoc quippe est discrimen iustorum, & iniustorum. Iustis vita manet, & manet in æternum: habent enim vitam in se manentem. Quia sicut super Christo, erat spiritus, id est, vita manens, Ioan. 1.
ita etiam super Christianis. At iniustis sua vita, & suum esse non manet. sed continuò in puteum damnationis dilabitur. Sicut enim esse corporis nostri continuò deteritur, & in puteum mortis vadit: ita & esse iniusti, continuò in infernum proficiscitur. Sicut aqua enim dilabitur super terram, non ad 1. Reg. 14.
cœlum, sed ad infernum.

Tertiò: Iam quòd substantiam suam in medicos erogauerat & deterius habebat, id indicat: Quòd licet omnia bonum, ac fœlicitatem appetant: & in ea inquirenda res suas consumant: deterius semper habent, donec incidant in medicum verũ. Imò verò nullus amicus, nullus liber, nulla lex languorem tuũ sanabit: Imò (vt Paulus dicit) lex occasione Rom. 7.
accepta per mandatum, irritauit me: ac perinde occidit. Deterius ergo habere me fecit. Cùm enim venisset mãdatum, peccatum reuixit.

Quid verò sit quòd ab annis duodecim languerat dicemus, forsan posteà.

Quartò: *Cùm ergo audisset de IESV, dicebat intra se.* Nisi audisset de IESV, non fuisset sana. Sanè olim poterãt sanari, qui nondum audierant de IESV, at postquam Deus dedit Matt. vlt.
IESV omnem potestatem, super cœlum, & super terram: nemo saluari potest, nisi audiat de IESV. Pater enim omne iudicium dedit filio: vt omnes honorificent filium, sicut Ioan. 5.

honorificant & Patrem. Vt ergo nemo saluatur nisi honorificans Patrem: ita nec saluatur nisi honorificãs filiũ. Quem
Rom. 8. proposuit Deus propitiatorẽ, per fidem in sanguine ipsius,
Marc. vlt. extra quam fidem, nulli salus æterna contingere potest.

Quintò: Porrò quòd illa dicebat intra se, elegantissimè indicat quòd Christiana negotia, intra aguntur. Frustra contendes, nisi dicas intra te, Quid prodest ad sacrificia, concio-
Ioan. 6. nes, & confessiones venire, nisi dicas intra te? Vt enim Deus est spiritus, & nõ caro: ita spiritus viuificat: caro sine spiritu, non prodest quicquam. Si spiritus tuus languet, spiritus quærat medelam: alioqui tibi dicetur, populus hic labijs me
Isaiæ 29. honorat, cor verò eorum abest à me.

Sextò: Dicebat verò mulier. *Si tetigero tantum fimbriam.* Hoc habet diuina vocatio: & hoc efficit: vt vocatus optet, summum suum coiungi vel infimo, Dei forsan osculata est hæc mulier fimbriam, sicque summum suum iunxit infimo
Lucæ 15. Christi. Idem videbis in filio prodigo. Fac, inquit, me sicut vnum de mercenarijs. in domo primum est Pater, vxor, filij, pueri, serui, vltimò mercenarij. & prodigus non audet dicere, Fac me mercenarium: sed sicut vnum mercenarium.
Lucæ 7. Vides humilitatem. Ita & Magdalena capillis suis, tergebat
Psalm. 17. pedes Christi. Humiles igitur sunt quos Deus saluat, & diuinorum reuerendissimi.

Sed age audi vnum aliud: Vestis Dei est caro sua, carnis
Hebr. 12. fimbria, mors eius est, in qua tintinnabula appensa sunt melius clamãtia quàm Abel. Hic enim clamat ad vindictam. at Mors Christi clamat, ignosce illis. Sunt etiam appensa
Lucæ 23. malogranata significantia nimium illam charitatem qua in
Ioan. 13. fine dilexit nos. Igitur anima quæ sanari vult, tangat hanc Domini mortem. Quæris quomodo tanget? Respondeo: Tangat sacramẽta Ecclesię: in quibus mors, & passio Christi (velut in vase) continentur. Hæc si infirmus tangit sanatur. Dicunt enim Theologi: Sacramẽta ex attrito, id est, infirmo facere contritum, id est, sanum.

Nec dubito, quin Christi mors etiã cogitata, id est, quam cogitatione deuota tangimus, præsentissimum languoribus nostris afferat remedium.

Septimò: Sed quid sibi vult, id quòd mulier dicit: *Si tetigero tantum?* Certè quia votum recipiendi Sacramentum, non sufficit sanare: nisi tangas & accipias, si potes. Rursum nõ dicit, si dixero, & inspexero fimbriã: sed si tetigero reuerẽter, & deuotè

& deuotè. Sanè Theologus scrutatur Sacramentorum non tangit ea: vt sanetur, sed dissuit, & retegit, vt contempletur: ideo non sanatur, nisi eâ reuerentia illa tangat, qua fœmina Christi vestimenta tetigit. Rursum si tetigero tantum, non etiam compressero, mali enim sacerdotes, tangunt, comprimunt, conspurcant.

VIII. Ait verò Dominus virtutem de se exisse: Non ergo se continet virtus Christi: quin se ingerat, in humilem, & trementem sermones Dei. Vt natura vacuum non esse sinit: ita nec virtus Christi, humilem patitur esse vacuum. Nec dicit: virtus de carne exijt: aut de diuinitate: sed virtus de me exijt. quia (vt Theologi dicunt) actiones non sunt naturæ, sed suppositi, totius videlicet Christi: & ideo actio est infiniti valoris & pretij. Contra quam quidam dicunt. *Isaiæ 66.*

IX. Mirum verò est, quàm instanter Dominus interrogat: *Quis me tetigit?* Tetigit me aliquis, ego noui virtutem de me exisse. At si tu miraris: quòd hæc Dominus dicat à turbis compressus: ego mirarer si id non diceret, imò miraculum esset si non dixisset. Non enim virtus de eo exit, ad sanãdos omnes nos: nisi varijs & acerbissimis tormẽtis eius corpore presso. Calcauit torcular solus, ipse torculari compressus, an non erat dignum quod sentiat vinum & virtutem de eius carne profectam? Hoc ipse significauit, quando sanaturus filiam Iairi clamat: & suscitaturus Lazarum clamat: Quidni clamaret sanaturus: siquidem tanti sanare constabat? Explicabat igitur hoc loco, eum affectum, quem erat in cruce habiturus: cùm erat virtus plene exitura. *Lucæ 8.* *Isaiæ 63.* *Ioan. 11.*

X. Nolo silentio præterire quod respondebat Petrus: *Magister, turbæ comprimunt te, & affligunt: Et dicis, Quis me tetigit?* Itaque turbæ comprimunt Christũ, & affligunt. at ipse compressus & afflictus tacet: nec irascitur, nec conqueritur, nec vlciscitur. O quàm sumus multi, qui irreuerenter ad eum accedimus, & ideo comprimimus, & eius cor angimus. Sanè nisi ille impatibilis esset, iam dudum compressus perijsset, eleganter enim ipse de se dicit, Laboraui sustinens. Sustinẽs, inquam, multos se comprimentes. At ipse qui semper tacuit semper etiam afflictus fuit: aliquando, vt parturiens loquetur. Quod si leo rugierit quis non timebit. *Isaiæ 1.* *Isaiæ 42.* *Amos 3.*

XI. Nec tacendum est quod mulier sanitatem quærens, accessit retrò. Planè, quia non iustificabitur in conspectu Dei, omnis viuens. Vultus enim Dei est super facientes mala: *Psal. 142.* *Psalm. 33.* *Psalm. 90.*

vt per-

vt perdat de terra memoriam eorum. A tergo verò, vt scapulis suis obumbret nos. A tergo, vt proijciat post tergum
Isaiæ 38. suum omnia peccata nostra. A tergo esse volo, videns eius
Exod. 33. posteriora. Si enim peccator eius faciem videro, non erit
Psal. 83. salua anima mea. Non sine magna ratione Dauid dicit: Protector noster, aspice Deus: respice in faciem filij tui. Si enim contra peccata nostra irati oculi tui, me ictu primo respiciant, moriar, perij: sed si oculi tui primum videant, Petram,
Exod. 33. primoque videant filium, & per filium me ab eius tergo existeate respexerint, saluus ero: radij enim oculorũ tuorum per filiũ tuum transeuntes, in eo mansuescent: & mansueti ad me peruenient. Ergo accedere à tergo est, peccata nostra tegi, & in obliuionem tradi.

XII. Porrò muliere à tergo tangente siccatur fons sanguinis eius: fons sanguinis, vetus homo noster est, quem
Rom. 6. Theologi fomitem dixerunt. Ipsa verò Eua nostra est & propterea sanguinis fluxum patitur. Porrò per contactum Christi, vetus homo noster crucifigitur. Peccatum non do-
Rom. 6. minatur, interior homo renouatur, exterior corrumpitur. Non ita quòd fons non sit, sed quòd non tantum sanguinis
2. Cor. 4. fundat. Cur verò rogas? Sane quia charitas diffunditur in
Rom. 5. cordibus nostris: qua diffusa, alius fons fit in ventre nostro,
Ioan. 4. non sanguinis: sed aquæ viuæ, non deorsum fluentis: sed salientis in vitam æternam.

XIII. Accersitur à Domino mulier, sanata vt sciat cui & quantum debeat. Illa venit tremens, & timens. Siquidem
Psal. 110. initium sapientiæ timor Domini. Et Psalmus: Seruite in
Psalm. 2. timore, & exultate ei cum tremore. Et Apostolus: Vestram
Philip. 2. salutem cum timore, & tremore operamini. Quidni paueãt immundissimæ sordes, coram mundissimis oculis? Quid verò immundius peccato? Planè vt nihil immundius, aut horrentius sanguine menstruo. Ea igitur ratione mulier accersitur, vt quę timebat ex se, inciperet cõfidere in Domino, & quam sua immunditia tremere faciebat, eam Domini benignitas reddat securiorem.

Ioan. 5. XIIII. Illa accedens, procidit ante Christũ, glorificans
Philip. 2. Christum, sicut est glorificãdus Pater. Vt iuxta Apostolum: coram IESV omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum, qui locus in hoc vnico opere completur. homo enim peccatis obrutus, & à Christo sanatus, & coram Christo procumbens, ipse est infernus, cœlestis, & terrestris: ex se

ex se terrestris, ex peccato infernus, ex sanitate cœlestis. Hac ratione dictum est: Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent, reges Arabum & Saba dona adducent. Qui enim prius erat inimicus, & peccato niger: ipse illuminatus incipit esse rex, & ditiora dona offerre, quàm tota ferat Arabia. Hac eadem ratione dictū est, quòd coram Ioseph prociderunt fratres sui. Quídni adorent, iudicem, seruatorem, autoremque vitæ suæ. Psalm. 71. Gen. 44.

XV. Nulla ratione hic est dissimulandum: quod Marcus ait: Illa, inquit, veniens ante eum procidit, & dixit omnem veritatem. Cum ergo peccator sanandus est, prius tremat intra se: mox procidat coram Sacerdote: qui personam gerit Christi, illique confiteatur omnem veritatem, id est, omnia peccata verè nullo peccato dimisso. Nec enim sine mysterio dicitur: Dixit omnem veritatem. Expende tamen quid sit: Dixit omnem veritatem. Certè dixit veritatem, quia illuminata est, vt videret veritatem: temporalia enim non sunt veritas: sed diuina, igitur anima illustrata agnoscit sua peccata, suum infernū, suam pœnam. Agnoscit Deum, agnoscit Christum. Demum reuera agnoscit se, eatenus esse delusam, & ambulasse in tenebris & vmbra mortis: eatenus adorasse idola, id est, honorem, diuitias, & delitias: Eatenus dilexisse vanitatem, & quæsijsse mendacium, aspexisseque in vanitates & insanias falsas. Demū agnoscit Christum suum, vocans eum, Pater meus es tu, & dux virginitatis meæ. Marci 5. Matth. 5. Psalm. 4. Psalm. 39. Ierem. 3.

XVI. Postquàm mulier omnem veritatem confessa est, dicitur ei: *Confide filia, fides tua te saluam fecit.* Illa adscribit suā sanitatem tactui fimbriæ: contra Dominus adscribit fidei illius. Quia sicut reuera sanitas gratiæ Dei debetur: ita reuera fides & contritio nostra eandem sanitatem operatur. Vt mendacissimè Lutherus mentiatur, dicens: nihil nos in nostra salute conficere. Imò sine dubio, vt gratia est fons salutis: ita & operatio nostra per gratiam adiuta, saluti cooperatur. Proptereà laudat illa Christum, laudatque illam Christus, vt agnoscas sponsum, & sponsam se mutuo laudātes. Dicit illa: Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur, vt eius tactu pectus meum sanetur. Respondet ille: Ecce tu pulchra es amica mea, oculi tui columbarū: quorum vno vulnerasti cor meum. Fidei enim oculus per dilectionē operātis, vulnerat sponsum. Respōdet Sponsa: Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. Ac si dicat: Cantic. 2. Cantic 1. Cantic 4. Cantis. 1. Psal. 103.

Non

Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Hactenùs de hemoroïssa.

XVII. Ad sanandum verò puellam Dominus veniens, primum non admittit turbam illam tam frequentem: quæ illum comprimebat.

Secundo admittit Petrum, Iacobum, Ioannem. Tertiò, patrem etiam & matrem. Si igitur reuerendissimi Prælati sanctissimique Pontifices, ex animo, vestras Ecclesias sanare concupiscitis, en habetis salutis sarciendæ formulam. Primum reijcite turbam, id est, ne ad clerum vestrum homines quosuis vulgares assumite. Manus nemini citò imponatis:
1. Tim. 5. perditionis Ecclesiasticæ radix fuit, quod e media turba viri acciti, & admissi sunt in Ecclesiam: turbam ergo reijcite. Secundò: Solos igitur eos assumite qui Petrum referāt in fide: Iacobum in laborum tolerantia, Ioannem in ardenti erga proximos charitate.

Tertiò adciscite etiam, patrem ac matrem, id est, authoritate vtimini Ecclesiastica & seculari, ad mores Ecclesiæ reformandos. Et rursum Christum Patrem vestrum, & primæuam Ecclesiam matrem vestram aspicite, ob oculosque Ecclesiæ vestræ versentur.

Quartò: id quod maius negotium est, tibicines expellite. Hos verò tibicines esse arbitror: quorum cōsilio, authoritate, & exemplo tepor, & laxitudo in Ecclesiam irrumpit. Illos videlicet qui honores, delitias, & cupiditatem, (quæ
Rom. 12. charitatis mors est,) defendunt, docent & quærunt. Hi sunt, qui fraternitatem charitatis contemnunt: amorem paupertatis non curant: vitæ asperitates refugiunt: iniuriarum vltionem requirunt. Demū sunt illi Magistri & prædicatores, in quibus nihil præter vestem Christianam refulget, cupidi, elati, superbi, &c.

2. Tim. 3. Quàm vero rectè dicantur tibicines, audi. Primùm quia
1. Cor. 13. cùm fidem habeant, non verò charitatē, sunt sicut æs sonās, & cimbalum tinniens. Secundò: Tum quia mortuæ puellæ canunt, id est, perinde loquuntur, ac si mortuis loquerentur. Vox enim eorum non penetrat corda mortuorum. Tertiò, Tum quia habentes coram se mortuos (eos scilicet qui audiunt,) non flent, sed composita quædam verba dicunt: ad rethoricæ concentum modulata. Quartò: Demum tibicines sunt, quia nihil de morte defunctæ doleat: solum canunt propter stipendium. Sed hactenus.

XVIII.

XVIII. Intrans Dominus ad mortuam, primum tenet manum eius, quia non sunt homines relinquendi: vt agant quæ volunt: cohibenda est nostra manus planè, cùm Dominus immittit nobis languores, pauperiem, & alias vitæ miserias, manum nostram tenet: cohibet scilicet nos, ne ad quodcunque volet se extendat manus nostra. Atqui parum est tenuisse manum, nisi Dominus ipse vocet, (& iuxta Marcum) voce magna clamet: Reliqua exteriora sunt, ad cor nō penetrant. Clamet ergo Dominus vt spiritus absens redeat: soli enim eius diuina vox per aures etiam defuncti præcipiens, vitæ reuocat mortuum. Nulli enim alij obedire defunctus potest, nisi voci diuinæ. *Marci 5.*

XIX. Vox porrò Domini hæc erat: *Puella surge*. quod dicit puellam, indicatur: non tam facilè esse, senem defunctam surgere: quam puellam. difficilè est animam, quæ in peccatis consenuit, ad vitæ nouitatem reparari: multo verò est facilius, puellam, quæ nondum peccato assueuit, ad nouæ vitæ sensum adducere. Aliòqui verum dictum est Domini: Si potest Æthiops mutare pellē suam, aut pardus varietates suas: ita & vos, quomodo potestis esse boni, cùm sitis malis assueti? *Ierem. 13.*

XX. Quid verò est, quod non contentus Dominus vocasse puellam, ingeminat vocem, dicens: *Puella, tibi dico?* Certe quia ad geminam vitam eam reuocabat: ad corporalem, scilicet & spiritualem. Sanè cùm fecit lucem, solum dicit: Fiat lux. Cùm producit Solem, & stellas, vnico verbo dicit: Fiant stellæ, &c. At cùm puella vocatur ad vitam, geminata dictione vocatur. quia illa ad vnicam vocabantur vitam: Hæc verò ad geminam. Iam quia vita supernaturalis multò est præstantior, quàm naturalis: ideo cùm Deus vocauit cœlos & terram, vt vitam naturalem haberent: simplici ea verbo vocauit. puellam, non nisi voce grandi clamans vocat. Clamat etiam vt notetur quàm profundè dormiat, & sepultus sit, qui in peccato mortuus est. Videlicet, quia sepultus est in inferno, à quo non nisi grandi voce reuocatur: longè enim à peccatoribus salus, ideo grandi clamore indigent. *Genes. 1.* *Lucæ 16.* *Psal. 118.*

XXI. Reuocata ad vitam puella ambulat statim, omnibus suis viribus receptis. quia iuxta Theologos, omnes virtutes infunduntur animæ in Baptismo, & recipiuntur perditæ, in Pœnitentia.

XXII. Iubet verò Dominus ei dari cibum. Et non vt ipse
Ioan. 6. accipiat, ab alio enim pendeas oportet. Ne igitur sis tu tibi magister, & vitæ spiritualis dux. Ede verò, alioqui non habebis vitam æternam.

Et transeunte inde Iesu. Grande mysterium est, quòd transeat IESVS, & quòd transeuntem sequantur cæci duo. Profectò Deus (vt Deus est) non transit, imò nihil ei transit. omnia enim sunt præsentia, & fixa in puncto æternitatis:
Vide S. in quo tam Deo est præsens Adam: quam dies futura Iu-
Thom. 1. dicij. Christus ergo vt Deus, non transit. Sed Christus, vt
Par. q. 14. homo transijt quia natus est: duodecim annorum fuit cùm
artic. 13. perditus est in templo, & triginta cùm prædicare cœpit.
Lucæ 2. Vt ergo Christus natus est de muliere, & factus sub lege:
Lucæ 3. vt eos qui sub lege erant redimeret: ita & Christus factus est
Galat. 4. sub tempore transiens: vt eos redimeret qui erant in tempore transeuntes. Attende, non saluat manentes, id est, qui
Hebr. 13. hic habent ciuitatem manentem; sed qui, vt transeuntes viatores, futuram inquirunt. Ideo ergo transeuntem sequuti sunt cæci, quia Christus transitu suo meruit, vt transeuntes cæci eum sequerentur. Profectò sedentem in solio suo Deum, pauci Iudæi sequuti sunt, at transeuntem, claudi, cęci, languidi, imò & mortui sequuntur. Siquidem transiens, viam docuit quâ esset eundum: transiens, viam complanauit quâ sequeremur, & vires adhibuit, vt eius exempla,
Lucæ 15. & vestigia sectaremur: imò & transiens nos super humeros
Deut. 32. suos accepit, & super alas suas assumpsit, vt facilius viam conficeremus.

At non leue est dicere, quínam sint duo hi cæci qui Christum sequuntur. & quidem cæci dicuntur, reliquo corpore integri, visu tamen destituti. Cùm ergo, qui contendit, iuxta rationem naturalem, rectè viuere, non verò iuxta fidem: is corpore reliquo velut integer, cæcus est: Similiter Iudæus, qui iuxta legis suæ normam sanctè viuere curat, sine fide tamen, itidem cæcus est. In hoc igitur Euangelio nobis innuitur, non sat esse vitam bonam secundùm rationem, licet à Deo institutam: Nec sat esse vitam bonam iuxta legem, quam Deus tradidit. Vtraque vita cæca est, nisi ex Christi contactu lumen recipiat. Id quod est argumentum Epistolæ ad Roman. & ad Galatas. Porrò quod dicitur hos fuisse cæcos à natiuitate, verisimiũ est. Cæcitas enim nostra
Ephes. 2. ex vtero contracta est: vt enim omnes nascimur filij iræ,

infirmi

infirmi, & inimici, imò & peccato mortui: ita & necessariò Rom. 5.
nascimur cæci.

Licet verò cæci nascamur, nascimur tamen cùm appetitu videndi: nemo enim est hominum, qui lumen non quærat, omnia enim bonum appetunt, & mens semper ad meliora suspirat. Vt igitur nullus est corpore cæcus, qui lumen Solis non cupiat, ita nullus est mente cæcus, qui (licet ignorans) lumen Christi non optet. Qua ratione Christus dicitur desideratus gentibus. Qui enim quærunt suam fœlicitatem, (cum illa Christus sit) Christum, licet ignorantes quærunt. Et quia vehemens est desiderium hoc mentis nostræ, ideo clamor dicitur, de more scripturæ, grande desiderium clamorem nuncupantis. De Mose siquidē tacente dicitur: quid clamas ad me. Igitur desideria cæcorū, clamores sunt eorū. Aggei 2. Exod. 14.

Clamant verò: IESV *fili Dauid*. Elegantissimè Dauidis filiū, cæci IESVM nominăt. Dauid enim significat dilectum. Quasi cùm Apostolo IESVM nominent filium dilectionis. Est enim IESVS in quem tota patris dilectio transfunditur. Est IESVS in quo omnes homines sunt dilecti, iuxta Apostolum dicentem: quod Pater benedixit nos omni benedictione spirituali, in Christo: in quo & elegit nos. Est demum IESVS in cuius pectore vera, integra, & plenissima dilectio habitauit, quanta in nullo alio. Quid verò cæci allegent Christo, potius & præstantius, quàm dilectionem intimam eius? Propter quam vt cæcos sanaret, sanguinem fudit. Colloss. 1. Eccles. 1.

Dilectione ergo motus, & vt apud Ieremiam ipse dicit, perpetua charitate diligens: ideo attraxit cæcos miserans. Si quæris quo attraxit? Certè in domum, id est, in Ecclesiam. significăs extra Ecclesiā nulli esse salutem. Dictum enim est: Magnus Dominus & laudabilis, Vbi? Certè in ciuitatē Dei nostri, & in monte sancto eius. In hoc sanè monte, docet Dominus gentes de vijs suis, & ita illuminat eos. Ierem. 31. Psalm. 47. Isaiæ 2.

Adductos in Ecclesiam cæcos interrogat Dominus: *Creditis, quod hoc possum facere vobis?* Ego requiro, quidnā est illud Hoc? Dominus enim dicit: *Creditis quod possum hoc*. An non erat clarius, Creditis quod visum possim dare, aut lumē, & ç. Respondeo: quòd in illa dictione. Hoc, omnia clauduntur: nec est nomen, quo res tanta explicari possit. Ne ergo quæras nomen rei, quæ est mirabilis. Imò nemo nouit eius nomen nisi qui accepit. Vt in Apocalypsi dicitur: Planè lumen illa res est: sed lumen est, Deum in animam illuminati Apoc. 2.

adducens: lumen est illuminatum Deificās, filium Dei faciēs,
Rom. 8. hæredem Dei, & cohæredem Christi. Lumen est ignem in
Psalm. 44. corde accendens. Sagitta est acuta, in cor cæcorum pene-
Ioan. 16. trans, panis est animam satians, gaudium est, quod nemo
Matth. 13. tollet ab eo qui habet, margarita est propter quam cuncta
Lucæ 13. venduntur, granum synápis est, in cuius postea ramis, non
Lucæ 11. solæ volucres: sed ipse Deus requiescat. Demum lucerna est, totum corpus lucidum reddens.

Interrogati cæci an crederent, fide illa laudata? Respondent, *Vtique Domine*: Vide, vt dona Dei non repēte sint summa: sed crescant paulatim. Primum vocant Filium Dauid, mox Dominum. Demum tantam habent fidem, vt eis dicatur: *Secundum fidem vestram fiat vobis*. Nemo ergo repente fit summus. Quòd verò dicit: *Secundum fidem vestram fiat vobis*, argumento est: Diuinam dispositionem & operationem, ex nostra dispositione, & præparatione dispensari. Impleuit
4. Reg. 4. verò mulier illa sub Elisæo multa vasa, ex oleo cœlesti: tantum olei quoduis vas accepit, quātum erat vas ipsum. Oleū profectò vnicū erat, de cœlo erat, vna manu ministrabatur, capacitas verò vasorum diuersa, diuersitatem plenitudinis fecit.

Sed non caret dubio, quod Dominus iusserit: nequis, eorū illuminationem sciret: illi tamen diffamauerunt eum in tota terra illa. Cur ergo Domini præceptum violarunt? Ad hoc prior responsio est, Dominum non iussisse: vt interrogati de sua illuminatione, se scire negarent: id enim esset mentiri. Iussit verò, ne ipsi suopte nutu, rem aperirent. Quod fortasse illi sanctè seruarunt. Sed à tot interrogati sunt, vt sat fuerit responsio ad Christum diffamandum. Altera responsio est: Quod errores ex amore, digni venia sunt. Errabāt hi quidem diffamantes: sed quid facerent? Siquidem feruor amoris, nonnunquam leges disrumpit. Tertia responsio moralis
Cantic. 2. est: Qui à Deo corde illuminatus est, taceat: dilectus inter
Prouerb. vlt. vbera, non in lingua commoretur. Laudent verò eum in portis opera eius.

Sequebatur historia de homine muto & dæmonium habente: eius tamen expositio expectabit nos, donec ad caput duodecimum veniamus.

Et circumibat Iesus. Cùm video Christum eam prouinciam circuire, immensi amoris ignem, in eius corde succensum intelligo, quo ardebat nostram salutem, & quem optabat mittere

mittere in terram, ipso dicente: Ignē veni mittere in terram, & quàm volo vt ardeat.

Secundò: Intelligo summam necessitatem, summumque periculū infirmitatis nostræ. Cùm enim medicus frequenter infirmū visitat, eumque circuit, non nisi grandis est languor. *Lucæ 12.*

Tertiò memor sum, quòd diabolus tanquam leo rugiens circuit ouile Christi: ideo necesse est, vt Christus sicut amās pastor, circumeat etiam suum ouile. Ille circuit vt deuoret, hic vt tueatur. *1. Petri 5.*

Quartò, cùm video Christum circuire non mula vectum, aut equo: mirari satis nequeo, tenerū hominem, ieiunijs, & orationibus, & laboribus exhaustum, ita laborare. Sanè quia sciebat nos nec hoc etiam exēplo, ad nostras curandas oues prouocādos. Videas quosdam Prælatos aut nunquā greges suos inuisere: aut cùm inuisunt, ea pompa, & fastu inuisere, vt si eos cùm suo Christo conferas, non facile intelligas eos discipulos & seruos esse Christi.

Quintò: Cùm video eum circuire, redit in memoriam fortis ille armatus: qui multo iam tempore in pace suum atriū possidebat ciuitates scilicet & castella, magnos scilicet & paruos. Quòd ergo remediū, vt eijciatur è sua prouincia? Certè, vt eo fortior superueniat: & in circuitu obsidionem ponat vt ita clangore buccinarum corruat Hiericho. Circuit igitur Christus vt in libertatem asserat, quos tam diutina diaboli tyrannis inuaserat. Sed ò duram captiuitatem! ò amicam subiectionem! Miserè sub diabolo captiui tenemur, & adest qui nos eruat de manu inimicorum nostrorum, & nolumus exire. Egemus igitur grandi obsidione, egemus frequenti circuitu, & multa expugnatione: & nec sic libēter catenas nostras euadere volumus. *Lucæ 11.* *Iosue 6.*

Sextò: Cùm dicit circuibat, intelligo Dominum circulum facere, & nos vndique & in circulo inuisere: quā re intelligo, nihil omnino Christum omittere, ex his quæ nostræ saluti necessaria sunt. Non est nobis euasionis aut excusationis locus: vndiq; circuimur. A moribus, verbis, delitijs, blanditijs, Sacramētis, timore, labore, ærumnis vallamur: vt capiamur.

Septimò, res mihi dolenda venit in mentem, cùm audio Christum prouinciam circuire: eiectum eum video, quærentem qui eum recipiat, nec inueniētem tamen. Hospitē adeò, & ignotum, & extraneum esse credas: cùm circumeat apud quem hospitetur, nec sit tamē qui domum cordis ei aperiat.

Octauò: Vide Domine, nec circumeas. Dictum enim est:
Psalm. 11. In circuitu impij ambulant. Igitur si & tu circuis: impij tibi
Eccles. 11. notam inuris. Cùm contra iubeatur vio viro: Mane in loco
tuo. Et rursum: quies iustorum, vagatio impiorum. Sed
reuera, si in circuitu impij ambulant: vt Christus circumeuntes capere possit, fugientes: necesse est, vt & ipse ambulet in circuitu. In die passionis videbis eum circuire ab Anna ad Caipham, ad Pilatum, ad Herodem, rursum ad Pilatum, &c.

Circuibat prædicans in synagogis. Cùm in Ecclesia prædicare licet, non est extra eam prædicandũ. Est enim Ecclesia locus
Genes. 28. Dei, domus Dei, & porta cœli, vbi facilius auxilium suum Deus præstat, & est tam generosa res Euangelium, vt nõ nisi in loco diuino prædicandum sit.

Quòd verò textus dicit: *Prædicans Euangelium regni*: dolorem animo incutit, non enim ad aliud vocamur, quàm ad regnum, nec modò vocamur ad regnum cœli, sed etiam ad regnandum in terra. Video: laborandum nobis est dum
Genes. 3. viuimus. Terra enim nostra labores & spinas profert. Vocamur tamen, vt in his laboribus regnemus. Cùm verò quis inauguratur ad regnum, gaudet: nos inauguramur, sed lethargo sopiente nihil mouemur. Videntes igitur non vide-
Isaiæ 6. mus, audientes non audimus, excæcauit enim nos malitia cordis nostri. Vbi verò Dominus grandem turbam sequentem se aspexit, ait:

Messis quidem multa. Locus est, vt obscurus: ita omni speculatione dignissimus, homines vocat Dominus messem. Et Ioannis 4. dixit hanc messem iam albescere. Qua obsecro ratione hæc sunt intelligenda? Respondeo: Mundus hic terra est: In hac nos miseri seminamur, cùm anima nostra corpori
Ioan. 12. infunditur. O verò miseriam! Si granum frumenti non moritur, non etiam nascetur? ita planè, antè morimur, quàm viuimus. In Adam enim omnes morimur, & ita omnes
1. Cor. 15. nascimur filij iræ, ante mortui, quàm nati. Postea verò quàm nascimur, humiditas multa nobiscum nascitur. Humor est cupiditas, virorque fomitis nostri: quo luxurians tritici calamus deorsum ad terram inclinatur.

Super hos luxuriantes calamos ortus est Sol iustitiæ Chri-
Matth. 4. stus: tunc, cum de virgine natus est, ascendit sensim, radios suæ doctrinæ, & amoris eis infundens. Hoc verò tempore quo messem albam esse dixit, ascenderat Sol ad mediũ prædicationis suæ. Dignumque erat vt calami: sole ita radiante

& hu-

& humorem calamorũ exiccante:iam alberent ad messem. Hoc ergo est quod dicit : Messis tempus est,quantum est ex Solis radiantis feruore. Iam albet messis quantum est ex gratia Euangelij.

Iam igitur considera : Sub oculis Domini spiritualibus, tunc fuisse totum mundum præsentem, Solemq́ue æstiuum super ipsum splendentem. An non rectè videbis dictum esse: Messis quidem multa? Certè quia adeò charitas Christi in suo pectore feruetat, vt verè Sol diceretur estiuus, & tempus iam messis addesse. Et si placet dicere: In lege naturæ genus hominum seminatum, corrumpitur. In lege veteri seminatos Sol vernus aspicit, sed eorum humorem exiccare non sufficit. In lege verò gratiæ, iam Sol est æstiuus, iam vetus homo est crucifixus, iam peccati viror non dominatur: iam homines, quãtum est ex gratia Euangelij, à suo sunt humore siccati, messis ergo nũc multa est. Quòd si adhuc in nobis, est luxuriantior humor, quàm fuit forte in antiquis hominibus: non culpa est legis nostræ, sed nostra, qui propè exhaustum per Christum humorem tam solerti opera reparamus. *Rom. 6.*

Rogate ergo Dominum: vt mittat operarios : Ex ijs enim vita pẽdet nostra, sine eis siquidem messis in horreum non congregatur : nisi enim te subdas operarijs, non ibis in cœlum.

Cogor respondere ad ea dubia, quæ consideranti verba Domini, occurrerunt. Primùm, cur dicit, se vidisse iacentes homines, vt oues sine pastore. Num Iudæi suo carebant pastore? An nõ de Dauid dicitur: Pauit eos in innocẽtia cordis sui : & in intellectibus manuum suarum, deduxit eos? Quis verò credat : nullum eo tempore pium fuisse Sacerdotem, qui rectè pasceret gregem Domini? Siquidem reliquit sibi Deus semper, septem millia virorum : qui non curuauerunt genua ante Baal. *Psalm. 77.* *3. Reg. 19.*

Ad hoc respõdeo, Iudæos oues fuisse cum multis, nõ verò cum vno pastore. Eleganter, inquit Paulus: Alij quidem facti sunt Sacerdotes: idcirco quod morte prohiberentur permanere. Hic autem, (id est, Christus,) eo quod maneat in æternum, perpetuum habet sacerdotium. Vnus ergo pastor est Christus, sicut est vnus Deus, vna fides. Tãto verò amplioris est honoris pastor hic vnus, quàm reliqui omnes pastores: quanto Deus (qui solus bonus est) quàm reliqui homines. Ergo merito Dominus dolet Iudæos videns, tanquam oues: illo suo vero, legitimo, & genuino pastore priuatos. *Hebr. 7.* *Ephes. 4.* *Hebr. 2.* *Matt. 19.*

Sed multo eſt vrgẽtius dubium : Quid ais Domine? Num hi qui te ſequuntur, oues ſunt ſine paſtore? An non tu es bonus ille paſtor, qui animã ponis pro ouibus tuis? Cur igitur oues quæ te paſtorem habẽt, ſine paſtore à te eſſe aſſerũtur? Planior reſponſio huius dubij hæc eſt: In illis Iudæis iacentibus videbat Dominus totum genus humanum : Gentiles, Mauros, &ç. Dolebat ergo Dominus, tot populos iacentes & vexatos: quaſi paſtore eſſent deſtituti. Vt ſit ſenſus, qualis Dauidis, deflentis Saulem & Iſraëlem in monte Gelboë: Clipeus Saul, inquit, abiectus eſt: quaſi nõ eſſet vnctus oleo. Ita hoc loco, iacentes dolet, quaſi non haberent paſtorem, cùm tamen verè haberent.

Ioan. 10. *2. Reg.* 1.

Imò profectò etiam Chriſtianos dolebat: qui in ſuis afflictionibus ita vexati iacent, ita animum deſpondent: ac ſi oues eſſent ſine paſtore. Si enim nos Chriſtum noſtrum eſſe fatemur paſtorem, cur non confidenter dicimus, Dominus regit & paſcit me, nihil mihi deerit: &ç.

Pſalm. 22.

Tertium, dubium eſt: Num Domine poſtquam ad cœlum aſcendiſti, oues ſine paſtore ſumus? Num redit ad nos Iudæorũ conditio, qui non ſub vno, ſed ſub multis agebantur paſtoribus? Reſponſio eſt: Inter Chriſtianos vnicum eſſe paſtorem. Licet multi Prelati ſint, in his tamen vnus eſt qui nos paſcit Chriſtus. Sicut enim in Paulo & reliquis prædicatoribus vnus eſt qui loquitur Chriſtus: ita idem eſt, qui nos paſcit in paſtoribus multis. Vt igitur in lege veteri multi erant Sacerdotes: in noua verò vnus eſt in multis, (vt Paulus contendit in Epiſtola ad Hebræos) ita & vnus nobis eſt paſtor in multis.

1. Cor. 13. *Heb.* 7.

CAPVT

CAPVT X.

Et cōuocatis duodecim discipulis, &c.



VLTA sunt mihi hoc loco explicāda. Primū: Cur Dominus miserit Apostolos? Vt causam intelligas, expēde mūdi conditionem, & statum: eo tempore, quo Dominus cœpit in mundo prædicare, erat mundus in tenebris, & vmbra mortis, caligine obductus errorū, erantque adeò manifestarij errores vt rectè palpabiles vocarētur tenebræ, quæ olim fuerant in Ægypto. Erat mundus pecca- *Genes. 6.*
tis plenissimus. Omnis quippè caro corruperat viam suam.
Et vt Paulus ait: Erant omnia conclusa sub peccato. Erat *Galat. 3.*
mundus oppressus tyrannide dæmonis, qui erat princeps *Ioan. 12.*
mundi, per Christum foras eijciendus. Operabatur enim
tunc diabolus in filijs diffidentiæ: in quibus nos omnes ali- *Ephes. 2.*
quando fuimus. Erat mundus Sodoma & Gomorra. Imò
vero erat quidē infernus. Hac ratione eramus omnes igno- *Isaiæ 1.*
rantissimi, euntes ad simulachra muta, prout ducebamur. *1. Ad Co-*
eramus omnes Dei inimici, pro inimicis enim Christus *rint. 12.*
mortuus est, eramus imbecilles, & dormiebamus multi. *Ad Rom. 5*
Mittit ergo Dominus discipulos, vt Soles: quibus mundi tenebræ pellerentur. Misit vt medicos: à quibus mundi languores curarentur. Misit fortes: a quibus fortis armatus vinceretur. Misit cœlestes & diuinos: à quibus infernus noster in paradisum conuerteretur.

Sed summè nomen horum virorum aduerte. Vocantur Apostoli, id est, missi. Quis huius rei profunditatem valeat
penetrare? Christus Dominus dictus est Silo. Dicitur enim *Gen. 49.*
in Genesi: Non auferetur sceptrū de Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat Silo, id est, donec veniat missus. Et Moses
dicit: Mitte quem missurus es, id est, mitte Missum. Igitur *Exod. 4.*
Dominus vocatur missus: suo ergo nomine suos discipulos
dignatus est. Vnde Paulus dicit: Considerate Apostolum, *Hebr. 3.8.*
& pontificem confessionis nostræ IESVM.

Forsan nondum penetras mysterium. Audi ergo Domi-
num dicentem: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. quasi *Ioan. 10.*
dicat: Eadem autoritate, potestate, maiestate: qua me Pater misit, vos ego mitto. Vno vos regni solio præcedā, (vt dixit

Genes. 41. Pharao ad Ioseph.) reliqua, Apostoli quidam Christi sunt. Cum ergo audis Christum missum: intellige eum adduxisse apotecam plenam omnibus remedijs, contra omnia mala: quæ mun[dum] premebant. Idem ergo intellige cum audis discipulos missos. Angeli ergo sunt Apostoli, medici, doctores, pastores, reges, & quid non? Sunt Christi, sunt demum dij. Igitur sub hoc verbo Missi, omnia officia clauduntur.
2. Cor. 3 Siquidem Apostoli reuelata facie gloriam Christi, in sua anima susceperunt. Et ideo Christum per omnia referunt.

Dices: An non sat erat Christus? Erat certè, siquidem & nunc omnis sufficientia ab eo est. Verum est Christus sui
Iob 31. profusus, buccellam panis non comedit: quin ex ea seruis, partem tribuat. Erat ipse Apostolus, missus, & pontifex, facit etiam tales seruos suos. Simul etiam: vult esse responsum rerum supernaturalium ad naturales. Vt ergo in naturalibus: per causas secundas, & medias operatur: ita & in supernaturalibus. Demũ voluit esse homines quosdã in terra, sui vicarios, quibus reuerentiã exhiberemus, quasi Christo præsenti.

Quòd verò dedit eis potestatem spirituũ immundorum: diligenter est considerandum: Si enim super terram non est potestas: quæ comparetur spiritibus immundis, plane fit:
Iob 241. vt Christus dans potestatem super spiritus, det etiam super omnem naturam. Habent ergo Apostoli potestatem super cœlos, elementa, & super omnem carnem: quantum necesse est ad negotium Euãgelij. Quod ipsa experientia mon-
Act. 20. strauit, iusserũt ignem non comburere, non combussit: iusserunt mortem in vitam commutari: factum est.

Rom. 1. Adde: Vocantur dæmones spiritus immundi, sicut & vocatur Spiritus sanctus, spiritus sanctificationis. Huius enim desiderium, inclinatio, & opus est sanctificatio nostra.
1. Petri 5. Contra tota machinatio dæmonis, est immunditia nostra, quærit enim quem deuoret, & quem ex immundi contactu, immundum faciat.

Adde & aliud. Dixit textus. *Dedit eis potestatem super omnem languorem*. Cum ergo languores animæ hi sint, qui verè languores sunt: necessario fit, vt Apostoli habeant ius curandi, amorem animi, dolorem, lætitiam, tristitiam, &c. Hos enim affectus Philosophi morbos, & ægritudines animæ appellant. Igitur dedit Dominus Apostolis, & successoribus, adeò potens & efficax verbum: vt etiam languores pellerent ex animo.

Adde

Adde vltimò, sapientissimè Christum dedisse potestatem faciendi miracula: vt per ea fides persuaderetur hominibus. Licet enim homines credant ducti à Spiritu sancto, & illustrati lumine fidei. (ipsa enim fides est argumentū euincens nos, ad credenda ea quæ non apparent.) At vt homines pulsanti Deo aperiant, necesse est miracula edere. non enim moueretur homo ad credendum, nisi miraculorum testimonio adductus. Vide S. Thom. 3. Parte quæst. 43. artic. 1. *Hebr. 11.*

Id verò in primis mirabile est, cur elegerit Dominus tam viles & abiectos? Sed equidem, hoc est, Domini ingenium. Non enim in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibijs viri beneplacitum erit ei. Beneplacitum est ei, super timentes eum. Hi verò vt plurimum viri abiecti esse solent. elegit igitur stulta, vt confundat sapientes: & infirma, vt confundat fortia: & ea quæ nō sunt, vt destruat ea quæ sunt. Planè ea: ad quæ vocantur Apostoli cœlestia sunt, non terrena. Meritissimè igitur ad ea eliguntur, qui minus terræ habent. Vt enim ad secularia, hi eliguntur qui prudentiores in seculo sunt: ita ad res à seculo semotas eligi debēt qui minus seculi habent. Fecit vero Dominus in noua lege, sicut fecerat in veteri, in qua primus rex Saul de minima tribu inter omnes tribus: & de minima familia inter suæ tribus familias, delectus est. Dauid cum eligitur minimus est inter suos fratres. Vnde & ius regni Israëlitici erat: vt minimus inter filios regnum hæreditaret, vt docuit Pilato. ita & regnum cœlorum minimorum est. Qui habent thesaurum, non in nobili vase, sed fictili. Res est notatione dignissima. Nullus ferè antiquorum primogenitorū placebat Deo: minores diligebat vt Habelem, Isaac, Iacob, Ioseph. Et contra primogenitos Ægypti furor Domini desæuit. Et velut odio primogenitorum, Iacob moriens manus commutauit: vt dextera non maiori, sed minori obueniret. *Psal. 156.* *2. Cor. 1.* *1. Reg. 9.* *1. Reg. 17.* *2. Cor. 4.* *Exod. 12.* *Genes. 48.*

Secundò explicandū occurrit: Cur duodecim eliguntur. Ad hoc ex coniecturis responsio est. Primò, responsum esse debet, & concentus inter mundum spiritualē & naturalem. in naturali Sol per duodecim signa Zodaici decurrit: igitur in mūdo gratiæ Sol iustitiæ per duodecim Apostolos deducitur. & vt ab illis signis, maximè vita nostra dependet: ita & ab his in vita spirituali pēdemus. Secundò, dies in duodecim horas diuisus est: ita & lux Christianæ doctrinæ per duodecim Apostolos est distributa. Tertiò, duodecim fuerunt

tribus Iſraël. ideo datis eis duodecim iudices: qui ſedentes ſuper ſedes duodecim tribubus iudicēt. Quartò: Apud Ioſue legitur, quod poſtquam arca Domini tranſijt Iordanē, Ioſue pręcepit vt duodecim viri è medio alueo Iordanis educerēt duodecim petras, & in terram promiſſionis adferrent: rurſumq; è terra promiſſionis afferrētur duodecim alij lapides in alueo Iordanis ſtatuendi. Duodecim hi viri duodecim ſunt Apoſtoli, qui è fluenti ſeculo, ſecularia tranſtulerunt ad diuina. & è diuinis adduxerūt ad ſecularia. Vt iam eſſet cœli terræq; fœlix cōſortium. Quintò duodecim pueri Isboſeth fortiſſimi, pugnāt cū duodecim pueris Dauid, & licet omnes pueri Dauid mortui ſint, vicit tamen Dauid. Ita licet duodecim Apoſtoli mortui fuerint, pugnantes cum principibus mundi, vicit tamē Chriſtus Apoſtolorum dux. Sextò: Apud Sanctos, ſenarius eſt numerus laboris: quia ſex diebus Deus operatus eſt. Vita ergo Apoſtolica fundatur in labore, non ſimplo, ſed duplicato. Septimò, Dixit Moſes: quod altiſſimus diuiſit gentes, ſeparauitq; filios Adā: conſtituens duodecim mundi terminos: iuxta numerum filiorum Iſraël. vt ſicut filij Iſraël erant duodecim: plagæ mundi eſſent duodecim, ergo duodecim mūdi plagis: duodecim aſſignātur Apoſtoli.

Ioſue 4. *2. Reg. 2.* *Geneſ. 1.* *Deut. 32.* *Matth. 18.*

Tertiò: cur ergo bini mittuntur? Certè bini boues mundum araturi: & Euangelicum ſemen ſparſuri. Certè bigæ ſunt, Chriſtum per mundum circumlaturæ. Et quia dictum eſt, vbi ſunt duo, vel tres congregati, in nomine meo, ibi ſum in medio eorum: vt vehementius eſſet cum Apoſtolis, voluit eos eſſe binos. Simul vt humilitatis eſſent amatores: minor enim gloria ad duos diuiſa venit, quàm ſi ad vnum integra veniret. Atque etiam: vt minus dæmonis actus, & hominum audacia, & carnis noſtræ negligētia, eos inuadere poſſet, minus enim audent pugnatores, duos aggredi: quàm vnum. Demum vt intelligerēt negotium eſſe, ad quos vnus ſufficere non poſſet.

Ioſue 21.

Quartò, cur Dominus Simoni, Ioanni, & Iacobo nomina variat? Simon enim Petrus dicitur. Reliqui dicuntur Boanerges. Reſpondeo, Petrum reſpondere Abrahæ, cui etiam nomen mutatum eſt. Hic enim pater eſt credentium in Euangelio: vt Abraham fuit credentium pater in Iudaiſmo. Ego verò ingenuè fateor explicare non poſſe dignitatem Petri: cui petræ nomen & rem Chriſtus dedit. Leone papa teſte. Petrus, inquit, firmitatem Petræ, quæ nullis impulſionibus

Rom. 4. *Et Aug. Serm. 2. in feſto Petri & Pauli.*

nibus quateretur accepit. & infrà. Cùm ego (Christus ait) sim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, vt quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. Hactenus ille. Nullus ergo Apostolorum ita Christi autoritatem, sedem, & maiestatē refert, ac Petrus, qui si confractus est negans: humiliatus est, vt dignius profundum esset Ecclesiæ fundamentum: vt è tam profundo lapsu, in excelsius meritum assurgeret.

Petrum petrā vocat. Idem Basilius in homil. de pœnitentia. Idē Ambr. vt refertur di. 50. can. fideliter.

At cur duo fratres filij tonitrui dicti sunt? Beda, inquit, Quia si Ioannes in suo Euāgelio altius intonasset, suo tonitruo totum mundū obruisset. Hieronymus, inquit, sunt filij tonitrui, propter magnitudinem fidei & cōstantiæ. Isidorus, quia excellentissimè prædicauerunt. velut tonitrua mundo sonātia. Crederē ego ex phrasi Hebræa, vocatos filios tonitrui: quia vno & singularissimo amore adhæserunt, vnico & fidelissimo obsequio inseruierunt Christo, illo verissimo tonitruo mūdi. Est enim tonitruū cum luce, feruore, horrore & admiratione. tum est vox de cœlo, & demū vox est pluuię nuntia. Quæ omnia quadrantissimè Christo conueniunt.

Sicut filij regni, qui sunt regno dicati, ita filij Tonitrui, Tonitruo dicati.

Cur verò Petro primatus cōcessus? Certè quia erat senior, & reuerentia potissimè quadrat canis. Erat verò Petrus nec diues, nec nobilis, nec Domini cognatus. Iam ostendebat Dominus: quam horum nihil erat aspiciendum, in electionibus Pontificū. Simul ostendit inter principatus meliorem esse monarchiam. & demū nota Domini modestiam: passus est, se viuente sui gregis designatum habere monarcham.

Quintò: Cur Iudam periturum acciuit? Vt nemo quantumlibet sanctus, & in sanctorum collegio, de se securus sit. Quid verò maius Apostolatu? At ex eo cadit Iudas. Secūdò intellige, quam difficile qui pecunias habent, regnum Dei possidebunt, tractauit pecunias Iudas, & de cœlo ipso, eum deturbauerunt. Tertiò: admonemur, vt quiuis caueat suos, inimici enim hominis domestici eius. Is enim, inquit, Qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationē. Quartò, vide hominis obduratissimi animum: qui tanti magistri tot discipulorum verbis, operibus, conuersatione noluerit ad meliora reuocari. Vbi exemplū habeo sacerdotum nostrorum, qui quotidie ex mensa Christi edunt: nec tamen ad vitæ melioris salutem conuertuntur. Quintò, videant Prædicatores casum Iudæ, ne & ipsi cadant. magnorum

Matth. 19.

Mich. 7.

Psalm 40.

enim

enim non nisi magna est, & desperata ruina. Vide tamen Christi patientiam: qui in collegio suo, tanto tempore, tam peruersum sustinuit hominem. Ita & nos sustinet, multo tempore mensæ suæ conuiuas, proditores tamen. Sustinuit etiam, vt sciremus, per malos ministros vera sacramēta ministrari: & per malos predicatores vera Dei verba seminari.

Hos duodecim misit. Primo loco expendendum est, cur prohibentur Apostoli ire in viam gentium: iubentur tamen Iudæis prædicare? Vbi plura sunt aduertenda.

Primum, quàm magna cura Paterfamilias debeat suis primum prospicere. Qui enim suorum, & maximè domesticorum, curam non habet: fidem negauit, meritò igitur laudatur fortis illa mulier: quæ de nocte consurgens dederit prædam domesticis suis. Quia igitur Iudæi erant domestici filij Dei: ideo primum eis consulit.

1. Tim. 5. *Prou. 31.*

Secundò admonet Dominus suos predicatores: vt caueāt omnia quæ scādalo esse auditoribus possunt. Ideo Apostoli prohibentur prædicare gentibus: vt qui essent Iudæis infestissimi. Nota verò: Præcipit non ire per viam gentium, sed non interdicit vias Samaritanorum: quia per eas erat in Galilæam iter.

Act. 10.

Tertiò nota, Iudæis fuisse, magno dono, credita eloquia Dei: non verò gentibus. & ideo viuente synagoga non debet suo thesauro spoliari.

Rom. 3.

Quartò: viuente Christo, non erat paries & maceria diruta, quę Iudæos à gentibus diuidebat: nondum parietes erant facti vnum, angulari lapide eos connectente, nondum erat propalata Sanctorum via. Adhuc erat notus in sola Iudæa Deus. Adhuc non venerat tempus quando extra templum licebat adorare: nondum erat velum templi discissum. Et quidem Ezechias ostendens Babylonijs thesauros suos, grauiter castigatur. non enim Gentes licebat induci in templum Dei. At vbi templi velum ruptum est, & cataractæ cœli apertæ sunt, & fontes abyssi magnæ patuerunt, tunc patens est fons domus Domini. tunc in omnem terram exit sonus eorum. Et ideo ad spectaculum venientis spiritus sancti ex omni terra nationes concurrunt.

Ephes. 2. *Isaiæ 28.* *Hebr. 9.* *Ioan. 4.* *Lucæ 23.* *Isaiæ 39.* *Genes. 8.* *Zach. 13.* *Psalm. 18.* *Actor. 2.*

Quintò, scito ex merito Patrum, Iudæis concessum esse vetus Testamentū, & salutis prædicationem. At ex merito passionis Christi concessum est Euangeliū mortalibus cunctis. Dum igitur Passio nondum esset celebrata, nondum

debuit

debuit cūctis Euangeliū diuulgari. Hoc enim eſt quod dicit Rex: Tauri mei & altilia mea ſunt occiſa, & omnia parata. Venite. Igitur ante occiſionē tauri, nō erant gētes inuitãdæ. *Matt. 22.*

Sextò cùm audis gentibus & Samaritanis vetari Euangelium, time ne eorum culpa vetetur. Mandabo nubibus meis, inquit, ne pluant ſuper vineā. forſan Samaritani, & finitimæ gētes, aures ſuas aggrauauerāt, vt digni Euãgelio nō eſſent. *Iſaiæ 5.* *Zachar. 7.*

Ite potius ad oues. Iudicio meo, eas oues indicat: de quibus habetur Ezechiæ 34. quòd eſſent paſcendæ in paſcuis vberrimis: ſcilicet prædeſtinatos, qui erant inter reprobos illos diſperſi: horū gratia, Apoſtoli miſſi ſunt: nam & Apoſtolus dicit ſe multa pati, propter electos: vt ſalui fiant. Hi electi oues meritò vocantur, ſtatuendæ ad dexteram iudicis. quia nullum animal oue innocentius, ſimplicius, manſuetius, vtilius, patientius, quæ omnia quadrare debent ei qui prædeſtinatus eſſe cupit. *2. Tim. 2.* *Matt. 25.*

Cur verò dicit: *Ad oues quæ perierunt domus Iſraël.* nō verò domus Abrahæ, aut Iſaac, aut etiam Iacob? Primò quia ex domo Abrahā exijt Iſmaël, & ex Iſaac exijt Eſau, ad cœtum fidelium non ſpectãte. Tum quia Iacob, ex pugna, factus eſt Iſraël. prædeſtinati enim ex pugna hæreditabunt cœlum. Si enim compatimur, & cōregnabimus. Tum etiã, quia Iacob in ſomnis pugnat cum Deo, & eius pugna, ad aurorā durat, nec dimittit, donec ei benedicat. Prædeſtinati itaque per totam vitam, (quæ ſomnus eſt,) cum Deo pugnãt: vſque ad initium diei futuræ: nec dimittūt donec benedicatur à Deo, benedictione perpetua. nec tamen benedicuntur, niſi marcido femore, id eſt, carne emortua. *Geneſ. 32.* *Rom. 8.* *Geneſ. 32.* *Ioan. 11.*

Prædicate, quia appropinquauit regnum cælorum. Expectabãt Iudæi tempus, in quo Meſſihas eſſet regnaturus temporaliter in quo & ipſi cum eo eſſent ſuorum hoſtium domini: in quo demum habituri eſſent rerum omnium imperium. Ita dicūt diſcipuli. Nos ſperabamus, quòd ipſe eſſet reſtituturus regnum Iſraël. Et Zebedæi cupiunt ſedere ad dexteram & ſiniſtram, in hoc regno. At contra Dominus cupiens nos auocari à terrenis, & prouocari ad cœleſtia: aliud regnū, non terræ, ſed cœli, prædicari iubet. Inſtat, inquit, regnum cœli. rex cœleſtis, leges cœleſtes, opes cœleſtes, ciues cœleſtes. Inſtat tempus: in quo, in noſtra hac terra, illa vita inuenitur, quæ fuit haſtenus in cœlo. In cœlo fuit iuſtitia, pax, gaudium in ſpiritu. Fuit cognitio & amor Dei. Fuit ingreſſus *Actor. 1.* *Lucæ 24.* *Matt. 20.* *Rom. 14.*

in gau-

Matth. 15. in gaudium Domini. Fuit cœlestium Deificatio. Hæc omnia appropinquant terræ nostræ.

Antequàm spiritus veniret, appropinquabant. Nunc iam
Lucæ 17. in medio nostri, & intra nos est regnum Dei. O verè beatos Christianos: sua si norint bona. In medio igitur regni cœlestis sumus.

Hoc est tam magnificum nuntium: vt indignũ sit ipsum
Rom. 5. silentio præterire. Regnauerat mors ab Adã, vsq; ad Mosen, non solum regnauerat in Iudæis, sed etiam in Gentilibus. Porrò regnabat: non solùm quia moriebantur homines in corpore, sed infœlicius, quia moriebantur in spiritu. Imò etiam, quia ea vita quam viuebant, adeò vexabatur languoribus, & dæmonibus: vt penè mors dici posset.

Dicit ergo Dominus: Prædicate Apostoli: iam venire
Rom. 6. tempus, in quo destruatur peccatum: in quo destruatur corpus & machina peccati. Venit tẽpus: in quo lãguores vestri
Matt. 4. 8. sanentur, per Euangelium. Venit tempus: in quo si quæ mortis manent reliquiæ, non iam mors dicendæ sint: sed vitæ loco habeantur. Venit igitur tempus: in quo destructo dia-
Hebr. 2. bolo, qui habeat mortis imperium, & peccato expulsò: ingrediatur sempiterna iustitia. Qua ingressa regnet Deus in nobis. Igitur quia per Christi mortem vetus homo noster
Rom. 6. crucifixus est: iniquitas abolita, dæmon eiectus. Et mors
Daniel. 9. Christi nondum erat exhibita, sed breui erat exhibenda: ideo dicit: *Appropinquauit*. Nondum verò venit omnino.

Et eleganter dicit: *Appropinquauit regnum vobis*, non vos illi. Quia nõ ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, accessit:
Tit. 3. sed secundùm suam misericordiã accessit ille nobis. Rursum eleganter dicit: *Accessit*, vt non sit multo nobis labore sudan-
Rom. 10. dum, vt accedamus ad illud. Quin potius ipsum accessit ad nos, non est nobis ascendendum in cœlum, vt inde deducamus: nec est descendendum in infernum, vt ad nos adducamus, prope est verbum regni in ore, & in corde. Item eleganter dicit: *Regnum cœli*, non terræ, vt arbitreris te in cœlo
Philip. 3. esse: teque viuere, & conuersari in cœlo Nihilque abesse te à cœlo: nisi quantùm corpus hoc obsistit ne in cœlum commigremus. Cùm verò dicitur: *Regnum, & cœlorum*, videbatur iam nullus non optaturus, & apertis vlnis tantas opes ad se veniẽtes excepturus. Sed certè regnum ipsum ad nos venit: culpa nostra est, si non exceperimus.

Habet ergo prædicatores, quid prædicaturi sint. Summa

cum

enim hæc eſt: Regnū iam venit: nihil deeſt, quo minus reges ſitis: & reges cœleſtes, niſi veſtra voluntas.

Infirmos curate. Siquidem Euangelij prædicatio, non eſt in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis : ſed in virtute Spiritus ſancti merito, ineffabili prædicationi, ineffabilem adiunxit potentiam, & virtutem : curandi, ſcilicet, morbos corporis. Per quos ſignificantur languores animi. Quorum gradationem & deſcenſum audi. Primo loco ſunt infirmi: hi qui primo peccare cœperūt. Sunt deinde leproſi: qui alios (velut contagio) ſuis peccatis inficiunt. Sunt poſteà mortui: de quorum vita deſperādum ferè ſit. Sunt deniq; dæmones, qui alios trahere in vitia contendunt. Hos omnes, curandi virtutem acceperunt Apoſtoli, ſed ſpeciatim habent potentiam eijciendi dæmones. Quia qui alios ad malum trahere conantur, per excommunicationem ſunt ab Eccleſia reijciendi, ne gregem Domini deglubant & deſtruant. 1. Cor. 2.

Quia verò facilè erat diteſcere eos qui hos morbos curaſſent: ideo dicitur eis: *Gratis accepiſtis, gratis date*. Cùm enim impoſſibile ſit pretium in terris inuenire, quo hæc diuina dona iuſtè vendi queant: iniuria fieret rei non venali, ſi venderetur. Sicut ſi adamantem generoſiſſimum, vili venderes obolo. Vbi nota: quòd licet prima gratia non cadat ſub merito, (vt Theologis eſt confeſſum) omnis tamen gratia poſt primam, & etiam gloria ſub merito cadit. Qui enim operatur ex gratia, merces ei debetur. non iam ſecundùm gratiam: ſed ſecundùm meritum & iuſtitiam. Hinc Concilium Tridentinum fatetur: opera noſtra ex condigno, & iuſtitia, gloriam mereri. Cùm igitur omnia pretium ſuum habeant (etiam cœlum.) Dona tamē miracula faciendi, omni pretio carent, neque ſub vllo merito cadunt. Sed purè gratis dantur. Adeò vt inde nomen acceperint: & gratiæ gratis datæ dicantur.

Et elegantiſſimè dicit : *Gratis accepiſtis*. vt ſi acceperis, ne credas tuis ipſa meritis habere. Procul ſit à te iſta ſuperbia. Si verò ea nō habueris: ne credas tuo vitio, aut culpa, carere. Non enim propter merita dantur : ſed in Reipublicæ vtilitatem. Imò is cui non dantur, magno pondere leuatur, tractandi cum hominibus: quorū conuerſatio tam eſt difficilis, & periculoſa: quàm diuina eſt facilis & iucūda. Libet tamen nonnihil immorari, & expendere: cur gratis dari Dominus præcipiat? Primùm quia maximā authoritatem Euangelio

paupe-

pauperum, paupertas ipsa conciliat: vehementer enim suspicimus, & adoramus eos: qui opes tam magnificas (quibus alios ditant) tam sine pretio largiuntur. Mirarique satis non possumus, eos qui, quam omnes fugiunt paupertatem: Ipsi vt prædicant: ita & amant. Secundò: quia gratis dantes,
2.Thes.13 minus sunt oneri populo accepturo. Siquidem Paulus (ne quem grauaret) manibus suis victū sibi, & suis quæritabat. Tertiò, quia cum vbique sit odiosa cupiditas, maximè verò in prædicatore. Quartò, quia quò magis prædicator curam sui à se reijcit, hoc magis eā Dominus suscipit. Quintò, quia si pretio daretis, donum esset domi Dei aliquando immerentibus, si pecuniam afferrent. Gratis igitur & non pretio
2.Cor.12. detur. Sextò, quia iucundum est videre iustum dantem gratis: non solùm sua, sed & animam propriam dare cupientē. Quis enim non amet Christum dantem animam suam in
Matt. 20. redemptionem pro multis? & Paulum viscera sua Thessa-
1.Thess,2. lonicensibus, dare cupientem, quia charissimi, inquit, facti estis nobis. Vltimam rationem ex sequentibus colliges.

Nolite poßidere aurum. Incidimus tandem in locum difficillimum. Ante omnia proferā in medium, quod de verbis hísce Domini sentiam. Ego credo hec Dominum mandasse, non solùm Apostolis iter facturis: sed etiam in ciuitate consistentibus. Adducor ad id credendum, ex apertissima litera. Primùm enim dicit: *Nolite poßidere simpliciter aurum, argentum: neque minutiora æra appendatis in zona crumena*. Secundò speciatim dicit de itinere: *Ne afferatis peram in via*. Si igitur Dominus omnia hæc præcepta iter facientibus dedisset, profectò dixisset in principio. Ne in itinere habeatis aurum, argentum, peram, &c. Nunc verò cùm apertè distinxerit primum mandatum à secundo, & in secundo addiderit iter, planè fit, primum mandatum esse absolutè intelligendum. Et ita absolutè etiam debet intelligi tertium, ne habeatis duas tunicas, calceamenta, neque virgam. Cur enim potius habeant duas tunicas in ciuitate: quàm in itinere? aut cur calceos habeant in ciuitate, & non in via? Ergo simpliciter interdicitur Apostolis aurum, argentum, æs, duæ tunicæ, calcei, virga. In itenere verò iuxta Lucam interdicitur virga,
Luca 8. pera, panis, pecunia. Dominus enim qui curam illorum in itinere gerebat, gerebat etiam in ciuitate.

Causa verò huius tam arcti præcepti hæc fuit: Christus fuit paupertatis amantissimus: illud semper iactans: Ego

mendicus sum, & pauper, Dominus solicitus est mei. Et illud: *Psalm. 39.*
Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea. Vt imple- *Psalm. 87.*
retur in eo vaticiniũ Isaiæ: quòd ascenderet sicut virgultum, *Isaiæ 53.*
& sicut radix de terra sitienti. At radix siccæ terræ nudissima res est. Si igitur in beato Francisco paupertatis fuit amor, scintilla in eo fuit, collata, ad ignem illum, in Christi pectore flammantem: quo pauper esse cupiebat. Arbitror, nunquam sibi adeò Christum placuisse: quàm cùm se affixũ cruci conspexit: verè (vt esse cupiebat) omnibus rebus egentem. Cùm igitur paupertatis amator, relinqueret suos in terra vicarios: voluit etiam paupertatis amatores relinquere. Qua causa eis interdixit auro, argento, & ære, quòd diuites solent turgentibus zonis appendere. Interdixit etiã duabus tunicis, calceis & baculis. Quos populares homines solẽt nonnunquam grauitatis causa circunferre. Hæc enim omnia reiecit paupertatis amator.

Insurgit iam dubium. Si Apostoli calceis, & baculis, interdicti sunt, quomodo Marcus dicit: ipsis esse cõcessos? Solutio quæ mihi facit satis est: Vnico cõtextu vtrumq; Dominum dixisse, in hunc ferme sensum: Discipuli mei, volo vos omni re terrena carere: solumque summe necessaria possidere: in omnibusque pauperes esse. Ideo calceos & virgam veto, sed quia sandalia solent pauperes etiam afferre, & bacillos: ideo horum vsum vobis tantũmodo concedo: vt quę paupertati non repugnẽt. Quę ita ad literã, fuisse seruata ab Apostolis, acta eorum facilè docent. Petrus enim ait: Aurũ & argẽtum non est mihi. Certè si æra minuta habuisset in zona, petenti *Actor. 3.*
dedisset. Rursum angelus excitans Petrum dicit: Surge, præcingere tunicã (scilicet eam vnicã quam habebat) & subliga *Actor. 12.*
sandalia tua: (ita enim Græci codices habent) habebat igitur non calceos, sed vilia sandalia, quæ subliganda sibi erant.

Audi etiam nõnihil mysticum, Bethlehẽ apud Michæam minima est. Apud Matthæũ nequaquam minima, quia quæ *Matth. 5.*
in se erat minima, ex Christo erat maxima. Ita & potestas *Matth. 2.*
Apostolis concessa. Marco virga est: Matthęo non est virga. Siquidem potestas data Apostolis, ex se virga est: quia tamẽ nõ debẽt ea vti, ad destructionẽ: sed ad ædificationem, nõ ad *2. Cor. 10.*
rigorẽ, sed ad benignitatẽ, nõ ad iram, sed ad misericordiam: ideo dicitur, *Non virgam*. Reges enim gentium dominantur *Lucæ 22.*
eorum, habent quippe virgam, nec enim sine causa gladium portãt. Vos autem Apostoli non sic: sed qui maior est inter *Rom. 13.*

vos, scilicet Petrus: sit sicut minor. Cui est vagina non licet
Matth. 26. gladium eximere. Similiter cui non sunt calcei, Matthæo, Marco sunt sandalia. Cùm etiam necesse sit Apostolis pede terram cõtingere: ne ab ea lædantur, fauorem terrenum habere debẽt. At his terrenus fauor non totum pedem adumbret: Relinquat superam pedis partem liberam. Non igitur Apostoli fauoribus humanis se totos ingerant: nisi quãtum ne lædantur necesse fuerit.

Legisse me recordor, sandalijs olim solos principes vsos. Forsan ergo sandalia concedit Christus Apostolis, vt Ecclesiæ principibus.

Dubium restat, num hæc Domini præcepta obligabant ad mortale? Respondeo: Si Apostolicus prædicator animum gerat paupertatis amicum, id satis est. Etiam si aurum, & argentum abundè possideat. Præceptum enim est: non, ne possideatis: sed nolite possidere. Iam si nonnunquam cupiat aurum, non arbitror esse crimen. Hæc enim mãdata perfecta perfectis data ad mortale non obligant.

In quacunque ciuitatem, &c. Hoc loco mihi statuendum videtur: cùm Apostoli intrabant ciuitatem, vel castellũ, non primum interrogasse, quis suo hospitio dignus esset. Quis etiam dignus talem sustineret interrogationem? Sed ante omnia prædicabãt Verbum Dei, vt Acta Apostolorum cap. 13. & 14. facile docent. Post prædicationẽ verò, si quis exibat eos hospitio suscepturus: apud eum manebãt. Si verò nemo eos inuitabat: tunc quærebant: quis in populo dignus esset. Nam legimus Dominum aliquando prædicasse, & quia à
Matth. 21. nemine inuitabatur, in Bethaniam rediisse.

Redeamus nunc ad textũ: *Interrogate*, inquit, *quis dignus sit.* Vix enim credibile est in toto populo nõ esse vnũ dignum. Equidem non cõsisteret ciuitas nisi aliqui essent digni. Ideo
Genes. 18. enim corruit Sodoma, quia non sunt in ea decẽ, aut quinque iusti. Et alioqui reliquit sibi Deus septẽ millia virorum; qui
3. Reg. 19. non curuãt genua ante Baal. Et certe si vult Deus misericordiam suam præstare alicui populo: aliquem dignũ præparat, apud quem suus recipiatur prædicator. Si nõ parauit, neque etiam misereri populo voluit. Certè cum Macedoniæ fauere
Actor. 16. disposuit, parauit Lydiam: apud quam Paulus hospitaretur.

Habes verò ex hoc textu vix virum dignum latere posse, quin agnoscatur. Alioqui dignus esse posset, qui nõ reciperet Apostolos hospitio. Vt ergo lux latere non potest, & ignis

in sinu nequit ascondi: ita nec viri dignitas. Testis est Isaias, dicens: Orietur, quasi manę, iudicium tuum, & iustitia tua sicut meridies. *Isaiæ 58.*

Porrò, eum arbitror, hic vocari dignum: qui operibus misericordiæ intētus est. Neque enim alius dignus inuocaretur, qui hospitio reciperet: nisi cui illud est exercitio. Quàm verò Scriptura est sibi concinna. Vbique charitas proximorum laudatur: vbique ipsa sola iudicatur digna cœlo. Siquidem dictū est, Hospes erā, & collegistis me: ideo venite benedicti. *Matth. 25.*

Iam meritò, sapienterque, Dominus iubet, quæri dignum suo Apostolo hospitem. Quia nōnihil autoritatis, & gratiæ recipiet prædicator, ab hospite digno. Imò & nōnihil etiam præsidij, minus enim obganniet homines, contra eum quem culmen viri digni protexit. *Genes. 19.*

Ibi manete. Primò, vt maius sit vestræ sanctitatis testimonium. Facile enim est per breue tempus, specimē sanctitatis ostendere. At diu sanctitatem simulare, difficile est. Admirans ergo hospes vester, sanctimoniam vestram, negotium Euangelij promouebit.

Secundò, vt cauti sitis ne quid molestiæ hospiti tam benefico, & tam in benefactis, perseueranti inferatis. Non enim admodum offendere cauemus, eum cum quo breui tēpore commoramur.

Tertiò, vt vel à principio hospitij, temperantiæ, & abstinentiæ studeatis. Vt enim quiuis hospes fastidit gulæ deditum conuiuam: ita amplectitur temperantem.

Quartò, quia futura erat tam mirabilis Apostolorum cōuersatio, vt reliqui ciues eos hospitio recipere contenderent, vt quiuis tātis hospitibus frueretur. Ne igitur cōtentionis occasio detur, iubeo vos ab vno hospite non discedere.

Quintò, in hac re volo vos mei esse similes: ego nūquam desero suscipientem me: nisi prius me ille deseruerit, adeò sum illi gratus: ita vos adeo estote grati, adeò immutabiles, vt doleat hospes vester, si quando vos abire sentiat.

Sextò, libero vos ingēti molestia: quiuis enim nouo hospitio susceptus (si sapit) mille oculis circumspectat, vt animum hospitum agnoscat: quo illis morem gerat. Ne igitur necesse sit sæpius hoc tædiū deuorare, in vno loco manete.

Septimò, Animus meus est hospitē vestrū ditare, vt ergo meæ magnificentię dignior sit magisque me per vos demereatur: manete apud eum. Vt enim Israel apud Ægyptios *Exod. 12.*

 gratiam

gratiam dedit: vt ei omnia sua etiam pretiosa commodaret: ita ego polliceor, me gratiã vobis apud hospitem daturum, vt libentissimè vos recipiat.

Hæc à me de hospite digno dicta sunt: Nam si eum indignum inueneritis, non apud eum vos manere iubeo.

Illud verò sciant omnes, qui prædicatores suo hospitio recipiũt: quòd sicut Dominus benedixit domui Obededon, 2. Reg. 6. quia arcam Domini, domi suæ seruauit: ita benedicet domui Prædicatores suscipienti. Tanto enim dignior est sanctus prædicator, quàm arca Dei: quanto dignior est Christus existens in prædicatore, vrna & virga existentibus in arca.

Luce 1. *Intrantes autem domum dicite, Pax.* Angeli annuntiauerunt orbi pacem, quando nascebatur orbi Deus. Alij angeli in carne existentes, annunciant domui sui hospitis pacem, quia ei vult Dominus nasci. Illi angeli annunciant orbi pacem: quia volebat ei Deus reconciliari. Hi etiam annunciant pacem hospitio suo: quia ei vult Dominus reconciliari & benedicere. Perinde igitur valet, quod Apostoli annunciant, ac si dicerent: Dominus nasci vult in domo hac: vultque ei suam dare benignitatem.

Ioan. 20. Secundò, Christus resurgens, dicit Apostolis: Pax vobis: & insufflans ait: Accipite Spiritum sanctum. Ita Apostoli dicentes *Pax*: velut præparant hospites, vt ex apostolico halitu Spiritum sanctum recipiant.

Tertiò, Dominus moriturus, dat discipulis suis pacem: Ioan. 14. Pacem, inquit, meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do. Et perinde ac si aliquis roget, quam pacem das? ille ait, Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Ergo pax Christi est, non turbari, non formidare. Id si expendas quantum sit, fateberis nihil in tota vita præclarius esse. Ego quidẽ potius vellem non turbari, nec formidare: quã omnia regna. Hanc igitur pacem dãt discipuli hospiti suo. Nec credas solo eos verbo illam dare. Ait enim Dominus: Si in domo fuerit filius idoneus paci recipiendi, requiescat pax vestra super eum. Verbo igitur pacem dant: sed ad eorum verborũ Deus Philip. 4. etiam opere præstat. Denique si iuxta Apostolum, pax non solum res mundi excedit, sed etiam exuperat omnẽ sensum: vide nunc, quàm diuite dono Apostoli suos ditant hospites.

Quod si domus non fuerit vestra pace digna, pax vestra reuertetur ad vos. Primò quidem reuertetur: vt eam aliis dignis concedant. Si enim ille hospes noluit tenere pacem, quæ illi

offerebatur, alius accipiet eius coronã. Vt ergo alius accipiat de Apostolica manu, ad eos redit. Ita factum planè est, quia enim Iudæi pacem oblatam repudiauerunt, eam dederunt Apostoli gentilibus. Hæc enim dominica dispensatio est, vt Iudæi non credant, quatenus hac ratione gentes credant. Siquidem olim gentes non crediderunt, vt Iudæi crederent. Ita ergo pax ab vno hospite repudiatur, & ad Apostolos redit, vt alij tribuatur. *Apoc. 3.* *Act. 13.* *Rom. 11.*

Secundò, profectò necesse erat pacem datam ad datorem reuerti: ne quia non reciperetur, ira succensus incandesceret: & ignem de cœlo in contemptores venire iuberet. Nemo enim nouit, quanta sit rabies, euangelicam pacem, multo sudore oblatam, reijcere. Ac si infinitus thesaurus non esset: & ac si qui reijciunt, non nisi pauperes, & nimium pauperes essent. Redeat ergo ad vos pax vestra: vt pacato animo, reliquum operis vestri consummetis. *Lucæ 9.* *Prouer. 8.*

Tertiò, redibit ad vos: vt intelligatis, malum alienum in vestrũ cõmodum redundare: ac ideo vos fuisse cõtemptos. ne ex prospero prædicationis successu extolleremini. Datus enim est Paulo stimulus carnis: ne magnitudine reuelationum superbiret. At profectò potentior est fœlix prædicatio prædicatorem erigere: quàm reuelationem magnitudo. Et pungentior stimulus est ad reprimendam superbiam, ab auditoribus negligi: quàm carne extimulari. *2. Cor. 12.*

Quartò, pax redibit: vt pax illa neglecta, in die iudicij testis sit, contra repudiatorem suum. Vt enim vulnera Christi in testimonium in eius carne perseuerant: ita & graue illud vulnus, quo prædicator susceptus non est, ad testimonium in eo perseuerat.

Quintò redibit: vt ea ratione qua neglecti estis, facti humiliores, Deo magis placeatis. Et forsan eò fluentis aquæ cursus cohibitus est, vt maiori posteà flueret impetu. Virescit enim vulnere virtus.

Et quicunque non receperit vos, exeuntes de domo, excutite puluerem. Apud Iosue mãdat Dominus: vt victor Israël ex hoste deuicto, nihil penitus contingeret. Siquidem omnia quæ hostis haberet, essent Deo anathema. Et quia Saul hoc præceptum violauit, regno priuari meruit. Similiter ergo, qui Apostolos nõ reciperẽt anathema Deo sunt, & maledictio: adeò, vt nec eorum puluis sit attingendus. Quem ita odit Dominus: vt nec pedibus Apostolorum hærere patiatur. *Iosue 7.* *1. Reg. 15.*

Psalm. 72. Secundò, adherere Deo bonū est: adherere Apostolis, etiā bonum, non adhærere malum: excuti verò res desperata est, Eodem. qui enim elongant se à te peribunt: qui verò projicientur à te, quò nisi in infernum à potenti manu projicientur? Erat verò signum proiectus puluis, proiectorū hominum. Puluis Genes. 3. enim sumus, in puluerem reuersuri.

Actor. 10. Tertiò, Petrus occidit immundos: & eos manducat. Ex cibo vero comesto pars capiti heret, pars corpori, pars verò pedibus. Siquidem ex fidelibus quidam a Petro statuuntur in dignitate, quasi in capite. Quidam in loco medio, quasi in corpore. Quidam in vilibus functionibus, quasi in pedibus. Porrò quòd nec in pedibus Petri, & Apostolorum locum habeas: sed quòd excutiaris, non nisi magna miseria est.

Genes. 3. Quartò, puluis cibus est colubri, dictum enim est ei: Super pectus tuum gradieris, & terram comedes: non verò comedere potest puluerem pedibus Apostolicis inhærentem: quia Matth. 10. ab eis ipse calcatur. Habent enim potestatem calcandi super serpentes. Tu igitur puluis à pedibus Apostolicis excussus, manes serpenti vorandus.

Quintò, Sancti dicere solent, pedes significare affectus. Iam quam est horrendum à pedibus, id est, affectu, Apostolorum excuti. Sanè affectum habent Apostoli etiam ad inimicos. Peior ergo est qui ab eorum affectu excutitur, quàm inimicus. Ita quidem, qui hæretici sunt, aut Euangelio resi-2. Tim. 4. stunt, peiores sunt hostibus. Et ita deuitari, & excuti iubean-& 2. tur. Vt Alexander Ararius Himenæus, & Philetus.

Sextò, Puluis significat peccata. Est enim puluis pedibus hærens, pedum sordes. Iam sacerdotes peccata populi man-Osea 4. ducant, id est, portant, & suis affectibus herere patiūtur. Non vt ea faciant, sed vt defleant. Si igitur hæc peccata excutiunt Apostoli, ea lugere nolentes: puluerem de pedibus excutiūt. Quasi dicant: Peccata vestra vobis maneant: Et que nos eramus portaturi, vos ipsi portate. At peccata, que nō absoluūt Apostoli, retēta manēt. Manebunt igitur vsque ad infernum Ioan. 20. cum factoribus suis.

Matth. 9. Septimò, Sunt Apostoli sal terræ, sal pulueris. Hæc terra salita cibus fit Domino. Sine sale verò insulsus est cibus, edi à Deo non potest. Si igitur excuteris ab Apostolis, excutiris à sale pulueris. Non te Christus edet.

Tolerabilius erit terræ Sodomorum. Duo peccata admiserunt Sodomæi. Alterum nō recipere Angelos hospitio, in plateis

enim mansissent, nisi Lot eos in suum hospitium compu- Genes. 19.
lisset. Alterum fuit multò grauius, voluerunt enim angelos
constuperare, vim etiam hospiti inferentes. Ergo non reci-
pere Apostolos malum erat, eos verò vocare impostores,
& nouorum dæmoniorum annunciatores: id erat velle eos
constuprare: quod magnū malum est. Sed non his contenti,
prædicatores flagellare, & occidere, intolerabile peccatum
est. Igitur Sodomæi lapsi, habent nōnihil excusationis: quod
carnem haberent, quæ eorum mentem, in legem peccati Rom. 6.
captiuaret, quodq; in iniquitatibus concepti essent: & in
peccatis eos sua mater concepisset. Nihilq; mirandū, si eam Psalm. 50.
voluptuosam iniquitatem, in qua concepti essent, postea
augere sint ausi. At quæ excusatio erit ei, qui Euangelium non
recepit? Lustra & perlustra: lege, & perlege Euangeliū. Quid
in eo inuenies nisi cultum Dei & amorem proximi? Benedi-
cere Deo, & benefacere proximo? Quid inuenies, nisi puram
& meram sanctitatem? Quid inuenies, nisi rationi consen-
tanea? Et si quæ dissentanea videtur, ea supra rationem sunt,
non contra rationem. Ergo Euangelium ex se acceptari erat
dignissimum. Adde, prędicabatur hoc, nō ab Apostolis, sed à
Deo ipso. Dicit enim Christus: Non estis vos qui loquimini, Matt. 10.
sed spiritus est qui loquitur in vobis. Non ergo qui audie-
bant, in corde suo hominū vocem, sed Dei efficaciam adesse
sentiebant. His addebatur miraculorum claritas: quæ repu-
gnantem intellectum captiuare solent. Si igitur primo istu
recipere Euangelium non placet: placeat certè ipsum excu-
tere, expendere, & examinare: vt videas si antiquis vaticiniis
respondet. Si aliquid falsum, Deo cōtumeliosum, hominum
rationi contrarium contineat. Alioqui reiecisse rem, quæ
tibi æternam, aut salutem promittit, aut pœnam commina-
tur: non nisi scelus est inexpiabile. Cadat in mentem tuam
vel hic vnicus timor: ne forte vera sint quę hoc Euangelium
continet! Hic enim sciens te inuenire, quàm vera sint.

Ecce ego mitto vos. Haec res est magni momenti. Siquidem
vt talem eam Dominus attendi iubet. Videlicet, quia mit-
tere discipulos: res erat orbi summè necessaria, summè vtilis,
summè honesta, & summè iucunda. Erat enim mittere solem
mundo obtenebrato: salem animi putridi: ignem orbi frigido,
vitam mortuo, medicinā infirmo, thesaurū infinitū, [illegible]
infinitę. Verum tantum [illegible] dicit, Ecce Ego. Autoritas
est mittentis & non nisi mittentis Dei. Quis enim ad totum

orbem mittere poteſt niſi Deus? & ſanè cùm audis: Ego mitto, ego venio, ego loquor. Ego qui loquebar ecce adſum. Deitatem intellige. Cuius eſt, hæc à ſeipſo facere. Quòd ſi diffidis: à te exigo, quis dare vim ad edēda miracula poterat, niſi Deus? eius ergo eſt mittere, qui virtutem miraculorum effectricem, concedere poterat.

Ita habes in Epiſt. 1. Sixti, & 3. Felicis & 1. Soteris.

Sicut oues. Ouium conditio eſt: nullam ſui habere curam, (adeò ſimplex animal eſt) totum à paſtoris cura dependet. Dominus, (inquit, quędam ouis) regit me: & ideo nihil mihi deerit. In loco enim paſcuæ ibi me collocabit: Si quæris, in quibus paſcuis? audi eandē ouem, Sumus oues paſcuæ eius, in ipſo Deo paſcimur. Sicut enim oues in inferno poſitas mors depaſcit: ita oues poſitas in gratia Dei, Deus paſcit, & ipſæ paſcūt Deum. An non rectè de his dicitur: quod paſtor oues ſuas collocat in paſcuis vberrimis? O verè fœlices oues, quæ Deo paſcuntur: Quid ſperas, niſi quòd in Deum conuertantur? ô verè fœlicem menſam: quæ contra omnia ouium mala valet. Paraſti, inquit, in cōſpectu meo menſam: aduerſum omnes, qui tribulant me. Non contra vnum, aut alterum aduerſarium, menſa hæc proficua eſt: ſed contra omnes. Id verò quod contra omnia mala defendit, nihil niſi Deus eſſe poteſt.

Pſalm. 22. *Pſalm. 99.* *Pſal. 48.* *Ezec. 34.* *Pſalm. 22.*

Iam reuera mirabile eſt, quòd hæ oues paſcuæ Dei, æſtimatæ ſint ſicut oues occiſionis, id eſt, ad occiſionem paratę. Et quaſi vnica occiſio non ſatis eſſet, addit Pſaltes: Propter te mortificamur tota die. & Paulus: Quotidie morior per veſtram gloriam fratres. Imò hæc mors ouibus venit, à principio diei: caſtigatio, inquit, mea in matutinis. Quid nocuerunt, cùm ſint oues? imò quibus nō vtiles ſunt? cur ergo armantur omnes ad eorum occiſionem?

Pſalm. 43. *Eodem.* *1. Cor. 15.* *Pſalm. 72.*

Inter lupos. Arbitror ego, ſolam gratiam Dei, & eius charitatem oues facere. Vbi verò charitas non eſt, planè cupiditas eſt, vbi verò cupiditas, ibi lupina voracitas erit. Rectè Ioannes: Quicquid in mundo eſt, eſt concupiſcentia carnis, oculorum, aut ſuperbiæ. Igitur omnes hi, qui non dederunt ſua nomina Chriſto, ſub concupiſcentiæ militant vexillo. Voraces ergo ſunt, edaces ſunt, lupi ſunt. Vbi igitur eſt ſpiritus Chriſti, ibi ſunt oues. Vbi caro eſt, lupi ſunt. Inde iam elucet, cur dixerit Dominus: Mitto vos, vt oues in medio luporum: ſicut enim natiuum eſt odium luporum contra oues; ita natura caro concupiſcit aduerſus

1. Ioan. 2. *Galat. 5.*

ſpiritum. Propterea enim mundus vos odio habet: quia *Ioan.15.*
non eſtis de mundo. Si enim de mundo eſſetis: mundus
quod ſuum eſt diligeret. Quod igitur dictum eſt, Inter *Philip. 2.*
quos lucetis, in medio nationis prauæ, & peruerſæ, verbum vitæ continentes: id Dominus dicit: ***Mitto vos oues inter lupos.***

Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes. Serpens ille qui Adam, & in eo omne genus hominum proſtrauit, non proprio
ſpiritu: ſiquidem ipſe mutum animal eſt, ſed ſpiritu diaboli, *Geneſ. 3.*
genus infecit noſtrum. Vult ergo primum Chriſtus, vt prædicator ſpiritum abijciat ſuum, & Spiritu ſancto imbuatur. Vt quos ſerpens dæmone correptus fefellerat: ipſe Spiritu ſancto afflatus in viam rectam deducat.

Secundò, Iam ſicut ſerpens, nō ex ſe, ſed ex ſpiritu dæmo-
niaco erat callidior cunctis animantibus, ita vult Dominus *Eodem.*
prædicatorem ſuum eſſe ſapientiorem cunctis hominibus. Sane ſpiritus dæmonis fecit ſerpentem: vt non eſſet aſtutia,
quæ ei compararetur: ſuper terram: ita faciat ſpiritus Dei, *Iob 41.*
vt omnis ſapientia mundi, ad eius prædicatorem collata *1. Cor. 3.*
ſtultitia ſit.

Tertiò, Et ſicut ſerpentis verba, non erant principaliter eius: ſed dæmonis, qui loquebatur in eo: ita vult Dominus
talem ſuum eſſe prædicatorem, vt non ipſe potiſſimè in ſe: *Matt. 10.*
ſed Deus ſit, qui loquatur. Et cum Paulo dicat: Præ omni- *1. Cor. 15.*
bus laboraui, non ego, ſed gratia Dei mecum. Et item: An
experimentum quæritis, eius qui in me loquitur, Chriſti? *2. Cor. 13.*
Item hæc dæmonis ſunt ſumma ars, oculos hominum conuertere in lignum ſcientiæ boni, & mali: & eorum voluntatem allicere, ad eius fructum edendum: ita ars & aſtutia tota prædicatoris hæc eſſe debet, oculos hominum conuertere in Chriſti crucem, voluptatem eorum inflectendo: vt de eius fructu, id eſt, Chriſto manducent. Vbi ſe magnus aperit myſteriorum campus.

Sed breuiter: In hoc mundo ſumus velut in inferno: ſicut olim noſtri parentes erant in paradiſo. Olim ſolum lignum ſcientiæ boni & mali, erat noxium. Chriſtus ſolus in ligno
pendens eſt lignum vitale: reliqua ligna inutilia. Quia ſine *Hebr. 11.*
fide nemo placet Deo. Nihil vero quadrantius quàm dicere, Chriſtum eſſe lignū ſcientiæ boni & mali. Sciuit & bonum, ſuper omnes: & malum ſuper omnes. Malum, inquā, pœnæ,
non culpæ: Serpens cōuertit ad eſum ligni vetiti, Prædicator *Iſaiæ 53.*

conuertat ad esum ligni solum ad cœlum concessi. Adde etiam: Omnes suos neruos contendit serpens: vt homines
Gen. 3. primos à fide reuocaret. Dicit enim: Cur comeditis? At illi: Ne moriamur, tunc ille: Nequaquam moriemini. Vides diabolum à fide eos expulisse? omnes igitur neruos intendat Christi prædicator, homines sub fidei obedientia captiuare.
Rom. 5. Hic enim est solus ad vitam ingressus. & vt Paulus ait: in gratiam accessus. Iucundum mihi est, cõtemplari discrimen serpentis, & prædicatoris. Serpens nudauit hominem: & fecit eum suamet verenda, (quæ verè pudenda non erant) erubescere. Contrà, facit prædicator hominẽ suam priorem nuditatem agnoscere, & peccata (quæ non putabat ipse verenda, cùm reuera pudenda essent) vereri.

Demum illud aduerte: Serpens ille æneus in ligno suspensus, serpens videbatur, nõ erat tamen: venenatus videbatur, & vitam aspicientibus præstabat. Tales sint prædicatores,
2. Cor. 6. credantur mali, sint ipsi sancti. Credantur pestilentes, & vitã afferant. Audi Paulũ: Nos, inquit, vt seductores, sed veraces: vt ignoti, & cogniti: quasi morientes, & ecce viuimus: quasi egentes, & multos locupletantes. Ac si diceret: Quasi serpentes, sed vitales. Parum tibi forsan videtur verbum hoc, Vitales. Sed cùm alijs vitam præstare per verbũ Dei cognoueris, agnosces quanti constat vitalem esse.

Simplices vt columbæ. Græcè est: Synceri vt columbæ. Nũc vide columbam, cum vnguibus & rostro. Putabis eam ad nocendum armatam. Verè tamen non sunt illa arma ad no-
2. Cor. 5. cendum. Ita & in prædicatoribus ita est, potestas est. Sed non sunt illa ad destructionem: sed ad ædificationem. Vide
Ezech. 38. etiam continuum columbę gemitum. Ezechias, inquit: Meditabor, vt columba. Attenuati sunt oculi mei, suspicientes
Naum 2. in excelsum, &c. Et alibi dicitur: Ancillæ eius minabantur gementes: vt columbæ. Videlicet quia inermi, gemitus pro armis dati sunt. Quis daret Episcopis nostris: vt attenuatos haberent oculos, (proptereà quòd, suspicerent in cœlum:) & gemitus, & meditationem columbæ haberent? Tertiò,
Genes. 8. recordare columbæ quæ ex arca emissa, non inueniebat inter cadauera: vbi pedem collocaret. ideoque ad arcam reuersa est. Arca quis est nisi Christus? vtinam omnes prædicatores ex hac arca mitterentur, locumque in rebus mortalibus non inuenirent: vt sic non quam nisi ad arcam redirent. Quarto, memini me legisse, columbam delectari in suo

volatu

volatu: Si igitur fugiens accipitrem continuò volet, euadit ex vnguibus eius: sed si suo delectata volatu in aëre suspensa remaneat, eius præda fit. Vtinam prædicator continuo volet ad æternæ vocationis brauium: si verò in vanæ gloriæ aura suum volatū intersistat, præda dæmonum fit. Quintò, horum omnium summa est: Spiritus sanctus descendit in columbæ specie. Is ergo reuera syncerus est vt columba, qui Spiritum sanctum habet. Idem enim spiritus serpentem facit, & columbam. Siquidem dicitur: Spiritus Sapientiæ est multiplex, & vnicus omnem habens virtutem, &c. Et infra: Cum sit vna, omnia potest, & in se permanēs, omnia innouat. Si omnia potest, igitur cum serpēte iunget columbam. *Philip. 3.* *Sapien. 7.*

Cauete autem ab hominibus. Si dixisset: Cauete à dæmonibus, a peccatis, à malis hominibus, nihil mirarer: nunc verò cum dicat: *Cauete ab hominibus*, quis non miretur? Re vera rectissimè dictum est. Audi quantæ æstimationis homo sit in sacris Literis. Constitue Domine legislatorem super eos: vt sciant gentes, quia homines sunt, id est, vt sciant quam miseri sunt. Paulus inquit: Cùm sint inter vos contentiones: numquid non homines estis? id est, an non vilissimi estis? Et item non enim ab hominibus didici, neque per hominem. Quid Paule mali habet, ab homine didicisse? Certè quia est omnis homo mendax. Et rursum: quia omnis homo vanitati similis factus est. Imò est vniuersa vanitas omnis homo viuens. Cur erigis cristas: tu, qui non es vna aut altera, sed vniuersa vanitas? At profectò Apostolis & sanctis non videntur homines vanitas duntaxat: sed truculentissimæ feræ. Ait Dauid: Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. Ac si dicat: Non timebo vngues leonum, venena serpentum. Surge ergo Domine, non confortetur homo. *Psalm. 90.* *1. Cor. 3.* *Galat. 1.* *Psal. 115.* *Psal. 143.* *Psal. 38.* *Psal. 117.* *Psalm. 9.*

Vis videre qualis sit homo, qui nihil est aliud quā homo. Lege Paulum ad Romanos cap. 1. 2. 3. Ibi graphicè tuus homo inuenitur depictus. O verè miserandam ruinam. Erat homo ad imaginem Dei factus, nunc vero iubet Dominus cauere ab hominibus: quia prauum est cor hominis præ omnibus. Meritò ergo dictum est: Ipse non se credebat eis, quia ipsè sciebat quid esset in homine: iubet ergo, caueri eum, cui ipse non se credebat. Dignè nō se credit is qui solus bonus est, ijs qui plane mali à Deo dicuntur. Dicit enim: Si vos cum sitis mali, &c. *Genes. 2.* *Ieremi. 17.* *Ioan. 12.* *Matth. 1.* *Luc. 3.*

Si verò causam quæris cur cauere ab hominibus iubeat, sequitur: *Tradent enim vos in concilijs suis, & ante reges & præsides*, in foro scilicet Ecclesiastico, & ciuili. Vt ibi fides examinetur & in testimonium illis sit. Vestra enim firmitas & constantia, (quæ capitis obijcitur periculo) testimonio est, nō esse eam vanā fidem, quam ita defenditis. Tum miracula illa, quæ à vobis in eo periculo perficientur, testificabuntur

Genes. 4. eiusdem fidei veritatem. Demum sicut sanguis Abel clamat,

Sapient. 5. in testimonium, quòd à Cain iniustè effusus est: ita sanguis Apostolorum, cicatrices, & verbera clamant contra eos qui

Apoc. 19. eos angustiauerunt. Dicunt enim Sancti: Vindica Domine sanguinem seruorum tuorum qui effusus est, &c.

Cùm autē tradent vos, nolite cogitare quid loquamini, Spiritus sanctus loquetur in vobis. Vere digna tribulatio, quæ nos organum facit Spiritus sancti. Quale verò pectus illud erit, ex quo verba manant Spiritus sancti? Vide hic Dei prouidentiam: erat necesse, primos illos fidei testes afflari Spiritu sancto: vt non solùm verba proferrent efficacia, sed mortem etiam intrepidè expectarent. Alioqui quale erat, constanti verbo testificari, & trepido facto testimonium infirmare? Secundò erat ita necesse: vt præsides illi, & sapientes mirarentur hominum illorum, & dicta, & facta: & suspicarentur vera esse quæ narrabant. Vnde alicubi dicunt: vnde istis ista sapientia? Mirari iam conuenit, cur loquente Spiritu sancto,

Actor. 4. cor hominis non emolliatur? Expendere etiam libet, quàm sit Deus adiutor in necessitatibus, in tribulatione! Enimue-

Psalm. 45. rò, adest spiritus Patris filijs suis, in negotio Patris certantibus. Quomodo enim Pater suos deserat filios? Expende etiam, quam parum tribuat Spiritus nostris & verbis, & viribus! Si enim nimis illis fideret, non eorum loco sua substitueret. Vt verum sit, Perditio tua Israël, ex te: tantùm auxilium tuum, ex me.

At pulsat animum admiratio: Sanctissime Spiritus, cur

Osee 13. bellum cum hominibus suscepisti? an non tu omnia potes? quid necesse est, te in Apostolis loqui: & in eis hominum stultitias, & deliria tecum pugnantia sustinere? Si vis fidem propagari, iube & factum erit. Sed equidem humanas res, humane vult Deus tractari. Homines vult hominum verbo conuerti. Itaque disponit omnia suauiter, & ea ratione quā

Sapien. 8. homines illa disposuissent.

Eritis odio omnibus hominibus. Cur ita? quia prudētia carnis

est Deo

est Deo inimica: lege enim Dei non est subiecta, neque enim potest. Ergo vt à seculo, & à mundo primæuo, confregit iugum Domini, ita & nunc confringere parat. Rom. 8.

Quàm verò intolerabile est, odio omnibus esse? nihil est vitæ hominum, adeò naturale, necessariũ iucundum, & vtile quàm hominum amicitia. Quis ergo ferat ea carere? Vide quantis se obijciat periculis, qui legatione vult fungi pro Christo. Fronte ænea opus est, & facie ferrea, vt in omnibus sit institutus, & abundare, & penuriam pati. Sed magis penuriam pati. Ierem. 2. 2. Cor. 5. Ierem. 1. Philip. 4.

Et profectò, non nisi summum miraculum esse potuit, quòd prædicatores ij euaderent victores, contra quos totus mundus arma suscepit. Quodque totius mundi sibi præriperent amorem: quos totus mundus tanto odio habuit.

Qui perseuerauerit saluus erit. Et meritò quidem. Neque tota natura potest, totius odium ferre naturæ. Non est humanarum virium, tota die mortificari, æstimarique vt oues occisionis. Igitur qui perseuerat, supra totam naturam operatur: quare merebitur supra naturam collocari. Psal. 43.

Porrò verbum Græcũ est: Qui expectauerit, & sustinuerit, saluus erit. Planè expectat agricola granum frumenti in terram coniectum, corrumpi. Expectat paterfamiliâs ligni immensam molem, oliuis suis imponi: vt inde oleum suscipiat. Expectat igitur Prædicator lignum crucis, suæ carni imponi: si oleum gratiæ vult in vasa fidelium recondi. Si ita sustinuerit, saluus erit.

At dices: An non sat fuisset, semel pro fide verberari, flagellari, lapidari, & omnium odium sustinere? cur Dominus tam vult esse pertinax: vt perseuerandum nobis fragilibus sit, vsque in finem? Equidem non est iniustus Deus: vt obliuiscatur operis & dilectionis: quam ostendistis, inquit, in nomine ipsius. Interim tamen neminem Deus vult desidia cõfici, languêre, aut torpêre. Fieri siquidẽ potest semel illuminatos: qui gustauerunt donũ cœleste, & participes factos Spiritus sancti, qui gustauerunt bonum Dei verbum, & virtutes seculi venturi: his omnibus gustatis, prolabi, & velut ex altissimo cœlo, in profundissimam abyssum proruere. Hebr. 6. Hebr. 6.

Non consummabitis ciuitates Israëlis. Non id videtur intelligi ante Christi mortem. Siquidem ante eam non leguntur Apostoli passi persecutionem: nec fugisse de ciuitate in ciuitatem: nec odium sustinuisse aliquorum, erat siquidem cum

ci•

Lucæ 5. eis sponsus. Sermo ergo, videbitur de omnibus prædicatoribus, qui non consummabunt omnes ciuitates Israelis: non secundum carnem, sed secundùm spiritum, donec ad iudicium Christus veniat. Nec repugno quin etiam de ciuitatibus Israëlis, (id est, vbi habitat Israel secundùm carnem) intelligatur. Scio enim Israëlitas dispersos in omni
Actor. 2. natione, quæ sub cœlo est. Igitur prædicatores non finient prædicando omnes orbis ciuitates: quin veniat Filius hominis. Cùm ergo temporibus his, nostri Hispani tanto feruore, orbem nouum perlustrauerint: vt non multæ supersint ciuitates, ad quas Euangelium non penetrarit, suspitio est, breui venturum Iudicem Christum. Videtur tamen Euangelium pronunciare, aliquam futuram esse ciuitatem: quæ Euangelij lumine non sit illustranda. Dicit enim: Non consummabitis omnes ciuitates. Igitur ante consummationem veniet Iudex.

Non est discipulus, &c. Totus hic locus nihil aliud contendit: quàm argumentis multis, animos discipulis addere: quò robustissimi omnem laborem, & mortem etiam, contemnant. Vtinam verò nihil deuisset argumentorum efficaciam penetrasse. Primum ergo argumentum est.

Non est discipulus supra magistrum. Vbi nota: commune magisterium verbis perfici. At Christus non solum verbis docuit, id enim lex vetus præstabat: sed quo i verbo doce-
Matth. 7. bat, animo inspirabat. Ideo enim docebat: sicut potestatem habens. Iam igitur, Magister noster animũ habuit, crucis &
Lucæ 12. laboris appetentissimũ. Dicebat enim: Baptismo sanguinis habeo baptizari: quomodo coarctor, donec perficiatur? Hunc animum discipulis suis afflat, licet non in tanta subli-
Galat. 6. mitate. Respice afflatum discipulũ, cùm dicebat: Mihi absit
2. Cor. 11 gloriari, nisi in cruce. Et rursum: Libenter gloriabor in infirmitatibus meis. Ergo vt discipuli Christi, in hoc dignos-
Ioan. 13. cuntur: si affectum habeant, quo proximos ament: ita & in hoc dignoscuntur, si affectum habent, quo pati cupiunt: aut certe patienter mala patiantur. Quod si nec crucem tibi imponis, nec impositam toleras: maior discipulis vis esse tuo magistro. Imo non es huius magistri discipulus.

1. Petri. 2. Iam expende, Magister tuus nullo est malo dignus. Siquidem peccatum non fecit, neque est qui eum arguat de
Ioan. 8. peccato. At omni malo indignus, omne malum passus est. Ipso dicente: In me transierunt iræ tuæ, & terrores tui conturba-

turbauerunt me. &c: Omnes fluctus tuos induxisti super me. *Psalm. 87.*
Contrà, nos discipuli, omni malo digni, nullum malum *Eodem.*
pati volumus. ò discipulos à suo magistro bis per omnia
diuersos?

Iterum expende: Christus magister, non cupit auditores *Rom. 2.*
verbi: sed factores. Si igitur ego verbum audio, nec facio: me
eius discipulum non esse profiteor. Imò verò, quòd peius
est, si quod doctus sum non facio: commonstro aut falsum
esse quod doceor, aut certè indignū quòd sequar. ò iniuriam
summam, summi Magistri, qui magisterij sui gradum à summo Patre tunc accepit, cùm audiuit: Hic est filius meus, in *Matt. 17.*
ipso complacui: Ipsum audite.

Non est seruus maior domino suo. Hoc est secundum argumentum. Vbi primum aduerte: naturam serui eam esse, vt
laboret, vt patiatur, vt seruiat. Contra Domini natura est,
quiescere, sedere, & ministrari. En tibi Christus, Dominus.
Est enim primogenitus, & hæres vniuersorum. Hic fuit in *Hebr. 1.*
laboribus à iuuentute sua. Fuit enim tentatus per omnia: vt *Psalm. 87.*
potens esset, tentatis cuiusque sortis auxiliari. Quid ergo? *Hebr. 4.*
Dominus natus recumbere, & ministrari, nunquam non laborat: seruus verò natus ad ministrandum, nunquam vult
de labore gustare? Secundò: Si homo natus est ad laborem, *Iob 5.*
vt auis ad volatum, cur laborem refugit, ad quem natus est?
certè lubenter natāt pisces, aues volant: quia in id natæ sunt.
Solus homo in laborem natus: laborem recusat. Tertiò, *Luca 24.*
Dominus non intrat in gloriam suam, nisi passus, & seruus
vult gloriam otiosus. Quartò, Dominus iam admouit aratro manum: an non impudentissimi serui est, ad mensam
accumbere, suo Domino terram sulcis aperiente?

Si patremfamiliâs dixerunt Beelzebub. Vide quàm eruditè
Dominus ascendit: minor est necessitudo discipuli ad magistrum: maior est serui ad Dominū suum: multo verò maior
domesticorum ad Patremfamiliâs. Si ergo quia discipuli,
nos laborare oportet: multo magis quia serui: multo verò
maximè quia domestici.

Secundò, Cùm sub nomine domesticorum, siue familiarium numerentur, serui, filij, & vxor: diuinè Dominus suos
vocauit domesticos, vt intelligant, se vno nomine: huius
Dei esse seruos, filios, & sponsas.

Tertiò, Nulla maior iniuria contra Christum dici potuit: quàm dicere, Dæmonium habes: dæmonium verò non *Ioan. 8.*
quod-

quodcunque, sed dæmoniorum principem. Quasi dicerent: Omnis mali, omnisq; peccati princeps es. Quare & infinitè distas à Deo, qui omnis boni rex est.

Quartò, intellige domesticos Christi non solùm esse vnum cum Christo, vulgari quadam vnione: sicut sunt reliqui domestici hominum. Sed sunt vnum cum Christo, vt
Rom. 12. filij cum Patre, vt vxor cum viro, vt membra cum corpore, vt corpus cum capite, vt corpus cum anima. Imò & maior
Ephes. 1. adhuc vnio est: hæc enim omnia separari possunt, eorumque
Ioan. 18. vinculum dissoluitur tandem. At, inquit Dominus: Oro Pater, vt vnum sint, sicut & nos vnum sumus. Vt, scilicet, sicut discedere mutuo non possumus: ita nec ipsi à nobis discedant. Ex hac explicatione, habes efficaciam tertij argumenti, quæ talis est: Si nos adeò vnū sumus, qui fieri potest, vt ego patiar vobis non patientibus: & vobis illæsis, totas ego iniurias solus feram.

Quintò igitur nota. Si Paterfamiliâs omnia potēs, hostes suos vicit, ferendo: si ipse omnia sapiens ita sapuit, vt victus vinceret: si ipse omni modo bonus, eo bonus visus est: quia passus fuit: fit vt nos nullam aliam potentiam, sapientiam, aut bonitatem habere debeamus, nisi si a laboribus victi, labores vincamus.

Demum sextò nota: Cùm Episcopus vicem gerat Christi: quàm erit absurdum, si minus sanctus sit, quàm discipuli sui? monstrum est, quod discipulus sit maior magistro, ouis pastore, melior seruus domino, melior demum domesticus suo patrefamiliâs. ò mores nostros! At verò licet ouis suo se pastore maiorem agnoscat: nolit tamen eo maior apparere, culpa illius fuit, cùm minor esset, maiorē fieri voluisse: culpa etiam ouis fuerit, si cùm ex officio minor sit, maior videri velit. Hinc enim nostrorum temporum hæreses ortæ sunt.
Matth. 23. Cùm tamen dixerit Dominus: super cathedram Moysi sederunt principes: quæ dixerint vobis facite, secundùm verò opera eorum nolite facere.

Nihil occultum quod non reueletur. Hoc (iuxta Marcū) hunc habet contextum: Nunquid venit lucerna, vt sub modio ponatur: & non super candelabrum? nihil occultum quod non reueletur. Quæ verba hunc habent sensum: Ego vos accendi, qui sum lux: feci, vt essetis luminaria. Luminare verò duplex periculum habet, & à se: siquidem illuminando consumitur, & ab alijs. Tum à ventis ipsum exagitantibus,

tum à malis hominibus: qui lucem extinguere cupiunt, ne sua mala publicentur. Tum etiam à luminaris domino: qui lucernam purgat, vt magis luceat. Imò periculum habet ab infirmis oculis: si vehementior lux sit: quàm debiles oculi vix ferre queunt.

Si igitur à me facti estis Soles, & vera mundi lumina, veráque luminaria, verbum vitæ continentia: eis, quòd à me secretò audistis, publicè prædicate. *Matth. 9.* *Philip. 2.*

Si quæras, quæ sunt illa secreta? Audeo dicere, ex Leone papa in primo de Ascensione Domini sermone: In illis quadraginta diebus, quibus Dominus, post Resurrectionē cum Apostolis conuersatus est multa ab eo illis fuisse reuelata mysteria. Credo enim Trinitatis mysteria, incarnationis, gratiæ, Sacramētorum, & Angelorum in hisce diebus, Apostolis fuisse reserata. Dicitur enim in principio Actuum Apostolicorum: Per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei. Quo verbo omnia Regni Dei mysteria, illis fuisse monstrata non obscurè conuincitur. Hæc igitur velut in aure, & tenebris audita: Dominus publicè prædicare mandauit. Scio nondum eo tempore hæc fuisse illis audita, sed Hebræi facilè præsens accipiunt pro futuro. *Actor. 1.*

Quid verò significet: Prædicate super tecta? non est explicatu facilè. Primum significat Euangelicam prædicationem esse super tecta, id est, super omnia humana, quæ tectis tegi solent. Secundò, significat Euangelicum præconem super omnia humana iam esse prouectum. Alióqui non quadrabit prædicanti prædicatio. Tertiò, significat iam veritatē Euangelij esse apertā & claram, velut est super tecta res exposita. Nec enim Cherubini (qui scientiam significant,) in nostra lege, latent sub velo templi: sicut in antiqua lege latebant, sed sunt in aperto, & super tectis. Quartò, prædicatio super tecta, videtur Angelos inuitare: vt audiant, vt innotescat Principatibus & potestatibus, in cœlestibus, per Ecclesiam multiformis sapientia Dei. Quintò, videtur prędicatio super tecta velle corā Deo teste fieri. Quod non tacuit Apostolus, cum dixit: Non sumus sicut plurimi adulterantes verbū Dei: sed ex synceritate: sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur. Sextò, notat concursum & frequentiam tantam auditorum vt eis nisi super tecta: non liceret prædicare. *Exod. 26.* *Ephes. 3.* *2. Cor. 2.*

Sed quam est elegans quod in aure audis, prædicate super tecta. Quasi diceret: Si vultis auditorum magnam copiam id

quod in secreto orationis auditis, prædicate. Id enim auditores allicit & perficit, quod in orationis silētio prædicator à Deo recipit.

Iam verò sicut Christus aperuit aurem: & ea quæ audiuit
Isaiæ 50. prædicauit, retrorsum non abiēs, nec genas suas à vellētibus auertens: ita & prædicator, qui aure susurria Dei percipit,
Iob 4. retrorsum non abeat: sed exhibeat se, vellentibus, & percutientibus. Enimuerò, qui super tectum prædicat facilis est ad ruinam, & ad mortē. Ergo morti se prædicator exponat propter Euangelium: id enim designat prędicare super tecta.

Nolite timere eos, qui occidunt corpus. Hoc est, argumentum quintum. Cuius valor est. Prædicate, aliôqui incidetis in gehennam. Multa sunt hic expendenda. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus*. Imò verò quia occidūt: ideo non sunt timēdi. Si enim in tormentis detinere possent, non occidendo, timendi essent: at quanto magis torquent, breuius è tormētis absoluunt. Nolite timere, quia causa vobis sunt: vt offeratis Deo, id quod maximum habetis. Grādis Abraham qui offe-
Rom. 4. rebat filium, quantus est qui offert seipsum? Nolite timere, quia sponsam sponso iungunt, Regem regnum possidere faciunt: Sitientem applicant ad fontes aquarum, miserum à miserijs eripiunt, lachrymas ab oculis siccant. Nolite timere occidentem vnico ictu semel. Siquidem quiuis se debet oc-
Psalm. 43. cidere, & mortificare semper.

Animam nequeunt occidere. neque Deus ipse animam occidere potest, potest equidem occisam conijcere in gehēnam, occidere non item. Miseri nos sumus, manum habemus, adeo crudelem: vt animā occidamus. Si quis ergo timendus est, tu tibi timendus es. Tu tibi es truculentissimus hostis. Si consistant aduersum te dæmonum castra, hominum copiæ, Angelorū exercitus, nihil tibi nocebūt: nisi tu tibi nocueris.

Eum timete. Deus vltor timendus est, non est igitur malum timere, vt hæretici mentiuntur. Illud verò vocabulum,
Hier. 15. *animam potest perdere*, Græcis est repudiare, vt vir adulteram reijcit vxorem. O miseram Vasti reginam! quæ è regio solio deiecta in tantum decidit dedecus. O multo miseriorem animam, Deo desponsatam: quæ ex deitate, tam profundè decidit in gehennam.

Nota illud, *potest animam perdere*. potest ille quidem: non vellet tamen, nos eum facere cogimus. Nota etiam: *potest*
Psalm. 118. *perdere*, non quęsiturus vnquā. In hac vita quæ errauerit ouis

quæritur:

quæritur: in illa vbi perditur, nunquam quæritur.

Nónne duo passeres asse veneunt, & vnus non cadit, &c. Huius sexti argumenti vis est. Si viles passeres curę Deo sunt: adeò, vt sine voluntate Dei, vnus non cadat: quanto maiori curæ estis vos, quorum & capilli numerati sunt? Igitur nemo vestrum cadet sine Dei voluntate.

Sine dubio passeres hi referendi sunt ad sacrificiũ leprosi, de quo Leuit. 14. & sensus est, ex duobus passerculis qui Deo offerebantur, is qui immolabatur, non cadebat sine Dei voluntate. Voluit enim Deus passerũ genus hoc beneficio afficere, & honore coronare: vt ex eis aliquis Deo sacrificaretur. Igitur si vos Deo sacri estis, planè & capilli sacri etiam erunt. nullus ergo capillorum cadet in terram nisi Deo volente, vt inde sibi sacrificium fiat, qui est vester maximus honor: Si scilicet alicui vestrum propter Christum, capilli aut de capite, aut de barba auellantur.

Secundò, falluntur sine dubio, qui dicunt, legem non fuisse de bobus, & de passeribus ad literam: reuera lata fuit lex, quæ ad literam, bobus triturantibus prouidebat, & quæ ad literam, de passere sacrificando prȩciperet. Verùm præcipuè prouidit bobus in significationē Apostolorũ, nec enim illos curasset, nisi horum gratia: ita nec de passeribus fuisset cura, nisi in significationem, quod corpus Christi, & martyrum suorum, Deo sacrificabatur: ex eius volũtate, (quia pretiosa in conspectu Domini, mors sanctorum eius,) sacrificato corpore, velut vno passere: alter, id est, anima libera volabat in cœlũ. Non ergo erat prȩcipua cura Deo, de corporalibus, sed de spiritualibus bobus & passeribus. *Psalm. 115.* 1. Cor. 9.

Tertiò, reuera omnes nostri capilli numerati Deo sunt: Sicut etiam numerat multitudinē stellarum. Et sicut re vera arenarum numerus ei notus est. Ego numeratio capillorum ostendit eam maternam curam, quàm suorum pignorum amantes matres illis ostendunt: cùm eorum capita pexunt, discriminant, & velut pilos dinumerãt. Solemus etiam, quæ pretij maximi sunt, habere numerata: vilia verò non item: Iam si capilli significant cogitationes, omnes Deo numeratæ sunt: reddenda enim nobis est de eis, & de verbis ratio. Quòd si speciatim capilli, bonas significãt cogitationes: non mirabor, si eas habet Deus numeratas: raræ enim illæ sunt. *Psal. 146.* *Matt. 12.*

Quartò memento, Nazareorum crines fuisse numeratos: certè Samsoni septem crines erant, in quibus erat fortitudo *Iudic. 16.*

 eius.

eius. Sed periculum eis erat à Dalila, à Philisthæis, & à quer-
2. Reg. 18. cu vbi Absalonis capilli intricati sunt. Est ergo periculum
1. Ioan. 2. cogitationibus sanctis à concupiscentia carnis, oculorum, & superbia vitæ.

Omnis qui confitebitur me. Argumentum vltimum, à premio & pœna. Vbi primum nota: *Confitebor ego.* Non nisi magnum est, quod Christus magnus: nec tamē adulator, coram Patre magno laudaturus est. Animemur ergo egregia opera facere, quæ à Christo sint digna laudari.

Sed Domine nos cōfitemur te regem, principē, & Deum, num & tu fateberis nos, reges & Deos? Ita planè fatebitur, & faciet nos reges. An non dicit, quòd seruum suum super
Lucæ 12. omnia constituet? Atqui super omnia constitutus quid nisi
Ephes. 2. rex, & quidam Deus est? An non Paulus dicit, quòd consedebimus ad dexteram Dei in cœlestibus in Christo: Qui ita sedent, an non reges sunt?

Psal. 148. *Negabo ego eum.* Dicere Dei, facere est: ipse enim dixit &
Genes. 1. facta sunt: negare ergo Dei, est in nihilū redigere, sicut dicere est dare esse rei quæ esse non habet: ita negare est tollere esse ab eo qui esse suscepit. Dices num damnati redigentur in nihilum? Minimè. Id fœlicitatis loco illis esset, melius
Matt. 26. enim erat si natus non fuisset homo ille. Sed vide negare est duplex, aliud negare simpliciter: aliud negare coram Patre. Si Christus damnatos negaret simpliciter, in nihilum redigerentur. Porrò negare coram Patre, & Angelis: est negare in illis bonis æternis, quæ Pater & Angeli possident. Cùm ergo negat Christus coram Patre, negat eis omnia bona spiritualia Patris, vt nullum vnquā illorum bonorū ad eos perueniat, sed ad omnia illa bona & gaudia nihil sint omnino.

Vt ergo confiteri coram Patre, est euchere in dignitatem, quàm comprehendere solus Pater potest, ita negare coram Patre est deijcere, in eam miseriam: quàm comprehendere solus Deus potest.

Nolite arbitrari quòd pacem, &c. Primū quòd se dicendum offert, in illis verbis Domini: *Non veni mittere pacem, sed gladium*: & (iuxta Lucam,) separationem, hoc est: Cùm gladius sit duplex: spiritualis, & tēporalis, & Dominus non se, ad gladium adstrinxit spiritualē: necessariò fit, vt de vtroque gladio verificetur: scilicet, quòd Christus gladium & spiritualem verbi, & corporalē ferri, in orbem miserit. Ego igitur planè credo, posse Ecclesiam, ex hac Christi autoritate corporali

corporali gladio facere separationem fidelium, ab infidelibus, video prius debere prædicari Verbum Dei, quo admoneantur ignorantes, & recipiantur pœnitentes: sed verbo prædicato, potest Ecclesia gladium ferreum eximere contra prædicationem impedientes, vt plenè verum sit quòd venerit mittere gladium in terram.

Hic ego non disputo an gladium hunc materialem habeat Papa. Scio enim id negari 23. quæst. 8. in principio, vbi affertur locus, quo iubetur Petrus gladium suum, mittere in vaginam, & negatur clarius, 23. quæst. 2. can. Sanctitas vestra. Vbi dicitur: Sancta Dei Ecclesia gladium non habet, nisi spiritualem. & ibi, Can. interfectores. §. in hoc. idem videtur negari. At in Can. vnam sanctam. de maioritate. Bonifacius toto nisu cōtrarium docere videtur. Pro qua patre, scio Canonistas stare gladium materialem Papæ, vendicantes: licet nō eius vsum. Verùm quòd attinet huic negotio nostro, ex Euangelio infertur: Christum gladium corporalem dedisse suæ Ecclesiæ: quo vel per se vel potestatis ciuilis ministerio, coërceat Euangelio repugnantes: & fideles separet ab infidelibus.

Secundò, offert se illud: Si Episcopi, & Ecclesiarum rectores gladium spiritus non mittunt in Ecclesias suas, væh illis est. Christus enim non venit mittere pacem, quare nec eius vicarij pacem, mittere debent. Exerant igitur gladium suæ potestatis contra nocentes, cùm quibus si seruant pacem, væh pastoribus. *Ezec. 34.*

Tertiò, similiter Prædicator, si non turbat populum, si non turbat domos, si denique non turbat homines, vana est prędicatio eius: non enim mittit gladium, & separationem. Signum enim Euangelici gladij est: si diuidit, & separat animam à spiritu, hominem à domesticis suis. *Hebr. 4.*

Quartò, scito totius Euangelij hanc esse summam: Non pax: sed gladius, vt sit posteà pax. Eras prius malus homo: salus tua est, si efficiaris noua creatura, mundo superior, Deo adhærens: & ita à toto seculo diuisus. Ecce, non pax cum seculo: is enim est tibi hostis, gladium habeto, contra eum exertū, hac ratione venit tibi pax spiritualis: caro repugnat spiritui, sequere spiritum separa te à carne. *Galat. 5.*

Veni enim separare hominem aduersum patrem suum. Res omni animaduersatione digna. Cur dicit: Veni separare filium, filiam, nurum: non verò dicit, Veni separare patrem,

matrem, socrum? Ego ita arbitror, facilius recipere Euangelium iuniores: quàm ætate prouectos. Iuuenes enim minus commaculati sunt, minusque seculo assueuerunt: senes verò duri effecti & velut callo obducti, minus aperiunt cordis sui valuas, (quæ antiqua ferrugine, vix dimouentur,) vt Deus in eos ingrediatur. Quare non immeritò dicitur: Iuuenes, &
Psal. 148. vigines, senes cum iunioribus laudent nomen Domini: vbi bis iuuenes, sed semel senes nomen Domini laudant?

Secundò, video efficaciam Euangelij: Non enim mirabile erat, si pater cōtra filium insurgeret: maior videlicet contra minorem. At quòd filius, & maximè filia, contra matrem insurgant ab eisque separentur, id non nisi summæ efficaciæ est: & quòd nurus separetur à socru: ac perinde separetur ab eius filio, sponsoque suo, an non id efficaciæ maximæ est?

Tertiò, intelligis in negotio Euangelico, filium & filiam à parentibus non pēdere. Videlicet, quod Theologi mutare statum dicunt,) poterit filius repugnāte patre eum derelinquere: vt Euangelicæ perfectioni mancipare se possit, maximè vbi annum decimumquartum vir pertigerit, fœmina verò duodecimum.

Quartò, iucundū est videre cur dicat Dominus: Qui amat patrem, aut matrem, plus me, non est me dignus. & Lucas id exponens dicit: Qui non odit patrem, & matrem: Cur tu Domine qui charitas es, odium præcipis? Certe quia sicut Deus simul est amor, & odium amor rerum bonarum, idem odium malarum: ita vult quemque nostrum, simul habere amorem eorum, quæ in proximis, aut in nobis bona sunt: odium verò eorum quæ in proximis aut in nobis mala fuerint. Vult ergo esse in nobis oculos quosdā: qui videant non vasa: sed quod est in vasis. Si in vasis (quantumuis inimicis nostris,) est pietas, eam amemus. Contra si in vasis (quantumuis amicis & cognatis) sit malitia, eam detestemur. Si igitur in parente, aut in te, malitia est, eam odi.

Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Primum aduerte. Si imponitur tibi crux, feras, si non imponitur, accipias: si enim non fers crucem, non es Christo dignus. Iam res grauissima offertur discutienda, quid sit ferre crucem? Christe Domine, cur facere præcepisti, quod tu ipse non præstitisti? Nam tu quotidie tulisti crucem?
Matt. 27. Equidem eam semel accepisti, & ferre nequiuisti. Nam Cirenæus ille tuam tulit crucem. Grauis ea questio est, in primis,

Ad

Ad quam facilè forsan responderi posset, præceptum esse, quotidie ferre crucem, id est, quotidie animo esse paratum cruci affigi: si ita Christi gloria exigeret, Siquidem multa præcepta Christiana,ad hanc solā obligāt animi pręparationem. Vt est præceptū de pascēdo,& fouēdo inimico & alia. Rom. 12.

Porrò secunda respōsio sit:Hic accipitur Crux pro Crucis mortificatione. Hæc explicatio est Apostoli dicentis:Sēper mortificationem IESV Christi,in corpore nostro circunferentes: vt vita IESV manifestetur in corporibus nostris. 2.Cor. 4. quasi dicat:Quotidie crucē accipientes,in qua cum Christo morimur,sperantes cum ipso resurgere. Ergo is fert crucem quotidie: qui se quotidie mortificat, suas affectiones & voluntates negat, se ab hac vita terrena seiungit, &c.

Tertia responsio est: Qui propter crimen ducuntur ad suspendium, (si sapiunt,) nihil aliud curant: quàm animam suam. vtpotè qui breui exactam Deo dabunt vitæ rationem, diuitias,honores, delitias, nec cogitant quidem. Vult ergo Christus nos horum, qui ad crucem feruntur statum imitari, vt toti de animæ nostræ remedio soliciti,nihil terrena curemus. Vt qui citò & exactè rationem vitæ nostræ simus daturi.

Quarta responsio:Christus,velut facinorosus, (cùm non talis esset) cruci propter peccata aliena suffixus est:vult ergo, vt quiuis nostrum crucem suam accipiat, cui se propter sua peccata configat. Nemo est qui non quotidie peccet: nemo ergo sit qui non se quotidie puniat. Dum verò se punit, Christi se cruci configit.

Sed quid moror, quinta responsio sit, teipsum auocare à seculo, teipsum à seculo separare, id est, crucem accipere,in Galat. 6. qua mundus tibi crucifixus sit, & tu ipse mundo. Certè si Christi membrum es,crux Christi crux tua est. Accipe ergo crucem Christi. cogita te cum Christo esse cruci suffixum pudebit te totius mūdi,credes nihil te habere cum mundo. Habes hanc explicationem ex Paulo dicente:IESVS,vt sanctificaret populum per suum sanguinem,extrà portā passus Hebr. 13. est:exeamus igitur nos cum eo,extra castra,id est,extra ciuitatem,eius impropeiiū portantes.quasi dicat:exeamus nos cum eo,crucem cum eo portantes:in qua crucifigamur,&c.

Secundò aduerte: *Qui non fert crucem & crucifigitur, non est me dignus*. Qui fert Crucem & mecum crucifigitur, erit me dignus. Facessat ergo Lutherus,qui non censet nos Christo

dignos. quiq; nostra opera non digna esse iudicabat. Dignus
Rom. 8. sane Christo, & eius gloria est, cui cum eo patitur: vt conglorificetur.

Sed tertiò aduerte, fieri posse vt quis accipiat crucem, nec tamen dignus sit Christo. Quis ille quæris? Certe qui acci-
Ioan. 2. pit Crucem, sed non sequitur Christum, non ambulant sicut ille ambulauit. ignem non habens in corde, quo suum sacri-
Genes. 22. ficium cremetur. sine igne siquidem nō fit sacrificium. Nam
1. Cor. 13. neque Abraham filium sine igne sacrificat. Audi Paulum: Si tradidero corpus meū, ita vt ardeam (en tibi Crux accepta) & charitatem nō habeam (en tibi ignis defectus) nihil sum: quia non sequutus sum Christum, in cuius pectore, tantus ignis ardebat amoris.

Genes. 18. At qui Domine quis ego sum, qui te sequi possim? Cinis
Genes. 8. ego & puluis, ad malum pronus ab adolescentia. imò &
Lucæ 11. verè malus, sicut tu ipse dixisti. Prauum habens cor præ
Isaiæ 55. omnibus. quomodo sequar te cuius viæ, exaltantur à viis nostris, sicut cœlum à terra? Et vis me sequi te ad crucem, & non nisi cum amoris flamma? Planè non inuitamur ad hæc
Exod. 13. ex viribus nostris. Ipse qui præcepit, præcedit, & iubens, & fauens, & fouens.

Hæc tua Domine lex est: qui crucem non vult perdit animam, quam seruare volebat. At hominū mores nihil aliud curant, quàm animam seruare: crucem repellere, tot sunt apotecæ vini generosi, tot delicata conuiuia, tot vestes pretiosæ, tot delitiarum inuenta: num hæc crucem sapiunt?
Lucæ 6. Væh vobis qui nūc ridetis, quia flebitis. Væh diuitibus, quia
Eodem. habetis consolationem vestram. Væh his, qui ducunt in bo-
Iob 21. nis dies suos. Væh his, qui in labore hominū non sunt. Væh
Psal. 134. his, qui non est ruina maceriæ: neque transitus, aut clamor
Sap. 5. in plateis eorum. Væh his, qui nunc rosis coronātur: & non est pratum quod luxuria eorum non pertranseat. Sanè inuenerunt animam suam nunc: sed in fine perdent eam.

Qui recipit Prophetam in nomin. Prophetæ. Video controuersum maioribus nostris, aut recipiens Prophetam eo nomine, parem cum illo mercedē recipiet? Sed res est aperta. Merita ex charitate suum pondus habēt. Si maiore charitate recipit, quā prædicat Propheta: maiorem quàm Propheta mercedem recipiat. Si minore, minorem. Modò ne credas vnicam receptionem valere: vt multas prædicationes. Sed si quantum temporis vnus recepit, alter prædicauit.

CAPVT

CAPVT XI.

Et factum est, cùm consummasset, &c.



IOannes in vinculis, Synagogam significat, sub rege tyranno & extraneo, velut vinctam, & captiuam. Vides porrò Synagoga vaticinium Iacob, non fore auferendum sceptrum de Iuda. donec venîret Messihas: *Gen. 49.* & videns eo tẽpore, iam illud sceptrum sublatum, intelligens propterea suum iam venisse Messiham: primùm per Pharisæos interrogauit Ioannem, an esset ipse Messihas, nũc verò per Ioannem spiritu Dei actum, Christus an sit ipse, requirit. Mittit verò duos ex discipulis: vt in ore duorum, vel *Matth. 18.* trium stet omne verbum.

Audi nunc Lector: Existimo, nullam vnquã fuisse in orbe quæstionem, maioris quàm ista momenti. Expende cuncta: Qui interrogant, vicem habent omniũ fidelium, præsertim Iudæorum, sub Herode tyranno vinctorum. Qui interrogatur Deus est: quod verò interrogatur summum negotium est, scilicet an is esset Deus qui videbatur homo? Finis verò interrogationis est: an per Christum sint eo tempore à rege tyranno eruendi: vt & Messiham fidelitas recipiat, ab eoque rursum ipsa recipiatur. An non summa res hæc erat? Sanè super qua totius orbis salus, velut in cardine versabatur.

Ne verò existimes rem hanc minorem fuisse, quam depinximus scito, iuxta Matthæum, Marcum, & Lucam huic interrogationi interfuisse magnas Iudæorum turbas. Ergo *Lucæ 7.* constitue magnum hominum theatrum: ibi Deum colloca, latentem tamẽ & absconditum: fac te videre integrum populum à Christo perquirentẽ, an esset ipse mundi Seruator, tantopere mundo desideratus? Vt si esset, in Messiham, & in *Aggæi 4.* regem susciperetur. Iam videbis quanta hæc quæstio fuerit.

Huic tantæ quæstioni Dominus, vt sapiens, respõdit, non verbis apertis: sed (vt ego existimo) primum cum frequenti cõcione sermonem habuit, de regno Dei: quod iam pateret miseris, & inopibus: mox multis miraculis editis respondit: *Lucæ 7.* Ite, renunciate Ioanni, hunc quem audistis de regno Dei, deque Euangelio pauperum sermonem (fuerat enim sermo verbo vitæ dignus) tum etiam renunciate miracula, quæ vidistis (fuerant enim quæ non nisi à Deo effici poterant.)

tuum demum verba Prophetiæ ei referte, quod ſcilicet cæci vident, &c. Vt planè habeatis firmiorem propheticum ſer-
1. Petri 1. monem, hæc Meſſiham, me eſſe loquuntur.

Ne verò graueris Lector audire teſtimonia quæ tacitè Dominus implicat. Habetis (inquit Dominus) apud Iſaiam:
Iſaiæ 43. Dedi te in fœdus populi, & in lucem gentium: vt aperias
& 49. oculos cæcorum. En ego aperio oculos cæcorũ. Ego igitur
Iſaiæ 35. ſum. Rurſum Iſaias: Deus ipſe veniet, & ſaluabit vos: tum aperientur oculi cæcorum, aures ſurdorum patebunt, ſaliet ſicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum. En videtis à me hæc omnia fieri. Igitur ego ſum. Rurſum Iſaias:
Iſaiæ 29. In illa die, audient ſurdi verba libri: addẽt mites in Domino lætitiam, & pauperes homines in Sancto Iſraël exultabunt. En videtis, mites & pauperes Euangelizari, & ideo in Do-
Iſaiæ 26. mino exultare. Rurſum Iſaias: Domine, in anguſtia requiſierunt te, viuent mortui tui, & interfecti tui reſurgẽt. En tempore hoc per me mortui ſurgunt. Rurſum Iſaias: Spiritus Domini ſuper me: ad annunciandum pauperibus miſit me.
Iſaiæ 61. En, quid aliud enim ego annuncio, quã beatos eſſe pauperes
Iſaiæ 28. ſpiritu. Rurſum Iſaias: Ecce ego mittam in Sion lapidem probatum, angularem, pretioſum, qui crediderit nõ feſtinet, ne ſcilicet offendat. Beatus ergo qui nõ fuerit ſcandalizatus in me. Hic enim lapis reprobatur ab ædificantibus. At iuxta
Daniel. 2. Danielem: Lapis ſi percuſſerit ſtatuam, eam comminuet. Beatus ergo qui in lapidem non offenderit. Sane quia lapis eſt, in terra iacet. Et ideo contemnitur. Sed quia eſt lapis de cœlo miſſus, beatus qui in eum non offenderit.

Habes Lector Chriſti reſponſum. Quod verò Ioannes ex vinculis, nihil his addiderit, ſignificauit, Synagogã voluiſſe potius, ſub alieni regis captiuitate mori, quàm ſuum regem recipere. Et quantum ego ſentio, quòd Ioãnes velut dubius Chriſtum interrogat· ſignificat ſynagogã ſemper de Chriſti veritate dubitabundam, voluiſſeq́; magis extraneis vinculis vinciri, quàm ſui principis libertate gaudere. Hæc ſunt quæ de ſynagoga in Ioannis perſona mihi dicenda occurrerunt.

Secundò contendere libet, Euangeliũ hoc de ipſo Ioanne verificare. Reuocandum ergo in memoriam eſt, id quod
Lucæ 2. Lucas de Chriſto habet: Proficiebat, inquit Sapientia, apud
Hebr. 5. Deum, & homines. Quod Paulus etiam teſtatur, dicens: Didicit (cùm eſſet Filius Dei,) ex his, quæ paſſus eſt, obedientiam. Vnde colligunt Theologi, Chriſtum ſcientia diuina,

& beata

& beata, & infusa, omnia sciuisse: ignorasse tamen scientiâ experimentali. Dicebat enim intellectum eius non frustrà esse: sed in humana scientia proficere. Eàdem igitur ratione, Ioannes agnouit Christũ, scientia infusa, per reuelationem, sed hoc ipsum experimento nesciebat. Ac si ego ex aliorum verissima narratione, aliquem scirem summum esse magistrum: vbi tamen eum viderem rogarem, Túne es ille magister illustris? Idq; ego dicerem, exoptans videre insignem quampiam eius doctrinã. Et propterea Christus ad animum Ioannis, quo eius opera videre cupiebat, operibus respõdit. Igitur in summa, vt arbitror esse errorem, dicere Ioannem de Messiha dubitasse: ita arbitror esse verum, illum Christi opera, experimento discere voluisse.

Tertiò vehementer placet rem hanc ad mores traducere. Ioannes significat gratiam. Cùm igitur Ioannes est in vinculis, dubitare videtur. Quàm vero multi pij in gratia existentes: dum sine vinculis sunt tribulationum: Christum ardent, prædicant, & exaltant. at cùm in tribulationibus sunt, dubitare videntur! Dauid in abundantia sua dicebat: Non mouebor amplius: dedisti Domine decori meo virtutem. At, vbi in vincula tribulationis cõiectus est, inquit: Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Dauid ipse dicit: Populũ Dei tribulationibus vinctum conuerti, & dies plenos in eis inueniri, dicentes: si est Deus in cœlo, aut si est scientia in excelsis. Et rursum: Mei autem pedes moti sunt, pene effusi sunt gressus mei pacem peccatorũ videns. Igitur cùm est gratia in vinculis, dubitare de Christo solet. Quid tunc Christus? Sufficit tibi gratia mea, nam virtus mea in tua infirmitate perficitur. quasi dicat: In tua cæcitate, lux mea monstratur: cæcos in tribulatione, ego soleo illuminare, & mortem illis tribuo, vt exuscitem. Humiliat enim Dominus, vt subleuet. Et demũ, non nisi pauperes & afflicti, lætum Euangelii nuntium, digni sunt recipere. Dicit ergo Dominus ad desideria, & gemitus, & orationes Ioannis: Dicite ei: ne desperet, ne dubitet. Ideo enim vincula passus sum, vt eum ab eis liberem: ideo cæcum feci, vt illustrarem: claudum vt sanarem, &c. Et beatus est qui in tribulatione non offenditur, nec subtrahitur: si enim se subtraxerit, non placebit animæ meæ.

Psalm. 29. *Eodem.* *Psalm. 72.* *Eodem.* *2. Cor. 12.* *1. Reg. 2.* *Hebr. 10.*

Quartò, aliam explicationẽ audi: iuxta doctiores, Ioãnes, donum significat. Porrò inter dona, primum & omnium aliorum

Concilium Trident.

aliorum radix donorum, est fides. Hanc multi Christiani, in
Rom. 1. vincula peccatorum conijciunt, veritatem Dei in iniustitia detinentes. Fides ergo inter vincula peccatorum, facilè du-
1. Tim. 6. bitat, imò facilè negat. Paulus est huius rei testis. Cupiditas, inquit, est radix omnium malorum: quam quidam appetentes, errauerũt à fide. Profectò non est tuta fides, inter vitiorum catenas. Dubitans verò, incipit cogitare: num vera sint quæ credimus. His cogitationibus respondet Dominus: Dicite fidei, sat esse ad fidei confirmationem, tot cæcorum illuminationem, mortuorũ vitam, &c. O verò beatum qui nõ offenditur in me. Qui enim fieri potest, vt superbus non offendatur in Christi humilitate? Auarus non offendatur in Christi largitate? Libidinosus in eius puritate? Audi rem omni notatione dignissimam. Qui propriam voluntatem abiecit, in Dei volũtatem non offendit. Qui verò propriam seruat voluntatem, in diuinã offendat necesse est: non enim
Genes. 8. nostra voluntas diuinæ conformatur, sensus enim & cogitatio hominis ad malum prona sunt: at malum necesse est, scandalum accipiat ex bono.

Expende nunc verba discipulorum Ioannis, quę ego non aliter accipio, quàm à Spiritu sancto dictata: *Tu es*, inquiunt, *qui venturus, an alium expectamus?* Primùm illud: *Expectamus*, docet Christum esse desideratum, & expectatum cunctis,
Aggæi 2. non solum pijs, sed & impijs, & omnibus creaturis. Cùm enim omnia bonum appetant: necesse est appetant Christum, qui bonum omnium est. Sanè homines cupiunt suam fœlicitatem, quæ est Christus, & omnia reliqua cùm seruiãt
Rom. 8. homini, cupiunt per hominem beatificari: omnis enim creatura ingemiscit, & parturit, adoptationem filiorum expectans. Videlicet cupiunt serui, in sui Domini beatitudine exhilarari.

Secundò, illud: *Qui venturus es*. Vbi duo aduerte. Primùm ex Fœlice Papa. Verbum, *Venturus*, est nota deitatis,
Matth. 8. vt supra mihi dictum est in illo verbo: Ego veniam & curabo eum. Hoc enim verbum, Veniam, respondet desiderijs
Isaiæ 64. Prophetarum, dicentibus: Vtinam dirumperes cœlos,
Abac. 2. & descenderes, & promissionibus eorum dicentium: Veniet & non tardabit. Rursum nota: hoc verbum, *Venturus*, respondere illi promissioni: Non auferetur sceptrũ de Iuda,
Gen. 49. donec veniat qui mittendus est. ille mittendus, est idem, qui venturus est. Nec enim meritò, Græcis ponitur articulus empha-

emphaseos, cùm dicitur: Túne es ille qui venturus est?

Hoc demum aduerte: Sicut signũ veri Messihæ fuit cæcos illuminare, mortuos surgere, &c. Ita signum veri prędicatoris, qui Christi loco prædicat hoc esse, si qui prius cæci erant nunc vidẽt, si prius surdi ad verba Dei, nunc audiunt, si mortui peccatis, iam viuunt, si denique vita pauperum, si vita crucis Euangelizatur: sed & scandalum esse multis iniquis, veri prædicatoris signum est.

Illis autem abeuntibus. Videri cuiquam posset Ioannes, iniuriam irrogasse Christo, nunc interrogans an ipse esset: cùm tam celebri testimonio, ipsum esse, prius fuisset confessus. Hanc iniuriam Christus deuorat, non malum malo reddens: sed bonum potius, pro eo quod malum videbatur. Effundit ergo se Dominus, in laudes Ioannis: vt enim quem sanat perfectè sanat, sunt enim eius opera perfecta: ita quem laudat summè laudat. Apostolus dicit: Honore inuicẽ præuenientes. At Dominus non solùm præuenit Ioannem in honore: sed & in benedictionibus dulcedinis, ponens super eum coronã omni lapide pretioso pretiosiorem. Docemur ergo proximos nostros non parcè honorare, etiam vbi illi videri possent, nos inhonorasse: tũ maximè cùm ex honore fratris nostri, Dei resilit honor. Iam laudes Ioannis audi. Rom. 12. Deut. 32. Rom. 12. Psalm. 20.

Quid existis in desertum videre? Huius periodi sensus est: Quorsum ô viri existis in desertũ? Si visuri arundines vento agitari: has videre licebat in vrbibus vestris. Si existis videre homines auro & gemmis nitẽtes, bysso & purpura vestitos: hos licebat videre in domibus regũ. Quòd si animus vester fuit videre Prophetã, ego assero vobis: plusquam Propheta est, imò maior omnibus mortalibus hactenus natis, est.

Expende nunc obsecro singula: Non est Ioannes arundo vento agitata. Planè omnes mortales, qui ex Adã nascimur, arũdines sumus. Et vt verbis Dei vtar, sumus calamus quassatus. Dic te precor, quænam arundo tam facile moueretur, quàm Adã motus est? Adam ille arũdo prima, robustissima, & in loco amœnissimo plantata. Arundine igitur agnoscis: quòd si fortis, & integra arundo ita vento mouetur, quid nos, non fortes arundines: sed quassatæ? Quassauit enim nos peccatum illud, quod noster primus parens, suo & nostro malo commisit. Cùm igitur omnes homines sint arũdines, quas exagitat vẽtus, imò quas quassat quælibet aura: si Ioannes, Christo teste, vento non agitatur, habet ergo Ioannes Isaiæ 42. Genes. 3.

grande

grande gratię pondus, totas eius vacuitates plenissimè complens: vt etiam si omnes ventorum furię ipsum velint commouere, minimè possint. Aduerti sine, quātus fuerit Ioānes? Quantum gratiæ habuerit? Quàm non poterat cōmoueri? Quam esset omni vento superior?

Secundò aduerte illud: *In domibus regum sunt.* Vbi ego intelligo, Ioannem esse præpositum cunctis regibus, cunctis principibus: quantumuis auro fulgerent & gemmis. Quasi diceret Dominus: Merito regum & principum postpositis audis: *Existis videre Ioannem*, vtpotè qui est omni rege & principe videri dignior.

Tertiò illud: *Plusquàm Propheta.* Siquidē Propheta dicitur videns: Ille verò plura in spiritualibus videt: qui maiore lumine gaudet: at Ioannes maius lumen quàm alij omnes
Ioan. 1. possedit: Vidit enim Filium Dei, vidit Spiritum descenden-
Matth. 3. tem, & super Christum manentem. Vidit cœlos apertos, audiuit Patris vocē. Num hactenus accesserunt alij Prophetæ: Sanè Moses loquebatur cū Deo, vt cum amico, sed nō vidit
Exod. 33. eum, faciē enim eius videre nequiuit, sed tantùm posteriora.

Sanè alij Prophetæ testes sunt Christi ex auditu: audiebāt
Actor. 7. enim aliquem Angelū in se loquentem, licet Spiritu sancto
2. *Petri* 1. essent inspirati. Porrò Ioannes oculatæ fidei testis est. At-
Ioan. 1. tende precor: Ioannes affertur testis à sanctissima Trinitate, dicente: Super quem videris spiritum, ipse est. Affertur verò testis super re, omnium penitus rerum grauissima, id est, super Christi deitate. Et affertur, vt eius testimonio tota gens Iudæa credat. Et affertur vt vniuersa hominū salus, ex vnius hominis ore dependeat. Et tam idoneus testis visus est Deo Ioānes: vt etiā si totus mundus velit ei inurere notam, non possit, est enim omni exceptione maior, & tam sanctus est, vt nec mundus, nec diabolus eius possint autoritatem labefactare. Iam audi Ioannem contra totum infernum, contra Romanos, contra Herodē, contra omnes Iudęos, Christum esse Messiham, & Deum testificantem.

Ne verò Christus videretur, gratis quicquam asseruisse, testimonium assertionum suarum adduxit, Dei verbum per
Malac. 3. Malachiam, quo de Ioāne Pater dicit: *Ecce ego mitto Angelum meum.* Si Angelus, ergo maior omni carne. Si Angelus, ergo
Matth. 18. semper videns faciem Patris, quatenus homini fas erat in carne videre. Angelus, inquam, non quiuis: sed ille meus. ego, inquit, mitto Angelū meum. Est enim Ioānes Angelus specia-

ſpecialiter Patris, vtpotè in quo Patris potentia monſtrata eſt: quæ enim potentia potuiſſet corda Patrum antiquorum, in filios obſtinatiſſimę prauitatis conuertere? Vix ſanè Chriſtus impetrauit, vt corda maiorum in filios illos, qui erant genimina viperarum conuerteret. Ioannes præparat viam ante Chriſtum, omnem vallem implens, omnem montem & collem humilians, aſpera in viam planam, & praua emolliens in directa. Profectò ſi ſingula hæc expēdas, verè Angelum, & pluſquàm Angelum fateberis. *Lucæ 1.* *Iſaiæ 40.*

Quid moror? Tantus erat Ioannes, vt Chriſtus iuramēto ſuo firmarit, Inter natos mulierum non ſurrexiſſe Ioanne maiorem. Et quia verbum Dei tantam habet efficaciam, vt ea quæ non ſunt faciat eſſe: ideo etiam ſi Ioannes omnibus maior non eſſet, hoc vnico Chriſti verbo maior redditus eſſet. Tantus erat Ioannes vt planè creditus eſſet Meſſihas, & vt Meſſihas eſſet ſuſceptus: ſi ſe ille Meſſiham fingere voluiſſet Et quod Chriſtus nō impetrat à Scribis & Phariſæis. vt Meſſihas habeatur, Ioanni etiā nolenti ab eiſdē offertur. Tantus erat Ioannes vt Chriſto neceſſe fuerit, aſſerere ſe eſſe Ioanne maiorem: ne minor eſſe crederetur, periculum enim erat ne orbis crederet Ioanne eſſe Chriſto, aut maiorem, aut non certè minorem. *Rom. 4.* *Ioan. 1.*

Quàm verò animaduersè Dominus dicit: *Inter natos mulierū, nō ſurrexit maior* Quaſi diceret: Oēs mortales ceciderūt, antequā ambularēt. Multi verò ex ea ruina ſurrexerunt: ſed nullus fuit qui primo ictu ex caſu maior ſurgeret, quā Ioannes. Tanta enim fuit in ſurgēte gratia, vt Chriſtū puer ſenſerit, puer à virgine ſalutaretur, puer matrē faceret Prophetā. *Lucæ 1.*

Vbi ſciolus aliquis ſubolfaceret: non dictum Ioannem omnibus mortalibus maiorem, ſed inter omnes qui ſurrexerunt, neminē tempore reſurrectionis ſurrexiſſe maiorem, licet poſt reſurrectionem fieri potuiſſet aliquis maior. Sed hæc ſubtiliora ſunt, quàm Euangelica grauitas expoſcat. Ioannes ergo inter eos qui ſurrexerunt ſummus.

Ex quo loco ſub aliorū cenſura, apertè colligo virginem Mariam in peccatū originale non cecidiſſe. Patet manifeſtè: Ioannes eſt maior omnibus qui ceciderunt, & ſurrexerunt. At non eſt Virgine maior. Igitur Virgo nō cecidit. Fateor, neſcio hoc argumentum diſſoluere.

Sed qui minor eſt in regno cœlorū Aſſerit ſe Chriſtus in regno ſuæ Eccleſiæ minorem. Sed quænam huius cauſa? Primùm:

quia

quia si celsitudo cœlestis humilitate comparatur: necesse est
Matth. 18. futurum in cœlo summũ, esse in terra imum. Christus ergo
Lucæ 14. statuit se in infimo loco: vt Pater, qui eum inuitauit, ascendere eum faciat in celsissimum locum.

Sed secundò, rem penetremus: Is planè minor est, qui peccatũ habet: is igitur minimus, qui in peccatis est maximus: Cùm verò Christus omnia totius orbis in se peccata susce-
Isaiæ 35. perit (posuit enim in eo Deus iniquitates omniũ nostrum) necesse est, vt minimus dicatur. Non enim aliter existimandus est Christus: quàm vt quidã homo sine culpa sua, habens nostra omnia delicta, quâ causa ipse cùm dixisset: Longe à
Psalm. 21. salute mea verba delictorũ meorum. addit: Ego autem sum vermis, & non homo, opprobriũ hominum, &c. Minimus ergo est, qui plus omnibus debet: nemo verò debere plus
Psalm. 68. voluit Christo, qui quæ non rapuit, exoluere voluit.

Tertiò, vocauit se Dominus minimum: quia reuera, in nullo mortalium maior fuit, quàm in eo humilitatis affe-
Lucæ 1. ctus. Virgo se ex humilitate ancillam vocat. Paulus se dicit:
1. Cor. 15. Abortiuum, & qui non sit dignus vocari Apostolus: at quia in Christo summa erat humilitas: ideo se deiectissimum dicebat. Quid enim num diceret anima illa sacra, tam sublimiter Deum videns? Quanto enim excelsius Deum vides, tãto te profundiorẽ conspicis. Quid non diceret sacra illa anima, tam copiosè ditata: quàm profundissimas gratias agens,
Apoc. 4. minimam se fateri? Sancti enim coronas suas coram Deo deponunt, & in facies suas cadunt.

Quartò, Christus minimus, & ea ratione maximus. Siquidẽ Philone teste, ius regni inter Iudæos ad minores natu
1. Reg. 16. filios pertinebat. Quia enim Dauid inter filios Isai minimus electus ad regnũ est: ideo sanciunt minimũ filiorum regem futurum. qua ratione Salomon regnum accepit. Horsum igitur Dominus dicit in regno, id est, in domo Patris minimum, vt ad quem regnum Patris spectaret.

A diebus autem Ioannis vsque nunc regnum cœlorum vim patitur Nescio, an hoc verbum laus sit Ioannis, an confirmatio eius dicti, quòd minor in regno maior esset. Aperiam quid in ea re intelligam. Hæc igitur Domini verba explicantur ab Apostolo: qui nihil fere aliud vult testatius esse, quã quòd
Rom. 5. vsque ad Christum vixerit, & regnauerit peccatum, mors, infernus, dæmon, lex mortis, caro nostra, siue vetus noster homo. Abundauit enim tunc delictum: & regnauit mors ab

Adam

Adam vsque ad Mosen: erant enim omnia conclusa sub peccato. Porrò à diebus, quibus Ioannes cœpit prædicare pœnitentiam in venturum, imò in venientem agnum: ex eiusdem Agni præsentia & efficacia, cœpit peccatum deseri, cœpit mors mori, cœpit pati morsum infernus, cœpit dæmon pelli ex atrio suo: cœpit enim prædicari regnum nouum, vita noua. Et quia omnia noua placent, cœperunt homines, velut impetu facto, in eam nouitatem irruere: & velut violenter irrumpere. Confluebant enim ad Ioannem cuncti mortales, irruebant etiam in Christum, vt nec comedere eis liceret: ideo dicitur. *Regnum cœlorum vim patitur*, tot enim irrueb ant audituri Verbum Dei, vt ferè diceres valuas regni vim pati: nec enim domus capere poterat audientes, sed sublatis tegulis & tectis infirmi ad Christum inferebantur. *Galat. 3.* *Ioan. 1.* *Oseæ 13.* *Marci 6.* *Lucæ 5.*

Dignum verò est notatione, quod addit, *Et violenti rapiunt illud*. Certè qui viuidè, & efficaciter recepit Deum intra se, ea opera facit: quibus adeò dignus cœlo est: vt si eo defraudaretur, ei iniuria fieret. Tanto siquidem amore, in Deum feruet, tam feruida fide credit, tam diligit inimicos, tam domat carnem suam, tanta mirabilia facit: vt iure suo dicas, ei cœlum deberi. Vtpote qui non terrenus sit, sed cœlestis.

Secundò, memor esto eius verbi, quod in Isaia habetur: Voca, inquit, nomen eius, Accelera spolia detrahere, citò prædare. Hæc nomina Christi sunt qui vix triennio, ea festinatione prædatus est, & rapuit cœlũ: vt volare eum diceres, non ambulare. Ea igitur ratione, is in quo Christus est, ea festinatione operatur: vt putes eum semper vigilare, semper operari. Quòd si vigilat semper, prædam parat domesticis suis, ac ideo violentius sibi suæque naturæ est. *Isaiæ 8.* *Prou. vlt.*

Sed iam nunc tertio audi. Opera nostra quæ sunt arma militiæ nostræ ex se adeò sunt debilia, & inermia, vt nec terræ vim inferre possint. Porrò cùm armis Christi induuntur, potentia sunt ipsi cœlo vim facere. Quia igitur, ex tempore quo Ioannes prædicauit & Christus: & ex eo tempore factus est nobis iustitia, sanctificatio & redemptio, clare fit, opera nostra operibus Christi dignificata, cœlo, & Deo ipsi violentiam facere, & cœlum rapere posse. *2. Cor. 10.* *1. Cor. 1.*

Quartò, demum intellige: Christi merita, non solùm fuisse coram Deo efficacia, ex lege amicitiæ: sed etiã ex lege iustitiæ. Ex iustitia siquidem meruit Christus suis membris

ſalutem, gratiam & à peccato liberationem, vt doctè oſtendit S. Thomas, 3. Parte quæſtio. 40. artic. 1. Ergo à tempore Chriſti, qui volebant in gratiam & cœlum intrare, violentè ex iuſtitiæ rigore regnum capiebant. Exultent igitur mortales, quia ſi in cœlum ingredi volunt: non ſolum ex miſericordia, ſed ex iuſtitia & violentia, cœlũ illis patet: non quod ipſi cœlum ſuis viribus aperiant, ſed quod ex viribus Chriſti velut violentè ſit apertum.

Omnes enim Prophetæ & lex vſque ad Ioannẽ. Explicat, quod modo dicebam, perinde ac ſi diceret: In tẽpore legis, & Prophetarum erat ſtatus mortis, damnationis, delicti, iræ: erat captiuus mundus ſub lege, ſub huius mundi principe. Iam hic miſeriæ ceſſauit ſtatus. Cùm Ioannes cœpit prædicare Agnum qui veniebat, finem cœpit habere delictum, mors, diaboli imperiũ, & inferni voracitas. Cœpit enim lex noua ſplendere, nouus orbis, & noua cœpit creatura. Vt igitur in tertio mundi ſtatu, id eſt, in ſtatu æternitatis, præcurret Elias Chriſtum iudicem: ita in hoc ſecundo ſtatu, (qui eſt ſtatus gratiæ & Euãgelij) præcurrit Ioannes in ſpiritu Eliæ, Chriſtum Redemptorem. Et quia ſimilis (licet non omnino eadem) eſt gratia futuri ſeculi, & præſentis: ideo ſimilis eſt (licet non idem) Eliæ Ioannes. Porrò vocat Chriſtus Ioannem nomine Eliæ: meritò quidem, cùm enim plus poſſit gratia quàm natura ſi ſimilis eſt in Ioanne, & Elia gratia, & ſpiritus, iure vocabis nomine Eliæ Ioannem: attolle enim oculos ex carne in ſpiritum. Et vbi eſt vnus ſpiritus, vnum idemq; operans, vnum etiam vocare licebit.

Iam cum his verbis videret Dominus explicatum eſſe, ſummum illud quod homines optabant, videlicet Ioannem præcurriſſe, & eius Meſſiham adueniſſe, in quem qui

Hebr. 1. crederet, liber à morte, viueret, regnumque cœlorum iam eſſe noſtrum, & in ipſum nos vim poſſe inferre, clamat, & exclamat.

Qui habet aures audiendi, audiat. O vocem dignam quæ animos noſtros penetraret, quos ſi vos tam optata non penetrat, acerbiſſima inferni pœna penetrabit. Arrigite mortales aures veſtras, percipite lætum quod vobis aſſertur

Sapien. 7. nuntium: quod recepiſſe theſaurus eſt infinitus, abieciſſe mors eſt infinita.

Cui autem ſimilem æſtimabo, &c. Frequens eſt pueris cupientibus ludere, ſuos æquales ad ludum prouocare: Agite, inquiunt,

inquiunt, canamus. Quod si renuant, si canere non placet, dicunt, lamentemur. His pueris Dominus se & Ioannem, & discipulos confert.

Aperitur hic pulcherrimus campus, ad tractãdas eas conditiones, quas prædicatores locum Christi & Apostolorum tenentes, habere debent. Sint primò pueri, Sedentes, In foro clamantes coæqualibus suis letitiam, & lamentũ. Pueri sint, *Psalm. 8.* imo lactentes, vt quod ex vberibus Dei, in oratione suxerint, *Matth. 21.* proponant bibendum auditoribus. Pueri sint, vt quod ab- *1. Cor. 11.* scõditur sapiẽtibus reueletur paruulis. Pueri sint, & pusillus grex, cui Pater velit regnum dare. O si hæc intelligerẽt Præ- *Luc. 12.* dicatores. Nemo fructuosè prędicationi idoneus est, nisi qui spiritum pueri, & paruuli possederit. Dauid non nisi puer, & *1. Reg. 18.* inermis gigantem vicit: & quia ex humilitate se vicisse sciebat, ideo frequenter iactat: Adolescentulus sum ego, & con- *Psal. 118.* temptus. Tres illi non nisi pueri voraces ignis flammas, in *Daniel. 3.* rorantem auram conuerterunt. Samuel non nisi puer voca- *1. Reg. 3.* tur à Domino: vt regat Israëlem. Et Saul cùm esset paruulus in oculis suis accipit regnum: quod cùm superbire cœpit *1. Reg. 15.* amisit. Erigant Theologi cristas suas, vibrent Rethores fulmina sua. Concrepent Philosophi argutias suas: non nisi pueri sint prædicatores. Siquidem apud Isaiam, vrsum *Isaia 11.* & leonum puer paruulus minat, & pascit: & non nisi puer paruulus super foramine aspidum, id est, peccatorum securè delectatur.

Secundò, prædicatores sint Sedentes, Exemplo Christi: *Matth. 5.* qui celebrem illam orationem sedendo prædicauit. Non *6. 7.* hic corporalem sessionem requiras: sed spiritualem, de qua & Philosophis dictum est: Anima quiescẽdo fit sapiens. Sedeat igitur, id est, placidis sit moribus, mitigatis affectibus, maturo iudicio, grauitate iudex, autoritate magister. Sedeat, vt qui merces in foro vendit: qui ementes expectare, & rogare videatur: non fugere, aut festinare.

Tertiò, prædicet in foro, id quod supra admonuerat, cùm *Matt. 10.* dixit: Quod dico vobis in tenebris prædicate super tecta. Tanta est doctrinę puritas, & integritas, vt nullũ timeat, vel in medio foro, calumniatorẽ. Imò verò hoc est spiritus Dei ingenium & ardor, vt non contentus prædicare priuatim, publica loca ad prædicationis fructum requirat. Sapientia *Prouer. 1.* enim clamat in plateis, foris prædicat, in capite turbarum dat vocem suam, in foribus portarum profert verba sua. Et

Prouer. 8. rursum: In summis excelsisq́; verticibus supra viã, in medijs semitis stans iuxta portas ciuitatis, in ipsis foribus loquitur dicens: ô viri ad vos clamito. Si igitur sapientia nunquã non est in foro clamitans: planè & filij sapientiæ qui sunt prędicatores, in foro esse cupiant: vt vberiorem sui laboris vsuram referant.

Psalm. 68. Quartò, sint clamantes, quia magnitudo zeli, circa Dei
Ierem. 4. honorem vrit eos, & charitas ad proximũ vrget: eos videli-
Tren. 1. cet, quia venter eorum dolet. Videntes enim ciuitatem Dei solam, plenam populo, vidẽtes infernum aperuisse animam suam, sine numero, quid facient, nisi clamare? Quídni clamet habens spiritũ Christi, cùm Christus prædicando clamaret?
Ioan. 7. Clamabat, inquit, in magno die Sabbati. Et rursum: hęc dicẽs
Lucæ 8. clamabat: *Qui habet aures audiendi, audiat*. Clamat plane si homo est, qui videt alienam domum à latronibus defodi. Qui videt domum proximam succendi, qui videt amicum proximum esse ruinæ, qui videt ciuitatem tradi in manus inimicorum.

Quintò, clament coęqualibus suis, id est, habeãt amorem
Ecclesi. 3. fraternitatis. Vt quanto maior es, hoc magis te humilies. Et
Lucæ 23. quãto te præcedere vides, tanto te magis ministerio addictũ existimes. Coæquales tibi sunt auditores: quia filij, hæredes
Rom. 8. Dei, & cohæredes Christi. Coæquales tibi sunt in vno Deo,
Ephes. 4. vna fide, vno redemptore, vno pretio sanguinis, vna aqua baptismi, vno Eucharistię cibo. Hæc validiora sunt, vt te fratribus æquient: quã te subleuare possit generis claritas, opum abundãtia, officij celsitudo. Sed frustra hæc Episcopis canas.

Sextò, cantent, & lamententur. Sit prædicator alter Prothæus in omnem se formam conuertat. Quos amoribus & blanditijs pellicere nequit: minis, & terroribus aggrediatur. Vt quos amor non prouocat, gladius exterreat. Sanè cupit
Galat. 4. Paulus mutare vocem suam: & cum seruis seruus est, cum
1. Cor. 9. liberis liber, omnia fit, vt omnes lucrifaciat. Sed certè prius proponat auditoribus cantica, lætitiam, amores. In hæc enim maximè natura propendit: hæc filiorum sunt, hæc amicorum. Quòd si mali serui esse volunt, amoribus succedant verbera.

Attente verò. Lucas dicit: Cantauimus vobis tibijs. Qui enim canit tibia, ore canit, & manu. Spiritum efflat, quem inflat: nec id satis. Sed modulato cantu audientium aures demulcet. Igitur qui canit prædicans, manum tibiæ, id est, operi

operi admoueat. Spiritũ charitatis ex viſcerib' efflet: & modulatè, id eſt, ſapiẽter prędicet. Vt eius ſit ſermo ſale cõditus. *Coloſſ.* 4.

Rurſum attentè lege, quòd functionem prædicatoriam, & auditorum vitam, ludo puerili Dominus cõparauit. Quia quæcumque in hac vita contingunt, ſimilia ſunt ludo. Breuiſſimè ſiquidẽ finiuntur, puerilia ſunt hæc noſtra: Sunt quæ ſuccedunt æterna. Hîc ergo pueritia, hanc ſequetur ętas perfecta. Hîc ludus, quem ſequetur ipſiſſima veritas.

Demum aduerte: Si Ioannem, virum omnibus numeris abſolutum, hominum veſana rabies dæmoniacum dixit, quænam ſanctitas hominibus placere poterit? aut quæ vita tam pura poterit eſſe à morſibus tuta?

Dignum verò expenſione fuerit: cur Dominus laxè vixerit, & occaſionem dederit malis hominibus, cum voracem vocãdi? Primum, quia in cœlo vixerat Deus, regalibus aſſuetus delitijs, & facilè eſt aſſueta tenere. Secundò, quia Deus ipſe videbat eam humanitatem, quàm ſibi vnierat, omnibus delitijs digniſſimam. Tertiò, quia ieiunium inſtitutum eſt contra vitia, à quibus Chriſtus erat alieniſſimus. Quartò, quia alioqui Dominus, qui omnia ſuauiter diſponit, ſibi ſummam vim intuliſſet. Iter agebat Dominus, circuens caſtella: proferebat ſuos ſermones in lõgum, curabat hominum languores, ſecretò multis conſulebat. Hic tantus labor ſine mediocri cibo, ferri nequibat. Quintò, ea re ſignificabat lætitiam animi ſui, & lætitiam Euangelij, & regni futuri. Planè deſponſabatur nouæ Eccleſiæ, cui tempori ieiunium importunum eſt. Sextò, Chriſtus circuens omnem locum, edebat vbi inuitabatur. Eſt verò grauis inuitantis moleſtia, ſi inuitatus nimis abſtineat. Quæ enim parauit, cuius erunt? Septimò: Ea ratione oſtendit debitũ eſſe Prædicatori omne delitiarum genus. Carnalia enim metat qui ea ſpiritualia ſeminat. Octauò: Si abſtinentiſſimus eſſet, vix crederetur homo, qui tãta miracula faciebat: ſi non comediſſet. Nonò, Deſtruxit Phariſæorum faſtum, qui totam ſanctitatem in ieiunijs collocabant dicentes: Ieiunabis in ſabbato. Decimò: Normam dedit prædicatoribus Euãgelicis, vt poſt ieiunium deſerti, & poſt laborem prædicationis non vereantur, nonnihil corpori indulgere.

Matth. 9. *Matth.* 4. *Ioan.* 3. 1. *Cor.* 9. *Lucæ* 18.

Quòd verò dixerũt Iudei. *Amicos publicanorum*. Docet prædicatores, debere ſibi familiares habere publicanos & mercatores. Vt multis multorũ neceſſitatibus quæ contingere

ſolent, occurrere poſſint: & reuera mercatores iſti facilè appropriāt Euāgelio: ſi nō vita nimis ſtricta, certè manu larga.

Marci 9. Vbi aduerte: Chriſtus paruulos amplexatur, pauperes in Apoſtolos deligit, publicanos amat. Nunquam hos princi-
Matt. 10. pes, nunquam Scribas, nunquam Phariſæos dicitur amaſſe.
Ioan. 5. g. Gloriam hi hominum quærunt, quod vehemēter Dominus abhorret. Facilius illa ſe inclinat maieſtas, vbi eſt opum & rerum humanarum egeſtas.

Quòd ſubdit. *Iuſtificata eſt ſapientia*. Planè iuſta videri poteſt, quæ ſalutem noſtram adeò quæſiuit, ac ſi ſua eſſet. Nos verò repellimus, ac ſi inimici eſſent. Quid verò tam ſancto dici cōtumelioſius poterat, quàm eſſe vini & cibi voracem? quòd non erat verum magis quàm quod Ioāni obijciebant, videlicet, quòd haberet dæmonium.

Væh tibi Corozain. Horrendum eſt væh, quod pius Chriſtus intonat: Placet verò mihi, per Corozain ſapientes intelligere. Et per Bethſaida, diuites, & per Capharnaum, delitioſos, vt retulit Rupertus. Quis igitur non paueſcat, audiens væh ſapientibus, diuitibus, delitioſis? ſed cur his væh? quia ſi in Gentibus factæ eſſent virtutes, quæ in illis, pœnitentiam egiſſent. Certè ſat grandis virtus eſt, ſapientem Theologum eſſe. Sat grandis, diuitem eſſe Chriſtianum. Sat grandis, omnia tibi prouenire iucunda. Cur ergo hæ factæ in te virtutes non te Dominum amandum pellexerunt? Quòd ſi has virtutes in te factas cōtemnis, certè contemnere non potes alias multò maiores, licet obſcuriores. Quoties audiſti verbum Dei? quoties afflatus interius fuiſti? quoties ſenſiſti te à Deo vocari? quoties Sacramenta eccleſiaſtica ſumpſiſti? Has virtutes, vt & priores quę ad cœlum te vſque exaltabant, hæ, inquam, infinitum tibi tormentum parient.
Sapien. 8. Exiguo enim conceditur venia, ſed potentes potenter tormenta patiuntur: & fortioribus fortior inſtat cruciatio.
Sapien. 6. Certè delitijs addicti, non poterunt non ſentire pœnam eò maiorem, quò carnem habuerunt teneriorem.

Non te Lector, prætereat verbum Domini: *Olim*, inquit, *in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent*. Vbi ſunt ergo qui dicunt, ad pœnitendum non requiri dolorem, ſed ſat eſſe vitæ nouitatem? At ex dominico ore audis: pœnitentiam fieri in cilicio & cinere. Vt per exteriora hæc ſigna, cordis intimus dolor ſignificetur. Vt enim exultantium erat caput vnguen-
Iſaie 3. to linire, & corpus veſte feſtiua veſtire: ita dolentium erat

pro

pro vnguento, cinere caput respergere, & pro blanda veste cilicio amiciri.

In illo tēpore, respondens, &c. Res est omni cōsideratione dignissima, cur tam insolita verba Matthæus nunc scribat, dicens: *In illo tempore.* &, *respondens* IESVS, cùm nullus esset interrogans? Et item: Cur tam nouè, Christus dicatur exultare, cùm confessionem hanc pronuntiat? Neque enim (arbitror) locus est alius, vbi exultasse Christus memoretur.

Dicā quod occurrit: Ante hanc confessionē exprobrauit Christus Corozain, Bethsaidæ, & Capharnao: Et vt existimo, exprobrans his tribus populis, in eis exprobrauit, & rejecit Iudaismum: vt qui non cognouit tempus visitationis suæ. Et apertissimum est, eandam fuisse causam reijciendi Iudaismum, quæ erat reijciendi tres illas ciuitates. *Lucæ* 9.

Porrò ex Apostolo nouimus, quòd delictum Iudæorum, fuerit diuitiæ mūdi, & diminutio eorum, fuerit diuitiæ gentium, & amissio eorum, reconciliatio mundi. Igitur reijciente Domino Iudæos, incipiebat mundi reconciliatio: incipiebat mūdi salus, & redemptio Et vt apertius dicam: Rejecto sacerdotio Iudaico, reijciebatur lex vetus, & incipiebat noua lex, nouus rex, nouus grex. *Rom.* 11. *Hebr.* 7.

Meritissimè ergo Mattheus dicit: *In illo tempore,* Videlicet in illo tempore, quod erat finis antiqui sacerdotij, veterisque legis, & erat principium status gratiæ, legis, vitæ, & spiritus: in illo tempore quo aperiebantur diuitiæ cœlestes, quo subijciebantur dæmonia discipulis, quo sanabantur hominum languores: & potissimè gratia dabatur hominibus, *In illo tempore respondens* IESVS. *Rom.* 8.

Cui verò respondeat, quæris? Audi prius Patrem apud Isaiam loquētem cum Filio: Parum, inquit, mihi est, vt conuertas reliquias Israël: dedi te in lucem gentium. Cùm igitur hoc loco, & hoc tempore Israël abijcitur, necessariò Pater dat Filium in lucem gentium, & salutem populorum. Patri ergo Filium statuenti, in lucem & salutē orbis, Filius respondet, & gratias agit. *Isaiæ* 42.

Quòd si profundius spectes, intelliges hanc salutem gentium, & mundi reconciliationem vehementer à prophetis petitam, imò à toto mundo expectatam. Videor enim mihi videre tunc, mundum summis votis à Deo Patre postulantem adoptionem filiorum per Christum. Huic ergo tam instanti petitioni, respondet Christus, iam se adesse: & *Gen.* 49. *Rom.* 8.

ideo gratias agit Patri, qui tempus tantopere exoptatum iam attulisset. Cùm igitur hoc tempore quo primum reijciebantur Iudęi, videret Christus modica Iudæorum iactura, diuitias in orbem effundi: meritissimè exultat in Spiritu sancto. Quæ enim poterat esse gaudendi ratio, nisi mundi reparatio, & reconciliatio, cœlorum apertio, inferni damnatio, peccatorum remissio? Christus erat grauissimus, hæc illi iusta exultandi causa, & forsan alia nulla. Audi ergo eius lætabundam confessionem.

Confitebor tibi Pater Domine cœli & terræ. Quia sicut in cœlo reiecisti eos angelos, qui sibi sapientes videbantur, & elegisti angelos illos, qui toti vt paruuli, ad te vt Patrem accurrerunt: ita & in terra nunc reijcis Iudæos, qui se putant magistros infantium, duces cœcorum, lumina eorum qui in tenebris sunt, eruditores insipientium: eligis verò nouam paruulorum gentem, qui toti à tua voluntate, vt infantes pendeant. Arbitror enim ea causa Christum meminisse cœli & terræ, vt eiectio, electioque illa, quæ tunc nouè fiebat in terra, responderet illi quæ facta fuerat olim in cœlo.

ad Rom. 2.

Rursum existimo Iudæos de lege sua gloriosos, hic à Domino vocatos sapientes, & prudētes. Christianos verò, vocatos paruulos: eorum enim solum est regnum cœlorum. Ex quo planè infertur eum qui sibi sapiens videtur, quique nondum stultus factus est, vt sapiens fiat: non militare sub vexillo paruuli Christi. Sed spectare potius ad Pharisaismū, imo ad Luciferi factionem. Vita enim Christiana vita humilium est, paruulorum est, infantiūm est & lactentium. Ex quorum ore perficit Deus laudem suam. Nisi enim conuersi efficiamur vt paruuli, non intrabimus in regnum cœlorum.

Matt. 19. *1. Cor. 3.* *Ioan. 12.* *Matth. 19.*

Vnde apertè habetur quâ causa exultauerit Christus, videns Patrem suum reuelatum hisce paruulis. Certè quia hi paruuli videntes se, ad hæc mysteria vocatos, effundunt se totos in amorem, & laudem Dei: qui eos vocauit ad cœlestia regna. At sapientes non ita laudassent. Iam paruulus, & pauper, vbi ditatus est, & vbi thesaurum reperit, cautè conseruat. Diues facilè consumit. Ita Christianus paruulus thesaurum luminis diuini arctissimè custodit: quem sapiens facilè despicit. Et tandem in hac re sequutus est Christus homo, hominum morem: qui facilius afficiuntur in miseros, &

2. Tessal. 2.

deiectos

deiectos.quàm in superbos,& opulētos. Ideo gaudet vidēs opes Patris in paruulos effusas.

At non est silendum, cur Dominus dixerit: *Abscondisti hæc*, cur non dixit: Abscondisti has opes, hoc lumen, hunc thesaurum? Certè quia tanta sunt illa, quæ Pater abscondit sapientibus,& reuelat paruulis:vt nullo nomine vno nominari possint. Sunt illa,lux,sol,cœlum,ignis,aqua,vita,cibus, potus, opes, & tandem sunt omnes thesauri: igitur nullo vnico nomine nominari queunt. Erit ergo illis silentium laus. Ille igitur nominare potest, ea quæ paruulis a Patre reuelantur in terra: qui nominare potest, ea quæ Sanctis communicantur in cœlo. At quę in cœlo dantur,nec oculus vidit, nec auris audiuit: igitur nec oculus vidit quæ paruulis dantur in terra. Quæ enim his dantur in terra, eiusdem ordinis sunt, cum ijs quæ eis dabuntur in cœlo. 1. Cor. 2.

Fateor à Salomone hæc dona nomine sapientiæ fuisse donata, nomine item sensus, & nomine spiritus sapientiæ, cùm dicit:Optaui & datus est mihi sensus,inuocaui,& venit in me spiritus sapientiæ. Sed vide quid addat: Venerunt mihi omnia bona cum illa. Igitur hæc sapientia est omnia bona, & est innumerabilis honestas, & est infinitus thesaurus. Meritò igitur Christus nullum nomen huic thesauro, his infinitis opibus indidit. Sapien. 7.

Ita Pater, quia sic fuit placitum ante te. Iam nunc intelliges causam, quare Christus Patrem suum, Dominum cœli & terræ vocarit. Domini enim est facere quæ vult. An non, inquit, possum quod volo facere? Quia Dominus, est ideo reijcit quos vult: & delegit quos vult. Paulus quærebat,cur Esau Deus odierit: Iacob verò elegerit, quare Israëlem reiecerit,gentes verò assumpserit? Respondit: Quia figulus habet potestatem, ex eadē massa,aliud vas facere in honorem: aliud verò in contumeliam. Hæc Paulus: Sed multo altius eidem quæstioni nunc respondet Christus, eo reiecit quosdam, delegit verò alios, quia Dominus est cœli & terræ: & ideo facit quod est placitum ante se. Figulus enim facit quæ alij iubent. Deus facit, quod sibi placet. Et eleganter textus Græcus dicit: *Ita Pater, quia sic fuit beneplacitum ante te.* Eò enim quòd ita placet, ita etiam bene placet. Non enim aliunde res habent, vt bonæ sint: quàm quia Deo placent. Nam sapienter Paulus: Vt sciatis quæ sit voluntas Dei bona. Si enim voluntas Dei est, bona est. Nolit igitur perscrutari Mich. 20. Rom. 9. Rom. 12.

tari altius animus noster, quàm Christus definiuit magister noster.

Iam cùm Christus videret nouum regnum inchoari, nouos ciues deligi, videretque se huius regni principem constitutum dicit:

Omnia mihi tradita sunt. Et nemo nouit Filium. Sanè communis confessio est, omnes homines appetere fœlicitatem. Est verò fœlicitas, status omnium bonorum. Igitur mortales si statum omnium bonorum summis votis expetitis: en omnia mihi tradita sunt. Nullus alius ergo ea vobis dare potest: mihi enim tradita sunt.

Iam communis Theologorum sententia est, fœlicitatem consistere in cognitione. Quòd si Theologis diffidis, Christum audi: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Patrem, &

Ioan. 17. Filium tuum. Igitur ô homines si fœlicitatem concupiscitis (hæc verò est cognoscere Patrem & Filium) iam scitote me solùm hanc cognitionē vobis præstare posse. Patrem enim & Filium, solus Filius potest reuelare. Meritò ergo statim subdit: Si mea sunt omnia bona quæ vos quæritis, si solus possum reuelare vobis Patrem & Filium (quæ vestra fœlicitas est) *Venite ergo ad me.*

Nota cur dixerit: *Patrem nemo nouit nisi Filius*. Certè per naturam cognoscitur Deus, & etiam per legem. Sed per naturam cognoscitur cum mille erroribus, & per legem cum mille figuris, & vmbris: qui igitur certò & apertè reuelat, solus Filius est. Docuerūt Philosophi Deum, sed vide quàm fallaciter: docuit lex, sed vide quàm figuratè. Dices: An non & Spiritus sanctus reuelat Patrem & Filium? Planè: Sed Spiritus nihil aliud docet, quàm quod Filius reuelauit.

Ioan. 4. Suggeret enim quæcunque dixero vobis. Ea enim omnia quæ Spiritus in concilijs definiuit, ex ijs quæ in Euangelio Christus reuelauit, robur suum ostendunt. Venite igitur ad me omnes qui naturaliter scire desideratis, & ego vobis reuelabo Patrem & eius Filium.

Pulsas forsan, cur priori loco dictū sit: *Omnia mihi tradita*

Sapien. 8. *sunt?* Certè quia hominum appetitus scientiam postponit diuitijs. Igitur si placent vobis omnia bona, venite. Vbi nota: Humanitas Christi habet omnia bona, & ei tradita sunt. Cùm enim accepit esse diuinum Verbi æterni: simul cum eo accepit omnia bona Verbi. Necessariò enim, accipiens esse hypostaticum Dei, accipit omnia quæ possidet

Deus,

Deus. Ergo pariformiter, qui recipit esse Dei per gratiam, recipit etiam (suo modo) omnia eius bona. Sicut qui recipit esse diuinum per gloriam, recipit etiam omnia bona. Sicut ex aduerso: qui amittit in inferno hoc esse Dei, recipit omnia mala. Et ex consequenti, qui amittit Deũ per peccatum mortale, etiam recipit omnia mala. Hæc verò non solùm spectantur ab ingenio: sed ferè conspiciuntur experimento. Ea enim anima quæ coniecturis quibusdam se Deo videt vnitam, cum suum statum nullis mundi bonis commutabit. Cur ita? quia sicut Christo tradita sunt omnia bona: ita & per Christum illi animæ eadem tradita sunt, suo cuique tamen modo.

Ergo *venite ad me omnes qui laboratis, & ego reficiã vos.* Primùm sperabo, hunc esse primũ locũ, in quo Christus omnes inuitat ad se: & ferè sensus est, Deus vester sum, venite ad Deum vestrũ. Fons sum, aquæ salientis in vitam æternam: venite ergo sitientes ad aquas. Mons sum præparatus in montium omnium vertice: venite vt ibi doceamini de vijs Dei. Signũ sum eleuatum in nationes, venite ad me profugi. Ego mons, in quo fit conuiuium pinguium, vindemiæ medullatorum: venite ad edendum. Ego fortitudo pauperi, spes à turbine, vmbraculum ab æstu, venite vt protegamini. *Isaiæ 55.* *Isaiæ 2.* *Isaiæ 11.* *Isaiæ 25.*

At qui ô princeps Christe, vocas omnes, omnibus promittens refectionem: vide quid pollicearis. Sunt enim hominum mala innumera quibus torquentur: quomodo tu illis omnibus medeberis? Planè nemo nisi Deus verbum illud, verum facere potest, nemo enim nisi Deus omnes reficere valet, ille enim reficere potest, qui & facere. Locus ergo apertus quo Christus se Deum protulit hic est. Solus enim Dei est ex omni tribulatione liberare. Sed Christus se verum dixisse olim probauit, sanans omnes languores corporis, per quos languores significantur & animæ. Probat etiam, quotidiano ferè experimento. Nullus enim in quacunque tribulatione, verè ad eum accessit: quin sui laboris, & languoris attulerit medicinam. *Isaiæ 25.* *Psalm. 35.* *Matth. 4.*

Sed attende: Vocat Dominus nõ omnes, sed laborãtes & oneratos. Felix ergo & labor & onus: per quæ ad Christum aduocamur. Sunt certè quidã, qui laboribus murũ fecerunt, qui in labore hominũ non sunt, quorum sunt promptuaria plena, eructãtia ex hoc in illud, qui dixerũt, vt affluãt delitijs & fruantur bonis. Hos non inuitat Dominus. ô miserum *Psalm. 72.* *Psal. 143.* *Ecclesi. 2.*

otium.

otium, miseramque negligentiam, quæ à vera requie homines separat. Sane si labor, & onus vasa sunt, in quibus refectio Christi ferenda est: ego equidē onus volo, & laborem. Illa enim refectio vt à Deo, diuina erit: ac ideo longè potentior ad exhilarandū, quàm sunt onus & labor ad affligendū.

Tollite iugum meum super vos. Non adeò facilè est nosse quódnam sit hoc Christi iugum, hoc eius onus? Nescio an dicere audeam, onus & iugum, esse amorem & dilectionē?
Ioan. 15. Certè si iugum significat legem, Lex Christi est amor. Hoc enim est mandatum meum: vt diligatis inuicem. Quin etiam si Christus non id dixisset, Paulus tamen admonuit, eum
Rom. 13. qui diligit, vniuersam legem implesse. Igitur iugum & onus Christi amor est, teste Augustino qui dixit: Amor meus, pondus meum. Ex quo iam intelligitur iugum esse suaue: quid enim amore suauius? quid etiam leuius? iugum tamen esse, & onus sentit, qui amat.

1. Cor. 6. Quòd si iugum libet ab onere secernere, auderem dicere, onus Christi esse Christum, esse Deum ipsum. Audi Apostolum: Pretio estis empti, portate igitur, & glorificate Christū in corpore vestro. Christus ergo est onus, quod Christianus portat: & quia onus hoc reuera grauissimū est, ideo Psaltes
Psalm. 26. ad ipsum ferendum animat, dicens: Viriliter age, confortetur
Isaiæ 43. tur cor tuum, & sustine Dominum. Sanè cùm mali sumus,
Isaiæ 1. onus Deo sumus: & onus adeò graue, vt ipse dicat: Labo-
Ierem. 6. rare me fecistis, in iniquitatibus vestris laboraui sustinens.
Iob 31. Porrò cùm boni esse incipimus, Deus est nobis oneri. Audi Iob dicentē: Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui. Cur ergo, si Deus nostrum onus est, leue hoc onus asseritur? Certè quia amor facit ipsum leue. Nec esse potest nimium graue pondus, quod vires præbet ferēti. Quodq; pro ferentis viribus, se humeris nostris suspendit.

Sed non est silendum cur Dominus dicat: *Iugum meum suaue est.* Certè non est natura iugi, vt vni soli apponatur. Si iugum est, duos grauare debet. Quis est ergo ille, qui mecum iugum portat? Audeo & hoc dicere, Christus ipse est iugalis noster, qui iugum fert nobiscum, nobiscumq; laborat. Audi
Sapien. 9. Salomonem in ea elegantissima oratione, quâ sapientiam
1. Cor. 15. (quæ Verbū Dei est) à Deo petiuit. Mitte, inquit, sapientiam de cœlis sanctis tuis: vt mecum sit, & mecum laboret. Audisne sapientiā cum Salomone laborantem, qualisq; iugum

cum

eum illo ferentem? Quin & Paulus dicit. Prę omnibus laboraui: non ego, sed gratia Dei mecum. Gratia verò Dei licet sit habitus quidam infusus animæ, ille tamen non laborat: nisi Christo eius gratiæ autore laborãte. Ergo Christus cum Paulo laborat, iugumq; fert cum eo: nescio an pari, an verò maiore quàm Paulus, nisu.

Iam si Christus iugum nobiscum portat: non potest non esse leue iugum, quod partim à tam robusto boue portatur. Et si pondus graue est, non potest non esse leue, quod à viribus tam giganteis sustinetur.

Vide verò quod inquit: *Tollite iugum meum super vos.* Non dicit: Super humerum vestrum, aut collum: sed super totos vos. Nulla enim in Christiano pars esse debet, à iugo & onere libera: si enim offenderit quis in vno, factus est omnium reus: ergo qui iugum à se in vno abijcit, in toto se putet abiecisse. Rectè Dauid onus super se totum sentit. cùm dicit: Omnia ossa dicent, Domine quis similis tibi? quia videlicet Deũ super omnia ossa gerebat. Et rursum: Benedic anima mea Dominum, & omnia interiora mea nomen sanctum eius. Laudabant omnia interiora iugum quod ferebant. Iacobi 2. Psal. 34. Psal. 102.

Discite à me quia mitis sum & humilis. Quid Domine te mitem dicis? an non tu es Deus vltionum? an non rogat Dauid: Domine ne in furore tuo arguas me? an non tu es qui inebrias sagittas sanguine, cuius gladius deuorat carnes? Iam si tu fateris, gloriam tuam te alteri non daturum, cur fateris te humilem esse? quid habes quod humiliet te? Ad hoc sub censura dictum velim: Non credo Christum simulatè, vel fictè mitem, aut humilem: sed in spiritu & veritate. Causa verò quæ eum humiliabat hæc erat: Christus non est intelligendus vt priuat⁹ aliquis homo. Sed vt homo omnes homines comprehẽdens, & omnium hominum vicem gerens. Quare erat homo omnium hominum peccata sustinens. Posuit enim Pater super eum peccata omniũ nostrum: & ideo ipse dicebat: Longè à salute mea verba delictorum meorum peccata nostra sua esse asseuerans, & pro nostris peccatis pœnã se luiturum promittẽs. Meritò ergo humilem se esse fatebatur. & qui non homo esset, sed opprobriũ hominum, & abiectio plebis. At qui ita se abijcit, mitis necessariò est. Porrò qui à Christo hãc humilitatem & mãsuetudinem, cum amoris iugo didicit, planè requiem animæ suæ inuenit: humilis enim amor thesaurus est, & requies. Psalm. 93. Deut. 32. Isaia 42. Isaiæ 53. Psalm. 21. Psalm. 21. Apoc. 2.

CAP.

CAPVT XII.

In illo tempore, abiit Iesus, &c.



IVSTE Matthæus hanc historiam incepit, hoc modo: *In illo tempore.* Vt enim capite præcedenti videns Iudaismum reijci, & nouum regnum inchoari, dixit: In illo tempore, respondens Iesus, & c. ita & nunc: videns legem veterem antiquari, nouam nasci, veterē obtenebrari, nouam splendere, ait: *In illo tempore*: in illo, inquā, tempore morientis legis, nascentis Euangelij. Quasi morientis Rachelis, & nascentis Beniamini.

Et hæc vera causa est cur corrixentur Pharisæi. Si enim attentè discutias, frequenter Dominus operatur in sabbato. Pharisæi verò vsque ad rabiem pugnant pro sabbato. Cur ita? Certè quia nulla res ferè adeò præcipiebatur Iudæis, vt sabbatum. Quòd si sabbatum violare licet, totam legem violare licebit. Ergo ex sabbato tota lex fere pendebat. Ideo Dominus legem antiquare volens, sabbatum antiquat. Pharisæi verò, pro sabbato, vt pro tota lege, decertant: ne eis tota lex eripiatur,

Exod. 31. *Exech.* 31. *Isaia* 58.

Ergo Domine, si sabbatum violans, totum statum Iudaicum violare contendis: fortissimas te rationes contra legis propugnatores oportet adducere, quibus legem, & legis patronos deijcias. Prima ergo ratio sit: Dauid cum suis violauit panes propositionis, idque sacerdote volente: Planè id erat signum venturum aliū verum, & genuinum Dauidem, qui esset legē violaturus. Quæ enim Dauid ille prior fecerat, figura fuêre, eorum quæ à secundo Dauide erant facienda. Violauit legem ille prior: violat & posterior. Cur ergo vos repugnatis, scientes priores sacerdotes non repugnasse? an non scitis Christum esse Dauid? certe id vos Ieremias doceat, cùm dixit: Suscitabo Dauid germen iustum, & Ezechiel dicens: Suscitabo super ea pastorem vnum, qui pascat ea, seruum meum Dauid.

Exec. 34. 1. *Cor.* 10. *Ierem* 23. *Exec.* 34.

Secunda ratio: iuxta legem, sacerdotes vestri sabbato hostias mactant: quas Deo immolent, & ipsi manducēt. Ea figura fuit nouorum sacerdotum, qui in festis maximè diebus, homines sint Deo immolaturi: ex quibus sint ipsi manducaturi.

ducaturi. Id præsagiunt, cùm spicas vellunt, vt ex eis edant, & Deo offerant. Act. 10.

Tertia ratio, Dominus dicit: *Misericordiã volo, & nõ sacrificium.* Videlicet, quia sacrificia neminẽ poterant facere perfectum. Impossibile siquidẽ erat, sanguine hircorũ aut taurorum, auferri peccata. Ideo cùm Christus ingreditur mundũ, ait: Sacrificium & oblationẽ noluisti. Quid ergo cupis? certè misericordiã, vt corpore Christi per misericordiam oblato, diuina in nos misericordia fundatur. Si hoc vos sacerdotes intelligeretis, non adeò vestrã sacrificiorum legẽ zelaretis. Nec discipulos meos Dei voluntati obsequentes, dãnaretis. Hebr. 10. Hebr. 9. Hebr. 10.

Quarta ratio: Dominus est filius hominis etiam sabbati. Planè, quia tuus est dies, tua est nox: tu fabricatus es auroram & solem. Planè qui cõdidit legem, is est qui potest abolere. Ego feci sabbatum, ego legẽ de eo tuli: ego ipse legem quam tuli reuoco. Psalm. 75.

Si verò rationem reuocandi requiris, hæc est. Deus fecit sabbatum seculare, indicans sex diebus mundum fuisse perfectum, eiq; nihil tum deesse. Sic enim habetur: Perfecti sunt cœli & terra, & omnis ornatus eorũ, tuncq; requieuit Deus ab omni opere quod patrarat. Planè requieuit, & sabbatum indixit, quia mundo corporali, ex corporalibus nihil deerat. Cùm verò venit Christus, mundum nouum condidit. Ad quem comparandum non sat essent seculares labores, sex diebus exhausti: Sed necesse erat nouum laborem adhibere, vt noui mundi vitã assequeremur. Aliquid ergo deest mundo corporali, vt ad spiritualem perueniat: id erat in sabbato seculari acquirendum. Reuocetur igitur otium secularis sabbati: & ad requiem diei Dominici transferatur: vt dominica die, cum Domino resurgamus. Quia enim non sumus ingressi in requiem spiritualem ex operibus legis: necesse est, vt sabbato legali violato, laboremus, vt in nouum sabbatismum ingrediamur. Hæc ratio est Apostoli, quam fusè ille explicat. Hactenus strictim neruos Euangelij huius enarrauimus. Fusius eius partes enarrare libet. Genes. 2. Hebr. 4.

In illo tempore. Quo nouitas Euãgelij refulsit. Quo iugum & onera legis, ab humeris hominum remota sunt. Quo Dominus se suorũ defensorẽ, calumniis impugnantiũ obiecit. Quo Dominus humanarũ sanctionũ vim explicauit. Quo Dominus quas ex legibus diuinis, magis cuperet ipse seruari, declarauit. Quo cultus Dei vbi sit maximè situs, demonstrauit.

ſtrauit. Quo prædicatorum vitam qualis futura eſſet delineauit. Quo demum prædicatoribus autoritatem intrandi per ſata, & inde ſpicas edendi conceſſit. Meritò dixit, *in illo tempore*, vbi tot myſteria ſunt demonſtrata.

Abiit ergo Dominus per ſata Sata hæc ſunt homines in terra defixi, de quibus dicitur: Vocauerunt nomina ſua, in terris ſuis. Sepulchra enim ſunt domus eorum in æternum, & tabernacula eorum in progenie & progenie. De his dicitur: Væh habitatoribus terræ. Et rurſum: Plangent ſe omnes tribus terræ. Hi ſunt Adam terrenus: & quia de terra ſumpti, in terram redituri. Sati hi homines terreni in terra maledicta, quid erunt niſi maledicti? filij, ſcilicet, iræ. Igni igitur perpetuo ſeruantur, non cœlo.

Pſal. 48. *Apoc. 8.* *Matt. 24.* *Geneſ. 3.* *Epheſ. 1.*

Habēt hæc ſata, id eſt, hi terreni homines ſpicas: quæ ſunt ſuæ partes celſiores. Cor verò eſt pars hominis altior, cor ergo ſpica eſt. In hoc corde latet amor, affectus, intentio: ſicut in ſpica granum. Hunc porrò amorem cupit Deus ſibi in eſcam parari. Sed eſt amor mille inuolucris, folliculis, & ariſtis obuolutus. Prauum enim eſt cor hominis, & inſcrutabile: quis enim ſcrutari poteſt tot amoris noſtri ſenſualitates, inclinationes, & vanitates? Comedere verò affectū, & amorem hunc, cum ariſtis & vanitatibus ſuis, Deus non poteſt. Quid remedij vt comedat? certè, vt amor ſuis expolietur inuolucris & ariſtis, ſcilicet, vanitatibus & inclinationib⁹, quæ in nullum ſunt vſum: niſi vt vel à vento ferantur vel ab igne crementur.

Ierem. 17.

Igitur ad expolianda hæc grana, dignatus eſt Dominus ſuos diſcipulos per ſata introire. Quis verò rem tantam aggredi auderet, niſi Domini autoritate iubente? Quid porrò nos eſſemus, niſi Chriſti diſcipuli ad nos expoliādos intraſſent? Sed interim videant, qui ad expoliādas ſpicas accedūt: tantum intereſſe debere inter prædicatorum & audientium vitam, quantum intereſt inter ſpoliātes, & ſpoliatas ſpicas. Rurſum aduerte: Apoſtoli Domini pauci fuerunt, & pauco cibo cōtenti, paucas ergo ſpicas euulſerunt, paucas confricauerunt, & comederunt. Multò igitur plures manſerunt integræ ſpicæ, quam expoliatæ. Certè quia multi ſunt ſati & vocati, ſed pauci expoliati & electi.

Matt. 22.

Aduerte tertiò: Eſuriunt diſcipuli ſpicas, ideo comedunt eas. Grande donum Dei eſt eſurire ſpicas, id eſt, hominum ſalutem. Optabat Paulus ſpicas has, cum dicebat. Optabam

ego

ego anathema esse pro fratribus meis. Planè proprium fuit Rom. 9. Filio Dei, nostram salutem (vt qui pater noster esset) optare. Optabit igitur, & discipulus ille cui datum est, vt sit Patris æterni Filius, & terrenorum hominum Pater: Quòd si optauerit ardenter & efficaciter comedet. Non enim defraudat Deus suo cibo illam esuriem.

Cœperunt ergo discipuli vellere spicas. Primùm aduerte: Non Matth. 5. vellunt discipuli integros calamos, sed solas spicas. Quia discipulis non est præcipuè datum, hominum corpora ex vita rescindere. Sed eorũ corda & affectus è terra in cœlum attollere. Id enim est, quòd Petro dicitur. Mitte gladium tuum in vaginam. Quasi dicat: Non est functio tua, calamos Matt. 26. secare.

Secundò, aduerte: cùm euellitur spica, moritur, cùm fricatur deteritur, cùm editur corrumpitur. Dices: Cur ergo spica moritur? certè quia ita moriens viuit. Nisi enim mortua fuerit cum Christo vita nostra, nõ resurget cum Christo Ioan. 21. mors nostra. Et certè fœlicius & sublimius viuit spica, excisa ab homine: quàm in calamo fixa. Propterea Petrus dicitur Matth. 3. piscator hominum: quia licet moriantur, educti pisces ab aqua: fœlicius tamen viuunt in comedente, quàm vixissent in mari. Ita sanè claudicatio Iacob, fuit eius illustratio: Genes. 22. alligatio Isaac, vt moreretur, eius fuit exaltatio, vt scilicet Genes. 22. hæres esset: & quotidiana Dauidis mors (quàm ei parabat 1. Reg. 26. Saul) erant quotidiana merita: quibus regnum Deus illi parabat. Demum nisi granum frumenti cadens in terram Ioan. 12. mortuum fuerit, nullum fructum affert. Auellendus ergo est amor noster à terrenis: idque Apostolica manu, & diuina autoritate. Quæ enim Apostoli in terra soluunt, & euellunt, Matth. 18. soluta & euulsa manent in cœlo.

Auulsa spica ex calamo, manibus Apostolorum fricatur, & purgatur. Memoria reputo, nobile illud ex Psalmo dictũ: Pauit eos in innocentia cordis sui, & intellectibus manuum suarum, id est, pauit eos in ea eruditione & intellectu, quem Psalm. 77. manus pepererunt. Frigida enim est omnis eruditio, quæ manuum operatione, & fricatione non est calefacta. Igitur spicas non fricant verba, sed manus: operare, & fricare noueris teneras spicas. Multum ergo ora, multas misericordias exerce, multum prædica, vt purgare & comedere possis spicas istas. Demum post auulsionem spicæ, purgare eam conuenit.

Purgatam spicam comedit Predicator, vt verum sit in eo illud: Labores manuum tuarum quia manducabis. Alat cor-
Psal. 127. pus nostrum cibus iste terrenus: sed prædicator non alatur,
Psalm. 131. non gaudeat nisi de parta animarū salute. Non enim debe-ret predicator dare somnum oculis suis, donec inueniret locum Domino. At qui locum Domino exhibuit, escam ei parauit: cibus verò Christi salus est animarum. Sed væh, multi ex nobis non quærimus quomodo Christum, aut animas nostras animarum salute pascamus: sed quomodo hęc bruta corpora infarciamus.

Pharisæi autem videntes. Deum immortalem, etiam cum Christo ibant Pharisæi, non soli discipuli sectantur magistrum, sed eius etiam inimici. Vt nullus locus tutus sit ab impugnatione, etiā in collegio Christi. Sed si in cœtu Chri-
Psal. 117. sti impugnaris, ab ipso propugnaberis. Dominus enim mihi
Iob 17. adiutor: nō timebo quid faciat mihi homo. Et rursum: Pone
Iob 17. me iuxta te & cuiusuis manus pugnet contra me.

Dominus igitur respondet calumniæ: sed non nisi ex
Matt. 4. textibus sacris. Vt enim tentanti diabolo, non respondit, sine textu: ita nec eius ministris calumniantibus respondet sine textu. Videlicet, vt cùm agitur, an quidpiam liceat, necne: ad autoritatem sacrarum Literarum maximè recurramus. In ea tamen responsione nota Dauidem & suos, non comedisse panes propositionis, nisi à mulierib' puros. Quo significatum est prædicatores, spirituales panes manducaturos, castos esse oportere. Siquidem libido esuriem animi extinguit: sicut flammas carnis accendit.

In secunda ratione nota, Sacerdotes antiquos, maximè sabbatis, carnificinam exercuisse, in signum & figuram nouorum sacerdotum: qui diebus maximè festis carnificinam humanorum cordium, quæ Deo offerant, facere debent. Vt enim in festis diebus, paratior est Deus, ad suum auxilium præstandum: ita esse debet quiuis Predicator, ad eum colendum, colitur autem maximè: si ei corda hominum edenda proponas. Et hæc causa est, quare Christus ferè sabbatis sua mirabilia operatur. Et causa est, vt arbitror, quare in festis Christianorum præcipuis, soleant fideles ad Deum suum conuerti.

In tertia Christi ratione. Caue ne consentias Luthero, Ecclesiæ cæremonias neganti. Non enim Deus, renuit sacrificia nostra: sed renuit vetera illa. Alioqui si sacrificium non vult,

vult, cur ſe Chriſtus Patri in ſacrificium crucifixus obtulit? Cur ſancti martyres ſua corpora Deo ſacrificāt? Planè ſi Patri ſacrificium Iuda, & Ieruſalem (quod eſt Chriſtus cruci confixus) adeò placuit: placebunt etiam omnia Chriſtiana ſacrificia, quæ non niſi Chriſti ſanguine tincta ſunt. Nota etiam nullum peccatum mortale committi contra cæremonias: ſi non ex contemptu, neque animo iniquo: ſed ex iuſta potius cauſa violenter. Quomodo enim in infernum Deus trudet animum pium, & bene de Deo merentem?

Malac. 3.

Caietan. verbo, Clericus, & Ieiunium.

In vltima ratione ego mihi lubentiſſimè adnoto verbum illud Domini: *Dominus eſt filius hominis etiam ſabbati*, id eſt, Dominus eſt filius hominis legis, quàm prius ſtatuit: vehementer id audiens gaudeo. Video enim legem quæ dixit, peccatum in Spiritum ſanctum eſſe irremiſſibile. Sed gratiæ Chriſto, hanc legem ipſe reuocare poteſt. Dominus enim eſt etiam ſabbati. Item ſtatuit lex, cor durum male habere in nouiſſimo, & mortem peccatorum eſſe peſſimam. At etiā huius legis Chriſtus Dominus eſt. Item ſtatuit lex: Cum ſancto ſanctus eris, ſed cum peruerſo, peruerſus eris. Et hanc etiam legem irritare poteſt Dominus legis. Fateor, nollem in has leges impingere, ne earum ſeueritatem ſentirem: ſed vbi in eam infœlicitatem incidiſſem: deſperare nollem, ſciēs Chriſtum eſſe Dominum ſuæ legis.

Matth. 12.

Eccleſ. 3.

Pſalm. 33.

Pſalm. 17.

Forſan deſideras noſſe, quid ſit ſabbatum ſecundo primum: in quo huius Euangelij hiſtoria contingit. Sabbatum ſecundo primum propriæ erat decima ſexta luna, diem maximum Paſchæ ſequens. Ea enim die iubebatur afferri frugum manipulus: vt habetur Leuit. 23. Dicebatur ſecundum, quia ſequebatur feſtum Paſchæ: dicebatur ſecundo primum, qua primum erat inter ſabbata ſequentis feſtiuitatis. Hæc ex Ioſepho. lib. 3. Antiquitatum. c. 13.

Non libet præterire, quàm apertè Chriſtus hic ſuam diuinitatem expoſuit: dixit enim, Templo maior eſt hic. Et item Dominus eſt filius hominis etiam ſabbati. Planè ſi Dominus eſt Chriſtus legis, quam Deus ſtatuit: ergo Deus eſt, & idem ſi templo & altari maior eſt.

Et cùm inde tranſiſſet Veriſſimum eſt, hunc qui manum aridam habebat, genus hominum, & quemlibet noſtrum ſignificaſſe. Habet igitur homo aridam manum: ſed eius ignoratur ariditas, donec Chriſtus in ſynagogam intrat. Expende nunc myſteria. Habet homo manum, ſed aridam:

Quia facultatem habet cœlum manu arripiendi. In hoc enim natus homo est: vt operibus quasi manibus Deum sibi compararet. Sed arida est hęc sine Christo facultas. Impossibile est enim, per naturam, aut per legem solam, cœlum arripere, Vt tota Epistola ad Roman. & Galatas Paulus ostendit. Quantùm verò hæc ariditas noceret, nesciebatur, donec venit Filius hominis in synagogam. Venit igitur, & licet à Patre missus veniat: venit etiam sua ipsius autoritate: vt qui Deus esset (hoc enim verbum illud. Venit, significat: vt supra dictum mihi est:) venit verò, non in concilia gentium: sed in synagogam Iudæorum. Neque enim angelos, aut Cæsares apprehendit: sed semen Abrahæ apprehendit.

Concilium Trident. Sess. 6. canon. 1.
Ioan. 20.
Suprà c. 8.
Hebr. 1.

Ingresso Domino in Iudaismum, id est, ingresso in carnem Iudæorum: Controuersia oritur de sabbati obseruatione. Christus enim venerat dissoluere sabbatum, cum tota lege literali. Iudæi huius ignari sacramēti, vmbras suas cum luce, seruare contendunt. Literam quæ occidit amplectuntur, spiritum qui viuificat reijciunt. Sed ò Pharisæi, qui circuitis mare, & aridam: vt faciatis vnum proselytum: quem vbi feceritis, filium duplo gehennæ, quàm vos facitis, respondete: Num sabbato licet animas diabolica fraude deceptas eripere? num licet ciuitates dissipatas reædificare? num licet salutem omnibus seculis optatam præstare? num licebit ouem in puteo limbi iacentem extrahere? Genus hominum ouis vna est, ex centum. Hæc in infimam peccatorū foueam præcipitata est: decidit verò in sabbato, eo scilicet die, quo Deus requiescebat, ab omni opere suo, & homo quiescebat ab omni miseria: num ita iacentem in peccatis ouem licet eruere?

2. Cor. 3.
Matt. 23.
Isaiæ 49.
Gen. 49.
Luc. 15.
Genes. 3.

Certè Deus cupit ouem in puteum collapsam educere: & vt eam educat, in foueam & puteum intrat ipso dicente: Libera me de profundis aquarum, non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum. Intrauit Dominus vsq; ad vētrem ceti: vt inde voratam eriperet ouem. Eripuit, tenuit: non dimittet, donec eam secum in cœlum abducat. Si verò ouis toto nisu, à manu pastoris sui elabi conatur: hæc ouis, non pastoris culpa est. Pastor enim supra humeros suos ouem assumpsit. Libera verò est, si inde suo malo recedere vult.

Psalm. 68.
Ionæ 2.
Lucæ 15.

Cū igitur nemo sit sani iudicii, qui neget hoc opus summę commiserationis à Christo in sabbato fieri: plana conclusio sequitur.

ſequitur. Igitur licet ſabbatis benefacere. O concluſionem omni acceptione dignam? Sane ante Chriſti aduentum in ſabbato erant homines: in otio ab operibus cœli. Lex enim ad perfectum adduxit neminem. Totum ergo illud tempus ante Chriſtum exortum, erat ſabbatum: in quo non poterant homines, ex legis natura, operari: niſi legalia, & carnalia. Iam per Chriſtum licet benefacere. Iam licet cœlum operibus noſtris comparare. Operibus ſcilicet, quæ faciamus vt filij: & non vt miſeri ſerui. Igitur hactenus vmbra, ſomnus, nox, mors. Iam nunc veniente corpore Chriſti, legis vmbra recedat. Sole iuſtitiæ veniente: ſomnus, & nox abeant. Vita aduentante exulet mors: ſi nox receſſit, & dies appropinquauit, licet iam viuere, licet iam lætari, licet iam bene operari. *Hebr. 10.* *Colloſſ. 2.* *Ioan. 1.* *Rom. 13.*

Secundò, ſi licet ſabbato benefacere, taceant ſcrupuloſè feſta ſeruantes: Omne enim opus quo Dei ſolius gloria requiritur, licet in ſabbato. Et rurſum: Omne opus in feſto licet, quòd neceſſitas, vel magna commoditas à nobis extorquet.

Tunc ait homini. Homini, qui nihil erat aliud, quàm homo. Et ideo erat vniuerſitas miſeriarum: quia ſcriptum eſt, Vniuerſa vanitas omnis homo viuens. *Pſalm. 38.*

Extende manum tuam. O vocem magnificam. O vocẽ verè generoſam: quæ, vt manui ſalutem daret, à Chriſti manu ſanguinem hauſit, & ab eius corpore vitam auulſit. Etenim, vt manus noſtra vireſceret manus Chriſti aruit. Aruit enim tanquam teſta virtus mea. Exiens ſanguis Chriſti manibus, eas reddidit mortuas: vt in noſtras intrans, eas redderet viuas. *Pſalm. 21.*

Iam igitur manus noſtræ non ſunt aridæ: ſuccum habent, ex ſanguine Chriſti. Operari igitur poſſunt opera Dei. Si enim ſanguinem Dei receperunt, vt viuerent opera Deo digna operari poterunt. Qualis enim eſt cuiuſque vita, talis etiã erit operatio eius. Si igitur manus noſtra, ex Chriſti ſanguine facta eſt diuina, opera etiam faciet diuina. Eam diuinitatem, Sacramenta Eccleſiaſtica, dignè ſuſcipienti præſtare poſſunt.

Quid verò ſi tu eum diuinum rorem in arctem manum excipere recuſas? Imo quid ſi vbi cœleſtem ſanguinem in manus recepiſti, vt operareris cœleſtia: at operaris diabolica? Quæ te manet miſer pœna?

Attende precor Christi præceptum, *Extende, inquit.* Non ad te contrahas: non quæ tua sunt quæras, sed quæ Christi.
1. Cor. 15. Non te ad posteriora conuertas, sed ad priora te extende.
Philip. 3. Nam qui malè agit, non se extendit: sed ad posteriora se conuertit. Scito enim eam vim, quam in manu accepisti, totam velle se extendere: nunquam velle otiari. Ita enim Paulus:
2. Cor. 5. Charitas Christi vrget nos. Ergo si Pater extendit manum suam, dans nobis Filium suum, si Filius extendit manum
Lucæ 1. suam, dans nobis sanguinem suum, facitque potentiam in brachio suo, vt nos aridos in vitam restitueret, & iacentes exaltaret: cur nos manum nostram non extendimus?

Restituta est sicut altera. Altera manus sinistra est. Videre est mundi homines accensos, inflammatos, ardentes: vt res mundi assequantur. Manum hi habent sinistram: vtinam aridam, sed minimè aridam, licet reuera aridam. Id ergo præstat Christus, vt eo affectu, & ardore, dextra manus tua, operetur æterna, quo perditorum sinistra operatur mundana. Id verò est restitui dextram, quod Paulus inquit:
Rom. 6. Sicut exhibuistis membra vestra seruire iniquitati: ita nunc exhibete seruire iustitiæ. Videlicet, vt sicut delitiosus glo-
2. Cor. 11. riabatur in delitijs, Christianus glorietur in tribulationibus in fame, siti, frigore, nuditate, plagis, carceribus, moribus, &c. Fortior enim est spiritus quam caro, gratia quàm natura, Deitas quàm humanitas, Christus quàm Adam.

Cùm verò audis. *Restituta*, intellige redditam esse manum
Rom. 5. illi statui, qui erat in paradiso? Imò forsan in maiore, vbi enim abundauit delictum, superabundauit & gratia. Licet ibi opera sine labore fierent. Nunc, heu, non sine labore & sudore.

Exeuntes autem Pharisæi, &c. Non satis patet genuinus sensus huius periodi. Cùm enim Matthæus locum citet Isaiæ: non est apertum, quorsum adducat. Hinc ergo libet ordiri.

Tria sunt quę Dominus in hoc loco peregit. Primùm frementes Pharisæos deseruit. Secundò, sequentes se turbas curauit. Tertiò, cùm innumeros languidos sanasset (vnde sibi ingens gloria parabatur) præcepit tamen, ne eum turbæ manifestarent. Cùm ergo, tria hæc à Domino facta sint: primum spectans ad clementiam, secundum, ad charitatem, tertium ad humilitatem, considerate aduertendum est:

ad quod

ad quod horum, locus Isaiæ producatur. Et quidem omnes ferè Sancti ad primam partem, adductum credunt, vt sensus sit: Dominus non confregit eos, qui maximè confringendi erant: sed solùm ab eis recessit. Ego tamen licet videā adduci ad secundum posse: quia tamen meliùs, & quadrantiùs ad tertium applicari posse video, ideo de tertio explicabo.

Igitur humilis Dominus, & humilitatis exemplum, cùm ex innumeris sanitatibus à se factis, non inanem, sed veram gloriam sibi vindicare potuisset: reiecit eam tamen, & ne eum prædicarent, præcepit. Quod mihi miraculi loco est. Sciebat enim Christus, ex sua manifestatione Patris gloriam, suam exaltationem, & nostram salutem manare: ita tamen amat humilitatem, vt velut omnium oblitus, iubeat se occultari.

Huius tantæ humilitatis captus amore Pater, qui se requiescere super humilē professus est, in hæc verba prorupit: *Isaiæ 66.*

Ecce puer meus. Ecce seruus humilis meus, qui suam neutiquam gloriam quærit, sed Patris, qui eum misit. Ecce *Ioan. 8.* ille seruus, qui plene solus nouit se seruum: qui solus nouit, quanti esset pretij Pater suus: & quàm conueniat hominem deijci & humiliari, in conspectu tantæ maiestatis, & quàm esset humilitas pulcherrima virtus. Ecce igitur seruus, qui *Psalm. 21.* se vermem fatebatur, & non hominem. *Ecce seruus meus,* quia humilis: ideo, quem elegi, & in quo complacitum est mihi.

O igitur mortales, quos placendi Deo cura percellit: en via vobis monstratur, quâ placeatis, humiliamini, sub potenti manu Dei. Si enim Christus Deus placet, quia humilis *1. Petri. 5.* quomodo vos placere superbi potestis? Hæc vnica via est Deo placendi: si tuam gloriam reijcias, & vnicè Dei gloriam quæras.

Quòd verò addit: *Ponam super eum spiritum meum*: & de deitate intelligi potest, quam Pater humanitati communicauit, & de Spiritu sancto, quē effudit super Christū abundè. Porrò, qui Spiritum suum sanctum in eo posuit: ideo additur: *Iudicium gentibus proferet.* Quis enim alius iudicia cœlestia proferre posset in terra: nisi is: qui cùm in terra esset, spiritum habebat de cœlo? Quod enim audiuit, & didicit à Patre, id in terra loquutus est. Ea verò sunt iudicia *Ioan. 8. 15.* & iustitiæ, quas in terra protulit Christus, quibus homo sit iustus erga Deum, se, & proximos. Iudicia ergo sunt ista:

Psalm. 18. Exhibe Deo cultum, Tibi puritatem, proximis charitatem. Hæc sunt iudicia Dei, iustificata in semetipsis. Huc totum Euangelium refertur: quod verè est iudicium, summo Dei iudicio concinnatum, summo iudicio promulgatum, summo iudicio à nobis exigendum: Sed speciatim hoc loco iudicium est. Cùm benefeceris, ne gloriam tuam quæras: contentus esto gloria quæ à Deo est. Si gloriam aliam quæris, quæ fecisti perdidisti. Si gloriam non quæris in terra, habebis in cœlo. Horsum, vt arbitror, sequentia spectant.

Ioan. 5.

Non clamabit, nec audiet aliquis in plateis vocem eius. Solent enim superbi homines tuba canere ante se: & longas orationes texere in plateis vt videantur ab hominibus. Vos autem non in plateis clamate, & super primatu ne contendite, aut super primo in mensis accubitu: sit gloria vestra in abscondito, vt Pater qui videt, reddat in publico.

Matth. 6. Matt. 23. Eodem.

Iam expende & magnifica hunc animum, meruisse, vt in plateis & compitis laudaretur, nec pati vt laudetur. Hoc est diuinitatis ingeniū. Quid enim hæc caduca quærat æternus?

Quod subiungitur. *Calamum quassatum.* Eius me candelabri commonet, quod in templo semper ardebat: in quo hastilia erant calami, & ardentes lampades, cum lineis mixis: quibus extinctis, certum est, fumum exiturum. Liceat ergo mihi, per calamum corpus hominis intelligere, per mixum, siue linum fumigans? animam cùm est sine Dei gratia. Pulchra sanè comparatio: calami exterius pulchri, interius vacui, ad corpus, quo in externa solum parte habet decorem: in parte verò interiori, non modò vacuitas, sed & abominatio est. Pulchrior est mixi ad animam similitudo: mixus ex se, nullum habet splendorem, nisi aliunde accendatur. Saluator verò corporum, & animarum, corpora languentia & quassata non confringebat, sed sanabat: animas peccatrices, non extinguebat, sed accendebat.

Exod. 37.

Sed expende quid anima fumigans pariat? Fumum tetrum, cuius fugiendum, ascendentem tamen in altum? Superbia hæc est in altum ascendens: neminem ita offendens, vt Deum: qui in excelsis est. Anima ergo linum est fumans, quæ alio loco cinis dicitur calens. Homo enim secundùm corpus puluis, secundùm animum cinis. Dum enim viuimus est signatum lumen in nobis, & absconditus ignis, qui fumare animam facit. Sed ò Dei benignitatem, non extinguit fumigans linum: licet eius fumo offendatur vehe-

Iob 42. Genes. 3. Psalm. 4.

mentissimè,

mentissimè, nec confringit calamũ quassatum, ad nihil aliud vtilem, quam ad perforandã manũ eum habentis. Non enim venit perdere, sed seruare quod perierat: imò verò venit sui *Lucæ 19.*
corporis contritione, corporis nostri meritã contritionem abolere, & animæ suæ ferè extinctione, (id est, à corporis separatione,) extinctionẽ animæ nostræ illustrare. Erat enim *Ioan. 1.*
lux quæ illuminat venientes in mundum, & lumen ad reuelationem gentium: & ideo meritò gentes in eum sperabunt. *Lucæ 2.* *Isaiæ 11.*

Accenderat Dominus Iudaicum populum, qui coram Deo, die arderet ac nocte. Extinxit ille lumẽ suum: fumumque proferebat, quem Deus sustinens laborabat. Contendit *Isaiæ 1.*
Christus pro virili fumigantes accendere illi noluerunt: Cæcitas enim contigit Israëli, vt plenitudo gentium intraret: quæ in Christum speraret: & tunc reaccendetur Israel. Vt *Rom. 11.*
enim Gentes nouissimæ, factæ sunt in Euangelio primæ: ita Iudæi primi tandem erunt nouissimi.

Donec eijciat ad victoriam iudicium. Id est, donec faciat humiles, & abiectos esse victores. Nunc enim victi, & mortificati videntur: sed hac sibi ratione victoriam parant. Quam? Certè omnium rerum: & nescio an sit contra Deum ipsum hæc victoria. Vt Iacob luctans contra angelum, Deum vicisse visus est: hæres omnium, & Dei ipsius factus. *Genes. 32.*

Quod denium addit: *In eius nomine gentes sperabunt.* Quidni sperent? Cum in eius nomine, ex anima eijciantur dæmonia, & reaccendatur ignis: ex corpore verò abigitur omnis languor, & calamus quassatus solidetur.

Iam cùm in die iudicij, crux humilis videbitur gloriosa, & humiles videbuntur victores: tunc calamus quassatus *Matt. 24.*
conteretur & linum fumigans extinguetur. O rem verè stupendam. Suam Deus potentiam in calami plenissima contritione monstrabit. Fecit, inquit, potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui. Quasi dicat: Ostendit *Lucæ 1.*
potentiam brachij sui, dispergendo partes calami confracti: At Domine contra foliũ: quod vento rapitur, ostendere vis *Ioan. 13.*
potentiam tuam? Sed admirabilius est, quod mixum animæ nostræ penitùs extinguat, vt videlicet, nulla sit luminis intellectualis vtilitas, nullus ordo, sed sempiternus horror. Quod *Iob 10.*
quæso miserius spectaculum: quàm corpore, & animo perijsse? Ergo, dum viuimus, mali esse promittimur. Iudiciumque Dei videtur à nobis vinci, & conculcari. Sed post mortẽ non permittitur calamus quassatus, nec linũ fumigans: quia iam

judicium Dei contra nos victoriam obtinuit.
1. Tim. 6. Demum si in ipsum gentes sperabunt, cur diuites Chri-
Eccles. 31. stiani sperant in incerto diuitiarum suarum? Cur confidunt
Ierem. 17. homines in pecuniæ thesauris? Cur ponit homo carnē bra-
chium suum? Imò verò cur multi ita viuunt ac si Christus
Psalm. 66. nunquam fuisset? Hoccine est in Christum sperare? At verò
2. Tim. 2. qui sperat in Deo, faciat bonitatem: & recedat ab iniquitate
omnis qui inuocat nomen Domini.

Tunc oblatus est ei, &c. Necesse est duo esse regna: Dei vnū, dæmonis alterum. Dei regnum contendit gloriam Dei, & commoda nostra: & hoc est huius regni insigne. Regnum dæmonis huc incumbit: vt Deo gloriam tantopere debitā, & nobis beneficia collata, & conferenda præripiat. Iam homines necessariò, aut primi sunt regni, aut secundi: nec
Ioan. 12. enim mediū inuenire est. Sed necessariò duæ sunt ciuitates:
& 14. Dei prior, diaboli posterior: vt sunt duo principes, ita duo regna. Regnum est gloriæ, gratiæ, iustitiæ. Contrà regnum est inferni, iræ, & iniquitatis.

Iam res est omnium rerū summa: nósse ad quod horum regnorum Christus spectet. Nam Pharisæi, ad regnum principis dæmoniorū pertinere contendunt. Arbitrabantur illi, ortum esse dissidium inter dæmones Palestinæ, & dæmones Iudææ, dæmonesq; Palestinæ esse valentiores: quia Beelzebub esset dæmonum princeps, qui in Accaron Palestinæ ci-
4. Reg. 1. uitate coleretur. Dicebant igitur, Christo, cum Beelzebub Palestino esse concordiam: cuius auxilio dæmones Iudææ cum potestate, & violentia eijciebat.

Contra hanc stultam sententiam Dominus arguit, se non spectare ad regnum diaboli. Primumq; ex eorum opinione, eos confutat. Si (inquit) Dæmones Palestinæ, & Iudææ dissident: ergo regnum eorum diuisum est, ergo desolatur. Si regnum dæmonis perit: necessariò regnum Dei succedit, vt in principio proposuimus.

Sunt in hoc textu multa notanda. Primùm: Sciant homines, aduersari sibi vnum imperatorem, exercitū, & regnum eius. Deus cum Angelis, & omnibus creaturis contendit hominum salutem: contra Lucifer cum toto suo imperio. O mortales si oculos apertos haberetis, vt videre liceret, quanto nisu, quanto apparatu, quot machinis, & Deus ad se vos aduocare: & dæmon ad suum detestabile imperium vos pellicere contendant? Deum immortalem, totum cælum

perstrepit, totus infernus tumultuatur: vt vnum miserum hominem in partes suas abducat, at interim ego dormio.

Secundum est, quod me in admirationem trahit: Conuenerunt omnes diaboli cum principe suo, iam tum ab initio mundi, in hominis exitium & perniciem. Vtq; hunc finem assequantur, nulla inter eos est facta diuisio, nullum ortum dissidium. Gens illi sunt iniquissima, nullo sunt fœdere colligati: hoc vnũ eos in officio deuincit, vt hominibus noceãt, vt Dei gloriam obscurent. Nos verò, tot necessitatibus, legibus, natura, Deo, fide, Christo, Ecclesia deuincti, & vniti, nunquam non gerimus bella, tanto nostro malo.

Tertium: Canonizata nobis regula est: Si cõmunitatem constare volumus, pacẽ illa habeat. Vbi diuisio, ibi desolatio. Hac ratione voluit Deus in vno corpore vnã, non duas esse animas, in vna Ecclesia, vnũ esse Papã, in vna cõmunitate, vnũ esse caput: at in inferno post iudiciũ, (ò miseriã,) nulla pax, nullus ordo, sed sempiternus diuisionis horror inhabitat. *Iob* 10.

Quartum, quod est partim doloris, & partim lætitiæ: Lætitia est, quòd Christus regnum diaboli destruxit, ligauit eum, expoliauit, arma distribuit, quod denique regnum Dei adduxit. Sed tristecest, quod regnum diaboli nunc perseueret, apud Indos ille colitur, apud Mauros ita. Quin & apud Christianos iniquitas regnat. Hæc nostra culpa est. Nam quod ille debuit fecit, per eum princeps mundi eiectus est foras, corpus peccati crucifixũ est. Babylon cecidit, sceptrum exactoris superatum est. De principatibus & potestatibus triumphauit. Sed nos anathema destructum, in exitium nostrum reædificamus. *Hebr.* 3. *Coloss.* 2. *Lucæ* 11. *Ioan.* 12. *Apoc.* 14. *Coloss.* 2. *Iosue* 6.

Quintũ: Quòd per Christũ regnũ Dei in nos peruenerit, euidenter euincit illa Magdalenæ, Zachæi, Matthæi ex innumeris peccatis, ad vitam meliorem conuersio. Et vt de his meminit Euangeliũ, ita de infinitis alijs factum fuisse credo. *Lucæ* 7. *Lucæ* 19.

Si ergo in Beelzebub eijcio filij vestri in quo eijciunt? Hæc est secunda ratio: quam non modò intelligas de eiectione dæmonum a corporibus, quam faciebant discipuli: sed multò fortius, de eiectione eorum ab animabus.

Addit Dominus: *Si in digito Dei eijcio dæmonia*. Primum quidem videri poterat, leue Deo fuisse, eijcere dæmonia. Siquidem digito vno ea reiecit. Et quidẽ quæ minuta sunt, digitulo nostro fieri dicimus. Et profectò si ad Dei potestatẽ id referas: digitulus Dei sat est, ad totũ infernũ conterendũ.

Sed

Sed nihilominus, si rē ipsam in se & ad homines spectes: rem grauissimā (dæmones eiecisse) iudicabis. Tantamque: vt sicut digitus ostendit, quod spectatū videri volumus: ita hic digitus ostendat, non nisi Deum, id facinus facere potuisse. Digito ergo Dei, Deū esse monstrāte demones sunt repulsi.

Et sicut digito facere solemus ea, quæ delicatiora sunt: ita Deus hoc digito facit rem penitùs delicatissimā. Cùm enim dæmonem ex anima eijcit, diuidit dæmonem ab ea, & eam à corpore: medullas quoque & compagines diuidit, eo vsq; Hebr. 4. enim Verbum Dei velut anceps gladius pertingit.

Digito Dei facit in anima ipse Deus tot varietates dono- Gen. 37. rum & virtutū, vt nec vestis Ioseph: neque vestitus reginæ Psal. 44. deauratus tam variatus fuerit, nec quæ Beelseleel in templo Exod. 36. depinxit, adeò pulchra videantur.

Exod. 31. Digito Dei, scripsit Deus legē in tabulis Mosaicis: digito Psalm. 8. suo scribit seipsum in cordibus nostris.

Isaiæ 66. Demum, cœli sunt opera manuum & digitorum Dei, ita Sap. 7. facta, vt corporalis sedes Dei essent: quantò verius erit ani- Psalm. 8. ma digito Dei facta, vt Sapientiæ sedes sit spiritualis? Nescio verò quid subolet mysterij, quòd cœli sint opera digitorum Dei, at anima dæmone pulsò, sit opus digiti Dei, forsan quia anima est inextensa.

Cùm fortis armatus custodit atriū suum. Hæc est tertia ratio vbi multa spectato. Primùm, Diabolū esse fortem, armatū, vigilātem in atrio. Et quòd atriū sit suum, & quòd eo possidēte, omnia sint in pace. Fortis est: quia, vt arbitror, Lucifer supremæ Hierarchiæ supremus angelus est. est igitur fortis, & natura sua, & culpa nostra. Armatus est: technis & artibus suis, longo rerum vsu: summo nostri odio, summa eius iniquitate: nos etiā ei arma suppeditamus, ignorantiam nostram, cupiditatē, negligentiā. Hæc arma per Christi passionē sunt illi attenuata & hebetata. Sed heu, nos illa exacuimus. 1. Reg. 13. Ligones, lanceasq; nostras non in Iudæa, id est, Ecclesia, & in Euangelio: sed in terra Philisthinorum reparamus.

Iam quis credat: tantam diaboli diligentiam in custodia 1. Petri 5. atrij sui? Certè qua solicitudine, circuit leo famescens quem deuoret: ea deuoratum cautè custodit. Sed sat intelligitur Ionæ 2. quanta sit custodia. Non enim in arca aut palatio custodit, 2. Paralip. 33. sed in ventre vbi orauit: vt Ionam in vētre ceti esse fatearis. Notatur hæc custodia in carcere Manasses regis Iuda. Et in Actor. 12. catenis Petri, cùm erat vinctus in carcere.

Porrò

Porrò cùm dicit: *Atrium suum*: duo sunt spectanda. Alterum, vitam hanc atrium esse, iustis ad gloriam: & impijs ad pœnam. Dauid de pijs, inquit: in atrijs domus Dei nostri florebunt: vberi, & bene patientes erunt. Siquidem vita gratiæ, atrium est vitæ gloriç, nihil, nisi portæ apertio deest: vt ex atrio in domum ingrediaris. At contrà, vita iniqua atrium est domus infernæ, vmbra est illius mortis, tenebra est illius noctis, initium est illius doloris. Alterum est, vitam iniquam, atrium esse diaboli: vita mali hominis non Dei, sed diaboli est. Quis hic non suspiret, sortem, hæreditatem, domum, & regnum Dei à Deo creatum, redemptum omnibus beneficijs exornatum, in partem diaboli transijsse, & dici atrium eius? *Psal. 135.* *Matth. 3.*

Quòd verò addit: *In pace sunt omnia quæ poßidet*. hūc habet sensum: Procurat dæmon, (cùm animum nostrū possidet,) omnia peccata reddere, omnem scrupulū, & morsum conscientiæ (velut latratus canum,) remouere, omnes delitias exhibere, quò captiuam animam securius possideat. In pace ergo sunt omnia: sed væh, quia in pace, est amaritudo amarissima: Vult dæmon vt cantemus hymnū de canticis Sion: sed quomodo cantabimus in terra aliena? Habet tamē adeò obscuratos peccatum oculos nostros, vt eam captiuitatem, pacem putemus, & videamur nobis dies nostros ducere. *Isaiæ 38.* *Psal. 136.* *Iob 21.*

Sed non est silendum quod dicit: *In pace sunt omnia*. Nec enim simplex est eius possessio, cùm nos possidet: omnia nostra sua sunt. Vt enim cū Deus inhabitat nos, omnia nostra sua sunt, nec patitur aliquid habere diabolum in nobis: ita cùm diaboli sumus: omnia nostra sua sunt. Semel enim occupata nostra voluntate, quæ arx est totius hominis, reliqua hosti facilè subduntur. & ideo forsan dictū est: qui offenderit in vno, factus est omnium reus, omnia sua habet rea. *Iacobi 2.*

Si verò attollere oculos volueris, ad eum rerum statum, in quo Christus mundū reperit: inuenies fortem diabolum, in pace tunc omnia possedisse. Vbique tunc adorabatur in idolis Satanas. Vbique ei victimæ, coronæ, suffimenta offerebantur. Regnabat ille vbique: Deo velut in vnum Iudææ angulū relegato. siquidem imperium Romanum, (cui totus parebat orbis,) diaboli parebat imperio. Igitur fortis armatus pacate omnia possidebat.

Venit Christus *fortior eo*. (Solus enim Deus erat naturâ fortior diabolo: primo inter creaturas & maximo.) Pugna *Iob 40.* *Matth. 4.*

committi

cõmitti in deserto cœpit. Christo ieiuno per quadraginita
Colloss. 2. dies: sed in Cruce fuit absoluta victoria. Tunc nos dæmoni
subactos, à Deo alienatos, iustè captiuos: è Tyranni ferreis
cathenis violenter eripuit, & in regnum Patris sui transtulit
& abduxit.

Quòd verò ait: *Ligauit eum*, intelligi aliter propriè non
potest, quàm quòd adstricta est nũc diaboli potẽtia: vt non
ita nocere possit, ac solebat. Pauciores siquidẽ nũc à dæmone
vexãtur, quàm olim. Imò & cupiditas nostra, quã Paulus
Rom. 6. veterẽ hominẽ nominat, ligata est per gratiæ vincula. Vetus
enim homo noster cum Christo crucifixus est. Et demum,
Rom. 10. per Christi mortem cuiuis paratũ est remedium contra dæmonem,
si Christum inuocauerit. Et hoc est ipsum alligasse.

Demum quòd dicit: *Domum eius diripit, & spolia distribuit*,
ita intellige: Spolia nos sumus: hæc spolia à diabolo capta
Christus distribuit, cum põtificibus, & principibus homines
Psalm. 67. subdit. Et hoc est quod in Psalmo dicitur: Speciei domus,
diuidere spolia, id est, tunc Ecclesiæ domus speciosa est, cum
spolia diabolo erepta diuidũtur inter primos Israelis. Sicut
1. Reg. 30. fecit Dauid post Siceleg restitutam.

Qui non est mecum. Hæc est quarta ratio: Cuius sensus est:
Qui non est mecum, id est, qui non est intra me, quique non
est membrum meum, hic non est ex regno Dei. Est igitur ex
regno diaboli, est ergo contra me. Cùm igitur nemo sit cum
Christo, & in Christo, nisi per fidem Christi, apertè fit: qui
non habet fidem Christi, licet videatur sanctior Christo,
contra Christum tamen est: quare ad regnum Christi non
spectabit.

Explicatur hæc ratio sic: *Qui non colligit mecum, spargit*. Vbi
nota, munus Christi esse colligere: est enim tota vita Christiana,
in id vnũ instituta, vt Christianos in vnum amorem
colligat: & ita colligatos inter se Deo indiuisibiliter cõiungat.
Ioan. 18. Iuxta illud: Oro Pater, vt sint vnum in nobis, sicut ego,
Ephes. 2. & tu vnũ sumus. Ergo vita Christiana longè dissidentes, vt
Luce 15. propè sint, adducit, ad amplexus & oscula Dei prouocat, vt
Rom. 12. membra vnius corporis sint inuitat, vt vnũ cor & vna ani-
Actor. 4. ma sint efficit: at quàm longè sunt hæc à moribus nostris.

Ideo dico vobis: Conatur Dominus terribilissimo eos fulmine
terrere, vt vel sic ab infidelitate resiliant. Nihil enim
adeò potest esse terribile, quàm si dicas: Hæc tua culpa remissionem
non habet. Id ergo Dominus subdit.

Omne peccatum & blasphemia remittetur, sed spiritus blasphemia, non remittetur. Grauissima omnium quæstionũ nos hic torquet, de peccato irremissibili. Vbi ego duo dicã: Primum quodnam sit hoc peccatum. Secundum quomodo sit irremissibile. Ante omnia errant qui dicunt blasphemiam spiritus, esse blasphemiam ex spiritu, affectu, & malitia prolatã. minimè: Sed blasphemia spiritus, est blasphemia contra Spiritum. Vt expresse ex Marco est colligere, dicente: Omnia remittuntur hominibus peccata: quibus blasphemauerint, qui autem blasphemauerit in Spiritũ sanctum, non habebit remissionem in æternum. *Marci 3.*

Rursum blasphemia contra spiritum, ex rigore Euangelij, & strictè loquendo, non est aut finalis impœnitentia, aut desperatio: aut præsumptio, aut inuidentia, aut impugnatio veritatis. Probatur apertè ex eodẽ loco Marci. Dicit enim: Qui blasphemauerit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum: reus est enim æterni delicti, quia dicebant: Spiritum immundum habet. Ergo dicere, quòd Christus habet spiritum immundũ, id vnicum est peccatum contra Spiritum sanctum, strictè loquendo. Omnia reliqua, quæcunque sint, remittentur hominibus, siue sit desperatio, siue præsumptio, siue inuidentia. *Marci 3.*

Ergo textus noster duas regulas habet. Priorem lætam: Omnia cuiussuis sortis sint peccata remittentur hominibus. Posteriorem tristem, quam ita textus dicit: Spiritus, id est, contra spiritum blasphemia, non remittetur: scilicet, si quis dicat, Christũ habere immundum spiritum. Et quia res hæc odiosissima est: ampliari nullo modo debet, sed adstringi.

Secundum & grauius dubium, quomodo verum sit: Non remittetur hæc blasphemia? Video rei difficultatem obscurissimam, quoquo versus me conuerto, tenebræ occurrunt & lubricum. Sed tentandum est. Christus Hebreus, Hebræorum more loquebatur, & ipse qui condiderat Scripturas, ad earum normam loquutus est. Venari ergo oportet locos in Scriptura huic nostro similes, ex quibus veritas eluceat.

In primis habetur Esau non inuenisse pœnitentie locum: etiam si, cum lachrymis quęsiuisset. De Saule item dicitur ad Samuëlem: Quid tu luges Saulẽ, cùm ego reiecerim eum de Iuda? Dicitur ad Ieremiã: Si steterint Moses, & Samuel corã me: nõ est anima mea ad populum istum. Eiice illos à facie mea, & egrediantur. De eodẽ Iuda dicit Dominus: Nõ pascã *Hebr. 12.* *1. Reg. 16.* *Ierem. 15.*

vos

vos: quod moritur, moriatur. Virgam meam quæ vocatur decus, (id est, Iudam) abſcidi, vt irritũ facerem fœdus meũ, quod percuſſi cum omnibus populis. En teſtimonia Sacra. Iam inquiro, num Deus ita abſcidit Iudã: vt eius culpa eſſet neceſſariò in inferno punienda? Minimè. Num ita eiecit à facie ſua Iudæos, & ita egredi eos iuſſit, vt conuerti ad cor non liceret? Aut nunquid peccatum gulæ Eſau fuit, quò ad culpam, irremiſſibile, aut etiam à peccato inobediētiæ, Saul non poterat reſilire? Quis hæc credat?

Zach. 11.

Senſus igitur adductorum locorum eſt: Peccata dicta Iudæorum, Saulis, & Eſau eo fuiſſe irremiſſibilia, quia decreuerat Deus propter illa peccata, eos à priſtino gradu, ſede & honore deijcere. Et in eundem nunquam in æternum reuocare, vt ipſa rerum docuit experientia. Eodem igitur ſenſu, propter blaſphemiam, quâ Iudei dixerunt, Chriſtum habere ſordentem ſpiritũ: decreuit Deus, à ſuo eos gradu, honore, & loco in perpetuum deiicere. Et ita factũ eſt. Ideo eorum peccatum dicitur irremiſſibile.

Dices: Cur blaſphemiam in ſe dictam Chriſtus condonat: at in Spiritum ſanctũ dictam, non item: Reſpondeo primũ: Non erat æquum, vt agnus tollens peccata mundi, mitis & humilis, aliquod contra ſe peccatum reſeruaret. Ipſaq; peccatorum remiſſio, aliquod peccatum non remitteret. At ſecundò, peccatum in Spiritum reſeruat, vt hac ratione diuinitatem aſſerat Spiritui ſancto, & reuerentiam hominum illi procuret. Et tertiò, qui Chriſto Spiritũ ſanctũ concedit, profectò grandem de Chriſto habet opinionem, propter quam velut meretur, omne conuitium & peccatũ ſibi condonari. Sed qui Chriſto Spiritum immundum tribuit, ſummam irrogat & Chriſto, & Patri, & Spiritui iniuriã. Nõ ergo illi remittetur, id eſt, & gradu ſuo & honore priuabitur.

Ioan. 1.

Aut facite arborem bonam. Hæc videri quinta ratio poteſt: Arbor Chriſtus eſt. Semen enim eſt verbũ Dei. Hoc iactum in vterum Virginis creuit in germen, virgultũ, & arborem. Huius arboris corticem homines vident, vim intimam non vident: ſed ex fructibus eſt agnoſcēda. Si fructus eius videtis bonos, eâ bonitate qua ſolus Deus bonus eſt, (opera enim quæ facit, nemo facere poteſt, niſi fuerit Deus cum eo) cenſete arborem vim habere diuinam. At cùm contrà, blaſphemias proferat os veſtrum, planum eſt, veſtra corda peccato abundare. Eſt igitur in vobis theſaurus malitiæ. Vbi ſcito,

Lucæ 8.
Iſaiæ 52.
Ioan. 3.

cos

cor habens gratiam, infinitatem quādam habere bonorum: *Sapien. 7.*
per thesaurum significatam. Contrà, cor habens peccatum,
infinitatem, id est, thesaurum habere malorum. Neque enim
nisi infinitas, esse in gratia potest, aut in peccato, quæ infinitas sequitur, aut præmij, aut pœnæ.

Non est silendū, quod dicit: *Ex verbis tuis iustificaberis, aut condemnaberis.* Quid? An nō multi dicūt: Domine, Domine, qui non iustificantur? An non verum est, factores, & non *Matth. 7.* auditores iustificandos? Respondetur: Qui habet thesaurum *Rom. 2.* gratiæ bonum, is cautissimè os suum, & verba moderatur. Dixi, inquit: Custodiam vias meas vt non delinquam in lin- *Psalm. 38.* gua mea. Posui ori meo custodiam. Et rursum: Iustus dispo- *Psal. 111.* nit sermones suos in iudicio: ne in æternum commoueatur. Id petit qui sanctus esse vult, dicens: Pone Domine custo- *Psal. 140.* diam ori meo, & ostium circunstantiæ, id est, circundans, labia mea. Quę enim non labitur lingua, hic perfectus est vir. *Iacobi 3.* Contrà, qui nihil verba curat, is malum thesaurum habet. Et qui blasphemat, perfectus in malitia est. Igitur homo iustificabitur, si cautelam adhibet linguæ suæ. Damnabitur verò si sua verba negligit.

Simul memor esto, nō sat esse, ad salutem cor habere bonum: nisi simul verba, cum opus est, adhibueris. Corde enim creditur ad iustitiam, sed oris confessio necessaria est ad sa- *Rom. 10.* lutem: Id ergo est, *Ex verbis iustificaberis.*

Memento item, grandes peccatores, ex verbis sacræ confessionis, (quā auricularem vocant,) iustificari. Dixi, inquit, *Psalm. 31.* ille aduersum me iniustitiā meam, & tu remisisti impietatem peccati mei. Et Dominus inquit ad peccatorem: Dic tu prius *Isaiæ 43.* vt iustificeris. O rē mirabilē. Dixit Dauid: Peccaui Domino, & statim audit: Transtulit Dominus à te peccatum tuum. *2. Reg. 12.*

Tunc responderunt. Occurrit id primum: *Magister volumus.* O si nunquam hæc vox, *Volumus*, à nobis prodiret. O si nunquam volūtas nostra, nostra esset. O si solū vellemus, quod Deus vellet. Hæc nostra voluntas est, quæ nos in infernum præcipitat: qui enim non se abnegant, non ibit in cœlum. *Luc. 9.* Quis ferat seruū coram domino dicere. Volo? Si igitur nos *Luc. 17.* serui simus, & serui inutiles, si pretio empti: absit, vt quiuis *1. Cor. 6.* sibi velit, quiuis sibi viuat, sed ei qui pro nobis mortuus est. *1. Cor. 5.*

Volumus, & volumus signum. Et volumus signum de cœlo, videre. Vtinā vellemus signum cōuersionis nostrę in anima nostra. Sed expectabit nos hæc res.

Interim grauis se offert dubitatio: Cur Dominus tam acerbè respondit, quæstioni minimum irrationabili. Profectò Deus legem daturus Adæ, prius signa fecit: eduxit enim ex eius latere costam, & ex costa formauit Euam: Initurus foedus cum Noë, Abraham, Mose, vix signa facta numerare licet. Cùm venit Spiritus sanctus, non sine signis legem gratiæ promulgat. Cur ergo Dominus daturus legem nouam, acerbè respondet signa petentibus? Profectò credere non cõtingit sine aliquo signo. Quia vt S. Thomas dicit, cũ veritas fidei nequeat ratione naturali probari, necesse est, miraculis probetur. Nec enim regiæ literæ Regis esse creduntur, nisi signo & sigillo regio munitæ: at signa, sunt Dei sigillus, Cur ergo dicit: *Generatio praua signum quærit.* Iam addit: *Et signum non dabitur ei.* Imò verò datum est ei signum de cœlo: cum tonitruũ turbæ audierunt, & dicebant, Angelum esse loquutum. Et cum Solem & Lunam obscuratos dies crucis vidit.

Genes. 2. *Genes. 8.* *Actor. 2.* *3. Part. q. 43. art. 1.* *Ioan. 12.* *Lucæ 23.*

Audi obsecro huius nodi solutionẽ: Volũtas nostra velut fœmina est: quæ illi rei nubit, quã maximè amat, quod enim amas vir tuus est. Ex his nuptijs procedũt filij fructus vẽtris. Siquidẽ ex corde exeunt cogitationes, siue bonæ, siue malæ.

Marci 7.

Iam cum hæc volũtas nostra perfectè Deo hæsit: & eum, nullumq; alium maritũ amplexa est, nullum signum petit ad credendũ. Tot enim signa ferè videt in se: vt stultũ putet alia procurare. Sentit enim illum vehementẽ amorem, illos frequentes amplexus, illas supernas dulcedines, illã pacem Dei, quæ omnẽ exuperat sensum. His illa signis cõtenta dicit: Dilectus meus mihi, & ego illi. Signa porrò externa cur quærat? cum sciat, eum qui illa videt, non protinus credere nisi illuminetur, eo lumine admirabili, quo se illustratũ coniectat, Coniectat, dixi: quia certò nemo scit dum viuit se in gratia esse, sed id coniecturis assequitur.

Philip. 4. *Cantic 2.* *1. Petri. 2.* *Concilium Trident.*

Porrò cùm animus rebus caducis hæsit, non sentit illa signa interiora: ideò requirit signa exteriora. Prius ergo necesse est auertisse animum à suo proprio viro, id est, Deo, & cum altero adulterasse, quàm signa petantur. Meritò igitur Dominus inquit: *Generatio adultera signũ quærit.* neque enim signum petiisset, nisi adultera fuisset.

Ne verò videar gratis ista dixisse, libet à capite ordiri. Inquit Dominus: qui ex Deo est, verba Dei audit. Vos non auditis, quia ex Deo nõ estis. Et item: Si Deus pater vester esset, cognosce-

Ioan. 8. *Ioan. 8.*

cognosceretis vtique me: quare loquelam meam non agnoscitis. Et item: Siquis voluerit voluntatem eius facere, agnoscet de doctrina mea, an ex Deo sit. Et Paulus dicit: signa & miracula pro infidelibus esse. Nam pij signum exorientis in se lucis habere se credunt, eius scilicet lucis, de qua dictum est: Surge a mortuis & illuminabit te Christus. Pij signū eius testimonij quo spiritus testimoniū reddit, eos esse filios Dei, se percepisse coniiciunt. Implet Dominus splendoribus piorum animam. Pij delectantur super Domino: Sustolluntur super altitudines terræ. Quæ alia mirabilia quærat pius? Planè lex gratiæ figurata est in lege Scripturæ. Quæ ergo signa facta sunt in Sina, cùm legem dabat Moyses: ea fere fiunt in anima, cùm eam viuificat Dominus. Et sicut impudens esset Iudæus, videns signa corporalia in monte Sina, si non crederet: ita impudens esset anima, eadem signa (licet spiritualia, ac ideo non euidentia) in se recipiens si credere recusaret. Porrò sicut filij & nepotes Iudæorum maiorū suorum signis debuerant esse contenti, iuxta illud: Interroga patres tuos, & dicent tibi: Ita & Christiani inferiores, cōtenti sint signis à suis maioribus in corde perceptis. In qualibet enim Republica, probatas maiorum opiniones minores sequūtur. Sed ô si amore langueremus, vtique signa non peteremus. Ioan. 9. 1. Cor. 14. Ephes. 5. Rom. 8. Isaiæ 58. Isaiæ 58. Deut. 32.

Signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ. Id est, Christi crucifixi. Itaque generationi prauæ datur signum, quod gentibus est stultitia, Iudæis scandalum, pijs vero, verum salutis signū: præsentius remedium afferens, quàm serpens ille suspensus, à viperis demorsis afferebat. 1. Cor. 1.

Igitur proponitur mortalibus in signum, Christus à ceto vorатus, id est, à profundo omniū dolorum: posteà verò resuscitatus, id est, in summo omnium bonorum. Neminem quippè audiuimus, ita profundè humiliatū, neminem item, ita sublimiter exaltatum. Dominus enim eum ad infernum deduxit, & reduxit: vt eū collocaret super omnes principes cœli, quem deiecerat infra omnem puluerem terræ. Ioan. 3. Philip. 2. 1. Reg. 2. Ephes. 1.

Audacter dicam, verū hoc esse signum. Etenim si omnes Iudæi, Indi, Barbari, virum Christianum, huius crucifixi leges seruantem expenderint, versarint, reuersarint, non poterunt non dicere, eum virum sanctum, & iustum esse, & dignū cui cœlum in præmium detur. An non hoc clarum crucifixi signum est? ignauia nostra iniquos nos esse commonstrat, non signi, sed nostri miserabilis est culpa.

Sed ne graueris Lector mecum rem hanc punctim expendere. In signo Ionæ plura contingerunt: tempestas maris, iactatio Ionæ, præparatio ceti, deuoratio Ionæ, eius in vẽtre clausura, & tertia die vomitio. Nihil horũ affertur in signum à Christo, nisi illud, quòd Ionas fuerit in ceto tribus diebus, atque ita, quòd Christus fuerit in corde terræ tribus diebus. Cor terræ ego infernum vbi erat limbus, intelligo. Primò, vtique magnum signum, quòd Dei gloria & celsitudo ad locum carceris descenderet. Secundò, vtiq; magnũ signum, quòd ibi conclusit dæmones, ne adeò vt olim, nobis nocere possint, territos à tanta potentia, exoculatos à tãto lumine: alligauit ergo eos in puteo abyssi, donec tempora Iudicij adueniant: Vbi soluẽtur per tempus & tempora dimidium temporis. 3. vtique magnum signum, quòd in inferno Deus suam ostẽderit gloriã. Tunc enim infernus paradisus fuit. 4. vtique magnum signum quòd secum ab eo loco, illustrem nostrorum patrum exercitum abduxit. Si quæritis Iudæi signa, expectate donec in infernum descendatis: ibi horum signorum celebrem inuenietis memoriam. Hæc sunt signa, quæ à Christi anima, deitati coniuncta gesta sunt.

Ionæ 2.

Apoc. 12.

Luc. 13.

Ephes. 4.

Audi nũc reliqua gesta pro corpore. Voratur Ionas à pisce, seruatur in ventre piscis, eijcitur integer prædicaturus, prædicat cum tanto profectu. Primò, Ita similiter voratur Christus, non solus: sed cum omnibus nobis à morte. Siquidem moriente illo, nos omnes mortui sumus. At moriente illo, corpus peccati destructũ est: imò & omnia peccata mortua sunt. Ipse enim meruit sua morte omnium peccatorum, & quò ad pœnã, & quò ad culpã, in baptismo cõdonationem. Magnũ hoc signum profectò. 2. Porrò, quia erat impossibile corpus Christi à morte detineri: ideo solutis eius vinculis, à morte euomitur integer, etiã cum omnibus nobis. Vt enim cum moriente morimur ita cum resurgente resurgimus. An non & hoc magnum signum? 3. Quòd si cum surgente surreximus, necessariò fit vt cùm ascendente ascenderimus, & cum sedẽte à dextris Dei, cõsederimus. Sedet ergo puluis, & cinis ad dexteram maiestatis in excelsis. 4. Hoc signum omnia superat signa.

Rom. 6.

Ibidem.

Act. 2.

Ephes. 2.

Eodem.

Iam verò apertissimum signum est Christi, quòd post eum euomitum prædicatio Euangelij longè lateque propagetur, quodque in omnem terram exeat sonus Christi in suis Apostolis prædicantis: tanto maiore audientium profectu,

Rom. 10.

quàm fuit Ionæ profectus: quanto est maior orbis, vrbe Niniuitarum.

Ego quidem arbitror Ionam euomitum, suam Niniuitis prædicasse, & iectionem in mare, & euomitionem è cetu, quàm forte testabatur, eorum assertione, qui hominem in mare iactauerant. Idque forsan Niniuen adeò commouit. Pariter ergo Apostoli Christum ex morte, & se è peccatis euomitos prædicabant. Idque fuit fulgur & fulmen quod totam terram commouere potuit.

En signum quod Christus petentibus pręstat. Quòd si cui satis non fuisse videbitur memor ille sit, Deum Regi Achaz, præsenti hostium terrore trementi, signum dedisse Virginis pariturę, tanto post tempore futurum. Non enim Deus nostræ morositati, sed rerum veritati respõdet. Et profectò pię generationi signum petenti, signum datur. Vt Gedæoni, vt Zachariæ, vt Sauli cùm pius erat. At generationi adulteræ signum petenti, signum datur, sed in quo scandalizetur: eique mensa proponitur, sed in qua illa queatur & cadat. *Isaiæ 7.* *Iudic. 6.* *1. Reg. 10.* *Psalm. 68.*

Non verò prætereat te illud verbum: *Viri Niniuitæ surgent in iudicio.* Ex quo planè habetur multos ex Niniuitis saluos fuisse. Alióqui impij non surgunt in iudicio. Si igitur isti surgunt, pij mortui sunt. *Psalm. 1.*

Rursum quod ait: *Surgent & condemnabunt.* Non absurdè forsan intelligi poterit, quosdam Niniuitas tanto feruore ad Deum conuersos: vt vitæ Apostolicę essent quædam figura. Apostolicorum enim hominum est in iudicio reliquos condemnare, vt Theologi tradunt.

Demum non est frigidè, vt legendum verbum illud: *Ecce plusquàm Ioannes hic.* Quasi diceret: Ecce Deus hic. Exulta igitur & lauda habitatio Sion, quia magnus, hic, in medio tui. Magnus enim Dominus & laudabilis nimis. Cur ita? Quia hic est, in ciuitate scilicet Dei nostri, in monte sancto eius. Ponite corda vestra in virtute eius, & distribuite domos eius, quia hic est Deus noster in æternum, ipse reget nos in secula. profectò Deus loco circunscribi non potest, qui ergo est hic, hoc loco circunscriptus: Deus homo est. *Isaiæ 12.* *Psal. 47.*

Erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Vix persuaderi possum, per cor terræ hoc loco intelligi sepulchrum, vbi Christus iacuit. Imò forsan, hic est locus, vnde probatur Infernum Patrum, purgantium, & damnatorum, esse in corde, id est, in medio terræ. Alióqui nullus

occurrit locus, vbi cor terræ pro sepulchro capiatur.

Sumpto igitur corde terræ pro inferno, grauissimum Patres nostros vexauit dubium: quomodo Christus in inferno tribus diebus fuerit? Duplex mihi huius nodi explicãdi ratio se exhibet: Prior erit, si infernum capias non pro loco illo materiali, sed pro morte. Nam locus est materia inferni: cuius forma mors est. Atqui (apud sapientes) vocabula pro formis capiuntur. Si igitur probauero, Christum per tres dies, tresque noctes, in morte fuisse, probauero etiam, in inferno, id est, limbo fuisse. Siquidẽ ex lege, ante Christum, omnes mortui erant in inferno. At profecto, ex nocte agoniæ Christi, Christus esse cœpit in morte. Ipso teste dicente: Tristis est anima mea, vsque ad mortem, id est, iam ex nunc gusto, & sentio mortẽ. Idẽ dicit: Circũdederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerũt me. Nisi enim potẽtia Christi: mortẽ retinuisset, Christus mortuus fuisset. Interim tamen quod erat in corpore: ita mortẽ sentiebat, ac si moreretur. Erat igitur ex tũc in morte: ac proinde in corde terræ.

Secunda, euadendi ratio est: A tempore quo cœpit pati Christus, cœperunt qui in limbo erant nouum habere refrigerium. Qui verò in Purgatorio, cœperũt nouam pœnarum suarum habere relaxationẽ. Qui tandem in inferno, nouum sentire dolorẽ, videntes se ab ea redemptione reiectos. Hæc faciebat anima Christi, quæ secundùm effectum in infernum descenderat, ex quo pati cœpit, mox descensura secundùm præsentiam: cùm corpus vitam in Cruce finiret.

Signo Ionæ adiungit Dominus aduentum reginæ Sabeæ, vt si virile Niniuitarum opus nos ad virtutem non extimulat, extimulet Reginæ facinus. Fœmina erat illa, & Regina: ac ideo diues & delicata.

Cùm immundus spiritus exierit ab homine. Si spiritus exit: ergo aliquando intrat. Iam cùm spiritus sit, magnam habet efficaciam ad compellendos nos. Si enim spiritus vẽtorum tam est efficax: vt terram concutiat, & tremere faciat, quid poterit spiritum dæmonum facere? Ad quos ventorum spiritus collati, quid sunt nisi ventus?

Quòd si spiritus immundus est: ergo vim habet efficacissimam impellendi ad sordida, & turpia: Quid faciet miser huic tanto spiritui traditus? Certè traditur in reprobum, sen- Rom. 1.
sum, &c.

Quia verò tenebrosus est hic spiritus: ideo dupliciter exit, vel

vel adueniente luce, vel aduueniente fortiore spiritu gratiæ. Primum factum est per legem. Lex enim expulit dæmonem à Iudæis: Secundum fit per Euangelium. Expulsus porrò dæmon quærit requiem. O miseram superbiam: etiam nunc quærit Deus esse, etiam nunc quærit collocare thronum suum super Aquilonem. Et quia Deus requiem habet specialem in quibusdam Angelis, (qui hac ratione throni Dei dicuntur,) habet etiam requiem in animabus humilibus: ita miser ille, cum iam in quibusdam malis spiritibus suorum Angelorum, quiescat, quærit in animabus nostris requiem, vt Deus: at nos Christo sudanti requiem dare nolumus, cùm sudet ille in requiem nostram. Dæmoni verò rugienti, requiem damus, in exitium nostrum. *Isaiæ 14.* *Isaiæ 66.*

Quærens dæmon requiem, non inuenit, in arentibus locis. Non enim morantur arentes, & squalidas animas: cupit ille ibi figere solium, vbi fixerat Deus, Deum enim ignominiosè loco mouere, & cum eius ignominia ipse cupit intrare. Non contẽtus ergo habitare in infidelibus, & iniquis Christianis: Reuertar, inquit, ad Sanctos vnde exiui. *Reuertar in domum meam.* Mentiris superbe. Non est domus illa tua. Dei est: emit eam ille sanguine suo. Ecclesiæ illa anima est, cuius filia est. Et sui est quisque arbitrij, posuit enim Deus quẽque in manu arbitrij sui. Cur ergo mentiris dicens esse tuam? At non nihil est, cur *domum suam* dicit: habet enim in ea fomitem sibi fauentem, habet legem carnis, repugnantem legi mentis, & captiuitatẽ in lege diaboli. Si hostes nostros in nobis habet, qui arcem ei se daturos promittũt, quid miraris, si domum dicat suam? Adde, paucos esse e quibus exierit diabolus, quin aliquid pessimi in eis seminis relinquat: aliquid scilicet vitij prioris & propensionis iniquæ. Hac ratione domum sibi audet vendicare, quàm suo insigniuit charactere. *1. Petri 1.* *Rom. 7.*

Redit igitur ad domum, eamque vacantem, id est, feriantem, otiosam inuenit. Inuasit vbique, hoc malum multos. Putamus sat esse, si peccata semel confiteamur: deinde viuimus otiosi, & in vtramq; dormimus aurem. At præsentissimum periculũ est nobis ex otio. Otium enim aperit portas hosti intrare cupienti. Ideo Paulus admonet, vt simus solicitudine non pigri, spiritu feruentes, Domino seruientes, orationi instantes. Et alibi: Vestram salutem cum timore & tremore operamini. Et Domini verbũ est: Prima opera fac, id est, non otiosa & ordinis infimi, sed primi. *Rom. 12.* *Philip. 2.* *Apoc. 2.*

Vacantem inuenit: ornatam & scopis mundatam. Quid? Malúmne est animam ornare, & scopare? An non Dauid dicit:
Psalm. 76. Exercitabar, & scopabam spiritum meum? An non reginam
Psal 44. (quę à dextris Regis sedere debet,) ornari oportet varietate?
Isaie 61. An non & ipse sponsus sponsam suam ornat monilibus? Re-
1. Cor. 6. spondeo: Iam nos suo sanguine mũdauit & ornauit. Iam sumus abluti, sanctificati & iustificati in sanguine Christi. Reliquum est, si hosti subdi nõ volumus, vt quiuis seipsum scopet, & ornet. Secundò aduerte: Bonum est ornatam esse animam, & scopis tersam: sed malum est ornatam & mundatam solum esse, nisi se mundet semper & ornet. Non sat est quod prę̨teritum est, nisi & prę̨sentia adhibeas. Scopabis igitur te quotidie: dolens quotidiana crimina: ornabis te quotidie, quotidie dona Dei augere contendens.

Assumit septem spiritus. Vide concordiam eorum in nostram perniciem. *Nequiores se.* Vide ordines eorum in malo, sicut sunt sanctorum Angelorum ordines in bono. *Et intrantes.* Quid? non erat qui resisteret? Certè si dominus vacabat, & dormiebat, meritò non erat qui resisteret.

Fiuntque nouißima. Cur non dixit fiunt principia, aut media, sed *nouißima*? Certè quia ex parte hominis sunt nouissima. Si peccasti, quantum ad te attinet, nouissimus status est damnationis tuæ. Nisi Deo visum fuerit misericordiam tecum facere, tu te in infernum, & nouissimum malum coniecisti. Quòd verò addit: *Peiora prioribus*, & aduertendum & dolendum est. Nullum malum præteritum æquatur, malo peccati: in quod, qui Sanctus fuit, decidit. Certe nullum malum conferri potest statui culpę mortalis. Longè verò peius est peccatũ post veniam semel acceptã, quàm antea fuerat.

Ecce mater tua, & fratres, quærentes loqui. Nemo tam barbarus est, qui non quærat loqui Christo, id est, cum sua fœlicitate coniungi. Licet enim ignorantes, omnes tamen bonum quærunt. Bonum verò nullum aliud nisi Deus. Porrò hanc fœlicitatem quidam quærunt ex genere. Vt Iacobus
Matt. 20. & Ioannes, qui existimabant regnum Christi sibi deberi ex
Ioan. 8. consanguinitate. Et Iudæi putabant iam se regnare, quia filij essent Abrahæ. Contra Græci fœlices se reddunt in sapien-
1. Cor. 1. tia sua. Hos Christus errores relegat dicens: Is fœlix tantum erit, qui voluntatem Patris fecerit. Est verò eius voluntas
1. Thess. 4 sanctificatio nostra, id est, mortificatio carnis, & viuificatio spiritus. Porrò nemo viuere in spiritu potest: nisi super quẽ

Christus

Christus manum extenderit. Meritò igitur dicit textus. *Extendens manum in discipulos suos.* Nam suscitatio peccatoris à mortuis opus est dexteræ excelsi: vita spiritus, est donum eleemosynæ, quam larga Domini porrigit manus, sicut claudo porrexit Petrus. Cœlum vita sancta comparare *Actor. 4.*
opus est manus dextrę quam Iacob super filium Ioseph collocauit. *Gen. 48.*

At nō est explicatu facilè, quomodo verū sit eum qui voluntatem Patris fecerit, matrem esse Christi. Sane fratrem esse Christi, eum qui Patri obedit: & verum, & apertum est. Sicut enim Christus accepit esse diuinum per naturam: ita qui pius est, id esse accipit, in suo ordine, per gratiam. Quare *Iacobi 1.*
vt Filius est filius ex natura: ita quos verbo veritatis genuit Pater, filij sunt ex gratia. Sunt ergo filij Dei, fratres Christi, *Rom. 8.*
hæredes Dei, cohęredes Christi, & si fœminæ sunt, filias Dei, & Christi sorores nominare licet. At esse matres difficilè videtur. Sed pius autor Gerson super Canticis. Simplas. 7. dicit, *Cantic. 5.*
Verbū Dei nasci ex anima sancta. Idem dicit in Iosephina, dist. 10. Audacter, inquit, dicere pia anima potest: Filius meus *Psalm. 2.*
es tu, ego hodie genui te, sicut Pater Deus dicit. Asserit idem profundæ sanctitatis Taulerus, Serm. Dominicæ, id est, post Natalem, & Serm. 2. de Circuncisione, & Serm. 2. Epiphanię. Sed lōgè maiorem habemus autoritatem Chrysost. & Ambros. quas adduximus in alio Tomo. Sed vt verū id sit: quomodo aperietur? Primum non erat difficilè dicere cum August. & Thoma: Quiuis Christianus, quidā Christus est. Qui ergo ex peccatore pium Christianum facit, quendam Christum generat: & ita est Christi mater. Secundò: quilibet virtus, Christus dicitur, vt Chrysost. dicebat: Est enim iustitia Christus, &c. Qui ergo virtutē in se generat, Christū generat. *Galat. 2.*
Tertiò: Certū est ex Apostolo Christū viuere in nobis. viuo, inquit, ego, sed iā non ego: viuit verò in me Christus. Vnde *2. Thes. 5.*
peccatores dicūtur Deū in se occidere, dicēte Apostolo: Spiritum nolite extinguere. Vt verò Christus dicitur viuere in *Galat. 4.*
nobis, ita & formari, vt Apostolus dixit: Si igitur Christus dicitur viuere & formari, dicetur etiam gigni. Iam si Pater æternus desponsatur animæ in fide & dilectione. Si eā osculatur osculo oris sui. si ruit in eius amplexus, quid miraris, si *Oseæ 2.*
generationem alijs tribuens sterilis ipse non sit. fœcundat *Cantic. 1.*
igitur animam. ex hoc partu, quid nascetur nisi maxima proles? Sed hæc iudicio doctiorum censenda committimus. *Lucæ 16.*

Vide verò vbi hæc anima peccarit, quo priuetur filio: imò quem occidat filium. Vide quem amittat sponsum & maritum. Vide cum quo adulterium admittat.

Antequam finiam, libet ei quæstioni antiquæ respondere: Quænam causa Christo fuerit, vt nunquam de matre honorifice loqueretur, sed acerbius semper: perinde ac pudenda mater illi fuisset. In Cana Galilææ nō matris nomine, sed mulieris eam dignatus est. Hoc loco: velut matrem non agnoscit, In cruce non dicit, Mater, sed, Mulier ecce filius tuus. Ad hanc quæstionem primum respondeo: Christum venisse non soluere legem, sed adimplere. At in lege dictum erat, Christum futurum sacerdotem secundum figuram: & ordinem Melchisedec. Vt talis esset in re Christus, qualis fuerat in vmbra Melchisedec. Porrò Melchisedec erat sine patre, sine matre, sine geneologia. Igitur & Christus in terra hunc ordinem sequutus est, vt patrem, matrem, & genealogiam non agnosceret. Quin & ipsemet, ordinem vitæ Christianæ instituens, ait: Qui non reliquerit patrem & matrem, &c. non poterit meus esse discipulus, quid igitur miraris si huius ordinis institutor, ordinem ipsum exequi ad literam velit?

Ioan. 2. *Ioan. 19.* *Psal. 109.* *Hebr. 7.* *Luc. 14.*

Rursum Christus venerat, sanctam Ecclesiam sibi in vxorem copulare. Dictum verò erat, propter vxorem, patrem & matrem relinquendam. Reliquit igitur matrem: ne minus suam sponsam diligere videri possit. Demũ Adam solus potuit sua nomina creaturis imponere. At Christ⁹ potuit creatoris: & creaturæ pretiũ scire, & nomina ponere. Agnoscebat quãtus erat Pater suus, cuius pretio: & amore captus dicebat: Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terrã? Nihil ergo se super terram velle demonstrat: cùm dicit, quæ est mater mea, aut fratres.

Genes. 2. *Eodem.* *Psalm. 72.*

Sed quid moror? Hic est Dei mos, prius acerbè loqui, mox blande mulcêre: prius humiliare, mox exaltare. Bonum, inquit ille, quia humiliasti, quia post humiliationem, quid, nisi exaltatio sequetur? Meliora sunt vulnera diligentis, quàm oscula odio habentis. Ergo gloriam præcedit humilitas. Volens ergo Dominus matrem exaltare, eam sequi, ei obedire, prius humiliat. Quia non respexit nisi humilem.

Psal. 118. *Prou. 15.* *Prou. 27* *Isaie 66.*

CAPVT XIII.

In illo die exiens Iesus de, &c.



XIIT, *inquit, qui seminat*, id est, qui officium habet seminandi. Et licet multa Deus habeat officia: hoc vnum velut magis dilectum sibi delegit: à quo speciale sibi nomen seminatis assumeret. Ipse lux est vera, quę illuminat omnem hominem: at quà ratione lucis nomen habet, eadem et seminatoris. Quia seminat illuminando, & ipsum semen lux est. Imò ipsum seminantis officium viuificatoris munus est. Paulus enim dicit: Exurge qui dormis, surge a mortuis, & illuminabit te Christus. Ergo seminat lucem, illuminansq; vitam tribuit, qua mortuus viuificatur. Vita enim erat lux hominum. Si ergo penetras, quantum sit illuminare, & viuificare: penetrabis etiam quantum sit seminare. Profectò maius officium est seminatoris, quam creatoris: quantò maius est esse gratiæ ex seminatione dimanans, quàm esse naturæ ex creatione procedens. Ioan. 1. Ephes. 5. Ioan 1.

Quòd si admittas, Filiū Dei se seminasse in vtero matris, aut potius seminasse suam subsistētiam diuinam, in carnem quam assumpsit, num inuenies officium aut functionem, tantæ potentiæ, charitatis, & dignationis: quàm est functio seminatoris? Porrò postquam Verbum Dei seminauit se in humanitatem suam, seminauit etiam se in Apostolos, & in omnes qui per illos crediderunt: vt & hi filij Dei essent. Iam intelligis quantæ maiestatis functio sit, quòd Deus seminet, & quòd deitatem seminet.

Ergo videns Filius Dei, qui verbum vocis, per Prophetas olim seminabat, semen hoc non retulisse fructū exoptatum, atque propterea Deum nō coli, sed ignorari, virtutes iacere, & vitia triumphare, cœlum esse clausum, & infernum apertum, agrum animarū pro fructu reddere spinas & tribulos, ipse per seipsum decreuit seminare, non vocem solam, sed semetipsum. *Exijt ergo qui seminat.* Hebr. 1. Genes. 3.

Sed num Domine tu solus es qui seminas, vt dicas: *Exijt qui seminat?* An non etiam diabolus, mundus, & caro seminant? an non etiam seminant sancti viri, cur dicis: *Exijt qui seminat?* ac si vnicus esset qui seminat? Rursum si nunquā nō seminares: nullū tibi esset nomē seminatoris. At nonnunquā

non ſeminas, ſed fructus ſeminis recondis. Ad hoc facilè dictu eſt: Eum rectè ſeminatoris nomē ſibi vēdicare, qui eam functionem & melius, & frequentius, & fructuoſius facit. Porò diabolum mundum & carnem non ſeminare dicas:
1. Cor. 15. ſed corrumpere potius ſemen, & deſtruere. Quòd ſi ſancti ſeminant, non ipſi ſoli: ſed gratia Dei cum ipſis. Ipſi enim loquuntur, ſed ſeminator eſt qui vim præbet ſemini, qui vitam præbet terræ, & qui incrementum dat grano naſcenti.
1. Cor. 3. Quòd ſi aliquando ſeminare ceſſat: terræ minus ſemini ido-
1. Tim. 2. neæ culpa eſt. Nam ſeminator vellet ſeminare ſemper: quia omnes homines ſaluos facere vult ſemper.

Non me contineo quin illud addam: Seminare eſt, iacere ſementem in terra, id eſt, in anima. Iactum cooperire, in
Iſaiæ 30. ſilentio enim & ſpe eſt ſeminis fortitudo. Coopertum eget pluuia cœleſtis auxilij, vt è terra prodeat: Natus calamus flagellatur vētis, aquis, frigore, gelu, caumate. Inde in aream fertur: teritur, ventilatur. Intelligis iam quid ſit ferre fructū in patientia: imò in multa patientia.

Neque otioſe dicit: *Semen ſuum.* Fateor, ideo raros parari in Dei Eccleſia fructus: quia qui ſeminant non ſemen Dei, ſed ſuum ſeminãt. Non ſeminatur ſemen habens efficaciam ex Deo, ex charitate, ex ſpiritu: ſed ex ſtudio, & eloquentia humana. O vtinam prædicatores digni eſſemus, per quos vt miniſtros ſeminaret Chriſtus verbum ſuum: ſuo calore feruidum, ſua virtute efficax, ſua gratia fœcundum.

Quòd ſi, vt ſupra dicebamus, Chriſtus ſeminat vocem exterius: ſed ſeipſum ſeminat interius: quantæ veritatis erit dicere: *Semen ſuum*? Imò quantæ dignationis, quòd ſe tantū, ſeminet in ſtercore tam vili? Quanti amoris quòd naſcatur in nobis, proficiat in nobis, recondatur in nobis: ſedebimus
Ephes. 2. enim cum eo in throno eius. Certè ſi ſeminator eſt Deus: & quòd ſeminatur eſt Deus, quid naſcetur niſi quodammodo Deus? Iam intelligis, quare Chriſtus pluuiam ſanguinis ſui
Lucæ 23. fudit? Non enim cœleſte ſemen, niſi cœleſti pluuia merebatur irrigari.

Ex dictis planum eſt, cur exierit Deus ad ſeminandum: videlicet exit Deus ad ſeminandum Deum: ſed adhuc nonnihil de hac re dicemus eo loco, qui habet aures.

Aliud cecidit ſecus viam. In quatuor locis ſemen iactum eſt: ſed in vno profecit ſolummodo. Et ego arbitror, hos quatuor locos omnes eſſe intra Eccleſiam Dei. Neque

hic esse mentionem de infidelibus, aut hæreticis.

Id facile colligitur: Primùm, quia Dominus dicit, hos omnes audire verbum Dei. At verbum non auditur ferè, nisi intra Ecclesiam. Secundò quia parabola dicta est de his turbis: quæ ad Christum accesserant. Huic explicationi vnum illud obsistit: quòd durissimum videatur, ex quatuor Ecclesiæ partibus vnam seruari duntaxat. Sed forsan id Dominus voluit admonere, siquidem arcta est via quę ducit ad vitam: & pauci inueniũt eam Quod si etiã infideles comprehendas in parabola. iam non inuenies quartã, imò nec centesimam partem esse, eorum qui seruantur. Suauius igitur litera fluet, si de fidelibus solùm intelligas. Quorum tres pereunt partes. Licet quarta bonæ terræ pars possit multo esse maior, quàm quæuis reliquarum. Quod vt optare licet: ita nescio an asserere audeam. Matth. 7.

Precor te Lector aduerte, non dicere textum, aliquid seminis iactum esse in via, sed secus viam. Quòd animaduersè etiam dixit Marcus & Lucas: Non ergo Deus seminat in via, quis enim sapiens sator, in via seminet? seminat igitur iuxta viam. Porrò via est, vita sine Deo: vita Adam terreni: vita carnis & mundi. Hac enim via omnes homines gradiuntur: nisi à Deo reuocentur Per hanc viam ambulant infideles: nõ ergo sermo est in parabola, de infidelibus (hi non seminantur, sunt enim via) sed de fidelibus, qui ex via extra viam à Deo adducti sunt.

Igitur fideles sunt quadruplices. Priores, qui nihil Dei cultũ curant, nihil Deum timent: sed sola fide ab infidelibus distant. Vt rectissimè dicantur iuxta viam esse, id est, iuxta infideles, à quibus tam modicè distant. Audiunt hi quidem Verbum: sed non intelligunt. Deus enim huius seculi obcæcauit mentes eorum. 2. Cor. 4

Sunt alij, qui Dei quidem cultum curant: sed non intus. Astant templis, altaribus, officijsq; diuinis. Nunquam non aliquid orantes obmurmurant. Sed populus hic labijs honorat: cor longe habent à Deo. Et ideo cor durum habent, exterius modicam terram habent, sed interius altissimam petram. Ideo in quauis tentatione succumbunt. Si irritantur excandescunt. Si affliguntur despondent animum, si honorantur, attolluntur. Ergo in tentatione deficiunt. Isaie 29.

Sunt tertij, qui toto pectore, & intimis visceribus Deum

quærunt

quærunt & amant: in quorum intima, cœlestis mollitudo descendit, sed habent diuitias, quibus se dedunt. Viuunt inter delitias fœminarum, à quibus abducuntur. Nonnunquam etiam, vitæ miserijs & solicitudinibus premuntur, & ita sensim sanctitatem deserunt. Hi sunt qui à spinis suffocantur.

Sunt denique quarti, qui toto etiam pectore lumen Dei
Matt. 25. acceperunt: gratiæ oleum & teneritudinem in intimis possidentes, & omnibus curis rejectis, omnibus concupiscentijs profligatis, omnibus ærumnis deuictis, toti intendunt rebus cœlestibus. Hi sunt, qui corde bono & optimo suscipiunt Verbum.

In hac porrò sorte fœlici, est differentia: quidam enim suam contenti legem seruare, ab omni lethali crimine, pro virili cauent: sed non adeò consilia curant Euangelica, ferè fide Trinitatis, præceptisque decalogi contenti. Quasi tria per decem ducentes, fructum referunt tricesimum. Secundi sunt, qui præceptis adiungunt consilia, qui velut duplum ad priores fructum referentes sexagesimum ferre dicuntur. Tertii quibus in virtute nihil deest, centesimi sunt. Habes ossa parabolæ, excutiamus eam nunc.

Cecidit secus viam & conculcatum est: & volucres cæli comederunt illud. Cùm primi, quos retulimus, homines audiunt Verbum Dei, non intelligunt, imò frequenter rident. Nam de Pharisæis Christū audientibus dicitur: Deridebant eum,
Luc. 16. quia erant auari. Cum ergo aspis surda est, non audiens vocem eam incantantis, tunc aut non audit, aut non intelligit. Cùm verò audit & ridet, tunc verè sementem conculcat.
Psal. 57. Quia Verbū, quod super caput statui debuerat, sub pedibus collocatur. Quantæ verò id noxæ fuerit, quis nisi Deus æstimare nouerit?

Sed non caret magna difficultate, quid sit, volucres cœli (id est, dæmones) sementem conculcatam comedere? Ego arbitror ea id ratione dictū: Primum, quia gaudet diabolus, videns Verbum rideri & conculcari. Et ideo comedere dicitur. Secundò, quia ea ratione fortior, & valentior fit contra eum, qui ita contempsit. Robustior ergo fit, vt qui comedit, contra inimicum. Tertio, comedere dicitur, quia in pectore suo seruat, quoties verbum contempsimus, vt in die iudicij
Gen. 40. acrius accuset. Quartò, memor esto illius Pharaonici pistoris: cuius cibos cùm volucres comedissent, Ioseph asseruit, id esse

id esse suæ damnationis signum. Ergo cùm Dominus dicit, volucres cœli comedisse cibum nostrum, aperte indicat, eos esse damnandos, qui Verbum ita contempserint.

Cecidit supra petram. His, qui facilè recipiunt, sed facilius reijciunt: qui exterius sunt teneri, interius lapidei, dicit Deus: Conuertimini ad me in toto corde vestro, id est, non in superficie sola. Dicit etiam: Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, id est, non sola exteriora. Dicitur etiam, vt lapides se legant è vinea. Quia, quod natum est, & continuò aruit, cui rei, nisi igni, idoneum est? & lapides deorsum in centrum, id est, in infernum grauant, sursum enim sua grauitate ascendere nequeunt. Et denique cor durum male habebit in nouissimo. Demum hi temporales sunt, non cœlestes: non enim qualem habes superficiem iudicat Deus, sed quale cor: cor verò tuum non est æternitate mollitum. *Ioelis 2.* *Ibidem.* *Isaiæ 5.* *Ecclef. 3.*

Cecidit aliud super spinas. Spinas, Marcus vocat ærumnas huius seculi, deceptionem diuitiarum, & circa reliqua concupiscentias. Consentit Marco Lucas. Non ergo solæ diuitię vocantur spinæ. Sed ex duplici capite periculum imminet semini: vel ex aduersitatibus, quæ solicitum hominem reddunt, aut ex prosperitatibus, quę eum efferũt. Vtraque enim suffocant verbũ. Hæ vocantur spinæ ex terræ maledictione per Adæ peccatum subortæ. Ante peccatum enim nec erant ærumnæ, nec diuitiarum concupiscentia: omnia enim omnibus fuissent communia, & terra diues diuitem quemlibet, sine inuidia reddidisset. Porrò cordis nostri maledicta terra, sublata originali iustitia, hæc protulit mala germina. Cùm verò sermo Dei viuus sit, suffocari potest, quæ enim viua sunt, nisi aperto cœlo fruantur, quò in altum se proferre possint, moriuntur. Et equidem, omnes res natæ sunt, vt agant, vbi agere prohibentur, pereunt. Ita verbum in anima agere à natura sua cupit. Si agere vetatur, languet & perit. *Marci 4.* *Lucæ 8.* *Genes. 3.* *Hebr. 4.*

Cecidit demum aliud in terram bonam, &c. (vt Lucas ait) *optimam*. Optimum plane est, quod ab omni malo est alienum: ab omni viliori fæce semotum, à Deo totum penetratum & possessum. At necesse est optimum esse quod diuinum est.

Sed attende: Hoc nomen, Optimum, solius Dei nomen est. Is enim vt solus est maximus: ita solus est optimus. Iam

quanto

quanta fuit dignatio & charitas Christi, nomen suum cordi nostro communicãtis? Maximè cum teste Ieremia prauum
Ierem. 17. sit cor hominis præ omnibus: vide rerũ commutationem. Pessimum cor, nomen optimi accipit.

Psalm. 1. Hoc igitur cor Verbum recipit, & retinet. Qui meditabitur in lege Domini die ac nocte. Hoc cor dat fructum ascendentem: non recursum, aut descendentem. Nec solum ascendentẽ, sed & crescentem: vt inquit Marcus. Quæ enim diuina sunt ascendunt, & saliunt in vitam æternam. Et qui
Ioan. 4. in cœlum iturus est, crescat semper: nec cesset vnquam. Ideo
Luc. 14. dictum est: Amice ascende superius. Et rursum: Isaac ibat
Gen. 27. crescens. Tepidus enim euomitur.

3. Cœl. cap. 1. *Facit fructum tricesimum*. In ternario, teste Aristotele, est perfectio. At Deus non gaudet, nisi in genere suo perfectis. Iam quiuis nostrum est vnum. Hoc vnum non in se manere, sed fructus debet afferre, & velut multiplicare. Nec sat est si se per binarium multiplicet, id est, per vitam naturalem & rationalẽ. Ergo necessariò, se multiplicet per ternarium, vt supra vitam rationalem, in spiritualem ascendat. Hoc verò
Hebr. 4. est tricesimum fructum attulisse. Porrò per sex dies ad sabbatum veniebant: ita qui per opera sancta ad sabbatum contemplationis accedunt hi sexagesimum fructum adducunt, allaturi centesimum, cum in sabbato perfectionis Deo, pro huius vitæ ratione, fruentur. Ideo Paulus: Renouamini in
Rom. 12. nouitate mentis vestræ (vt terra bona essent,) vt probetis quæ sit voluntas Dei bona, (hoc est, afferre fructum tricesimum.) Beneplacens (hic est fructus 6.) Et perfecta (hic est 100. fructus.)

Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi audiat. Torpentes hoc excitat clangore: dormientes, & velut mortuos hoc exuscitat tonitruo. Quid super seminis fructu non clamet? siquidem ex hac fructificatione Dei cultus pendet. Christus ex fructu honoratur, ex otio dehonestatur. Cœlũ fructui aperitur, torpori clauditur, anima nostra fructu diues seruatur, fructu vacua damnatur, dæmonis regnum fructu allato languescit, sine fructu triumphat. Fructu os inferni concludit, sterilitas aperit. Super hoc fructu Deus, Angeli, cœlum, Ecclesia, sacramenta, scripturæ, leges, sacerdotes, reges, minæ, præmia, pœnæ, gloria, tormentum, super hoc vnico versantur cardine. An non æquum est Deũ clamare, & clamoribus anxijs rei maiestatem hominibus explicare?

Accedentes discipuli interrogauerunt eum. Docent, quid facere debeant maiores Ecclesiæ, scilicet Deum singularem alloqui: & ab eo mysteria discere: quæ minoribus communicent. Atqui nescio quando Christus sit singularis, & solus: nisi cùm nos per orationem sumus soli, & singularis. Talis enim dicitur Deus, quales nos facit. Videant ergo prædicatores, si orandi vsum habeant: quo singulares ipsi, rebus omnibus creatis reiectis, Deo singulari iungantur. In ea enim solitudine dat sponsus vbera sua. *Cant. 1.*

Vobis, inquit, datum est. Vobis, vide quibus: piscatoribus, pauperibus, ignobilibus, indoctis. Certè datur nosse pauperibus, & paruulis: quod absconditur sapientibus & prudentibus. *Matt. 11.*

Nosse mysteria regni. Nec enim vnicum est mysterium: Sed sicut ex seminatione Verbi diuini in nostram humanitatem, mysteria sequuta sunt incarnationis, natiuitatis, passionis, mortis, & resurrectionis. Ita ex seminatione verbi in animas nostras, eadem mysteria quadam proportione respondent, Quia Christus nascens meruit, vt nasceremur ad nouam vitam. Moriens, vt moreremur vitæ mortuæ. Resurgens, vt viueremus incorrupti. Latissimus est campus hic: sed hactenùs. *Rom. 6.*

Qui habet, dabitur ei. Mirari non desino: cùm video tantam hominum turbam ad Christum accedentem, congregatam, audientem, & ab eius ore pendentem. At, qui inter eos habet, dabitur ei: qui non habet, auferetur ab eo. Si igitur accedentes & audientes quia non habent, priuantur: quid iudicas futurum, de his qui nec audiunt, nec accedunt? Sed quia locus hic est vehementer difficilis, ideo & breuiter & quantum potero dilucidè à me tractabitur.



Qui habet, dabitur ei. Qui non habet, quod habet, auferetur. Quid habent discipuli, vt eis detur? Quid rursum habent, qui non habent, vt priuentur? Habent discipuli, & reuera habent. Habent etiam reliqui, sed verè non habent: ideo priuãtur. Igitur discipuli Christi habent cor non incrassatũ: aures non grauiter audientes: oculos quos non clauserunt: Hoc est verè habere. Reliqui habẽt cor, habent igitur: sed habent cor incrassatum non ergo habent. Siquidem habent à Deo, non ad Deum. Habẽt, sed melius fuisset, si non habuissent. Habẽt oculos, sed quos ipsi clauserunt. Habent igitur, & non habẽt. *Luc. 10.* *Isaia 5.*

Audi nunc, omnibus hominibus dedit Deus oculos intel-

lectus, vt viderent. Aures voluntatis, vt obedirent. Cordis capacitatem, vt amarent. Hæc dona ſunt naturalia, ſed his
Lucæ 19. Dominus non contentus, adiecit multo maiora. Dat enim omnibus lumẽ, quo videant, ea quæ ad pacem tibi. Eſt enim
Ioan. 1. lux illuminans omnes venientes in hunc mundum: Dat etiam ea omnia quæ ad ſalutẽ ſunt neceſſaria. Omnes igitur habent tã naturalia, quàm ſupernaturalia dona, Hoc tamen diſcrimine. Quidam enim accepto lumine ad Chriſtum accurrunt, & cùm eſt ſingularis eum interrogant. His habentibus, additur. Alij ad lumen viſum, claudunt oculos: his (vt qui oculos clauſerunt) & lumen ſupernaturale tollitur, & naturale debilitatur.

Quò fit, vt licet prædeſtinatio, & reprobatio nullis præcedentibus meritis fiat à Deo: at profectò punitio & glorificatio, nõ niſi pręcedentibus aut culpis, aut merits fit. Sicut etiam & obſtinatio. Sed hoc ad ſcholas.

Hoc igitur loco Iudæi, qui vix tribus annis Chriſtum audierant obſtinantur, priuanturq́ue luce præbita: ô miſeros nos, qui non tribus ſed 30 annis Chriſti verba percepimus, & ſine fructu. Cur ergo reprobationem, obſtinationem, & damnationem minimè timemus? Illi quidem accedebant, currebant, in eremis erant, iuxta mare, in humenti & ſordido loco audiebant, & relinquuntur. Nos nihil timemus.

Iam ſi obſtinationis, & derelictionis damnum, quantum ſit expendis: intelliges contrà, quantum bonum ſit habere aures nõ craſſatas, & oculos nõ clauſos. Hoc enim bonum, eſt pignus hæreditatis æternæ: & eſt maximum inter reliqua dona. Et quia tantum eſt, vno nomine nominari non poteſt. Ideo Dominus dicit: Qui habet, non addens quid habeat. Sed dicit, qui habet quaſi innuens: qui habet, theſaurum incomparabilem: qui habet omnium bonorum fontem & radicem.

Sapien. 7. Rurſum vt ſummum malum eſt obſtinatio & excæcatio, ita beatitudo eſt, oculos habere videntes. Cor habere flam-
Lucæ 10. mis amoris ignitum: Beati ergo veſtri oculi, qui vident, & cor quod ignibus charitatis ardet. Beatus enim eſt quem tu
Pſalm. 93. erudieris Domine, & de lege tua docueris. Et beatus qui le-
Apoc. vlt. git verba prophetiæ huius, & ſeruat ea.

Demum quod addit: *Multos prophetas & iuſtos non vidiſſe, quæ diſcipuli viderunt.* Id ſolum docet: myſteria diuina nunquam ita fuiſſe explicata, Videlicet velo templi ſciſſo: ve-

lamine Moysis oblato. Sigillis libri apertis, propalata: 2. Cor. 4.
Sanctorum via. Hebr. 10.

Aliam parabolã proposuit. Finis primæ parabolę est docere, qui sit fons, & origo bonorum, & malorum, tum quomodo bona, & mala crescant, quod demum stipendium hæc, & illa habitura sunt.

Origo & fons bonorum Christus est: non solum vt Deus, sed etiam vt homo. Ideo enim dicit: simile est regnum cœlorum homini: qui seminauit, & ç. Qui enim seruantur, ex fide in filiũ hominis seruantur. Ipse enim est, cuius meritis salus homini allata est. Verbũ verò Dei mereri salutem non poterat, nisi in carne venisset. Fons cõtra malorũ diabolus est, qui vocatur inimicus homo: vt enim filius Dei propter amorem Dei factus est homo: vt homines facti dij, Deum colerent: ita diabolus ex nimio odio Dei, efficitur vt homo quotidie: vt filij Dei affecti diaboli, Deum offendant. Ea enim ratione diabolus personam, mores, affectus humanos assumit: vt seruos Dei à Deo reuocet. Non enim est naturæ diaboli amare libidines: vt incubus, & succubus fiat: sed hos humanos affectus induit ille, vt Deo iniurius sit.

Habet verò Verbum Dei homo, mundũ hunc, vt agrum. Ager siquidem eò instituitur, vt inde fructus percipiantur. At mundus hic eò institutus est, vt ex ipso prædestinati decerpantur. Iuxta illud: Omnia vestra sunt: siue mundus, siue mors, siue vita: vos autem Christi, & ç. quasi diceret: Omnia 1. Cor. 3.
vestri gratia sunt à Deo creata. Quod & testatur idem Apostolus dicens: Omnis creatura adoptionem filiorum Dei Rom. 5.
expectat. Videlicet: quia omnis creatura ager est: ex quo adoptio filiorum Dei expectatur. In hoc igitur agro seminat Deus suos electos: quæ seminatio cœpit à primò iusto, & finietur in vltimo mundi.

Superseminat in hoc agro diabolus. Seminatum enim à Deo est: superseminatum à diabolo. Seminatum enim est quod bonũ, quod verum, quod antiquũ. Quod verò nouum est, id à Deo non est. Noua igitur dogmata, noui mores, superseminati sunt. Iam seminatum est, quod ager fert: superseminatus est omnis excessus: at omnem excessum diabolus tractat: Virtus enim est in medio. Demum seminat Deus legem in cordibus nostris. Cùm verò diabolus dicit: Cur præcepit vobis Deus, ne de ligno paradisi comederetis? id superseminatum est. Igitur qui legi Dei obedit Gen. 3.

ſeminatus eſt: qui verò legi repugnat, superſeminatus eſt.

Ioan. 5. Porrò in legi veteri fortè nō ſeminauerat Deus triticum, ſed hordeum: ex quo panes hordeacei conficiebantur: quos quinq; libri Moyſi repræſentant. Sed in lege gratiæ triticum

Ioan. 12. ſeminatur. Et quòd vehementer mireris: in medio tritici lolium, & zizanium ſuperſeminatur. Vt nunquam ſecuri ſi-

2. Cor. 12. mus, etiam cùm feruet ſpiritus: etiam cum audiſti arcana verba quæ non licet homini loqui, etiam tunc ſeminabat in Paulo angelus Satanæ ſtimulum carnis.

Quod additur: *Superſeminauit & abijt:* hūc habet ſenſum. Homo rex, poſtquàm ſeruis ſuis dedit vineā quam colerent,

Luc. 10. peregrè profectus eſt, id eſt, reliquit, & permiſit eos agere, prout vellent: perinde illos tractans, ac ſi non eſſet. Ita diabolus ſeminatum zizanium non vrget, non ſollicitat: ſed relinquit facere quod vult. Quos enim diabolus fallit, principio non torquet, ſed mulcet, & velut abiens relinquit: ne fortè ſi initio durū ſenſerint imperium, à tyranno reſiliant.

Cùm autē creuiſſet herba, apparuerunt zizania Huius duplex eſt ſenſus: alterum quotidie experimur. Quia cùm prædicatorum miniſterio, incipit aliquis fructus apparere, & velut herba creſcere: tunc exoriuntur, qui eam ſuffocare conten-

Exod. 1. dant. Pharao enim non occidebat eos qui nondum editi erant: ſed maſculos iam natos. Et in Actis Apoſtolorum,

Act. 8. cùm incipiebant Apoſtoli herbam videre virentem, ſtatim ſcandala zizaniorum patiebantur.

Alter germanior ſenſus erit. Nata iam herba martyrum, confeſſorum, virginum, doctorum: tunc apparuerunt zizania, imò tēporibus noſtris, nihil niſi zizania videtur. Adeò infœlix loliam præualuit. Hinc enim dolor eſt ſeruorū Dei, quod in eius agro non vnū aut alterum zizanium, demonſtretur: ſed quòd vniuerſa ferè agri ſpecies, zizaniorum eſt.

Videntes ſancti angeli infinitum ſtultorum numerum, cupiunt eos euellere, & dicunt *Nónne bonum ſemen ſeminaſti, vnde ergo zizania?* iuſtiſſima planè admirandi ratio, Cur ſunt tot homines mali? Cur peccant homines adeò? quid dulce peccatum habet: vt nos ad ſe ita pelliciat? Si peccatum eſt, malum eſt. Si malum, fugiendum igitur: non amandum.

Gen. 1. Primò: Eſt enim voluntas noſtra bona, & ad bonum nata. Vnde ergo habet vt malum cupiat? Secūdò Et ſi peccatum contra Deum eſt: cur peccamus, & eum offendimus, à quo tot bona quotidie recipimus? Quid enim commeruit ille,

vt tot eum iniurijs afficeremus? Tertiò, Et si etiã peccatum contra peccatorem est, cur peccat? qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam per peccatum enim mors, & per mortem omnes mortis comites, & conscientiæ cruciatus. Quartò, Imò peccatum est contra totum mundum: qui captiuatur, & diaboli seruituti adigitur, cum ego me peccato subijcio. Sanè homini seruiunt cuncta. Si ergo homo Deo seruit, seruiunt etiam cuncta cum eo. Contra si diabolo seruit, cogit illi cuncta seruire. Ideo enim apud Paulũ mundus ingemiscit, quia nunc vanitati seruit. Et apud Petrum mundus est igne cremandus: qui nihil tale commeruit. Quintò, Iam peccatum nos inferno vendicat, diabolo subijcit, cur tanto nostro dispendio zizania sumus? Sextò, Rursum si peccatum est contra rationem, & contra naturam hominis rationalis: cur adeò contra naturam suam ascendit impetus fluminis? Septimò, An non peccatũ est cõtra legem Dei, contra Euangelium, contra Philosophiã? An non contra peccatũ omnes clamant? an non publicus est hominũ consensus peccatũ esse damnandũ, profligãdum? cur ergo tam publicè damnamus? Octauò, Contra peccatum: est incarnatio Christi, vita, mors eius, lex, sacramenta cœlum. Per peccatũ Christus conculcatur: spiritui gratiæ contumelia fit, vnde ergo zizania? Rectè ergo angeli, vis imus & colligimus ea?

Iacobi 1. *Psal. 10.* *Rom. 5.* *Psal. 8.* *Rom. 8.* *2. Petr. 3.* *Hebr. 10.*

Ex quibus verbis, ego mihi facilè colligo: per hos seruos Dei, Angelos esse intelligendos. Primũ: quia dicũt, vis imus. Quasi illi essent cum Deo, & non in agro essent, scilicet in cœlo, non in terra. Secundò, quia dicunt, colligimus ea. Hoc enim Angelus potest, non homo. Quis enim omnes malos è vita abducere, nisi Angeli possunt? fateor vnum aut alterum malum interficit iudex. Sed omnes ex mũdi agro euellere, quis hominum poterit? Vnde tria colligo. Primum, quanta sit obedientia beatorum, ad diuinam voluntatem. *Vis*, inquiunt, Non enim audent, vel transuersum vnguem velle, aut cogitare: nisi quod sciunt Deum velle. Secundum, quãta sit eorum facilitas. Non dicit: vis ibimus, sed, *Vis imus.* Quòd enim nobis sunt longa temporum spacia illis est instans, & momentum. Tertium: quanta sit eorum potestas. Ita enim possunt nos occidere, vt agricola lolium eradicare. Lege historiam Iob, videbis quid illi possint. Huic Angelorum tam iusto zelo respondet Dominus. *Iob 1.2.*

Non: ne fortè eradicetis triticũ simul. Gratias igitur bonis agãt

mali, bonorũ ſiquidem gratia, angeli non eradicant malos. Cur ergo contra bonos mali deſæuiunt? contra vitę redem-
Geneſ. 18. ptores: contra ſuæ vitæ obſides & pignora? Si Sodomis aliqui boni fuiſſent, mali deſtructi non fuiſſent: Et propter humiles, ſubſiſtunt reges. Nam cùm nullus fuerit eradicandus bonus, colligentur mali.

Duplex hic oritur quæſtio. Prior: Quomodo eradicantur
Exod. 23. boni, ſi colligũtur mali? Reſpondet Dominus: Non ejiciam Chananæam, & Ethæum à facie tua, anno vno: ne terra in ſolitudinem redigatur, & creſcant contra te beſtiæ. Certè ſi nullus eſſet malus, iam terra nõ dediſſet bonis reditus ſuos, & beſtiæ bonos deuoraſſent. Rurſum reſpondet Paulus: Si
1. Cor. 5. omnes mali eſſent fugiendi, debebamus de mundo exiſſe. Iterum ipſe reſpondet: Non eſt Paulus malus collectus: vt
Timot. 1. in me (inquit) primò oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui in illum crędituri ſunt. Sanè ſi mali fuiſſent ſtatim collecti, Dauidem non haberemus, nec Petrũ, nec Magdalenam. Imò nullus fuiſſet homo: ſi Adam vt peccauit, perijſſet.

Altera quæſtio eſt hæreticorum: qui ex hoc loco credunt vitam ſuam egregiè propugnari. Si Dominus (inquiunt) iubet zizania tolerari, cur hæretici comburuntur? Sed reſpon-
Rom. 13. ſio eſt: Angeli vetantur omnes malos perdere: non vetatur iudex hæreticum interficere Neq; enim ſine cauſa gladium portat. Rurſum vetantur Angeli colligere malos, quando
Geneſ. 18. eradicãdus eſt bonus. At ſi bonus non eradicatur: hæreticus comburatur: Sublato enim Loth de medio Sodomorum, angeli eos ignibus tradunt.

Tunc dicam meſſoribus: Colligite primum zizania, & alligate ea. Triticum autem congregate in borreum meum. Conueniebat locus hic, illi opinioni, quæ aſtruit: Vbi per angelos, mali fuerint collecti bonos nõ morituros, ſed in cœlũ cõgregandos. Sed quia hæc ſententia non probatur Sanctis: dicendum primò, ex hoc loco non probari, pios non morituros: Sed ſolum non colligendos, vt alligentur. Colligentur: ſed non vt ſcandala colligentur, vt eorũ mors, non mors ſit dicenda, ſed vita. Secundo, Sancti potius dicuntur congregari, quàm colligi. Illud enim volentium eſt: hoc eſt inuitorũ. At ſancti non inuiti adunabuntur, nec inuiti, ex vita iſta diſcedent.

Tunc fulgebunt iuſti ſicut ſol, quantùm ad corpus. Quia quãtùm ad animã, nulla eſſe comparatio poteſt, niſi illa Ioãnis:

Similes

Similes ei erimus: vt enim Deus continet omnia, scientiam, bonitatem, voluptatem, diuitias, & omne denique bonum: ita & anima nostra, suo tamen modo. Corpus verò eam habebit super omnia corpora celsitudinem, & eminentiam: quam nunc sol habet super omnia reliqua. Vide qualis erit anima: siquidem ex eius redundantia, tale redditur corpus. Sed nihil mirum: si habebunt sancti corpus, configuratum corpori claritatis Christi.

1. Ioan. 3.

Ligantur verò mali in fasciculos: vbi nullus erit regum, aut seruorum ordo: sed eorum confusio, & horror sempiternus. Porrò mittuntur in caminum: & vt vehemens ignis depascitur, & deuorat paleas iniectas: ita vehementissimus inferni caminus: Ibi erit fletus, & stridor dentium. Sicut febricantes febrim patiuntur simul & frigus. Vt enim beatitudo cœlestis est simul omnia bona: ita & infernus est simul omnia mala. Et simul ergo ignis vehemens, & frigus vehemens. Frigus est nimium, & calor est nimius.

Philip. 3.
Iob 14.
Matth. 3.

IN SECVNDA parabola prophetat Dominus de cremento, & altitudine Ecclesię suę: confertq; Christianos suos grano synapis. Nos igitur granum synapis sumus: Non dicit grana, sed Granum. Quia licet plures simus, est tamen nobis cor vnum, & anima vna. Vnus est nobis Deus, vna fides, vnum baptisma. Et speciatim calor charitatis, seu Spiritus sancti, qui granũ aliás mortuum in naturam synapis vertit: hic calor vnus est. Et ideò sicut vnus spiritus vitalis, multa membra cogit in vnum: ita multo vehementius calor spiritus multa grana, reddit in vnum.

Iob 24.
Act. 4.
Ephes. 4.

Dicitur hoc granum synapis minimum. Quia electi Dei, qui synapis sunt: altitudinem terrenam fugiunt. Profundam humilitatem amplectuntur Et hæc est virtus huius synapis: honores fugere, vilitatem amare. Ideo enim dictum est: Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum. Quia paruuli nihil morãtur humanas celsitudines. Profectò nihil vilius mortuo. At synapis calor facit electos, vt mortui sint mundo: imo vt ipsi seipsos quotidie mortificent. Quid minus est stercore? at ipsi facti sunt vt stercora, & mundi peripsema. Quid minus est cruce? sed hi nihil aliud sciunt quàm crucifixum, nec nisi in cruce gloriantur. Rectè ergo Dominus eos vocat minimos suos: cùm dicit, Quòd vni ex his minimis fecistis, mihi fecistis. Quia etiam Christus se, vt minimum reputauit: imo vt vermen, & ç.

Matth. 19.
Rom. 8.
Psalm. 43.
1. Cor. 4.
1. Cor. 2.
Galat. 6.
Matth. 25.
Psalm. 21.

Sed attende quo tandem hæc ecclesia minorum creuit, quo se extulit. Si eius culmen, scilicet. Christum spectas, ad
Daniel. 7. Dei ęqualitatem ascendit. Humiliauit se germen hoc, vsque
Philip. 2. ad mortem: sed exaltatum est eius nomen, super omne no-
Isaiæ 11. men. Si alterum ramum, seu virgam de radice Iesse consideraueris, scilicet. Virginem sacram, exaltatam inuenies su-
Psal. 44. per choros angelorum. Inuenies reginam sedentem à dextris Dei in vestitu deaurato. Inuenies mulierem amictam
Apoc. 12. Deo, & omne vertibile sub pedibus eius. Cur ita? quia granum minimum fuit: cuius humilitatem amauit & respexit
Luc. 1. Domin⁹. Alij rami fuerũt Apostoli, adeò excelsi: vt spectaculũ facti sint mũdo, & angelis. Et quia Apostoli, & alij sancti,
1. Cor. 8. aut exaltati sunt super angelos: aut inter eos collocati, ideo angelici volucres dicũtur, in his ramis quiescere, & gaudere.

Sed nõ caret mysterio quod Marcus habet, volucres quie-
Marci 4. uisse sub istorum ramorum vmbra. Quod ego sic intelligo: Sancti Angeli laborauerunt olim, & portauerunt pondus diei: contendentes si possent, Deo homines offerre. Laborabántque, velut solent qui sub æstu fodiunt, aut metunt. Cùm autem viderent per apostolicum laborem homines ad Deum conuerti, cessarunt illi à suo tanto labore, vt qui tam potentes haberent adiutores: velut quiescẽtes sub vmbra Apostolica, velut qui refrigeriũ laboris sui inuenissent. Significatum etiam est angelos pendere ex vmbra & fauore
Ephes. 1. Christi, & Virginis sacræ: Est enim Christus caput, super omnes angelos, super omnem potestatem & virtutem. * Et fauore Virginis arbitror, sua vota angelos assequi.

** Dicente Bernard. voluntas Dei est, totum nos habere per Mariam, in sermo. de Natiu.*

IN tertia parabola (nisi fallor) contẽdit Dominus ostendere vsque ad quod tempus, sua sit Ecclesia duratura. Vocauit nos omnes farinam: vt enim farina fit, ex circumactu molę superioris, mola inferiori quieta: ita nos omnes gignimur, ex circũuolutione cœli, terra tamẽ immota manente. Apostolos vocauit fermentũ, erant & ipsi plenè farina: erant enim homines sicut & reliqui, sicut fermentum erat farina
Eccles. 1. prius. Sed quia Spiritum sanctum acceperunt, acceperunt etiam vitam, acorem, attollentiam: ideo fermentum dicti
Matth 5. sunt. Eadem sanè ratione, quá sal dicti sunt. Hic notare my-
Exod. 12. sterium libet. Iubet Moyses Iudæis: vt portent farinam, antequam fermentetur. Quod significabatur legem veterem fermentare non potuisse. Si enim fermentum fit à Spiritu: & hic Spiritus nondum erat datus, quia Iesus non erat glorificatus

rificatus, fit planè, vt ante spiritus missionem, fermentum non fuerit. Ideo Iudæi azimis panibus, in festis suis vtuntur. Vtpote qui fermento carebant. *Ioan. 7.* *Exod. 13. 23.*

Mulier verò Euangelica, vt quæ spiritum habet, fermentum habet. Nescio vero quam dicam hanc Euagelicam mulierem, nisi sacram Christi humanitatem, quæ nos summis doloribus peperit, & summo matris amore diligit, neque obliuisci potest infantis, quem vlnis gerit. Hæc est, quæ fermentum abscondit. Eius enim meritis Sancti fermentum habent. Et rursum abscondit: quia spiritus hic absconditus est, velut thesaurus in vasis fictilibus. Et velut lampas in Gedeonica lagena. Nihil vita Christiana habet ostentationis, nihil fumi. Totus eius decor est ab intus, licet non adeo latere possit: quin fimbrias habeat aureas. Demum abscondit: quia in vilibus est. pauperibus, contemptibilibus: & ijs qui non sunt: in mortificatis, in his qui in solitudinibus errant, in speluncis & cauernis terræ. In gente dilacerata & egena: sed hæc est quæ relinquitur in medio terræ. In hac gente absconditur fermentum, ab illa fœmina nobili: quæ facta est, vt nauis institoris, de longe, id est, de cœlo portans panem suum, id est, diuitias regni non alieni, sed sui. *Ioan. 16.* *Isaiæ 46.* *2. Cor. 4.* *Iudic. 7.* *Psal. 44.* *1. Cor. 6.* *Hebr. 11.* *Sophon. 3.* *Prou. vlt.*

Res verò est vehementer difficilis, quid sibi velit: *Abscondit in farinæ satis tribus?* Et quidem iuxta Hieronymum, satum continet modium & dimidiū. Vnde tria sata, efficiunt nouem semimodios, non verò nouem modios integros. Ex quo mysterij celsitudo prospicitur. Nouem fuerunt chori angelorum. Ex quibus cum tertia pars ceciderit, quiuis chorus ferè dimidiatus est. Atque ideo nouem fere semimodij angelorū remanserunt. Quare per nouem hominum semimodios, id est, per tria sata, sunt reparandi. Hac igitur ratione spiritus diuinus fermentat tria sata, id est, nouem dimidios modios: vt per hos nouem, angelorum fere dimidiati ordines restaurentur.

Donec fermentetur totum. Significatur, tam diu duraturam Euangelicam prædicationem, quamdiu per vniuersum orbem, Euangelium promulgetur. Prædicabitur Euangelium regni in vniuerso orbe. Et tunc finis: sed non est silendum quod dicit, *Donec fermentetur totum*, id est, donec in vnum Deum, vnumque spiritum omnes conuertantur per gratiam: vt sit Deus omnia in omnibus. *Matt. 24.* *Coloss. 3.*

Simile est regnum cælorum, &c. Video has Domini parabolas sa-

las facilè de Sanctis, qui sunt regnum cœlorum, intelligi posse. Nam & Ecclesia cum meminit de virginibus, has parabolas canit: Libet tamen aliorsum sensum deflectere.

Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro. Suprà Dominus per agrum explicauit mundum. Porro regnum cœlorū, in futuro est visio Dei: in pręsenti verò, est cognoscere Deum, & quem misit ille Iesum Christum. Hanc enim ipse Christus vocauit vitam æternam. Et hæc est sapientia tantopere in Prouerbijs, in Sapientia, & in Ecclesiastico laudata, Hanc Salomon vocauit thesaurum infinitum: quo qui vsi sunt, facti sunt participes amicitiæ Dei, propter disciplinæ dona commendati. Imò neminem diligit Deus, nisi in quo sapientia inhabitat. Hæc est sapientia, quam vincit malitia. Hæc igitur est regnum cœlorum: quam Sancti scientiam iustorum, Theologi verò fidem viuam, seu charitatem formatam appellant. Hæc est fides, viuo illo, & feruenti spiritu illustrata, quem nemo nouit, nisi qui accepit. Hic est thesaurus in huius mundi agro absconditus. Sanè thesaurus, maior omnibus diuitijs. In cuius comparatione aurum est arena exigua: argentum est, lutum, salus & species contemnendę illi sapientiæ collatæ. Planè quia veniunt omnia bona cum illa, & innumerabilis honestas per manus eius. Qua ratione non dicit Christus, simile est regnum cœlorum thesauro, auri, argenti, frumenti, hordei, aut mellis. vt apud Ieremiam est. Sed simile est regnum cœlorum thesauro vniuersali: thesauro omnium bonorum. Vt enim cœlum inter corpora continet perfectiones omnium corporum: ita & hæc sapientia inter dona Dei, continet omnes diuitias. Quod euidenter asserit Christus cum dicit, eam esse regnum cœlorum. Planè regnum est quod bonis omnibus abundat: & abundat maximè si regnum cœlorum est. Quid ergo non habet thesaurus, qui regnum est, & regnum cœli, & regnum omnium cœlorum.

Ioan. 17. *Sapien. 7.* *Sapien. 7.* *Eodem.* *Apoc. 2.* *Sapien. 7.* *Ierem. 35.*

Hæc ergo fides feruens spiritu, in mundo abscondita est. Quia absconditur à sapientibus & prudentibus, & reuelatur paruulis. Rectè Isaias: Domine, quis credit auditui nostro, & brachium Domini ei reuelatum est? Profectò hæc sapientia virtus Dei est, ijs qui seruantur: est verò scandalum & stultitia, his qui pereunt. Cùm autem sit pereuntium infinitus numerus, apertè fit: eam sapientiam absconditam esse, cum tam paucis sit manifesta. Christus est Deus absconditus

Matth. 11. *Isaiæ 35.* *1. Cor. 1.* *Eccles. 1.*

ſconditus: ſed nihilominus eſt Deus Iſraël Saluator: ita pij homines, in quibus ſapientia iſta moratur, dij ſunt abſconditi: ſed iidem ſoli ſunt qui ſaluantur. Abſconditi ſunt ab oculis inſanientium: quia oculi mortales, veteres, terreni, non vident noua, diuina & æterna. Non igitur pij intrinſecus à ſecularibus videntur: at ſpectaculum ſunt Deo, & Angelis. *Iſaiæ 45.* *1. Cor. 2.* *1. Cor. 4.*

Abſcondita eſt hæc ſapientia in agro. Non dixit, In ciuitate, aut domo. Nec dixit, Abſconſum in cœlo: ſed *in agro.* Vt indicaret, egrediendum nobis eſſe è domo, & ex vrbe, & vbi egreſſi ſumus agendū aliquid eſſe, & laborandum, ſpem fore, vt ita laborantibus theſaurus facilè appareat: vt qui in terra lateat, nō verò in cœlo. Chriſtus extra portam, & cum labore paſſus eſt. Egrediamur & nos ad eum, eius improperium portantes. Ager quietus eſt ab vrbano tumultu. Et Deus gaudet non in commotione, aut turbine: ſed in ſibilo auræ tenuis. Qui vult Deum cognoſcere, cognoſcet deambulantem ad auram poſt meridiem. Ad auram, inquit, non ad commotiones tempeſtatū. Egrediamur ergo ad agrum, & commoremur in villis. Planè cognoſci Deus in vrbe poteſt. Sed neſcio quid ager habet, quo affectus ad Deum pellicitur & inuitatur. Forſan cauſa eſt, quia minora fiunt in eo peccata: ideo maiora Deus in eo auxilia præſtat. Certè ſanguis Chriſti, qui pro nobis clamat melius quàm Abel, in agro fuſus eſt. Ergo, ſi vis ſapiētiam inuenire, animum habe à curis vrbis vacantem, à peccatis vrbanis alienum. Viue ea ſimplicitate, & puritate qua agreſtes viuere ſolent. Id verò eſt in agrum exire. *Hebr. 13.* *3. Reg. 19.* *Geneſ. 3.* *Cant. 7.* *Hebr. 12.*

Quem qui inuenit homo. Vt theſauri inuentio à fortuna eſt: ita & huius ſapientiæ, fideique viuentis inuentio à diuina fortuna eſt. Non eſt volentis, aut currentis: ſed Dei miſerentis. Non eſt ex nobis, Donum Dei eſt: ne quis glorietur. Inuentus, inquit, ſum à non inquirentibus me. Non enim nos eligimus Deum, ſed ipſe eligit nos. Meritò Deus dicit: qui non habetis argentum, properate, emite, abſque argento & vlla commutatione. Cur verò dicit, Quem qui inuenit homo, ſtatim dicam. *Rom. 9.* *1. Cor. 1.* *Iſaiæ 65.* *Iſaiæ 55.*

Abſcondit. Erat theſaurus abſconditus, & qui inuenit, eum magis abſcōdit. Videbis hominē, quem Dei gratia illuſtrauit, & e peccatis ad vitæ melioris frugem vocauit, flentem, triſtem: delitias, diuitias, & honores contēnentem, abſcondentem

dentem ſe, ſecreta & abſcondita quærentem, raro loquentem, ſæpe tacentem: nihil clamantem, nihil oſtentantem. Annon vides quàm ſuum theſaurum abſcondat? Certe cùm iſte peccabat, totus exterius viuebat: at nunc totus latet, interius Dei in ſe gratiam miratur. Interius vocem Dei,
Gen. 3. dicentem: Adam, Adam vbi es? auſcultare ſibi videtur. Interius lucem nouam: quà dictum eſt, Fiat in hoc homine lux,
Gen. 1. ſpectare contendit. Interius demum Deum in ſe habitātem
1. Cor. 3. adorare deſiderat. Totus hic interior homo eſt: annon hic planè abſcondit ſeſe?

Hinc intelligis, quare dictum ſit: *Quem qui inuenit homo.*
Pſal. 77. Prius enim hic erat iumentum, & non ex ſapientibus: comparatus ſiquidem erat iumentis inſipientibus. Prius erat ca-
Gen. 18. ro, & ideo puluis & cinis. Prius erat peccator, & ideo diabolus erat: at nunc incipit ſecūdum animam viuere, ſecundum rationē agere. Incipit igitur eſſe homo. Imò quia Chriſtus eſt Deus homo: cùm hic incipiat eſſe Chriſti viuum mem-
Gal. 13. brum, incipit eſſe quidā Chriſtus homo, vt ſit poſteà vnum ſecundum gratiam cum Chriſto Deo. Abſcondit igitur.

Et præ gaudio illius. Sanè, prius eſt dolor de peccatis commiſſis: ſed commiſcetur huic dolori gaudium de theſauro reperto. Neſcio quid ſit: dolor ille gaudium eſt. Lachrymæ illæ delectant: lachrymæ ſunt panes, illi qui flet. Lachrymæ ſunt, ſed quæ aridam animæ faciem irrigant & pulchram reddunt. Lachrymę ſunt, ſed quales exire amantibus ſolent: cùm diu optatam rem caſu inueniunt. Igitur qui vocatus eſt à Deo in meliorem vitam, licet doleat de culpis præte-
Ioan. 15. ritis, habet tamē gaudium de theſauro præſenti. Et gaudium illud plenum eſt: quia eſt iuſtitia, & pax & gaudiū, nō quod-
Rom. 13. cunque, ſed in Spiritu ſancto. Lætantur mali in rebus peſſi-
Prou. 2. mis: lætantur in carne, repugnante ſpiritu. Contrà lætantur, qui inueniunt theſaurum, in ſpiritu, licet forſan carne dolente. Sed quo maior eſt ſpiritus carne, eo maior eſt eius
Iſaiæ 48. lætitia, quàm carnis. Ideo dictum eſt: Non eſt pax in domo impij. At in domo filij prodigi à patre ſuſcepti, auditur vox
Lucæ 15. tympani, & ſymphonia. Gaudium eſt ex conuiuio vituli
Rom. 8. ſaginati: gaudium ex ſtola priori recepta. Et quis non gaudeat inter patris amplexus, & oſcula? Quis non gaudeat
Titum 2. dum ſe audire coniectat, vocem ſpiritus, qui teſtimonium ei reddit quòd filij ſumus: quodque expectamus beatam illam ſpem.

Igitur

Igitur præ gaudio illius ſapientiæ inuectæ, *vadit:* qui priùs ſedebat in tenebris & vmbra mortis, qui priùs ſedebat ſola ciuitas, licèt plena populo. Qui priùs ſedebat, & ideo neceſſe fuit ſurgere, vt illuminaretur à Christo. Nam filius ille prodigus ſedebat: ideo enim dixit: ſurgam & ibo ad patrem meum. Qui enim ſequitur Chriſtum, non ſedet: ſed ſicut filius lucis ambulat. Et Dominus de ſe dicit: Filius quidem hominis vadit: & ſicut Filius hominis iuit, in crucem, & per eam in vitam: ita & vocatus à Deo vadit ad crucem. Vadit enim vendere ſe & omnia. Hæc crux eſt: ſed per eam vita. Habes igitur in hoc verbo *Vadit*, quàm non quieſcat, nec det ſomnum oculis ſuis, vir qui ſanctus eſſe vult.

Matth. 4. Trenor. 1. Ephes. 5. Luce 15. Ephes. 1. Luce 22. Psal. 131.

Vadit, inquit. *& vendit omnia quæ habet*. Ex quo ſtatuitur dogma Theologorum, eum qui in gratia eſſe vult, debere Deum omnibus rebus præponere. Id enim eſt vendere omnia, id eſt, ſtatuere prius omnia reijcere: quàm Deum in poſterũ offendere. Hæc enim eſt vita Chriſtiana. Hoc eſt omnibus renuntiare: vt neque præſentia, neque futura, neque gloriam ipſam velit: niſi ex Dei voluntate. Et hoc eſt verbum Salomonis: Præpoſui illam regnis & ſedibus, ſuper ſalutem & ſpeciem dilexi eam. In quibus verbis Sapientiam omnibus præpoſuit.

Luc. 14. Rom. 8. Sapien 7.

Vendit omnia & emit agrum. Dices, Si ager eſt mundus, num iſte emit mundũ? Ita planè, teſte Paulo: Omnia veſtra ſunt, vos Dei. & iterum: Nihil habentes, vt qui vendidiſtis omnia, ſed omnia poſſidentes, vt qui emiſtis omnia. Et Deus: Quicquid calcauerit pes veſter, (en vendere omnia) veſtrum erit, (en emere omnia.) Id ſibi perſuadeat, qui Deo ſeruire ex animo cupit: ſuum eſſe mundum, & omnia. quid enim non habet, qui habentem omnia habet? Exemplum habes ad manum. Sub viris ſanctis reges ſunt, & principes: ſanè quia habent illi omnia.

1. Cor. 3. 2. Cor. 6. Ioſue 1.

SECVNDA PARABOLA.

S*Imile eſt regnum cælorum homini negociatori*. Ex ſe, homo negociator eſt: vt cui nihil ſat ſit. Habet enim duas ſanguiſugas quæ ſemper dicunt: Affer, affer, id eſt, habet cognitionem, & amorem: qui nunquã viſu ſatiantur, neq; auditu Ideo animam noſtram. (quæ Dei domus eſt,) negociationis domum, & ſpeluncam latronum facimus. Ideo animam noſtrã Deo ſolam, populo implemus. Ideo animã noſtram, ſub

Prou. 30. Eccleſ. 1. Matt. 21. Trenor. 1.

sub omni ligno frondoso postibulum facimus: quando ad
Ierem. 2. omnes honores, ad omnes delitias, statim inardescimus, & eorum desiderio subiugamur. Ideo pisces sumus in aqua, vt nunquam quieti: semper negociosi, super re nihili. Sumus ergo negociatores & quærimus bonas margaritas. Semper enim voluntas nostra quærit quod bonum est. nihil sub ratione mali, aut cupit, aut cupere potest. At cùm quęrat multa,
Lucæ 10. ta, & turbetur erga multa: Porrò vnum est necessarium. Ne-
Act. 4. que enim est salus, nisi in vno Equidem margarita est scien-
Genes. 1. tia, est item & honor, est prudentia: & denique cuncta, quæ fecit Deus, scit bona, & valde bona: ideo sunt margaritę. Sed
Lucæ 10. inter hæc, illud vnum est necessariũ: Fides per dilectionem
Galat. 5. operans. Spiritu feruere. spiritu facta carnis mortificare. Hac
Rom. 8. feruida fide inuenta omnia venduntur: quia hoc ipsum inuenire, est omnia reliqua perdidisse. Porrò licet omnia huius seculi bona, valde bona sint: sed speciatim scientiæ, & virtutes sunt margaritæ bonę. At inter has bonas margaritas pretiosissima, est fides hæc viua & feruens. Quod si non credis, vide quid Christus dederit vt hanc non sibi, sed nobis compararet. Certè sanguinem & vitam pretij infiniti, vt eam
Galat. 2. nobis emeret, expendit. Meritò igitur Paulus: Non abijcio gratiam istam. Cur Paule? Quia Christus dilexit me & tradidit seipsum pro me, id est, tradidit se, vt me hac gratia
Ioan. 3. donaret Et item: Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum daret. Cur? Profectò in pretium gratiæ, dandæ his, qui in eum essent credituri.

TERTIA PARABOLA.

Sagena, vt arbitror, non adeò est fides, aut prædicatio Euangelij, vt Ecclesia ab Abel iusto vsque ad vltimũ hominem fidelẽ. Porrò sagena suberes habet supernè, plũbum infernè. in medio rete ex lino contextum, vbi sunt fora-
Cantic. 8. mina: quæ quo laxiora eo minus sunt piscium capturæ idonea. Amor cœlestium, subera sunt: quæ in aquas demergi nequeunt: aquæ enim multæ extinguere nequeunt charitatem. Timor inferni plumbum est: quia sub aquis pœna inferni est. Nodi retis sunt amor proximorum, id est, sunt proximi se inuicem amantes. Qui si vitæ laxioris fuerint, minus capient pisces. Vita enim arctior vehementer conducit ad pisces piscandos.

Dices

Dices: Si viri pij sancto amore connexi, rete sunt, quomodo dicuntur: *In mare missi*: cùm semper hi in mari mundi fuerint? Respondeo: Hi homines sunt in mari, sed marini non sunt: cælestes sunt, diuini sunt, temporales non sunt. Simul ac eos adflat gratia cœlestis, supernaturalis facit: ac ita, vt supra mare sint. Quòd si in mari relinquūtur, causa est: vt alios expiscentur. Sed hoc discrimine sunt in mari, quia ipsi sunt, vt rete, reliqui vt pisces. Pisces aquæ viuunt: sed rete, aquę mortuum est. Capit verò quod mortuum est, animalia viua. Ita seculares homines seculo viuunt. Pij vt rete, aquis seculi mortificati sunt. Sed hi mortui viuos pisces capiunt. Iam sicut Christus missus est à Patre ad capiendos pisces, atque ideò illos cœpit: ita & hi capient pisces, qui ad eos capiendos à Deo missi fuerint. Nec enim rete, à se efficaciam habet, vt capiat: sed ab eo qui ipsum in mare demisit. 2. Cor. 6.

Aduerte mare dici mundum: ergo mundus est periculis plenus. Qui enim nauigant mare, narrant pericula eius. Eccles. 43.

Item seculares homines dicuntur pisces. Rectè profectò: Pisces si volutari videas, dices mille illos habere negocia, si veritatem spectes: nullum negocium habent. Ita homines sine Deo, ita turbantur: ac si mille negocia haberent, cum verum nullum habeant. Vanè enim conturbatur omnis homo. Iam, in nihil aliud videas intentos pisces, quàm vt maiores deuorent minores. Quàm id hominibus mundi conuenit? Demum Christus post Resurrexionem pisces comedit, sed ab aqua extractos, & assos igni, Si igitur futuri sumus cibus Christi è seculari & insida vita, abducendi sumus, moriendum est nobis, assandi etiam in chariteate, vt Christo viuamus. Psalm. 38. Matth. 23. Ioan. 21.

Quam cùm impleta esset. Nihil ergo extremum diem iudicij remoratur: nisi quod Ecclesia nec dum impleta est. nec dum enim intrauit plenitudo gentium. Prius siquidem prædicandum est Euangelium in vniuerso mundo, vt gentes intrent. Tunc Israel saluus erit, & tunc consummatio: igitur cùm mundus viderit Iudæos conuerti, sciat plenitudinem gentium introisse: & sagenam esse plenam, ac ideo iudicij diem expectet. Rom. 10. Matt. 24. Rom. 10.

Igitur Angeli Ecclesiam iam plenā educent, id est, ex vita hac, in mortem eijcient. Placet igitur ea sentētia Sanctorū, qui volunt omnes homines ante iudicium morituros. Quid enim aliud est sagenā educere de mari, quā homines à vita

reijcere?

reijcere? Et quia multi tempore iudicij erunt adhuc pueri, & iuuenes: hi ministerio non naturæ, sed Angelorum, à vita reuocabuntur. Ideo dicit: Sagenā per Angelos educendam. Eo maximè, quia Angelorum efficacia accēdetur ignis, qui viuentes absumet, qua causa ipsi dicuntur sagenam educere.

Educentis, & secus littus sedentes Si vita mundi est mare: & iuxta vitam est mors, quid nisi mors per littus intelligi potest? Vt enim littus egressis è mari statim occurrit: ita, quid occurrit egressis è vita nisi mors? Iuxta, hoc igitur littus mortis sedent Angeli, quia nihil habent cum morte: juxta illam sunt, sed non in illa. Porrò dicuntur sedere, quia tanti momenti, tantique ponderis est eligere bonos, & malos reijcere: vt non fiat nisi à sedentibus, à iudicantibus, & rem exactissimè expendentibus. Igitur licet exiguo tempore judicium futurum sit: at ita examinabitur, ac si tempore multo durasset. Ideo licet Angeli stantes eligent bonos, at tanto iudicio fiet, ac si sedissent.

Sedentes elegerūt bonos in vasa sua. Id est, intra choros suos. Ex ruina enim malorum angelorum illa vasa mansionum Angelicarum, euacuata sunt, atque propterea pij homines ab Angelis, in illa vacua vasa transuehuntur. O rem incre-
Gen. 3. 18. dibilem? Terra sunt corpora nostra: & illa inter Angelicos
1. Cor. 5. choros deportantur? Ita quidem, quia terra illa glorificauit, & portauit Deum in se.

Malos verò foras miserunt. Quis dicere queat, quantum il-
Matt. 25. lud, foras, apportet mali? Sanè quantum boni est, illud: Intra
Ioan. 15. in gaudium Domini tui: tātum mali est eijci foras: Et illud, Foras mittetur, vt palmes, in ignem mittetur & ardebit. Planè Deus omnia bona. foras est, extra omnia bona.

Intellexistis hæc omnia? Fieri non potuit, quin radio diuino fuerint illustrati, vt homines rudes, ea omnia intelligerent, quæ viri multi clarissimo ingenio, sudore multo, & tem-
Matth. 11. pore longo vix assequuntur. Potest igitur lumen Dei breui docere paruulos: quod diu, lumen naturale non docet studiosos.

Quòd verò Dominus addit: *Scribam doctum esse similem patrifamiliàs, proferenti de thesauro suo noua & vetera.* Id explicat conditiones quas Ecclesiæ doctor habiturus est. Si vis Theologię doctor esse, primum esto paterfamiliàs, id est, cū amorem, prouidentiam, curam, & diligentiam habeto erga fideles: quā patresfamiliàs habet, erga domesticos. Primum

à te requiritur amor non quiuis, sed is quem patres habent. Porrò ex amore reliqua pēdent. Est enim dilectio (vt mors) fortis: omnia enim superat. Secundò, esto tam diues: vt thesaurum scientiæ habeas. Neque enim Christus contētus est, quantulacunque scientia: sed thesaurum requirit. Tertiò, vult thesaurum esse tuum, quod tunc ego arbitror contingere, cum studio animaduersione, orationibus, & affectibus eum sibi Theologus comparauit. Quod enim non amo, vix meum est: si ergo thesaurum non paraui voluntate & affectu: scientia illa, thesaurusque erit memoriæ meæ, non perinde voluntatis: ac ideo neq; erit propriè meus. Quartò, si thesaurus conflatus, ex scientia noui, & veteris Testamēti: id rectè. Sed Christus non dixit noui & veteris Testamenti, sed in vniuersum. *Noua & vetera.* Vetera ergo sunt scientiæ humanæ. Noua scientia supernaturalis: quàm secum nouus Adam adduxit ad nos. Profectò functio Theologica est omnium functionum summa: ideo reliquas scientias sibi habet ministras. Omnia ergo sciat, qui scribam se doctum, & doctorem profitetur. Speciatim verò nouum testamentum, in veteri fundatum. Ideo enim puer Christus inuenitur in medio doctorū: Et item Ezechiel inquit: Impleuit nubes (quæ erat lex) domum Domini: sed atrium repletum est splendore gloriæ Domini, (id est, Euangelica doctrina) & sonitus alarum cherubim (qui erant in veteri templo) audiebatur vsque ad atrium exterius (quæ est Ecclesia.)


Cantic. vlt.

Lucæ 2.

Ezech. 10.

CAPVT XIIII.

In illo tempore, audiuit Herodes, &c.



LIBVIT historiam hāc allegoricè interpretari: id si tibi placuerit, habemus nostræ operæ pretium, si minus, quātulum est breuis moræ dispendium?

Herodes, & Philippus fratres, significant hominem, qui secundùm carnem viuit: & eum qui secundùm Spiritum & Deum. Sūt enim hi fratres, ab eodem patre Deo profecti sunt Adam terrenus & cœlestis, sunt Ismahel, & Isaac, Esau & Iacob. Quàm verò quadranter dictum est: duas tetrarchias obuenisse Herodi iniquo: vnam verò Philippo iusto. Certè quia homini terreno, ferè omnia subduntur, eiusque imperio parent. Pauci sunt qui hominem cœlestem habeāt, *Matt. 7.*

vt regem, eiusque iussa capessant.

Iam Herodias Euam significat, carnem scilicet nostram, nostrum appetitum, nostram sensualitatem, quam Paulus
Rom. 7. legem membrorum, hominem veterem, & concupiscentiã nominat. Si Eua hæc homini viuenti secundùm Deum, vt vxor iungatur: si videlicet Herodias cum Philippo persistat, rectè omnia in pace sunt. Exhibet enim tunc Philippus
Rom 12 Deo corpus suum vt hostiam sanctam placentem Deo, & rationabile obsequium. Sed si caro nostra Eua, vel appetitus, diuortio ab homine spirituali facto, homini terreno iungatur, (id est, si desinat homo secundùm spiritum viuere, viuatque secundùm carnem) tunc Herodias Herodi infœliciter nupsit.

Iam sicut Filius ex spiritu natus, est amor Dei, vsque ad contemptum sui (Siquidem ex spiritu, nascitur masculus amor obediendi Deo, super omnia) ita ex carne, siue Herodiade, misera filia nascitur, amor sui, decretum & propositũ
Philip. 2. curandi quę sua sunt, non quæ IESV Christi. Hasce filias, nõ
Exod. 1. nititur Pharao iugulare: sed masculos illos ex Dei spiritu natos. Habes, qui sint Herodes, Philippus, Herodias, eiusq; filia.

Ioannes verò donum Dei significat: ideò significat omne auxilium Dei, quo peccator de peccato arguitur, & reprehenditur. Ergo significat lumen fidei, gratiam iustificantem, quin & Deum ipsum: siquidem Theologi, Deũ vocant, auxilium gratiæ præuenientis, vt Thomas habet. Vt ergo Ioannes dicebat Herodi: Non tibi licet habere vxorem fra-
Rom. 8. tris: ita tibi terreno Lex Dei, & eius gratia, Deusque ipse dicit: Non tibi licet viuere, secundùm carnem: si enim secun-
Eodem. dùm carnem vixeris, morieris. Sapientia enim carnis inimica est Deo: legi quippe Dei non est subiecta, neque enim po-
Genes. 21. test. Deus dicit: Eijce hanc ancillam: desere hanc vxorem: si
Matth. 16. enim volueris seruare, perdes eam.

Quia igitur Lex, & gratia Dei Herodem arguunt: ideo
Galat. 5. caro seu Herodias, Gratiæ insidiatur. Caro enim concupiscit
Rom. 6. aduersus spiritum, Legique Dei est inimica. Dicit enim Paulus: Sentio legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuitatem in legem peccati. Vbi ergo tanto-
Rom. 13. pere Eua repugnat Gratiæ, planè Herodias insidiatur Ioãni. Illa enim tota est in concupiscentijs: in cubilibus, in impudicitijs. Hic totus in deserto, in asperitate, in fame, siti, &
2. Cor. 11. nuditate. An non vides insidias & inimicitiam.

Has

Hac ratione *Herodes quærit Ioannem interficere, nisi timeret populum. Licet eo audito Herodes faciat multa.* Hic multa considera. Primum efficaciam gratiæ Dei, quę etiam à peccatoribus extorquet multa. Audit auarus, libidinosus, iracundus legem Dei: sentit diuinam contra se reprehensionem, facit propterea multa. Secundum est: Quid verò prodest facere multa, nisi feceris omnia? An non qui offenderit in vno, factus est omnium reus? An non Deus diligendus est, ex toto corde? Non vult Deus seruum claudicantem in vtramque partem. Templũ suum ex toto auratum esse debet. Non sit tibi vestis ex lana lino cõtexta. Maledictus enim est, qui terram duabus vijs ingreditur. Tertium & vehementer dolendum atque timendum: Homo terrenus cupit Ioannẽ, id est, gratiã Dei, eiusque legem extinguere. O quot sunt, qui nollent legem esse Dei: imò neque Deum: vt carnis suæ licẽtius possent amplexibus gaudere. Hi sunt Herodes, qui Ioannem cupiũt interimere. Vide quã sit carnis sacrilega manus: quæ etiã Deo bellum inferre desiderat. Quartũ est. Plurimi sunt, qui legẽ Dei negassent, & apertè dicerent: nõ esse Deũ, nisi timerent populũ. Plures equidẽ sunt insipientes, qui dicũt in corde suo, Non est Deus. qui dicunt intra se: Disperdamus eũ de gente, & nõ memoretur nomẽ Israël vltra. Sed nõ audẽt id exterius profiteri, propter populũ: qui hęreticis fasciculos supponit, & ignes. Igitur quia timent populum, non audent Euangelicam legem negare. At eam incarcerant, & ligant. Impij enim veritatẽ Dei in iniustitia detinent. Gratia siquidem, fides, & lex inclinat in opera virtutis. Sed cum impij operãtur iniquitatẽ: velut gratiæ vires ligant, eamq; contẽnentes, velut in obscurum carceris locum conijciunt. Cùm tamen Ioannis merita excelsum thronum exigerẽt, vbi doceret, & imperaret: non ligaretur & taceret. Sed hoc est impiorum turpe facinus.

Iacobi 2.
3. Reg. 18
3. Reg. 6.
Eccles. 3.
Psalm. 13.
Psalm. 82.
Rom. 1.

Sed cùm dies natalis Herodis accidisset fecit Herodes cœnam. O dies infausta! ò dies execranda! maledicta dies in qua gratia Dei extinguitur: ac propterea homo excæcatur, induratur, & reprobatur. Vide igitur peccati progressus. Primũ caro nupserat Spiritui. Diuortium cum eo fecit, Adæ carnali iuncta est. Reprehenditur à gratia insidiatur illa gratiæ. Quærit extinguere. Timet populum: Sed tandem extinguit.

Expendimus nunc textum: *Cùm accidisset dies natalis Herodis.* Nos nascimur filij iræ. Dies ergo iræ, est dies natalis noster. Ephes. 2.

noster. Cùm verò Deus relinquit nos: ille est dies iræ plenæ, & furoris Dei. Qui dies cùm accidit, nos Ioannem extinguimus: ac ideo sine gratia excæcati, & obdurati relinquimur.

Dies hic iræ Dei, est dies cœnæ nostræ, facimus nos in eo cœnam: quãdo nostris sensibus omnem voluptatem indul-

Sapien. 5. gemus, vt non sit pratũ quod non pertrãseat luxuria nostra. Dies iræ Dei, est dies festus Veneri & Baccho. Dies siquidem

Matt. 24. iudicij extremi inueniet homines edẽtes, bibẽtes, nubentes, & nuptui tradentes, id est, inueniet diem natalis sui agentes. Prima ergo causa nostræ excæcationis est, penitus carnis

Rom. 13. curam agere in concupiscentijs.

Secunda causa est: quia filia Herodiadis saltans in medio,

Rom. 6. placet. Planè sentiunt Sãcti, imò sentit & ipse Paulus, filiam

2. Cor. 13. carnis, eius efficaciã, & stimulũ, qui eos colaphizat. Sed licet hic carnis vigor exiliat in sanctis, non saltat tamẽ, quia eam

1. Cor. 9. efficaciam ipsi reprimũt, castigãtes corpus suum, ne reprobi

1. Cor. 5. efficiantur. Et mortificantes carnem, vt spiritus saluus sit. Fit tamen nonnunquam, vt etiam in sanctis illa concupiscentia saltet: sed non in medio, saltat forsan in occulto peccatum aliquod admittens: at non in medio. Fit etiam, vt saltet in medio, & publico: sed non placet: imò verecũdiam, & confusionem ex eo saltu homo sentit. At si cùm in publico quis

Prou. 2. carnalis est, nec confunditur tamen: sed lætatur cùm malefecerit: ea causa secunda est excæcationis, quia filia carnis in medio saltauit, & placuit.

Tertia causa: Cum miser homo iurat, & spondet se carni, quæ petierit omnia daturũ: cùm decernit in nulla re placere Ioãni, iam tũc propè excęcatio est. Amputatur caput Ioãni, cùm homo adimit autoritatem & maiestatem legi Dei: eam contẽnẽns aut negans. Quã tu Christiane, credis hæresium

2. Tim. 6. esse causam? An nõ Paulus, dicit: Cupiditas est radix omniũ malorum: quam quidã appetentes errauerunt à fide? Ergo negare Euangeliũ, eiusque autoritatẽ & caput amputare: inde prodijt, quia miser homo cupiditatem amauit, omnia mala complexus est. cupiditatem saltantem in medio non castigauit, sed laudauit.

Occiso Ioãne, & Euangelij gratia à peccatore negata: discipuli Ioannis eum sepeliunt. Discipuli Euangelii, Prædicatores sunt, hi sepeliunt Euangelium, cum non prędicant. Est igitur hęc Herodis, seu iniqui hominis iam obstinati pœna: vt ei Euangelium non prædicetur. & si vnquam prędicetur:

ita prædicetur, ac si non prædicaretur. Ita enim obstinatus homo audit Euangelium: ac si non audiret. Quomodo enim audiet id cuius autoritatem, aut negat, aut contemnit? Verè enim dictum est, mādabo nubibus meis, ne pluant super eū. *Isaiæ 5.*
Et rursum: ideò prohibitæ sunt à vobis stillæ pluuiarum. *Ierem. 3.*

Quod verò discipuli mortē Ioannis Christo renunciant, id esse existimo: futuros prædicatores (qui prius Euangeliū homini excæcato prædicabant) testes & condēnatores miseri hominis, quem sua malitia excæcauit. Vt enim excussus puluis testimonium erit, accusans Euāgelij contemptores: ita & capitis Euangelici amputatio, eum qui amputauit, condemnabit. *Matt. 10.*

Quod cùm audisset Iesus. Depingitur hoc loco vita Christiana virorum perfectorum, adeò graphicè, vt nec ab Apelle ita depingi posset. Placuit verò historiam hanc iuxta textum Ioannis explicare, vbi aliquanto copiosior est.

Abijt trans mare Tyberiadis, & sequutæ sunt eum turbæ. Eo tempore Tyberius erat orbis imperator: a quo mare (iuxta quod erat Tyberia ciuitas) vocabatur Tyberiadis: erat tamē mare Galilææ. Porrò certū est, seculum hoc esse mare tum Galilææ (id est, reuolutionū, vbi nihil eodem statu permanet,) tum Tiberiadis: quia hominū imperio subiectum est. *Ioan. 6.*

Ergo Christiani, qui pane Christi satiari cupiūt, abeant cū Christo trans mundū, vltra seculū. Deus est vltra seculū: sint ipsi, dij vltra seculum. Christiani pij vltra seculū sunt: quia diuini sunt, quia creatura noua sunt: quia sunt generatio altera, & populus qui creabitur. Homines sunt exterius: sed Angeli Dei sunt interius. Quæris quid est, vltra seculū esse? Certe reliquisse omnia, & sequi Christum. Certè abnegasse semetipsum. Certè odisse animā propriā: an non hæc nō huius, sed alterius seculi sunt? Certè qui concupiscentiā carnis, oculorū, & vitæ superbiā nō trāsiuit (in quibus imperāt homines,) panē Christi gustare nō potest. Ideo nō gustam⁹ bona Christi spiritualia: quia placent bona Tyberij secularia. *Galat. 5.* *Psal. 101.* *Matth. 19.* *Luc. 14.* *1. Ioan. 12.*

Sed qui nam illi sunt: qui seculū relinquūt: & trans illud, Christum sequuntur? Profectò qui eius signa viderūt super infirmos, id est, qui super infirmū cor suum, medicā domini manū perceperunt. Facile seculū relinquet, qui vocē Christi (dicētis sequere me) audierit: facile seculū trāsit: qui cū mortuus peccato esset, excitantis leonis rugitum audiuit. facilè seculū præterit, qui sepultus cum Lazaro vocem clamantis *Matth. 6.* *Ephes. 2.* *Ioan. 11.*

audiuit: dicentis, Lazare veni foras. Idem siquidem est, veni foras: & abi trās mare Tyberij. Quod si in corde tuo infirmo nondum sensisti Domini signa: certè considera alios socios tuos, quos ex infirmis Deo sanos vidisti, hęc te signa, quibus mortuus, cæcus, & surdus sanatus est, mouere poterunt: vt

Matth. 9. trans seculum, Christum sequare.

Porrò si placet ire trans mare: expēde quid trans mare sit. Non ibi ciuitates, & oppida: non ibi voluptates, & delitiæ; sed desertus est locus. Hunc sibi locum deligit Dominus: vbi pascat suos. Hoc Domini est ingenium: vt ibi adsit, vbi mi-

Exod. 16. nus humani remedij adest. Pauit Iudæos in deserto manna cœlesti. Dauidi apparuit in terra deserta, inuia, & inaquosa.

3. Reg. 17. Elias pascitur à coruis in deserto. Planè hoc inuenies in operibus Domini: tunc ea esse facta: cum minus Tyberij, minusque maris remedia apparebant.

Ergo Christiane si seculum transisti, scito futurum: vt te Deus sine consolatione temporali ferè relinquat, quia trans mare dimissa illa est: & sine consolatione spirituali, quam triduo expectans à Domino minimè recepisti. Hoc verò ve-

2. Cor. 7. rissimum desertum est: Cùm foris pugnæ, intus timores.

Psalm. 37. Cùm cor est conturbatum: cum lumen oculorum & ipsum non est mecum.

Sed ne despondeas animū: id primū magnopere spectato. Christus curat morbū, & necdū dabat cibū. Significans fieri posse: vt sine cibi spiritualis gustu, morbus animæ sanetur. Recto enim ordine, spiritualis morbi curatio, præcedere debet spiritualem animæ gustum. Quod si aliquando hic ordo inuertitur: specialis id erit dispensationis. Sit igitur tibi, qui seculum post Christum dimisisti, hæc prima certa sententia: Non est trans mare mundi statim cibus paratus, te manet inedia, non vnius forsan aut duorum dierum, sed plurium.

Imò verò ad maiora te para. Profectò si in hoc deserto, liceret tibi semper Christum sentire præsentē: aut non esset desertum, aut nullæ delitiæ huic deserto cōferri possent. Sed en, inquit Ioannes, SVBIT *Christus in montem*. Discedit ergo à te corpore, licet non corde, id est, non te tunc consolatur

Psalm. 29. Christus, imò videbitur forsan offensus: Videbitur auertisse faciem suam à te, videbitur longe fecisse misericordiam suam. Tu contra considera, num proximum sit pascha dies festus? Si festus dies in proximo est spes erit prandij. Ita planè ego arbitror: tuus Dominum effundere dulcedines suas,

panesque

panesque suos illos: cùm festa proxima sunt. Qui sequuntur Dominum, largiorem eius manum nouerũt in festis, quam in non festis diebus. Cùm igitur imminent festa, præpararemus corda nostra, vt de manu Domini largiores sumamus cibos. Sed nos corpori, non animo epulas quærimus. Quòd si verò, nec die festo pascimur: expectemus tamẽ memores, etiam qui salutem corporis quærebant, Dominum tribus diebus expectasse, quanto potius nos expectare conuenit: qui salutem animis requirimus.

Cibaturus verò Dominus suos, inquit Philippo: *Vnde ememus panes: vt manducent hi?* Philippus qui os lãpadis interpretatur, prædicatores significat. Quia os sunt lampadis illius: quæ illuminat omnem hominem, illius lampadis, quæ de se ait: Ego sum lux mundi. Recte dicuntur os lampadis, non manus, quia loqui possunt: mederi non possunt. Dicit ergo Dominus prædicatoribus: vt satient populum: Vt scilicet illi prædicent. At respondent prædicatores: Nullam doctrinam humano labore & industria partã, sufficere posse animabus reficiendis: his præsertim, quæ dulcedinem de cœlo quærũt. Et est phrasis Scripturæ dicere: Ducentorum denariorum panes, id est, multiplicati denarij panum non sat sunt. Duo enim pro multis sæpe audiuntur. vt illud: Fiat in me duplex spiritus tuus, id est, multum de tuo spiritu. Et illud: Suscepit duplicia pro peccatis suis. i. suscepit multa. Et illud: Omnes serui eius vestiti sunt duplicibus. Ergo ducentorũ denariorũ nec omnium denariorũ valor sat esse potest animę: vt enim Deo nihil est sat, nisi Deus (in nullo enim beatus est, nisi in se. Et ideo Sadai dicitur: quasi, qui sibi satis est,) ita & homini facto diuino, nil nisi Deus satis esse potest: reliqua enim sunt ei sicut stilla situlæ. Qui vero aurum habet, vt idolũ: & ventrem sicut Deum, is ex homine, iumẽtum factus est. Sed qui prius fuit iumentum, herbas septem annis cum Nabuchodonosor comedens: nunc verò redijt in mentem, & filius Dei effectus est, is ab eo audit: ego solus merces tua magna nimis. Et hæc est causa vt existimo, cur Christus Eucharistiam in cibum hominis instituit: videns nihil nec in terra, nec in cœlo, pio homini cibum, nisi Deum esse posse, iuxta illud? Aperi os tuum & ego. (non aliud quicquam) implebo illud. Non ergo denarij, humana imagine percussi: nec quicquam, cuius valor est ex hominibus, satiare pium hominem potest.

Ioan. 1. *Ioan. 8.* *4. Reg. 2.* *Isaiæ 40.* *Prou. 31.* *Isaiæ 40.* *Psalm. 48.* *Daniel. 4.* *Genes. 15.* *Psal. 72.* *Psalm. 80.*

Quod verò ait Philippus, non sufficere etiam si modicum quid manducent: duos habet sensus, Prior nihil humanum satis esse animo nostro, etiam si modico velit esse cōtentus. Certè auaris tota natura, totusque mundus parum est, quo plus habent plus desiderant: nihil mirum, quòd nihil his sit satis, sunt enim grandes epulones. At etiam Philosophis qui modicū ex humanis sumebāt, nihil humanū satis erat. Nihil enim eos satiabat. Secūdò indicauit maiorē satietatē in humanis habere, qui modicū, quā qui multū māducet. Bon⁹ ergo prædicator dicit nihil humanū satiare corda Christiana.

Sed accedit Andreas qui virilis dicitur, dicens: *Est puer hic habens quinque panes*. Quidnam id significat? Certè vbi prædicator desperat, cibo carēs animæ: ibi vir fortis, id est, laboribus, & militiæ Christianæ assuetus, remediū animæ famescenti demonstrat. An non hæc experiuntur viri pietatis studio dicati? Languidi accedunt ad prædicatorem: vacui ab eo recedunt, accedunt ad virū Christianis callis obduratū. Hic ostēdit rē exiguā, exercitiū aliquod vile, ibi panis inuenitur, quem si benedixerit Christus: non mille, sed centum mille homines satiabit. Sed hæc sentiuntur potiùs, quàm dicūtur.

Aduerte cur dixerit: *Hæc quid inter tantos*? Certè tantus est homo: vt nihil nisi Deus, illi sat sit. Deus est magnus & ma-
Psal. 144. gnitudinis eius non est finis, & homo magnus: quia ad ma-
Galat. 3. gni imaginē creatus est, & ideo magnitudinis suæ, ferè non
Psalm. 8. est finis: fecit enim Deus hominē, vt dominetur, nō vt satietur omnibus reb⁹. Propter hominē mūdus. Propter hominē Angeli. Propter hominem Deus homo: Propter hominem fudit vitam Deus. Propter hominē gloria & infernus. Verè tantus est homo: quid ergo omnia homini qui tantus est?

Secūdò aduerte. Cur dixit *Quinque panes*? Crediderim vni-
1. Cor. 10. cum esse panē, qui satiare hominem potest. Nam Apostolus dicit: Omnes de vno pane, & de vno calice participamus. Ergo si panis est gustus cœlestis, qui solus hominem reficit: ille est vnicus panis. Sed vnus ille valorē, vim, & prætiū quinq; panū habet. Quinq; sunt ora, quibus exterius homo mādu-
Eccles. 1. cat: quinque scilicet, sensus, de quibus dictū est: Non satiatur oculus visu, neque auris auditu. Ergo, & visus, & auditus, & tactus manducant. Cùm verò homo habet obiecta quibus suos quinque sensus saturet, quinque tunc panes habet. At quia gustus cœlestis plus exsatiat, quàm si omnium sensuum delectamēta gustaret: ideò vnicus ille panis valorē quinque

panum

panum habet. Quà causa dicit Psaltes: Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum, quia videlicet, ex abundantia gustus spiritualis, tota caro satur erat. Quia igitur tota caro satiatur, ille vnicus panis quinque panes efficitur: quibus quinque sensus, velut gloriosi redduntur, & fœlices. Psalm. 83.

Tertiò, aduerte cur dixerit: *& duo pisces*? Planè quia ille gustus, & suauitas, omnium piscium gustum exuperat. In pane intelligitur omnium terrenorum suauitas, quia iuxta scripturam, panis omnis cibus est: vt supra capit. 6. diximus. In pisce igitur omnium marinorum dulcedo designabitur. Siquidem iuxta Ambrosium, humani generis delitiæ pisces dicuntur. Ergo cùm audis à Christo dari panes & pisces intellige: eum dari saporem & gustum qui omnes sapores à terra & mari prodeuntes facile superet.

Quartò quæres: Cur igitur duos dixit pisces? Forsan eo sensu id dicitur, quo supra, ducentorum denariorum panes. Ita & duos pisces, id est, multos pisces, id est, multiplicatam suauitatem. Est enim cibus omne delectamentum in se habens: est manna omnem saporem continens, meritò igitur multiplicatissimum saporem habet. Experti hec loquantur. Si enim cibus ille saporem Dei habet, & Deus est eminenter omnia: igitur omnium rerum saporem habet. Sap. 16.

Accepit Iesus panem, benedixit, &c. Benedicere Dei, multiplicare est. Nec forsan inuenies bona in Scriptura multiplicata, sine benedictione diuina. Agit igitur ex more Dominus. Benedicit multiplicaturus. Et quia iuxta Augustinum, natura rerum est diuina voluntas: ideo vnus panis factus est mille. Certè nouit qui accepit: quàm sit verũ, vnum panem fieri mille: quàm enim diues est, qui illum gustũ cœlestem habet? Planè vt qui mille habet, quàm cõtemnit ille omnia? Quàm est fortis contra omnia? Quàm volat super omnia. Verè Paulus: Pietas ad omnia valet. Nihil enim est quod non intra se illa possideat. 2. Tim. 6.

Neque silendum est: Cur *gratias agit*. Profectò, sicut supra gratias egit Patri, quia mysteria Euãgelij reuelauit paruulis: ita nunc gratias eidem ait, quia gustum cœlestem homini tribuit, satians tantum hominis stomachum: implens eius finũ sine fundo. Si gratias egit Christus, quòd pater excitauerit Lazarum propter Filium: quanto magis aget, quòd Pater hominis os, (fere infinitum) non alio pane, quàm ipso Matth. 11. Ioan. 11.

Deo: non alijs meritis, quàm Christi, saturauerit, satiauerit, impleuerit? Verè gratias agere debet filius, qui suis meritis, Deum facit hominis esse cibum.

Quòd verò Christus, gustum hunc distribuit: non est minoris opus sapientiæ, Dicit enim: *Distribuit illis, quantum volebant*, quia iuxta cuiusuis merita, necessitatem, & vtilitatem

Marci 8. distribuit delitias, & gustũ Christus. Planè multi sunt, quibus si non daretur hic gustus, deficerẽt in via. Multi contra sunt, quibus si hic gustus daretur ad votũ, deficerent in via. Igitur agnoscere cuiusuis necessitatem, palatum, & stomachum summæ sapientiæ opus est.

Porrò quòd fragmẽta panum, & non panes distribuit integros, significat in hac vita non dulcedinem cœlestem, ex integro præberi: sed sorbitiunculas, & prælibamenta. Nemo igitur in hoc seculo dulcedinem, sine amaroris speret admi-

1. Cor. 13. stu: fractus est panis non integer. Cũ verò venerit quòd perfectum est: euacuabitur quod ex parte est. Cùm enim me non totum deuorat in hoc mundo Deus, (mundus enim partem mei demordet) ita nec Deum in hoc mundo totum deuoro: donec totus in cœlo à Deo deuorer.

Licet tamen fragmentum sit quod comedimus, hoc tamen est, quod animũ hominis implet. Ideo dicit: postquam

Ioan. 16. impleti sunt. Hoc igitur gaudium plenum est. Hæc est letitia

Psalm. 29. quæ circundat Deus hominem. Circũdat dixit: quia circulus perfectè rem ambit.

Et meritò iubet Dominus colligi reliquias ex prandio quia istæ reliquiæ, diem festum agent tibi: & memoria huius

Psalm. 56. sanctificationis cõsitetur Domino. Plus gaudet anima, cùm in memoriam adducit se gustu Domini cibatam: quàm si cuncta terrena possideret. Igitur colliguntur istæ reliquiæ vt

Ecclesi. 11. in die malorum recordemur illorum bonorũ. Cùm venerit fames, cùm venerit tentatio, profer fragmentum quod tibi

3. Reg. 19. seruasti: forsan in fortitudine cibi illius ambulabis, quadraginta diebus. Habes igitur cõuiuia Dei, nõ solũ præsenti: seruire necessitati: sed etiam futuræ prospicere indigentiæ. Ha-

Genes. 41. buit enim Ioseph horrea in annos fœlices, & steriles seruata.

Impleuerunt duodecim cophinos. Cophinum vacuum ego intelligo: doctrinam & legem, nondum opere completam, texitur enim cophinus ex multis spartis, texitur etiam doctrina ex multis preceptis. Igitur que docuerũt Apostoli 12. sunt cophini duodecim. Has Apostolicas doctrinas nihil sic

implet

implet vt fragmenta. Nihil enim adeò efficax est ad doctrinam Apostolicam implendam, quam cibus ille gustatus, & cœlestis cibi memoria. Nouit & hoc, qui gustauit: Viam mandatorum ille currit, cui cor dilatauit Deus. *Psal. 118.*

Supersunt hic mihi dubia tria: Primum, quid significet, discubuerũt super fœno: erat enim multum fœnum in loco? Neque enim sine magna significatione positum est. Ergo fœnum duplici significato sumptum est in sacris literis. Primum pro carne, id est, pro omni re terrena. iuxta illud: Omnis caro fœnum. Secundò pro peccatis leuioribus. iuxta illud: Qui ædificat super hoc fundamento fœnum, stipulam, & lignum, opus eius ardebit: Multa ergo peccata leuiora, sunt multum fœnum. Igitur docuit nos Christus, eum qui voluerit de cœlesti cibo gustare: prius debere multa terrena contemnere. deinde, quando nõ licet omnia venialia vitare, certè vitet multa: vt ex illo diuino pane satietur. *Isaiæ 40.* *1. Cor. 3.*

Dubium secundum: Cur dictum est: *Erant viri numero ferè quinque millia?* Respondeo ferè quinque millia, sunt quatuor mille quingenti plus minus. quasi dicas: Sunt nouies quingenta. Viri igitur qui cœlestem panem edunt, sunt, nouies quingenti. Nouem quidem: quia reparaturi sunt 9. ruinas, quas lapsus Angelorum 9. choris effecit.

Dices: Habeo cur nouem, nõ habeo cur quingenti. Audi, & esto memor verbi Danielis 7. Millia millium ministrabant: & decies centena assistunt. igitur Angeli qui remanserunt, in millenario numero sunt. At Apocalyp. 12. Lucifer traxit secum tertiam partem stellarum. Igitur necessario Angeli, qui deciderunt, in quingentenario numero fuerũt. Est enim quingentenarius, tertia pars millenarij cum quingẽtenario. Si ergo lapsi fuerunt quingentenarij numeri, necesse est vt & reparatores ruinarum sint etiam eiusdem numeri. Vides grande mysterium.

Tertium dubium: Cur Dominus suos sequaces panibus hordeaceis satiat: cùm Iudæos in deserto pane satiauerit Angelorum. Cur versa sors est: Qui erant vt iumenta, satiantur Angelico pane: contrà vero qui sunt vt Angeli Dei, hordeo, id est, pane iumentorũ saturãtur. Forsan hæc ratio est. Iudeis si pij fuissent, promittebatur omne bonũ, nullũ malum: qui status Angelorũ est. Christianis piis promittitur hic Crux, & tribulatio: qui status iumentorum est. Angeli fruuntur omni bono, terrore malorũ sublato. Si igitur Iudæis bonũ *Psalm. 77.* *Isaiæ 1.*

sine

sine malo promittebatur, planè Angelorum pane cibantur.
2. Tim. 3. At iumentis onera & flagella dicantur: qualia his, qui piè in Christo viuere volunt, manere scimus. cibamur igitur pane iumentorum. Sed Deus bone, sub hoc hordeaceo pane latet cibus ille cœlestis: qui omnia bona excellentissimè vincit. Si ergo Crux nos manet, at sub cruce dulcedo: potest enim
Exod. 15. Crux amaras Mara aquas dulcorare.

Statim compulit discipulos. In hac historia, vitæ Christianæ ratio delineatur. *Statim*, inquit, *compulit discipulos* post esum panis, statim discipuli compelluntur. Vbi semel gustaueris
3. Reg. 19. cœlestia, teipsum ad labores para. Eliæ datur panis, vt ambulet quadraginta diebus: ita & tibi panis & gustus cœlestis datur: vt per 4. vigilias noctis, remigando labores. Dauid post comestos panes propositionis, mille iactatur periculis:
1. Reg. 21. ita crede, si comedis, laborabis. O verò rerum sortem. Si per multos dies durasset cibus, æquum videbatur: vt per multos etiam dies labor durasset. Sed prādio vnius diei, quadraginta ieiunij Eliæ succedunt: & prandium vnius horæ, labor per quatuor noctis vigilias consequitur.

Nec vacat mysterio verbum illud *compulit*. Optat quidem animus qui pascitur: vt semper pasci liceret, vt semper esset
2. Cor. 5. cum Christo: vt nō sentiret remigandi pericula. Lauit enim pedes, nollet eos inquinare. Sed compellitur. Spiritus enim
Cantic. 5. sanctus expulit Christum in desertum: & ita post cibum,
Marci 1. expellit in laborem. Interim, licet dulcius sit pasci, quàm remigare: tutius tamen aliquando, & magis meritorium est, remigare, quàm pasci.

Compulit, inquit, *in nauiculam*: quā supra cap. 9. declarauimus
Matth. 2. esse vitam Christianā. Non enim nauis est, sed nauicula.
Matt. 11. Sicut Bethlehē minima dicitur, & Christus minor, quia hu-
Matth. 7. milis: ita & vita Christiana minima, quia despecta, arcta, an-
Genes. 8. gusta, abscondita. Interim arca Noë est, nullus sine ea euadet aquas diluuij. Est verò nauicula nomen officij. Vbi ad veram fœlicitatē perueneris, ea non egebis. Nunc ex ligno est, dura est, periculū habet, vbi in cœlum veneris liber à nauicula es.

In hanc nauiculam compellit, non descendere, sed ascen-
Matt. 20. dere. Nam & Dominus, inquit: Ecce ascendimus Hieroso-
Luca 10. lymam. Cum Christo ascendimus: at miser ille in Iericho descendebat, cùm in latrones incidit. Planè qui in cœli regiam tendit, ascendit: contra qui in honores, delitias, diuitias videtur ascendere: descendit tamen.

Vide verò, nemo aſcendere poteſt in nauiculam, niſi Chriſto compellente: Niſi enim Dominus ædificauerit, fruſtrà ædificamus: ita niſi Domino compellente, nemo aſcendit. Idem verò qui compellit, vim aſcendendi præſtat. Aliôqui quo pacto noſtra tardiſſima natura, niſi eo compellente, gradum mouere poſſet? *Pſal. 126.*

Atqui digniſſimum eſt conſiderare, cur dixit: Compulit eos præcedere trans fretum? Profectò prima noſtra iuſtificatio, quâ Deũ viuidè cognoſcimus, ſit Chriſto præcedẽte. Ipſe enim elegit nos: nõ verò eſt electus à nobis. Sed ſi videri ſuper aquas à nobis debet, noſtra merita eam viſionẽ præcedere debent. Fateor, non præcedes tu, niſi Chriſtus oret pro fœlici tuorum laborũ ſucceſſu, ſed eius præmia, & præſentiam non ſenties, niſi tua id opera id commeruerint. *Ioan. 15.*

Aſcendit in montem ſolus. Video Dominum, qui torcular calcauerit ſolus, & de gentibus nemo erat cum eo. Video Moſen, aſcendentem in montem orare: vt Iudæa vinceret Amalechitas, id eſt, Eccleſia dæmonum preſſuras. At licet Moſes aſcenderit, aſcendit cum eo Aaron, & Hur, Chriſtus verò ſolus. *Iſaiæ 63.* *Exod. 17.*

Latet ergo myſterium, ſcilicet non eſſe alicuius humanæ opis, aut induſtriæ: iactari nauiculã fluctibus magnis, & non demergi tamẽ. Non eſt humanæ opis tota nocte remigare, nec delaſſari. Non eſt humanæ opis Chriſtum ambulantem ſuper aquis, poſſe cõtueri. Non eſt potentiæ humanæ è naui deſilire, in mare ſe conijcere, nec demergi. Solus hæc mereri potuit, qui ſolus in montem oraturus aſcendit. Si Chriſtus nõ orat: nihil fieri digne poteſt. Vt ergo electurus Chriſtus ſuos Apoſtolos, orat: ita vitã Chriſtianã obiecturus marinis fluctibus, periculis carnis, mũdi, & inferni, etiã orat. Aliôqui, quomodo poſſet Chriſtianus viuere in carne, & non ſecundum carnem, viuere vitam cœleſtem, Angelicam, diuinam? *Ioan. 15.*

Iam ſicut ſua paſſione efficaciter mundi ſalutem effecit: ita & hac mõtis oratione, efficaciter ne nauicula vitæ Chriſtianæ mergeretur, impetrauit. Ergo Chriſtiane incolumitatem tibi Chriſtus cõparauit, ſi inferni, aut peccati pelagus, fluctus tentationũ te demergit, culpa hæc tua eſt. ſua enim ille oratione (ne te demergerẽt) tumẽtes fregit fluctus, & procellas.

In hac etiam oratione normam nobis Chriſtus orandi dimiſit: oraturus enim primum dimittit turbas, vt tu oraturus componas (ſi quæ habes) ſecularia negotia, ne animum

poſteà

postea orantē interpellent. Posteà ascendit in montē, rebus imis altiorem, vt tu in oratione, animum rebus humanis habeas altiorem. Quod fiet si quæ petimus ad Dei gloriam
1. Cor. 10. petamus. Demum ascendit solus: ô si liceret mihi orare solis: ô si animum ad orationem ab omni rerū secularium amore liberum afferre. At facilè, cor rebus secularibus hæret.

Vespere autem facto, nauicula iactabatur. Cùm Dominus fide illustriore à nobis conspicitur, cumque eius fulgor, & amor illustrat, & pascit animas nostras: adhuc vespere non est, nec nauicula iactatur. At cùm claritas illa flaccessit, cumque deuotio non nihil tepescit: vespere incipit, tentatio incipit. Porrò tunc propè Dominus in monte est: vt adiri facilè possit: vt negotium tuum attentius tractet, vtque pro te instātius oret. Solus ergo est: qualem tibi in negotio maximè difficili, inuenire desiderares.

Sed procedit vlterius tentatio, auocat te à littore, iactatque te, cum eis in medio mari. Siquidem in principio tuæ conuersionis ad Christū, non te magis tentationibus exponit. Sed in medio cursu, cùm es in medio mari: tunc illæ crudescunt, cùm scilicet iam processisti in vita Christiana. Hoc enim est quod dicitur: *Cùm remigassent stadiis* 25. *aut* 30. Quia 60. est numerus vitæ laboriosæ. Sex enim diebus erat
Exod. 35. operandum, die verò septimo quiescendum. Si ergo labor
Leuit. 13. noster designatur in numero. 60. medium laboris erit. 25. aut 30. Igitur à medio, vel ferè, vitæ Christianæ furias tenta-
Luce 3. tionum expecta. Ita enim Dominus in medio vitę suæ, anno
Ysaie 38. scilicet tricesimo tentari cœpit. & Ezechias dicit: Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi.

Porrò iactatur nauicula à vento: ferè enim tentationes, & scrupulos, ventos esse dixeris: & rem ferè vanissimam. At
Iob 2. vt Deus ex re quæ non est, facere mundū potuit: ita diabolus ex re nihili (si ei à Deo licentia datur) validum ventum facit. ventus est, sed vehementissimè nauiculam quatit. Quòd verò addit: Erat ventus contrarius. Planè quia nauicula recta tendit in cœlum, at dæmonis furor reuocat in infernum. An non vides quam sit necesse Christum orare: ne fragilis
Iob 41. nauicula, ab ea potestate cui nulla est æqualis super terram, iactata mergatur?

Quarta verò vigilia noctis venit ad eos. Audisne, Christiane,
Iob 7. vitam Christianam esse nauigationem, vigilias & militiam: Verum enim est militiam esse vita hominis super terram: & supra

& supra mare. Atqui res est notanda nimis: cur in quarta vigilia laborantibus succurrit? Et cur in quarta vigilia seruum bonum vigilantem, supra omnia constituet? Et cur super tribus sceleribus Dominus conuertitur: sed super quarto non cõuertitur? Certè in his locis apertè fit: vt sicut quartum scelus malis est perditio: ita & pijs, quarta vigilia est remediũ. Forsan significatur vita hęc nostra laboriosa in numero quaternario: 40. enim annis peregrinarunt Israelitæ per desertum, ante promissam terram. Hæc ergo vita quatuor partes habet: qui in primis prioribus peccauit: & item in quarta scelera committere pergat, rara est huius conuersio. super hoc quarto scelere Deus raro conuertitur. At verò pij, si in secunda, & tertia vigilia pij sunt: non adhuc videre Dominum super aquas ambulantem merentur. At in vltima vitę parte, id est, in quarta vigilia, si pius esse nõ desistat, Deũ pro ratione vitæ videre meretur. Nec enim frustrà mãdatur Iudæis, ne de arboribus nouis, per annos tres comedẽt, sed quarto anno, fructus earũ sanctificentur Domino: videlicet, quia tres vitæ priores partes plenæ sunt imperfectionibus: & ideo indignę quæ Deũ videant, quarta verò vt iam matura, Deo digna est. Lucæ 12. Amos 1.2. Num. 14. Leuit. 19.

Venit ergo Dominus ambulans super aquas. Nullus legitur ambulasse super aquas. Nam Iudæi transeunt mare rubrum, & Iordanem non nisi per alueum: item & Elias transit: sed Iordane diuiso. Solus Spiritus sanctus fuit, qui ferebatur super aquas. Probat igitur Christus super aquas ambulans, se eiusdem esse cum spiritu sancto naturæ. Et vt Spiritus, qui ferebatur super aquas, eas sua latione fœcundauit, ad vitam corporalẽ: ita & Christus ad vitam spiritualem. Et profectò non videtur miraculũ spiritus super aquas ambulans. Quis verò miraculum non videt: quod caro Christi super aquas ambulet? Quodq; id priuilegiũ Petro, solo iussu, concedat. Vt ferè nihil Christus non commune cum Christianis habeat. Exod. 14. 4. Reg. 2. Genes. 1.

Videntes turbati sunt, dicentes: Phantasma est. Vbi primò docentur deuoti homines, quanta sit in reuelationibus adhibenda cautela. Clamandum est, ne fortè Satanas transfiguret se in Angelum lucis, vel certè si Angelus lucis est, ne magnitudo reuelationum extollat. 2 Cor. 11. 2. Cor. 12.

Secundò docemur quàm timere debeamus phantasmata, & quia totus hic mundus phãtasma est: præterit enim huius mundi figura, seu larua, ideo cauere mundum debuissemus: auerte ergo Domine oculos meos, ne videant vanitatem. 1. Cor. 7. Psalm. 118.

Vniuersa

Eccles. 1. Vniuersa enim sunt vanitas. vtinam sicut vanitas sunt: ita
Psalm. 39. essent afflictio spiritus. Beatus ergo qui timet Dominum, & nõ respexit in has vanitates, & insanias falsas. Igitur quæ in mũdo sunt, nõ solũ phãtastica sunt: sed & insanię: & hę falsę.

Tertiò, docentur ij qui nocte tribulationis suæ laborant:
Psal. 72. Deũ multò aliũ esse quàm ipsi credãt. Cùm tribulamur vix credimus, Deum esse, qui nos castiget, qui premat, qui affligat. statim culpam nostræ afflictionis, in dæmonẽ in phantasma conijcimus: Docent nos igitur Apostoli: Christum eundem esse qui primum terreat, postea opem ferat: qui primum videtur hostis, mox inuenitur amicus: quíque prius videtur dæmon, sed statim agnoscitur Deus. O luscios
Psal. 72. mortalium oculos, dæmonem eum putatis qui Deus sit: quíque ad auxilium vobis occurrit?

Quartò docemur, in afflictione fidem sæpè nutare.

Statim Dominus loquutus est eis dicens: Ego sum. Statim, inquit, sine mora, adiutor est in oportunitatibus, in tribu-
Psal. 5. latione. Nouit enim articulum, quando succurrendum sit.

O fœlix anima quæ in tribulatione sua Christum audit dicentẽ: Noli timere, Ego sum. Dicebat Psaltes: Dic animæ
Psalm. 34. meæ: Salus tua ego sum. Certè, hæc Dominus dicẽs, auditui
Psalm. 50. dat gaudiũ & lætitiam, & exultãt ossa humiliata. Tunc illu-
Psalm. 66. minat faciem suã super nos: & ideo miseretur nostri. Tunc ostendit faciẽ suam, & ideo salui erimus. Tunc apparet corã
Psalm 79. Ephraim, Beniamin, & Manasse, filijs Rachelis pulchræ: ideo
Eodem. saluamur. Quid enim tũc anima timeat? Cum si ambulauero
Psalm. 22. in medio vmbræ mortis non timebo mala, quia tu mecum
Psalm. 26. es. Si tu es illuminatio mea, etiam si consistãt aduersum me castra: non timebit cor meum. Igitur *habete fiduciam*: Ego
Genes. 15. sum amicus vester: protector, merces, frater, Pater, Deus.

Iam sicut vox Domini, quatriduanum Lazarum iacẽtem
Ioan. 11. excitat: ita quarta vigilia laborantes, & timore phantasmatis perculsos eadem vox excitauit ad vitam: abstulit enim ab eorum animis omnẽ penitus timorem. Sed quia Theologis testibus, diuina efficacia variè operatur, iuxta recipientium dispositionem: ideo Petrus qui erat ardentior hac voce præ alijs inflammatur, & flammæ vigorem sustinere non valẽs, rem super omnem naturam, à Christo petiuit. Docens, inflammatissimis hominibus nihil audendum, sine Domini iussu. Præsertim vbi arduum est, id quod requirunt. Domine, inquit, iube me venire ad te.

Respondet Dominus: Veni. Obedit Dominus voci hominis etiam: etiā violata tota natura, vt cùm Iosue cœlos stare iubet. Iubet igitur Dominus, vt corpus sit sicut spiritus. *Iosue 10.*

Docet hic multa Petrus. Primum cum qui Dei ignibus ardet: non solum supra terrena esse, sed super aquas ambulare, imò & super aërem cōsistere posse. Vt de multis sanctis legitur, eos in aëre pendentes orasse. Planè quia ignis, imò & Dei efficacia super omnia est.

Secundo docet aliquando Sanctos, ita facilè ferre tribulationes, imò ita eas facilè calcare: vt Petrus calcabat aquas. Profectò multi Philosophi patiēter ferebāt tribulationes: sed solius Christiani est eas aggredi, calcare, & in eis gloriari. Non solum autem, inquit Paulus, sed & gloriamur in tribulationibus. Et rursum: Mihi absit gloriari nisi in cruce. & rursum: Ibant gaudentes, quia contumeliam passi sunt. Gaudet Andreas cùm videt crucem. Optat Polycarpus bestias truces. Cupit Laurentius in prunis versari. Hoc verò est aquas tribulationis calcare. Equidē cum laborem patienter suffers, in nauicula remigas. Sed cùm in dolore ardenter exultas: exili nauicula tumentes maris fluctus calcasti. Status hic magnus. *Rom. 5.* *Galat. 6.* *Actor. 4.*

Videns verò ventum validum timuit. Deum immortalem: nunquam, nec in excelso statu, securitas! Petrus timet: quis non timeat? Auertit oculos suos Petrus à Magistro qui eum vocabat: respexit vētum, qui eum premebat, illico timet. O si à Christo non auertisset oculos, mergi non cœpisset. O si Eua lignum non vidisset. O si Dauid Bethsabeæ nō respexisset. O si filij Dei filias hominum non intendissent. Sed Domini cōditio est, in die bonorum, nos admonere malorum. Et dum Petrus super aquas exultans ambulat: mortis imminentis admonetur. Vult enim Dominus potius humiles, quàm elatos. At sicut in media prosperitate, admonet Dominus futuræ calamitatis: ita in media calamitate, & submersione dexteram suam extendit. Et cùm Petro in nauiculam intrat: quæ statim ad terram securitatis venit. Id verò quale sit dicant qui nouerunt, ij scilicet qui ferè ad limina beatitudinis post tribulationem peruenerunt. *Genes. 3.* *Genes. 6.*

Vbi verò intrauit in nauem Dominus, tunc ab omnibus adoratur, id est, cum Domini præsentia in animo sentitur, tunc omnia ossa dicunt: Domine quis similis tibi? eripiens inopem de manu fortiorum eius. Et rursus: Benedic anima *Psal. 34.* *Psal. 102.*

mea Domino, & omnia interiora mea nomini sancto eius: qui redemit de interitu vitam tuam. Tunc nulla tribulatio sentitur: vel quia cessauit exactor, vel quia licet premat, præsentia tamen Domini, animus dulcedine absorbetur.

Porrò ascendit cum Petro nauiculam duram: quia pij homines duram semper vitam diligunt.

Vehementer tamen hæc historia quadrat his Sanctis: qui post varias tentationes præsentia Domini gustata, dicunt: *Domine iube me venire ad te:* Iube me de carcere corporis exire, & ad te in terra viuentium peruenire. Annuit Dominus votis deprecantis, & ad extremum vitæ perducit optãtem: vt iam iam videatur exiturus è corpore. At tãta est fragilitas nostra, tanta etiam frementis diaboli sæuitia: vt qui egredi optabat è vita, incipiat mortem timere propinquam: & ita ferè demergi. Tunc Dominus: *Modicæ fidei*, cur times: vbi tam est, nulla causa timendi, tam multæ sunt confitendi? Si pastus es cum Petro dulcibus Christi panibus, Si in naui vitæ Christianæ remigasti, Si Dei vocem in animo audisti, Si tu exire de vita petisti: cur dubitasti? Dixisti, cupio dissolui,
Philip. 1. & esse cum Christo, & cùm dissolueris, times, Cur dubitas, ô modicæ fidei?

Non credas fidei habitum minui. Sed Dominus fidei habitum non moratur. Fides apud Christum pretiosa illa est, quæ amoris flammis exardet. Quæ tunc minui dicitur: cùm illa amoris flamma, aliquo vento reflante tepescit.

Et cùm cognouissent eum homines loci illius, miserunt ad vniuersam regionem illam: & obtulerũt ei omnes infirmos. Quàm aptè hominis animus, qui Christi præsentiam intra se sensit, delineatur. Profectò qui in nauicula remigauit, qui se superiorẽ fluctibus æstimauit, qui Domini manu è fluctibus areptus est: adeò eum diligit, adeò eum ardet, & deperit, vt nunquam cesset ad omnes clamare, vt veniãt omnes infirmi, &
Isaia 55. sanẽtur à salute. Ad omnes clamat, & dicit: Omnes sitientes venite ad aquas. Et tanta fiducia clamat. vt dicat: Venite, tangite, vel minutissimam Christi partem: & sanabimini. Tangite vestra consideratione mortẽ Domini turpissimam, tangite iudicium, tangite infernum, tangite quæ libuerit Domini opera, licet abiecta. Si fideliter contrectaueris, sanaberis. Sed te potissimè fimbria passionis Domini sanabit: habet illa considerata præsentem Dei efficaciam: vt sanet ægrotos si velint.

Est

Eſt ergo officium eorum qui Chriſtum cognouerunt, & adorauerunt ad eius notitiam & cultum omnes prouocare, & Chriſtum rogare: vt vel fimbria paſſionis, & ſanguinis ſui eos tangat, vt ſanentur.

CAPVT XV.

Tunc acceſſerunt ad eum, &c.



PRIMVM nos hic Dominus admonet eius rei, in qua facile multi labuntur: putantes viam eſſe rectam, cùm tamen nouiſſima viæ ducant ad perditionem. Prou. 16. Sunt ergo quàm plurimi, quibuſdam regulis humanis addicti, quas ſi impleant, nihil ſibi ad ſalutẽ deeſſe putent. Credit ille: ſi quaſdam orationes recitarit, non ſe ſubito, neque ſine pœnitentia moriturum. Id verò eſt, legibus humanis fidere. Credit alter: ſi omnibus diebus Miſſæ interfuerit, non ſe in infernum iturum. Alius: ſi quibuſdam veſtibus, certis cibis, & certis quibuſdam orationibus vtatur, certam ſe gloriam habere. Contrà Dominus verbis apertiſſimis clamat: non ſe timeri, non vitam, aut ſalutem in hiſce regulis collocari, ſed in fide, & dilectione. Quidquid aliud agis aut patiaris: ſi charitatem non habueris, nihil es. 1. Cor. 13. Mandatum enim primum eſt. Diliges Dominum ex toto corde, anima, &c. Deut. 6. Si non decreuiſti amorem Dei, omni bono, & omni malo præferre: fruſtrà laboraſti. Prima prædicatio eſt: Pœnitentiam agite. Matth. 3. & 4. At pœnitentia eſt dolere de præterito, cum animo omnia mala ſubeundi, ne committas peccatum, in futuro. Baptiſta prædicabat: Parate viã Domino, rectas facite ſemitas eius. Matth. 3. Si cor tuum non tendit rectè in Deum, toto cœlo erras. Enoch, & Sancti antiqui ambulabant cum Deo, & coram Deo: habentes Deum præ oculis cordis. Gen. 5.6. 17. Hebr. 11. Si id tu non habes, cur non procuras? David dicit: Mihi adhærere Deo bonum eſt. Pſal. 72. vnicum bonum eſt, cor Deo adglutinare per dilectionem, vnumque cum Deo fieri per gratiam: id ſi non curas, ne credas te ſalutem habiturum. Putáſne facile eſſe, à te exiſſe, & Deo vnum fieri? Ioan. 17. Grande opus eſt: ita Deo hæſiſſe, vt neque præſentia, neque futura, neque mors, neque vita poſſint ſeparare cor, à charitate Dei. Rom. 8. Id ſi tu habes Chriſtum lauda. Sin

M 2 minus

Coloss. 2. minus: videte ne quis decipiat, per Philosophiam, & traditiones hominum: non enim in eis consistit salus, sed adminicula sunt, vt ea acquiratur, vel acquisita seruetur.

Secundò, dubium occurrit, num Dominus hoc loco damnet morem, quem tum Iudæi habebant, bona sua Deo offerendi? Et primum apertum est, si parentes non indigerent, Malac. 3. potuisse filios bona sua Deo sacrare. Id enim est quod Dominus iubet, dicens: Inferte omnem decimam in horreum meum, & sit cibus in domo mea: & super hoc probate me. Secundò, etiam apertum est: si templum non eget, sed est ditissimum, contra sunt patres, aut pauperes alij, egentes: stultè egeris, nisi pauperibus succurras. Et hic est, arbitror, huius loci nostri genuinus sensus. Deus enim & natura necessitati maiori succurrunt. Tertiò, rogas, quid si ministri Ecclesiæ egent, egent etiam mei parentes? Responderem, ministros Ecclesiæ tam esse sanctos, tam crucis amatores, vt (si non vehementius egeant) facile oblata respuerent: vt pauperibus succurratur. Patres enim sunt, qui etiam cum penuria sua, cibos filijs procurabunt, nisi forsan adeò esset vtilis Ecclesiæ Prælatus, vt cibandus sit auro, potandus balsamo.

Veniamus ad textum:

Quare discipuli tui transgrediuntur mandata seniorum? Hoc est carnalium hominum ingenium: vt mandata seniorum, mandata, scilicet antiqua sectentur. Adam homo terrenus, antiquus & senior est. Lex Moysi quia de terrenis: ideo senior, & antiqua est. Christus cõtra est homo nouus, spiritusq́; eius, spiritus nouus est. Et ideo homo Christianus creatura Ezech. 11. noua est. Iam vetus homo noster suas habet leges, suas traditiones: quas carnales homines exactissimè seruant: Vt in regũ curijs, in Pontificũ palatijs, proh dolor, videre est. Sunt de hac re scripti libri: quomodo vindicãda iniuria? quomodo inferenda contumelia? Vtinam verò veteres hi, veteres suis Apoc. 22. sanctiones sanctè seruassent, in sordibusq́; suis solũ sordescerent. Sed his non contenti, rident, reprehenduntq́, nouę vitę Ierem. 31. sectatores, si sua illa vetusta contemnant. At nobis maximè præceptum est noua præcepta seruare, benedicere maledicentibus, amare inimicos, non irasci sine causa, & reliqua.

Sed præcor te Lector expẽde quænam illa sunt, circa quæ seniorum mandata versentur. Certè: lauare manus ad mandu- Marci 7. ducandum, Vrceos ad bibendum, Lectos ad dormiendum.

O præcla-

O prȩclaram seniorum Philosophiam! tota versatur in cibo, potu, lecto. In his eius est superstitio, & morositas. Cùm tu videris virum his curiosissime intentum, carnalem iudica. Nam spiritus facta carnis mortificat, nõ in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus. Sed induit Dominũ Iesum: & carnis curam non facit in desiderijs. Deo enim spiritus intentus, carnem miseram contemnit. *Rom. 13.*

Adhuc tamen libet rimari: quidnam sit Iudæos lauare crebro manus, Christianos non ita? Paulus dicit: Iudæos sectantes iustitiam: in iustitiam Dei non peruenisse. Et item: *Rom. 9.* Omnia arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam: & in- *Philip. 3.* ueniar in illo, non habens meam iustitiam. Ergo Iudæi ieiunantes bis in sabbato, & decimas dantes, lauabãt manus suas: *Luc. 18.* iustificabantque se, & credebant in his iustos se esse. Contrà vita Christiana iubet, Christianus enim homo immũdum se esse dicit: & immundas manus habere se credens, ad Christũ recurrit, vt eius iustitia, iustitiam in nobis efficiat: atque ita *1. Cor. 1.* sit ipse nostra iustitia, sanctificatio, & redemptio. Iudæus igitur lauat sibi manus: at Christianus videns se immundum, à Christo lauari cupit.

Iterum aduerte: Iudæus si bene agit, agit vt bona temporalia assequatur. Si ergo lauat manus, lauat vt bona terræ mãducet. Ideo enim Iudæi benè agunt, vt bonis terræ fruan- *Isaiæ 1.* tur. Vt igitur doceat Christus iam non propter bona terræ comedenda, Christianos debere operari: ideo non vult discipulos suos crebro lauare manus.

Demũ Iudȩus lauat manus exterius: ea scilicet, quȩ patent. Christus lauat interius in abscõdito. Et quod maximum est, Iudæi lauant manus: at Christus lauat pedes discipulorum, *Ioan. 13.* frustra enim laueris opera (quæ per manus designantur) nisi laueris pedes, (qui affectus significant.) Ergo Iudæorum est opera lauare: Christi, lauare affectiones. Quibus lotis, reliqua fere munda sunt. Quibus contra illotis, reliqua sunt immũda. Meritò ergo Dominus discipulis suis pedes lauat, in vltima *Isaiæ 1.* cœna, manus minime lauans.

Ad Pharisæorum verò quæstionem Dominus respondet: ***Quare & vos transgredimini mandata Dei, propter traditiones vestras?*** Vbi singula verba sunt expendenda. *Quare*, inquit: Id est, dicite, quæ causa vos moueat, ad leges Dei violandas? num satisfacere carni vestræ? num placere diabolo? num aliquod mercenarium lucrum? suntne hæ dignæ rationes, vt Dei

maiestatem sacrilegè conculcetis? Num dignum erat propter
Genes. 2. edulium lentis rufæ, vendere primogenituram? & propter
Luc. 22. triginta argenteos vendere Christum?
Psal. 38. *Quare & vos.* Vos vermis, puluis, cinis, vniuersa vanitas, fœnum, vmbra, mendax terra, lutum. Vos: mea gratia Chri-
Hebr. 2. stiani, vestra professione diuinæ legis cultores, Vos fratres mei: filij Dei, mea ascentione exaltati, vos dij, vos meo sanguine redempti, mea morti viuificati.

Psal. 148. *Transgredimini.* Angeli nunquam transgressi sunt, nunquam cœli: statuit enim hæc in æternum, præceptum eis
Ierem. 5. posuit, & nunquam sunt transgressa. Aquæ superbi fluctus terminos sibi præfixos non sunt transgressi. Etiam infernus leges Dei non transgreditur: at homo transgreditur. Et quidē Deus leges quas semel homini sanxit, nunquam est trāsgressus: Neque enim ei libertatem abstulit, nec pium præmijs defraudauit.

Mandata Dei. Tanto consilio librata, tanta charitate promulgata. Quæ si serues æternitatem fœlicitatis, si violes infinitatem supplicij comparabis. Quæ essent seruanda: etiam si nec essent pœnę nec præmia cōstituta. Iudicia enim Domini recta iustificata in semetipsa, desiderabilia super aurum: at tu
Psal. 18. contemnis, vt carbones.

Propter traditiones vestras. O veram diuinæ legis contumeliam? Sed quid aliud ab homine expectes, quàm diuinis contemptis, humana præferre? Porrò traditio Pharisaica erat:

Qui dixerit patri aut matri: Hoc munus, quod ex me, Deo offero, precor Deum, vt tibi prosit. Hac ratione tibi in spiritualibus ministro, corporale obsequium à me non expectes. At con-
Luc. 10. tra Dominus: Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Imò nescio
Rom. 13. quid sit: in dilectione proximi totam legem voluit summa-
Matt. 25. ri: vt qui proximo benefecerit. Christo benefecerit. Quod enim vni minimo fecistis, mihi fecistis. Si Deo seruire cupis, proximo serue, maximè verò patri.

Benè prophetauit de vobis Isaias, Populus hic labijs me honorat. Si labijs sine corde honorare, facit hypocritam: quid faciet iurare, peierare, blasphemare?

Cor autem eorum longè est à me. O vtinam non nobis hæc vox conueniat. Longè sunt cœli à terra. Si cor tuū terrenum est, & terrena amat, Deus verò habet sedem in cœlo: certè longè est cor tuum à Deo. Si cor tuū est in peccato, longè est à peccatoribus salus: Deus enim est ipsum esse, vita, veritas

& sa-

& fœlicitas. Peccatum est nihil, vanitas, mors, infernus. Igitur necesse est longè Deum esse, à peccato.

Sine causa & in cassum colunt me. O horrendum incassum: in fine laboris nostri, nauigationis, militiæ, omnia esse cassa: in cassum nobis labores Christi, Christus, Ecclesia & Deus ipse. O vere timendum incassum.

Et conuocatis ad se, &c. Non immeritò Dominus hæc docturus, priùs aduocat non vnum, aut alterum: sed omnes turbas. Nec contentus audientium corona, ab eis attentionem exigit, dicens: *Audite.* Nec eo contentus addit, *Intelligite*, expendite apud vos, quàm sint recta quæ dicemus.

Intellige igitur Dominum sedisse in excelso throno: vt finem imponeret legi veteri: vt reuocaret fideles à tā mollito vsu, Deum colendi in exterioribus: & vt doceret quâ ratione coli vellet: quæ etiam sint quæ coram Deo, hominem inquinant. An non sunt ista summa?

Prima ergo lex Euangelica est: Nihil per os intrans hominē inquinat. Licet vero carnis in quadragesima esus inquinet edentem: hæc tamen culpa non per Euangelium, sed per Ecclesiam est. Iam quia hæc lex videri poterat legi antiquæ contraria: ideo Paulus totus est in eius assertione. Ideo enim reprehendit Petrum abstinētem à cibis lege vetitis. & item: Si mortui estis ab elementis mundi: quid adhuc decernitis, ne tetigeris, neque gustaueris: & super hac re vehementer cum Iudæis contendit. *Galat. 2.* *Coloss. 2.* *Act. 15.*

Secunda, lex Euangelica: *Quod de ore procedit, inquinat:* quæ non intelligitur, in vniuersum omne prodiens ex ore inquinare. Quia os iusti meditabitur sapientiam, & de ore tuo iustificaberis. & : Dic tu prius, vt iustificeris. Ergo intelligitur contrà quā Iudæi intelligebant. quasi diceret: Nihil intrans coinquinat: sed potius aliquid exiens inquinat. *Psalm. 36.* *Matth. 12.*

Non est porrò leuiculum explicare: cur Dominus non dixit id inquinare, quod exit per oculos, manus, pedes: forsan, quia nullum est instrumentum, quo homo à brutis differat, nisi os. Qua ratione Iacobus dicit: Qui refrænare linguam potest, perfectus est vir. Et Salomon dicit: Cor stulti in ore eius, & os sapientis in corde ipsius. Est enim vicarium responsum inter verba oris, & mentis. Quod enim mens cogitat, vult, cupit: naturali consequentia, fit statum verbum in ore. Ideo cor & os vnum censentur: est enim canalis apertus ex corde ad os. Neque fere aliud est in quo cor apertius *Iacobi 3.* *Ecclesi. 21.*

 cognoscas,

cognoſcas, quàm in ore: eſt enim lingua mentis vehiculum.
Atqui diſcipuli audientes dicunt: *Scis quia Phariſæi ſcandalizantur.* Nec mirũ: quia hoc totam legẽ eneruat, & ſubruit. Porrò lege eneruata, neceſſe eſt & ſacerdotium transferri. Quo tranſlato ſacerdotum autoritas perit, & maieſtas.

Admonemur, non eſſe indignum maiores à minoribus
Galat. 2. admoneri: vt hoc loco Chriſtus, ab Apoſtolis, & Petrus à Paulo. Sicut nec eſt indecorum, maiores res ſuas cum mi-
Ioan. 6. noribus tractare: vt Chriſtus cibaturus quinque millia, id cum Philippo conſultat.

Omnis plantatio quam non plantauit Pater meus, eradicabitur. Si igitur prædicator prodeſſe populo vult: & ab eo decerpere fructum: non horariũ, ſed permanentẽ, Patrem roget, vt plantet. Nã quæ mens, lingua, & manus hominis plantat, non poteſt maiorem habere efficaciam, quàm ipſe homo. Ipſe verò eradicabitur, igitur & plantatio eius.

Vna eſt, culpa: plantatio, quam homo plantat, & in æternum non eradicatur. Videlicet quia ei complantatur à Deo pœna, quæ in æternum durabit. Porrò hac ratione, ſpectatur animam rationalem non plantari ab homine, quia immortalis ſit. Quæ mortalis eſſet ſi eam homo generaret

Addit Dominus: *Sinite cæci ſunt.* O verbum duriſſimum
Hebr. 7. *Sinite eos,* relinquamus eos. Terra enim ſepe ſuper ſe venientem bibens imbrem, & non producens fructũ, relinquitur. Hanc relictionem ſignificat verbum illud: Ecce, relinquetur
Luc. 13. domus veſtra deſerta. Idem verò eſt. Nubibus mandabo, ne
Iſaiæ 5. pluant ſuper eam. Et illud: Non putabitur, nec fodietur: ſed
Iſaiæ 7. vepres, & ſpinæ aſcendent ſuper eam. Licet enim Deus nunquam auferat ab homine auxilia, & fauores: quibus ſi conetur anima ſurgere poſſit: aufert tamen illos, quibus facilè ſurgeret. Væh igitur cùm dicit Chriſtus diſcipulis ſuis: *Sinite* & relinquite: & vult, exite ab eis. Exeuntibus enim bonis de medio malorum, remanent mali, ſicut Sodomitæ,
Gen. 17. exeunte ab eis ſancto Loth, ſtatim enim illi perierunt: ſicut
Exod. 13. exeuntibus Iudæis ab Ægypto, Ægyptus perijt. Et egreſſo IESV à Ieruſalem (Nam extra portam paſſus eſt) vaſtatur
Hebr. 13. Ieruſalem.

Porrò non relinquuntur hi quia cæci: ſed quia cæci cæcorum ſunt duces: ſicut contrà, ſumma religio & meritum eſt,
Prou. 10. cùm videas, lumen te eſſe cæcorum. Id enim eſt erudire multos ad iuſtitiam: eſſeque ſolem mundi, & ſalem. Docent

te eſſe

te esse videntem: munus Dei est, Christi, Apostolorum, & Papæ. Ei enim dicitur: Pasce oues meas. Duce vero cæcum *Ioan. 21.* esse, munus diaboli est. Qui est rex super omnes filios super- *Iob 41.* biæ: officiumque est Pharisæorum. Non enim nisi summo damno, te & Christi gregem afficis, si cæcus velis cæcos ducere. Vt enim nulla par gratia referri potest, patri qui te secundùm carnē genuit: & multo minus ei, qui te secundum spiritum regenerauit: qua pœna, obsecro te, dignus erit, qui in præsenti vitam aufert spiritus, oblaturus in futuro vitam carnis. Videant Episcopi nostri, si hæc ipsis conueniunt.

Ambo, inquit, *in foueam cadunt*: nulla ignorantia excusat, quin cadas, & cadas in foueam. O quam confringentur ossa, illi qui in tam profundā foueam cadet. At contra custodit Dominus ossa iustorum, vnum ex iis non conteretur. Mors verò peccatorum pessima, quia confractis omnibus ossibus *Psalm. 33.* in infernum proruunt. *Eodem.*

Accessit Petrus, dicens: Edisce nobis hanc parabolam. & respondetur ei: Adhuc & vos sine intellectu estis. Grauis reprehensio in primis. Cum enim Episcopus sit aliorum dux, & lux: si & ipse sine luce sit, omni reprehensione dignus est. Neq; enim alicui minus, quàm Episcopo ignorantia conuenit.

Non intelligitis, id quod intrat in os, in ventrem & secessum ire: & propterea non tangere cor, nec coinquinare. Quod si animam non inquinat, igitur neque hominem: qui maximè ex anima est. Sola igitur ea quæ de corde exeunt ipsum inquinant.

Vbi primum nota: Non quod intrat in cor, siue voluntatem, ipsam inquinare. Solum enim id quod exit inquinat. Igitur cogitatio quam vel dæmon, vel necessitas, vel natura cordi ingerit, nō inquinat. Nisi per consensum, illa ex corde velut filius ex parte generetur.

Secundò, nota etiam cum voluntas nonnihil delectatur, non adhuc plene coinquinari. Quia tunc voluntas, velut partum exire volentem cohibet: Et ideo nondum dicitur partus malus exiisse, & ita nec inquinasse.

Tertio, Cur non dixit: E corde exeunt bonæ cogitationes, sicut & malæ? Certè quia perditio nostra ex nobis est, auxilium ad bonum ex Deo: ex quo est omnis sufficientia nostra. *Oseæ 13.*

Quartò. Si quæ in os intrant, mittuntur in secessum, vide cuius gratia tota vita nostra, laborat. Ergo propter stercus, *1. Cor. 3.* bella, lites, pugnæ, labores.

Quintò: Si in secessum emittitur, est ergo in ventre virtus stercoris expultrix: vt hostis & inimici. Sunt enim stercora (teste Aristotele) vitæ nostræ contraria: vtinam sicut est virtus expellens stercora terrena, esset emittens spiritualia.

Sextò nota illud: *Quæ ex ore procedunt de corde exeunt*: quo videtur indicari, non aliam esse malitiam eius quod prodit exterius: & eius quod exijt interius. Vna est igitur malitia oris & cordis, vna actus interioris & exterioris.

De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia. Hæc sunt peccata con-
Ioan. 15. tra proximum, quæ primo loco ponuntur: quia vbique Do-
Ioan 13. minus vult, amorem proximi esse mandatum suum, man-
Matth. 5. datum nouum: quod impleri vult etiam antequam offeramus munus nostrum ante altare.

Et nota, primo loco poni cogitationes: licet Moses in fine Decalogi earum meminerit. Cuius ratio est: quia vita Christiana, maximè interioribus intenta est: contrà Mosaica exterioribus. Sed duo illa mandata postrema Moysi, sub illo Christi vnico verbo (*Cogitationes*) sunt comprehensa. Porrò homicidia spectant ad quintum præceptum Decalogi.

Adulteria & fornicationes ad sextum. Meminit tamen speciatim fornicationis: quia apud Mosen nulla erat de ipsa mentio. At Dominus in Euangelio asseruit expresse eam inquinare.

Marci 7. *Furta*, & (iuxta Marcum) auaritia spectant ad septimum. Et facta est mentio specialis auaritiæ: vt scias non solum furtum, sed omnes contractus vsurarios, & etiam iniustos (quos auari excogitarunt) hoc loco prohiberi.

Testimonia falsa, (quibus Marcus addit, Nequitia & do-
Marci 7. lus:) spectant ad octauum præceptum Decalogi. Est autem nequitia ponitia, id est, machinatio in malum proximi: dolus verò, cum opere perficitur. Hæc verò complectũtur omnem dolum, qui fit in iudicio.

Eodem. Marcus addit: Immunditiam, & oculum malum: quæ duo ad nonum & decimum præceptum spectant. Siquidem per immũditiam, vel potius procacitatem, (quæ Græcis est, aselgia) concupiscimus vxorem proximi: per oculum verò malũ, eius rex exoptamus. Hactenùs de peccatis contra proximum. Sequuntur contra Deum.

Blasphemia. Cui Marcus addit superbiam, & insipien-
Psalm. 52. tiam. Vbi nota, per insipientiam Deum negari. Dixit enim

insipiens

insipiens in corde suo, Non est Deus. Per superbiam, contemni: idque maximè in rerum sacrarum contemptu. Per blasphemiam inhonorari: habes igitur insipientiam contra primum præceptū, Superbiam contra tertiū, Blasphemiam contra secundum. En totus decalogus. *Psalm. 52.*

Hæc sunt quæ coinquinant, & maculant hominem. O verè pessimam, & horribilissimam maculam: quæ contra infinitam maiestatem, id est, Deum fit: quæ ab infinita vanitate, id est, homine prodit, quæ infinitū bonum, scilicet, gloriā aufert, quæ Deum nobis propinquum, amicū, sponsum, fratrem, & patrē exasperat, & irritat: vt hostis sit noster & vindex. Hæc macula animam occidit: quę ab ea vitam, gratiam, & Deum aufert: seruumq; peccati, & filium diaboli facit. Hæc macula totu vniuersum turbat: omnia enim creata sunt, vt homini seruiant: vt ita homine Deum colēte, per eum omnia Deum colant. At contrà cum homo seruit diabolo, ei omnia ferè seruire cogit. Hæc priuat hominem charitate, & virtutibus moralibus, quas infusas Theologi vocant. Priuat communicatione, Dei, Angelorum. Hæc vires carnis auget: arma diabolo subministrat, reddit hominē minimum: imò mortuum esse facit, vt Paulus ad Ephes. 2. dicit. Imo vertit in nihilum. Peccatum enim nihil est: demum nos vehementer expoliat, vt Psaltes agnoscit, dicens: Adiuua nos Deus salutaris noster: quia pauperes facti sumus nimis. *Psalm. 8.* *Psalm. 78.*

Si penetrare vis quanta sit hæc macula, hinc intelliges: Quia solo Christi sanguine: & non hircorum, aut taurorum purgari potest. Post hanc vitam, purgat purgatorij locus, vbi sunt ardores inferni. His purgatur macula etiā Sanctorum. Quia impiorum macula, post hanc vitā expiari, nec ignibus inferni, poterit. *Hebr. 10.*

Est quod mirere: Cuncta quæ creauit Deus sunt valde bona, at in die iudicij ardebunt, & magno calore soluentur, vt ab hac macula per homines contracta purgentur. *2. Petri 3.*

Audi & illud: Macula hæc omnia in orbem apportauit mala. Bella, lites, pugnas, pestē, languores, mortem. Propter peccatū, mors & eius asseclæ introierunt in mundum. Deus enim mortem nō fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Creauit enim vt essent omnia. Et sanabiles fecit nationes terrarum. Et non est illis medicamentum exterminij (quasi dicat: non erat cōdita medicina contra exterminiū.) Iustitia enim perpetua est, & immortalis: Iniustitia verò, est mortis *Rom. 5.* *Sapien. 1.*

acquisi-

acquisitio. Impij autem verbis & manibus accersierunt illã.

Hæc macula deiecit Angelos de cœlo: & homines de pa-
Luc. 11. radiso. Propter hanc habet Deus hostes: fortẽ, scilicet illum
Ephes. 6. armatum, & mundi principes, & rectores harũ tenebrarum.
Psal. 106. Propter hanc terra fit sterilis, & terra fructifera vertitur in
Isaiæ 5. salsuginem: à malitia habitantiũ in ea. Propter hanc nubes
Genes. 3. non dant rorem, & prohibentur stillæ pluuiarum. Propter
Eodem. hanc terra profert spinas & tribulos. Propter hanc mulier
Exod. 20. parit filios in dolore: terra maledicta est in opere nostro.
Vide S. Propter hanc pœna etiã contra innocentes grassatur. Patres
Thom. 1. enim comedunt vuã acerbam, & filij obstupescunt. Et Deus
2. q. 87. vindicat in tertiam & quartam generationem. Propter hãc
art. 8. cõgregat super nos Deus omnia mala, & sagittas suas com-
Ierem. 31. plet in nobis: consumit nos fame, &c. Propter hanc mutãtur
Exod. 20. regna. Imò hæc destruxit olim totum orbem, & eum etiam
Deut. 32. posteà destruet, scilicet cùm abundabit iniquitas.
Eccles. 10. *Et egressus inde.* Duplex mihi huius historiæ occurrit sen-
Genes. 7. sus: alter, vt historia intelligatur de eo homine, qui iam è
peccati finibus exijt: impugnatus tamen à dæmone, eam
Ioan. 20. pacem optat, quam Deus filijs suis dare solet: eam quam
Ioan. 14. mundus dare non potest: eam quæ comites habet iustitiam
Rom. 15. & gaudium in Spiritu sancto: in qua regnum Dei consistit.
Eam videlicet, quæ vnum amat, in vno gaudet, ab alijs con-
turbantibus ferè libera. Eam demum quæ stilla est, & velut
mica illius pacis immensæ: qua fruuntur filij Dei, in Dei
mensa sedentes. Quam meritò vexatus à dæmone quærit,
vt liberetur à tanto malo, scilicet dæmonis impugnatione:
& fruatur tanto bono, id est, pace cœlesti.

Secundus sensus: vt intelligatur de eo qui è peccato infide-
litatis exijt, sed ab alijs peccatis impugnatus, ab eis liberari
desiderat. Vtrumque sensum prosequemur.

Egressus inde Iesus secessit in partes Tyri & Sidonis. Tyrus
Hebræis significat afflictionẽ: Sidon venationem. Venit ergo
2. Cor. 8. Iesus in afflictionem: quia cùm diues esset, pro nobis pauper
Philip. 3. factus est: vt eius inopia diuites essemus. Cùm enim in forma
Psal. 75. Dei esset, exinaniuit semetipsum. Ita planè cùm esset in pace
locus eius, in afflictionẽ venit, vt eius afflictione, nos pacem
Psal. 21. haberemus. Tum factus est ceruа matutina venationi canum
& leonum obnoxia: vt eius liberatione nos, quos dæmon ve-
natus erat, liberaret. Quæ te vicit clementia, qui cùm in pace
& sinu patris esses, naturales delitias à corpore columbelli, vt
diceres:

diceres: Afflictus sum, & humiliatus sum nimis. & rursum: *Psalm. 37.*
Venatione ceperunt me quasi auem: profectò ingressus es *Thren. 3.*
in limum profundi, in altitudinem maris afflictionum: quia *Psalm. 68.*
si tu ingressus in pœnas peccati non fuisses, nemo è peccatis egredi potuisset.

Aduerte non dictum esse: Venit Christus in Tyrum & Sidonē: sed, *In partes Tyri & Sidonis.* Vt intelligas Christum non introisse in totum peccatum, sed solùm in pœnas peccati: quæ sunt confinia & velut partes peccati.

Vt ergo Theologis, mors Christi est causa mortis peccati: & eius resurrectio est causa vitæ nostræ: ita & eius ingressus in Tyrū & tribulationē, est causa nostræ egressionis e peccato. Egressus enim est Deus è paradiso suo, vt homo qui è paradiso exierat, in paradisum regredi posset.

Nota illud: Ingressus est in partes Sidonis, scilicet venationis. Iam si Iudæi famem patiuntur vt canes, & Christus *Psalm. 58.*
est cerua. Quàm igitur cerua hæc, lacerabitur, & cruentabi- *Tit. Psal.*
tur à rabidis, & famescentibus canibus? *21.*

Ecce mulier Cananæa egressa de finibus illis. Mulier erat, negotiosa erat, id enim significat Cananæa: sed maximè, mulier maledicta erat. Cananæi enim maledicti sunt, in Canaā nepote Noë. Quem Cam pater Canaam videns, verendis *Genes. 9.*
nudis, risit. Sed ea Sem & Iaphet reuerenter operuerunt. Planè, carnales homines rident Christi paupertatem, nuditatem, humilitatē, & crucem. Hæc sunt verenda patris nostri, in die quo, amore vineæ suæ inebriatus, in cruce dormiens, se detexit. At, qui filij eius sunt legitimi, hi vultu ad æterna conuerso, hæc verenda reuerenter tegunt, & adorant.

Cananæa igitur erat ex sorte malorū filiorum: erat ergo maledicta. Porrò maledictio fuit, vt seruiret: & ita Cananæi, id est, impij, seruiunt peccato.

Egressa igitur mulier de finibus illis: de negotijs, turbationibus, de multis finibus. Vnus sanè est finis sanctorum, scilicet Christus: malorū verò multi sunt fines. Alius enim colet idola, alius ventrem, alius aurum. Hos omnes fines prætergreditur anima, quando vnum quærit Christum. Si igitur Christiane Christū apprehendere libet: egredere & tu ab omnibus finibus. Si enim vel in vno offenderis, factus es omniū reus. Ideo enim Nazaræus iubetur abstinere à vino, *Iacob. 2.*
& omni quod inebriare potest: & Iudæus abstinere ab om- *Num. 6.*
ni anathema. & iubetur Israel egredi cum omni substantia *Iosue 7.*
sua,

Exod. 12. sua,vt nec vngula animalis remaneat in Ægypto. & iubetur
Genes. 12. Abraham egredi de Vr,cum omnibus suis. & iubetur spōsa
Psalm. 44. obliuisci populum suum & domum patris sui. Et Rebecca
Genes. 2. exit e domo patris sui : cum sola nutrice. Videlicet, quia
sine propria carne viuere nemo potest. Ideo iubetur occidi
1. Reg. 15. Amalec,cum omnibus suis. Agag cum omnibus suis. Abra-
Genes. 14. ham nihil voluit à rege Sodomæ: Iacob nihil reliquit apud
Genes. 31. socerum suum.

Egressa clamauit ad Dominum. Ergo, officiū eius qui egressus est, quiq; viator est ad cœlū, erit clamare ad Dominum.
Lucæ 18. Oportet enim semper orare, & non deficere. Quid enim
1. Petri 5. aliud faciat, qui circuitur à leone, vt deuoretur? Cui collu-
Ephes. 6. ctandū est cum carne,cum mundo,cum principatibus aëris?
Rom. 6. Qui placiturus est Deo, membra tamen habet non ad placendum, sed ad displicendum?

Clamabat verò ad Dominū: vtinam non ad alium nostra desideria suspirassent. Sed væh, clamamus ad honores, voluptates, & diuitias: & quod latentius malū est, ad volūtatem
Psal. 121. nostrā. At Psaltes: Ad te leuaui oculos meos. Quia grauissi-
Isaiæ 30. mè offendebant Deum Iudæi,cùm ex Ægypto procurabant auxilium. Et nimis reprehensus fuit rex, qui Deum Accaron
4. Reg. 1. consultum misit. quasi, inquit, Elias, non esset Deus in Israël. Et profectò qui nouit, quanta sit quæ eum miseria premit, non ad alium clamat quàm ad Dominum.

Formula verò clamoris erat hæc: *Fili Dauid miserere mei.*
Psal. 140. Miserator est, ideo misereatur: hunc enim proposuit Deus
Rom. 3. propitiatorem, per fidem in sanguine ipsius. Ideo enim cir-
Hebr. 5. cundatus est pontifex noster infirmitate: vt possit compati infirmitatibus nostris. Vbi nota: Eò Christū cōdolet nobis, quia & ipse circundatus erat carne infirma. Et vt alibi dicit:
Hebr. 2. Debuit per omnia fratribus assimilari: vt misericors fieret, id est, debuit fieri homo, sicut reliqui homines: vt sit misericors. quasi dicat: Verbum Dei, debuit fieri filius Dauid, vt hominum infirmitatibus misereatur. Sapienter igitur Cananæa dicit: Fili Dauid miserere. Eo enim ipso quo, cum filius Dei esses, factus es filius Dauid: ad miserendum nobis propositus es. Nemo enim miseretur, nisi miseriam expertus. At tu eam expertus es, nō quatenus filius Dei, sed quatenus
Hebr. 2. filius Dauid. Ideo miserere. Rursum si communicasti carni & sanguini meo, vnum mecum factus es: imò caput meum
Ephes. 1. tu es. Caput autem membrorum languentium miseretur.

Addit

Addit mulier causam clamoris sui: nullus enim nouit plenè clamare, nisi qui suā à dęmone vexationē, quāta sit sensit. Inquit ergo: *Filia mea malè à dæmonio vexatur.* O quàm malè: siquidem filiam Dei orphanam facit: sponsam Dei viduam reddit, animam ex Deo viuam, interficit: hæredē regnorum cœlestium, inferno vorandam tribuit, liberam in seruitutem redigit. Lazarus enim cùm exit de sepulchro, sudario faciē, institis manus abducit ligatas: in signum mentis in peccatore defuncto, obcæcatæ, & voluntatis per peccatū ligatæ. O quàm male vexatur qui in hostis, tyranni potentissimi, crudelissimi, inimicissimi manus incidit. Ipse alias miser, infirmus & vermis. Ioan. 11.

At Christus: *Non respondit ei verbum.* Sed respondit ei factum: ego verò malo mihi, facto quàm verbo respōderi. Sed aduerte: Dominus tenebat Cananæam, ligabat eam. Nam discipuli dicunt: dimitte eam, quia clamat. Quomodo eam dimitteret, quam traxerat: & ideo traxerat, vt rogaret, & rogaret exactè. Gaudet enim Christus nostra exactione. Nā Paulus ter Dominum rogat: & vidua corā iudice improba est. Et amicus ab amico panes extorquet: & propterea iubemur orare, & nunquam deficere. 1 Cor. 12. Lucæ 11. Lucæ 18.

Sed miraculum est: cur Dominus clamat, cùm audire nolumus: tacet verò cùm ad eum clamamus? Profectò sapiētia clamat in plateis: ibiq; dat vocem suam. Equidem Christus clamat, si quis sitit veniat. At nunc ad clamores, silet. Prima huius rei ratio est, quia nostræ culpæ priores ita meruerunt. Si clamoribus Dei non respondimus, clamori nostro non respondeat. Secunda: quia sæpè clamamus propter nos: & in die ieiunij nostri inuenitur voluntas nostra: Quam suo Deus silentio retundere vult. Tertia: quia non meretur mater audiri, quæ ita tenerè filiam educauit: vt in diaboli manus mereretur incidere. Indigni sunt parentes, fœlici filiorum suorum successu: quos contra Domini voluntatem aluerūt. Quarta, & ea mystica: Optabat hæc anima iam non impugnari: optabat pacem cœlestem: optabat penitùs nihil litis habere cum dæmone. Hæc verò petitio, in terra nostra impleri non potest: est enim hæc vita militia, super terram. Igitur non respondit, quia fieri nequit integrè quod petis. Sicut Paulo respōsum est: sufficit tibi gratia mea: quia optare licet, vt dæmonum leuius feras: at non, vt eum non sentias. Prou. 1. Ioan. 7. Isaiæ 58. Iob 7. 2. Cor. 12.

Tū Apostoli dicūt. *Dimitte eā, quia clamat post nos.* Agnoscis chari-

charitatis ingenium, rogant etiam non rogati: beneficium præstant non petenti. Quam ergo a charitate distant, qui negant, improbis precibus petenti. Causam verò afferunt: quia clamāt post nos docentes, eum qui vult exaudiri, debere sensim vitam Apostolicam sequi.

Sed cur Cananæa, videns sibi responsum non dari, non irata recedit? Certè quia vulnerata erat ab eo, cuius sunt
Psal. 44. acutæ sagittæ. Dictum enim est: inimici mentiti sunt mihi,
Psal. 17. & claudicauerunt a vijs suis. At claudus, femore tacto &
Gen. 33. emarcido, quomodo recedat?

Tum Dominus qui eam vulnerauerat: *Non sum missus nisi ad oues Israëlis.* Habes primum quanti æstimet Christus Iu-
Rom. 11. dæos, nam Paulus dicit: eos inimicos propter Euangelium, sed dilectos propter patres. Si instes, Christum maximè propter gētes venisse. Certè nō venit præcipuè, nisi propter Virginem & Apostolos, qui Hebræi fuerunt: qui nostræ fidei fuerunt semina, & radices.

Sed ne graueris mysticum non nihil audire. Mulier optabat pacem, & plenam a dæmone liberationem. Tunc rectè Dominus, nō sum missus ad hanc pacem in hoc seculo præstandā: sed ad curandos militiæ languores. Pugna duratura
Genes. 3. est vsque ad calcaneum. Tu enim insidiaberis calcaneo eius, & coluber in semita, mordebit vsq; ad vngulam equi. Igitur
Gen. vlt. sum missus vt saluem a peccatis, non vt omnino pacem præbeam. Non nego quin Christus det pugnantibus pacem:
Matt. 20. sed non in hoc seculo plenā. Ideo dicit, sedere ad dexteram vel sinistram non est meum dare vobis: quia nō venit dare vt sedeamus, sed vt pugnemus. Rectè enim dicit: Non veni pacem mittere in terram, sed gladium.

Marci 10. [illegible] auditis. *Illa venit, & adorauit eum.* Mali non eum, sed sua idola adorant. Hi non adorant semper: sed cum quadam intrinsecus fidei luce perfunduntur, cum quadam intimè religione tanguntur, cum spiritu aguntur: tunc viuidè Christum (vt hæc mulier) adorant.

Adorans vero mulier dicit: *Adiuua me.* Non dicit: Tu sana, sic praesta. Sed tu [illegible] laborem, optatū finem assequi non posse, nisi tuo auxilio [illegible] adiuua. Quid dicet Lutherus ad hæc? Petit igitur [illegible], & adhæsio nostra, vt eam Dominus perducat ad finem. Quasi dicat: Exigit Deus à nobis materiam, cui [illegible] formam.

Non est bonum sumere panem filiorum. Primùm Dominus non

non respondet. Secũdò, negat. Tertiò, carnem appellat. Hac igitur ratione spirituales homines se credant tractandos. Despici se à Domino sæpissime credent: vt quò plus se humiliauerint, eo plus sui, è suo corde reijciant: vt plus Dei capere possint.

Interim id vehementissimè nota: Si probrum tibi Dominus iniecerit, gaude: nec enim sine fœnore soluet. Si carnem te dixerit, filium faciet. Si induerit te sacco, circundabit lætitia. Si contumelia te affecerit, pignus suæ misericordiæ præstitit. Quia ante gloriam præcedit humilitas. Neque enim digni sumus dono, nisi humiliati. Ergo bonum mihi quia humiliasti me. *Psalm. 29. Prou. 15. Psalm. 118.*

Sed explicemus textum: Mulier, tu petis pacem: quæ est panis filiorum. Beati enim pacifici, quia filij Dei vocabũtur. *Matth. 5.* Non est æquum talem panem dare canibus. Profectò canis fidelis est domino suo: adhuc tamen brutum animal est, ad vomitum redire solet: agitur nonnunquam in rabiem. Inuidum est, mordax, & male amans. Has omnes conditiones habet, qui nondũ plene spiritualis est. Est enim animal non percipiens, ea quæ Dei sunt. 2. Solet redire ad vomitũ: & sus lota, ad volutabrũ. 3. Solet mordere, & Paulus admonet, ne mordentes, inuicem consumamini. 4. Solet parcius amare, & malignius inuidere. Vbi enim non est plena charitas, ibi inuidia, & detractio locum habet. Non est igitur æquum: vt panem Angelorum mãducet adhuc animalis homo, licet sit Deo fidelis, vt canis. Interim aduerte eos qui spirituales non sunt, his canes dici: sicut eos vocauit Petrus canes & sues. *1. Cor. 2. 2. Petri 2. Galat. 5. 2. Par. 2.*

Respondet mulier: *Etiam Domine*. En tibi ad pacem via. Cognosce teipsum: nam Chananæa diuino illustrata fulgore fœtorem suum videt: & amplius se deiicit. Neque enim qui à Deo, vt se intelligat, illuminatur foramẽ, aut puteum quærens inuenit, vbi se abscondat à facie peccatorum suorum: & ab ira Dei super se.

Tunc homo non dolet de iniuria, imò exultat: quia per eam viam, venire se credit ad pacẽ. Imò qui iniurijs lætatur, iam pacem est fere assequutus.

Nam &, inquit, catelli edunt de micis. Hic ergo sunt micæ, illic mensa, hic stillæ, illic pluuia, hic gutta, illic fluminis impetus, hic fauilla, illic caminus, hic vita morti cõmista, illic fons vitæ. Illic ergo pax æterna immutabilitas, vera æternitas bonorũ, [illegible] micæ [illegible] reddet,

quàm totus mundus reddidit suum Iulium aut Octauianum.
1. Reg. 1. Hanc micam gustauit Anna Samuelis mater: cuius non sunt
Rom. 8. vultus amplius mutati. Gustauit & Paulus: quem à charitate
Dei nihil poterat dimouere. Gustant qui confidunt in Do-
Psal. 124. mino: & ideò sicut mons Sion non commouentur. Gustant
Psal. 118. qui diligunt legem Dei, & ideo non est illis scandalum.

Nota: qui in cœlesti mensa edunt filij sunt, domini sunt, imò reges, & cohæredes Christi.

O mulier magna est fides tua. Et quia fides est reliquarũ vir-
Concilium tutum fundamentum, & radix: si magna fides, grandes & re-
Trident. liquæ virtutes. Videtur mihi fides similis esse Christo: Christus est radix iustitiæ nostræ. Sed non Christus nudus eam effecit: sed Christus quando sua morte, mortem peccati causauit: Christus, cum sua resurrectione, vitam tribuit: Christus, cum sua ascensione, ascendere dedit. Et cum sua
Ephes. 2. sessione, sedere ad dexteram Dei concessit. Ita fides radix est iustitiæ nostræ: at non sola, sed cũ contritione est causa mortis peccatorum: cum charitate ad proximos, est causa placendi Deo. Et cum humilitate (vocante se catellum) est causa pacis internæ. Igitur qui pacem volet, fidem magnam habeat: erit verò tum magna, cum te canem & vilissimum agnoueris, indignum omni filiorum beneficio. Id si verè de te senseris: inuenies animam tuam in lecto iacentem,
Psalm. 4. in pace in idipsum dormientem. Facta pace cum bestijs ter-
Prou. 1. ræ: vbi ferè nullus exterreat, omnium quasi malorum timore sublato.

Et cùm transisset inde. Proprium est Christi ascendere in cœlum, id est, in montem. Nemo enim ascendit in cœlum,
Ioan. 3. nisi qui descendit de cœlo. Proprium est ascendere in cul-
Ioan. 1. men perfectionis: de cuius plenitudine nos omnes accepi-
Isaiæ 2. mus. Proprium est ascendere in cathedram summi magisterij: vt doceat nos de vijs suis, vt sit lux lucens omnibus qui
Matth. 5. in domo sunt. Proprium est ascendere in summã ignominiã
Ioannis. crucis: vt omnis a viperis ictus, credens in eum non pereat.

Et tam est patiens, & longanimis princeps hic, vt tot turbarum offensis, non commoueatur, sed sedeat. Cognouit
Psal. 102. enim figmentum nostrum, & recordatur quia puluis sumus. Rursum sedet in pace, ab omni molestia securus. Non enim
Psal. 90. accedet ad eum malum, nec flagellum appropinquat taber-
Psal. 109. naculo eius. Demum sedet in sua hereditate, ab ea nunquam diuellendus,

Crede

Crede igitur Christum à Patre sublatum in locum mundi sublimem: ad quem omnibus, vndecunque pateret accessus. Hoc est eum ascendisse in montem. Et quia ibi quietè nos expectat ad veniam: ibi enim eum inueniet qui conuerti volet: ideo dicitur in monte sedere. Priore ratione dicitur expectatio gentium: vt ad quem omnes veniant: posteriore dicitur saluator earum: vt qui non in transitu, sed morosè nostros velit curare languores. Sed heu, nõ statuimus leuare oculos in montem, sed eos in terram declinare.

Gen. 49.
Matth. 1.

At quia propositus est, Christus toti orbi in remediũ: ideo turbæ accedũt, id est, accedit Ecclesia: collecta ex cæcis, claudis, mutis, &c. Vt facilè conuincantur erroris, qui dicunt Ecclesiam ex malis non constare. Imò verò mali (qui sunt cæci & claudi) ad Christum accedunt. Dominus enim non venit vocare iustos, sed peccatores. Siquidem non est opus sanis medico, sed infirmis: & profectò cum publicanis, & peccatoribus manducat Christus.

Psalm. 16.
Matth. 9.

Sed specta infirmorum ordinem: accedũt primum muti, tum cæci, claudi, debiles, demum alij multi. Planè sicut tentati (si repugnamus) lingua tunc rationis loquitur dicens, se non consentire peccato: ita si non repugnamus, eadem lingua tacet, & muta consentit. Primus ergo in infirmitate est mutus. Tum ratio fit cæca, amisso, scilicet lumine gratiæ. dicẽte Dauid: Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum. Tunc pes, id est, affectus sanctorum desideriorum claudicat, & manus sanctorum operum debilitatur. Hi verò omnes infirmi, cũ alijs multis ad Christum accedunt vt indicetur: nullum ei morbi genus, siue spirituale, siue corporale, esse incurabile.

Luc. 5.
Psalm. 37.

Quod verò addit. *Proiecerunt ad pedes eius*. Id primũ significat, Ecclesiam suos languidos ad pedes, id est, ad ministros Christi proijcere. Vt ab eis sacramenta recipiant, & ita sanentur. Nam Sacramẽtum Baptismi, & confessionis, habent vim sanandi eos, qui mortui veniunt, cæci, & claudi: Quin & Eucharistia viuificat mortuos. Ideo rectè ad pedes proijci dicuntur. Licet enim minister abiectissimus, & pessimus sit: modo Christi minister sit, efficaciam habet ad infirmos sanandos. Secundò, proijci ad pedes, & tangere fimbriam: videtur significare, Christum posse suos sanare & satiare infirmos rebus quibuslibet, etiam infimis. Ergo non in solo pane viuit homo, sed & tactu fimbriæ, & præsentia pedum

Matt. 4.
Actor. 5.

Christi: quin & sola Petri adumbratione.

Sanatos verò turbæ admirantur. Vtique magna admiratio est, peccator ad Deum conuersus. Est enim lux in medio
Exod. 15. nebulæ fulgēs, est Israël per medium maris transiens. Est arca
Iosue 3. medium Iordanis alueum scindēs, est vita in medio mortis:
Psalm. 37. & velut deitas in medio vniuersæ vanitatis.

Admirantur verò turbæ, & magnificant Deū, tanti operis factorē: qui hoc facinus sui sanguinis merito facere potuit. atqui turbæ mirantur: nostri verò temporis homines non mirantur, sed calumniantur.

Iesus verò conuocatis discipulis, dixit: Misereor super turbam.
Philip. 3. Reuera in similitudinem hominum factus est Christus, & est habitu inuentus, vt homo. Nihil verò magis est hominum, quàm hominum misereri. Siquidem irasci, & vindicari: leonum est, & ferarum.

Tu etiam aduerte sectatores Christi, etiam in temporali-
Matth. 6. bus, ab eo non destitui. Vt verū sit: Primum quęrite regnum Dei, & omnia reliqua adijciētur vobis. Prius certè saluat ani-
Psalm. 71. mas: quia ex vsuris & iniquitate redimit animas: sed etiam saluat & satiat corpora, etiam vsque ad satietatē, non ex pretiosis & curiosis: sed ex modestis, & necessarijs, scilicet pane, & piscibus.

Satiat verò eos qui cū illo, triduo perseuerant. Nota verbum, cū illo. Profectò, multi vidētur ibi cū Christo perseuerare: at non cum Christo perseuerant, sed cum sua volūtate. Latet hic morbus, credis te Christum sequi, at non illum: sed tuū venaris honorē, opes, aut voluptates. Porrò turba non discedit à Christo, etiam ieiuna: etiam triduo nō edēs: etiam nihil remurmurans. Quod miraculi loco est, sed indicium, non se quærentis animæ est. Satiantur verò in fine tridui,
Exod. 12. nō initio cōuersionis, nec medio, sed in fine. Deficere enim debet farina ex Ægypto abducta: vt gustare liceat manna.
Lucæ 24. Ideo tertia die reficiuntur illi discipuli, qui in Emaus ibant. Dicunt enim: & iam dies tertius est hodie: & ideo Paulus
Actor. 9. tertio die post conuersionem manducat, & reficitur.

Addit Dominus: *Ne deficiant in via.* Est enim ardua via, & super hominū viam, imo contra carnis viam. Vbi sępè penè
Psal. 72. mouentur pedes, penè effusi sunt gressus nostri. Vbi sępè nau-
Num. 21. seauit homo, super isto cibo leuissimo. Vbi locusti
Num. 13. consi[illegible] cum gigantibus. Vbi laborantibus videtur
Matt. 14. Christus sępe phantasma, ó quoties deficeremus in via. nisi Dominus

Dominus pasceret nos, & animam nostram conuerteret: vt Psalm. 22.
Dauid profitetur. Cibus vero quo reficit, est experimentum quoddam cœlestis dulcedinis, quæ sola reficere in via potest.

Domino verò interroganti vnde reficiemus, respondent discipuli: *Vnde nobis panes tantos?* Primum: hæc grauis est reprehēsio nostrorum Episcoporum: qui singuli, panes tantos habent, vt reficere quatuor millia hominū possint: cum tamen omnes Apostoli solos septē panes haberent. Secundo, hæc est vera prædicatoris confessio. Nō habeo panes, quibus satiem, habeo verba, quibus aures audientium demulceam: sed non habeo panes, quibus animos fideliū satiem. Tertiò: verè dicunt Apostoli, Non sunt nobis panes tanti: non enim panis exiguus satiare animū potest. tantus esse debet panis, animas satians, quantus est ipse Deus. Tunc enim, inquit, satiabor cum apparuerit gloria tua. Psalm. 16.

At Dominus: *Quot habetis panes?* Dicunt illi septem, & paucos pisciculos. Placet per panes septē, intelligere Sacramenta Ecclesiæ septem: & per paucos pisces, Sacramentalia pauca, quæ in Ecclesia sunt instituta. Sunt hi panes, continētes in se, gratiam, & gustum cœlestem. Quis enim poterit exprimere gustum, quem qui verè se ad hos panes edendos præparauit, percipere solet? Panes orti sunt de terra: ita sacramenta ex latere Christi defuncti, quæ fuit terra, dans fructum suum. Pisces oriuntur ex aqua: ita Sacramentalia oriuntur, ex autoritate Petri piscantis in aqua. Sunt porrò pauci pisces: quia pauca Sacramentalia esse conuenit in Ecclesia, at qui ea deuotè perceperit, dulcedinem cœlestē inueniet, gratia enim in ipsis confertur, at non plenè. Nec enim sanare aut cōfirmare possunt hominis cor. Hos panes, hosq; Psal. 103.
pisces soli habent Apostoli. Synagoga enim non habebat sacramenta, aut sacramentalia gratiæ effectiua: sola Ecclesia tanto potitur thesauro.

Porrò precipit Dominus eos discūbere, super nuda humo. Igitur corū pauci habebant vestes pretiosas. Si enim habuissent, vix recumbere voluissent super terra. Vt intelligas non multos sapientes, diuites aut nobiles, Christi pane manducare. vel certe si quis diues est, aut nobilis, diuitias 1. Cor. 1.
& nobilitatem contenat, vt in nouissimo loco recumbat, & edere possit. Ergo ad edendū panem hunc, requiritur ea animi modestia: vt non te credas altiori loco dignū: quam humili terra. Luc. 14.

Tum requiritur ea obedientia ad Domini voluntatem: vt si te ex regio throno, ad puluerem descendere præceperit: non remurmures: sed facile te præbeas. Eant nunc pomposi homines, auro & purpura cocti: eant superbi, eant præfracti, vt cibo cœlesti satiētur. Non sapit hic cibus pleno stomacho:
Num. 21. nec sapit manna, his qui sepis & allijs sunt satiati.

Accipiens Dominus septem panes gratias agit. Agit gratias quod Deus hæc sacramēta instituerit: quodque se astiturum obligarit (etiam cùm ab iniquis ministris exercerentur,) ad gratiam per illa Sacramēta præstandam: quod profectò maioris est miraculi, ponderis, & cōmodi: quàm Solem, lunam, & cœlos condidisse, vnde nobis vita manat terrena.

Distribuit verò: vt sciamus: suæ voluntatis esse Sacramentorum frequentationem, nec enim à solis Apostolis panes edi voluit, sed ab omnibus. Tunc igitur communica Christi corpus, quoties infirmus ad pedes Domini perseuerasti.

Dat verò discipulis, vt distribuant: quia sacramentorum distributio ad nullos nisi ad Ecclesiæ ministros spectat. vt mentiatur Lutherus: dicens etiam laicos posse cœlestes panes populo ministrare. Intelligant verò discipuli, non ex se, sed ex Christo, panes habere efficaciam.

Illi verò comederunt, & saturati sunt, ô verè satiem beatam, qua gustata desipit omnis caro: qua satiatur anima in
Isaiæ 1. *Matt. 11.* *Ioan. 5.* *Psalm. 80.* crassitudine, qua inuenit homo animæ suæ requiem, qua bibita, non sitit anima in æternum, qua aperitur os, & Dominus illud implet, qua aperitur os, & attrahitur spiritus, &c.

2. Thes. 3. *2. Tim. 2.* Porrò numerus satiatorum fuit quatuor millia. Quatuor numerus est laboris: vt qui non laborat, nec mādūcet: laborantem enim agricolam oportet de fructibus percipere.

Memento Dominum pauisse suos in vtroque testamento, sed non nisi in deserto.

CAPVT

CAPVT XVI.

Et accesserunt ad eum Pharisæi.



VLLA in orbe quæstio proponi potest maior, quam hæc quę est à Pharisęis Christo proposita. Hoc enim quærunt: Si te Deum esse fateris, ostende signa. disputarunt Philosophi an essent dij, & si essent: quænā esset humana fœlicitas. Christus fatetur se esse Deū, & nostram fœlicitatem, & vitam. Rogāt homines, vt id signis de cœlo probet: nam signa terrena a dęmone videri possunt fieri: qui principatū habet super terra: nō itē super cœlo. Sanè De' vt se Moysi Deū probaret, & Iudæis: magna in Sina signa de cœlo pręstitit. Si tu fidelibus: Deū te esse asseris: id ita esse probato. *Ioan. 12.* *Exod. 18.*

Et planè Christus non eis exprobrat, quòd hanc quæstionem proponant: sed quòd post tanta signa sufficientissima, proponant. Respondet igitur: Vos habetis acumen, vt ex re parum necessaria, nimis distanti, non nimis certa, id est, ex rubore vespertino, colligatis serenitatem futuram. Cur non habetis acumē: vt ex signis temporum colligatis me Deum esse? Profectò nihil maius potuit in vita contingere, quàm meus in orbem aduentus. Nihil sane magis referre poterat hominum, quam huius aduentus signa cognoscere. Ideò Deus prædixit huius rei certissima signa. Talia sunt quæ Isaias cecinit: Deus veniet, & saluabit vos. Signa erunt: Saliet sicut ceruus claudus, aperta erit lingua mutorum. Et item: Spiritus Domini super me. Signa erunt: vt mederer cōtritis corde, prædicarem captiuis indulgentiam. Et item: Ego mitto Angelum meum (qui fuit Baptista) qui præparabit viam, ante faciem meam: & statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos queritis. Et item: Erit mōs sublimis inter omnes colles, ad eum fluent omnes populi, dicentes: Venite ascendamus ad montem hunc vt doceat nos de vijs suis. Hunc populorum confluxum ad Christum videbant Pharisæi. Item: Reges Tarsis munera offerent: reges Arabum, & Saba dona adducent, id viderunt in aduentu Magorum. Adde illud: Non auferetur sceptrum de Iuda, & ç. Quid? an non videtis mortuos à me excitari? Num id arte aliqua fieri potest? An non videtis tot millia satiari, fere sine panibus? An non hæc sunt apertissima signa?

Isaiæ 35. *Isaiæ 61.* *Malac. 3.* *Isaiæ 2.* *Mich. 4.* *Psalm. 74.* *Matt. 2.*

Hæc Christus ad Pharisæos: Nostro verò tẽpore non desunt qui signa petant. Adeò grande negotium est, in Christum credere. His verò dicendum: Interroga patres tuos &
Deut. 32. dicent tibi, & maiores tuos & annuntiabunt tibi, id est, lege maiorum historias, & inuenies innumera signa.

Sunt etiam inter fideles, qui cũ aduersam patiũtur fortunã dicunt: Num Christus est Deus? Si Deus est, cur non fauet suis? Quasi verò, non sit hic communis omnium mortalium cursus: vt præcipiti fortunæ rota, nunc attollantur, nunc deijciantur.

Sunt demum: qui in peccato iacentes, Christi misericordiam in vitæ fine, ab ipso habituros se credant. Hi in fine vitæ, signum de cœlo quærunt. Communis enim lex est: vt
Psalm. 99. qui malè vixit, male pereat: vt sit mors peccatorum pessima. Hi verò in peccatis decocti, contra hanc legem, signum sibi petunt, vt in morte eripiantur ab inferno, quem tota vita meruerunt. At profectò quisque iudicabitur secundum ope-
Rom. 2. ra sua: & tu thesaurizasti tibi iram secundũ duritiam tuam, & impœnitens cor tuum. Eos enim qui non acquiescunt veritati: sed credunt iniquitati, ira, & indignatio manet.

Rom. 2. Inter pios sunt qui à Deo amoris signa quærunt: queruntur enim se derelictos, queruntur se non gustare cœlestia. At his signum est, quòd Christus in Cruce sine delitijs est, & quod per Crucem ad delitias venit.

Hypocritæ faciem cœli nostis iudicare. Nota, homines alij sunt qui spiritum Dei habent: verè homines, imò Angeli, imò
1. Cor. 2. dij. Hi penetrare possunt etiam profunda Dei, habent enim spiritũ cuius est hoc munus. Alij sunt homines: qui videntur homines, sed iumenta sunt. Hi sunt hypocritæ: hi faciem cœli, non verò profundum cœli iudicare possunt: exteriora enim legis norunt, nõ item interiora: ideo grauissime reprehenduntur.

Nota 2. Faciem cœli iudicatis, non verò signa temporum, memento eius verbi quod habetur Exodi 19. Iã, inquit, mane inclaruerat, & ecce cœperũt audiri tonitrua, & nubes densissima operire montem & timuit omnis populus, &c. Igitur antequam daretur lex vetus, signa præcedentia fuerunt, mane rutilans, deinde nubes, & triste cœlum. Quæ signa erant futuræ tempestatis, id est, legis datæ in timore, in
Ezec. 20. horrore, Deus enim dans legem velut iratus dedit: ideo dicit: Dedi eis præcepta non bona. Igitur nubes densa præcedens,

indicium

indicium erat lachrymarū futurarum. Contra, cùm lex noua danda erat, hęc signa de cœlo danda nō erāt, sed potius leuis nubes, sicut illa quę vesperi à Sole irradiatur: in signū futurę pacis, & serenitatis: & ita data est caro Christi: in qua, vt in nubem leuem ascendit Sol Deitatis. Hæc humanitas deificata, opera humilitatis, pacis & charitatis ostendens, fuit quasi certissimum legis condendæ signum. Sapientissimè ergo Christus respondet: vultis signa talia, qualia ante legem: ea non conueniūt legi serenitatis. quin potius, cùm iā sumus in nouissimis tēporibus, & in vespere mūdi, futurę serenitati conuenit nubecula, Solis irradiata fulgore: qualis caro nostra est. *Isaiæ* 19. *Galat.* 4.

Nota 2. Sol illustrat nubem, manè & vespere: hoc vero discrimine, quia nubes manè illustrata, incrassatur, & ideo luce consumpta, tenebrescit, & in aquas dissoluitur. At contrà, nubes quę vesperi fulget, sensim absumitur: & ideo futuram serenitatem præmonstrat. In his habes: Solem iustitiæ omnes homines (velut nubes) illuminare. Sed hoc interest, quia impij illuminati incrassantur corde, lucem sensim repellentes: adeo excæcantur, in argumentum suarum lachrymarum. quia in inferno in fletum & stridorem dentium dissoluentur. Contrà fit pijs, qui illustrati carnem suam sensim mortificant, in futuræ suæ serenitatis indicium. Igitur hypocritæ, si faciem cœli iudicatis, cur non iudicatis ex vestra illuminatione, & incrassatione, (qualis in nube matutina contingit) futuram vestram in inferno tempestatem? *Deut.* 32. *Matth.* 13.

Nota 4. Vt ad mores redeamus: Ij homines signa temporum iudicant, qui ex temporum varietate dependent. nihil aliud quam temporū occasionem aucupantes: vt tēpora illa comparēt commoda: vel caueant incommoda. ó mortales, qui toti ex signis temporalibus pendetis, an non etiā signa temporum vestrorū spectabitis, an non spectabitis Christū nascentē, morientē, iudicaturū? An non spectabitis alios qui moriuntur? Vel certe, cur non vestros canos consideratis, proximæ mortis prænuncios: vt ad Christū conuertamini?

Dixit Iesus illis: Intuemini, cauete à fermento Pharisæorum & Saducæorum. Creauit Deus hominem summè sapientem, peccauit ille: factus est [illegible] insipiens. Eget igitur doctore & doctrina. Facilè vero est intelligere, quanti sit periculi, falsum pro verò doctore: tenebras, pro vera luce doctrinæ acceptasse. Certè quantū interest inter ascensum per scalam Iacob in cœlu. & præcipitiū per foueam peccati in infernū.

Ideo Dominus tanto verborum & rerum pondere dicit: videte, cauete, estote vt animalia illa Ezechielis, oculis plena:
Ezech. 1. vt à falsa doctrina caueatis. Habete sexaginta fortes gladios
Cantic. 3. habentes super femur: propter timorem tenebricosæ do-
Prouer. 4. ctrinæ. Omni custodia custodite cor vestrum, ne pharisaico fermento fermentetur.

Dubitabis, quódnam sit fermentũ hoc? Peccauimus, quia auersi sumus à Deo, te nobis intima, conuersi ad cibum ve-
Genes. 3. titum, rem nobis extimam. Hæc fuit persuasio, & doctrina diaboli. Igitur omnis doctrina quæ auocat ab interioribus, & reuocat ad exteriora, fermentũ est Pharisaicum. Pharisæi
Marci 7. enim toti sunt in exterioribus: toti lauant manus, vrceos, lectos, ieiunant bis in Sabbato, decimas dant. Nihil verò de interioribus: imò sepulchra sunt plena ossibus mortuorũ, id
Matt. 23. est, peccato induratis. Siquidem pleni sunt odio & rapina.
Ioan. 15. Nihil de charitate. Cùm potius odio Christũ habuerint gra-
Ioan. 5. tis. Nihil de humilitate, cùm potius gloriam ab hominibus
Matth. 23. quærant. Nihil de eleemosyna, quin potius longa oratione domos deuorẽt viduarũ. En doctrina quâ caueamus. Gratiæ Christo, qui maximè mundiciei & sanctitati interiori, quàm
Matth. 6. Deus in abscondito videt, intentus: nos eam docuit. Oculi en nostri vident præceptorem suum, & aures audiunt post
Isaiæ 30. tergum monentem. Hæc est via, ambulate per eam.

Quòd si doctrina fermentum est, igitur nos farina sumus:
Ioan. 6. quàm Deus aut diabolus edat. Sicut enim Deus panis noster est: ita & nos eius panis efficimur, aut cõtra panis sumus coruorũ, quos pistor suspendendus, in capite portat. Vide q̃ sit periculi res plenissima, hoc vel illo fermento cõmisceri.
Gen. 40. *At illi cogitabant, dicentes: quia panes non accepimus.* Hic primum nota: quam sit orandum nobis, vt cùm Deus alicuius nos admonet, eum intelligamus. Percutit nos ille: orãdum, vt intelligamus, quorsum percutiat. Fauet ille, orandum vt intelligamus, quorsum faueat. quis verò sapiẽs, vt intelligat hæc, & intelligat misericordias Domini? Secundo nota: Dominus admonet discipulos, vt caueant à falsa doctrina: at illi anxij sunt, quia non acceperunt panes. ô miseram nostram sortem: & quando à rerum temporalium cura auellemur? Quando non toti huic solicitudini incumbemus? Meritò profectò tam anxiam curam reprehendit Dominus, dicens: *Modicæ fidei, quid cogitatis, quia panes non habetis?* Si credimus Deum nos amare, & ita amare, vt filium nobis dederit:

quomodo

quomodo nō cum illo donabit omnia. Si Pater est, si spōsus, si amicus, si pastor, si rex, si mater, quomodo obliuiscetur eorum, quos in vlnis gerit? Si gustum dat cœli in terra, (panem illū quem edunt Angeli:) quomodo non dabit panem, quem edunt iumenta? Potest ille de petra profundere aquas: potest farinulam, & lechytum olei plenū semper exhibere, potest Danielem in lacu, Eliam pascere in deserto.

Rom. 8. Matth. 6. Isaiæ 49. Psal. 77. Deut. 8. 3. Reg. 17.

Tunc intellexerunt, quia non de pane, &c. Et hæc est altera miseria, quod non nisi reprehensi, & grauiter obiurgati in veritatē incidimus tandem. Quòd si via ad veritatem, reprehensio est: reprehēdi cupio: sciens, eos Dominum castigare, quos diligit: & quòd si extra reprehensionem sum: adulterinus, & non legitimus filius sum. quia qui in labore hominum non sunt, tenentur à superbia & operiūtur iniquitate. Hebr. 12. Psalm. 72.

Aduerte: Non solos Dominus reprehendit eos, qui iacent in peccatis: sed eos etiā qui sui discipuli sunt, ne quis credat se iam euasisse flagella, si grauiora se credit euasisse peccata. Cur igitur deuoti molestissimè flagella ferunt?

Aduerte rursum. Dominus dicit: fugiendā esse doctrinam Pharisæorum & Saducæorum. Saducæi significant, sanctos. Pharisæi, segregatos. Quo ostenditur fugiendam esse doctrinam viri, qui sanctissimus videtur, & rarissimus: nisi doctrinam afferat Christo conformem.

Venit autem Iesus in partes Cæsareæ, &c. Vt scilicet, cōfessio Petri, eius ad regnū spirituale inauguratio, & eius pastorale officium, non ad Iudæos tantùm: sed maximè ad Gentes spectaret, erat enim Cæsaria gentium, non Iudæorum. Et secundò, vt indicaretur, non minore tempore duraturum, Petri imperium quàm Cæsareum.

Rogat ergo Dominus: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Summa interrogatio est: tota enim salus hinc oritur: si rectè de Christo sentias. Et licet olim satis fuerit ad salutem, si in confuso crederetur venturus Saluator: at vt indicaret Christus, eam fidem implicitam iam non satis esse, nisi explicita Christi, Dei & filij Dei, habeatur, ideo interrogat fideles, quem eum credant? vt nemo seruari possit, nisi eiusdem cum Petro cōfessionis: quod innuitur in illo verbo *Beatus es Simō* quasi dicat: Nullus erit beatus, nisi similiter cōfiteatur.

Respōdent discipuli: *Alij Eliam*. vt indicaretur extra Ecclesiam [illegible] esse dissensiones, varietates, & [illegible] & somnia vel deliria. Simul intellige, tantū fuisse Christum, vt nemo

nemo, non deploratus, nō magni eum æſtimaret, non enim
Ioan 7.10 niſi magnis viris eum comparabant Dices: Iudæi eum voca-
Pſal. 31. bant dæmoniacum? Profectò etiam iniuſti dicunt non eſſe
Exech. 18. Deum, & non eſſe æquam viam eius.

Vos autem (inquit Dominus) *quem me eſſe dicitis?* Quid poteſt ab homine interrogari: vel maius, vel difficilius, vel vtilius? Quid ſentis de eo, quem hominem, vilem, pauperem, & abiectum vides? Si enim minus æquo, de hoc homine ſenſeris, nō minus æterna morte punieris. Sin contra, quod æquum eſt ſentias, non minus quam ad cœlum via tibi eſt.

Tunc Petrus fide viua dixit: *Tu es Chriſtus,* ille tantopere
Iſaiæ 6. decantatus à Prophetis. Et talem te confiteor, qualem te illi
Zach. 11. delinearunt. illi te regem, magnum, conſiliarium, Deum, fortem, patrem futuri ſeculi, admirabilem, manſuetem, hoſtiam, &c. te depinxerunt, ego eundem profiteor.

Rurſum: *Tu es filius* Dei. Filiū te Dei naturale Chriſtiani fatebuntur: ego omnium illorum loco: vt præcentor chori, idem tibi cano. Hâc vna mea confeſſione omnium fidelium præcedentium & futurorum fidem vniuerſam complector. Tanta eſt diuini radij lux, vt hominis opici & rudis mentem tantùm illuſtraret. & mirum eſt, ſi non genibus flexis hæc Domino dixerit.

Quia igitur Petrus ſingulariter hæc dixit, ideo Chriſtus eum ſingulariter profeſſus eſt: *Beatus es Simon.* Fides te viua beatum omnino facit, pro huius vitæ ratione: & ſi fides mortua eſt, beatum quadantenus facit: principiū ſiquidem beatitudinis habet, qui fidem habet.

Admonet tamen, eum eſſe filiū Ionæ, vt intelligat è quàm humili loco, in quàm excelſum aſcenderit. nec enim ſine humilitate vult Dominus ſublimare. memorque ſui ſit, qui in Dei conſortium aſciſcitur. Et planè indignus cœlo eſt, qui non memoratur ſe terram eſſe. Item dicit eum filium Ionę: vt intelligat, non viribus ſuis eum eſſe beatum: ſed Patris reuelatione. Nec enim retibus & naui, quæ hæreditaria Petrus à ſuo Patre receperat, eam beatitudinem aſſequutus eſt.

Quia neq; caro (inquit) *neque ſanguis reuelauit tibi.* ô mundū fallacem. Promittit mundus beatitudinē: ſed interim quòd te ille ſibi vendicauit, beatus eſſe non poteras. at ſimul ac lumen Patris, carnis lumē, (vel potius tenebras,) obſcurauit, beatus iam es. Si mūdi aut carnis ſequaris magiſteria, beatus non es. At ſi totius ſeculi magiſterio deſpecto, vnicè Patris

legem

legem secteris: beatus eris. Fœlices Christianos, quorū, Pater magister est, fœlices quos Pater in re tam ardua, certos suo lumine reddidit. Sed profectò tanta res erat Christū Deum confiteri: vt non nisi Patri reuelanti fides esset adhibenda.

Et ego dico tibi, Tu es Petrus, &c. Sex promissiones, hęc Christi ad Petrū verba continēt. Prima, *Tu es Petrus*. Planum est Dominū Hebraicè, vel Syriace potius loquutū. Ergo verba eius fuerunt hæc: Tu es Cepha. porrò Cepha, Syris est petra. Ergo Dominus dixit Petro: Tu es petra. Quod si semel recipias, nullus erit dubitandi locus, an in toto sermone sit sermo de solo Simone, an de aliquo alio. * Certè Sanctus Pagninus, adde, & doctissimos interpretes, eo loco vbi Dominus Ioan. 1. dixit Simoni: Tu vocaberis Cephas, quod est interpretatum Petrus: ipsi transferunt, quòd est interpretatum petra. Ergo Ioan 1. Christus Simoni nomen petræ promisit, & hoc loco promissionem exhibuit. Et ita dixit: Ego dico tibi, quia tu es petra. Quod, quàm expositionē habeat, non est facile explicare. Lyra enim super Ioan. cap. 1. dicit: tu vocaberis Cephas, id est, capitaneus. Marcellus papa: probat Petrum esse caput: quia dixit Dominus, tu es Petrus. At profectò 2. Reg. 22. dicitur: Dominus petra mea, & robur meum. Videtur ergo Christus Petro dixisse: Ego tibi dico, quòd sis robur, & firmitas. Quo colligitu, pontificatū Petri fore firmissimum, & nunquam defecturū. Paulus enim dicit: spirituali consequente eos petra quasi diceret: Iudæos in sua peregrinatione semper petrā habuisse comitem. Habebunt ergo & Christiani suam Petram, id est, Pontificatum Petri, in comitē perpetuum. Philo enim dixit: aquas de petra percussa prodeuntes nunquam deseruisse Iudeos per desertum.

** Leo papa Petrū vocat petram. ser. 3. anniuer. assumpt. Idem Aug. serm. 2. in festo sancti Petri & Pauli. Idē Ambr. d. 50. c. fideliter. Idem Basilius homil. 29 Epist. 1. Decret. 1. Cor 10.*

Secundò dictum est: Petra refugium herinaceis. Voluit igitur Christus, Sedem Petri fore refugium omnibus iniuriam patientibus. *Psal. 103.*

Tertiò, Habet Isaias: Attendite ad petrā, vnde excisi estis. *Isaiæ 51.* Igitur Abraham erat petra, vnde omnes Iudæi erant, secundùm carnē excisi: ideo iubentur, vt eum imitentur: Ita proponit nobis Dominus alterā Petram, Simonem: vnde excisi sint, secundùm fidē Christiani quē imitari debeant. Verbum ergo Domini, tu es petra, significat: Tu es petra in seculum duratura. Tu refugium calumniosis. Tu exemplū fidelibus.

Secunda promissio Christi ad Simonem est: *Super hanc petram, ædificabo Ecclesiam meā.* Quod hūc sensum habet: Lapis

super

super quo tota ædificij moles surgit, primus est: & qui super eo lapide non radicantur, ad ædificium nō pertinent. Ita Petrus primus est in ædificio Christiano: Quæ Petri maxima laus est. Iam qui cum Petro non radicatur, & colligatur, ad

Matt. 21. ædificium Christianum non spectat. Vt igitur Christus lapis offensionis est: in quē qui credit, non confunditur, qui verò

Epist. 1. offendit, conteritur: ita Sedes Petri petra est, cui qui credit

Decret. non confundetur: qui non credit perit. Rectè igitur Anacletus: Difficiliores causæ referendæ sunt ad Petrū, super quem ædificata est Ecclesia. A quo qui declinauerit, ab Ecclesia declinauerit. Rectissimè Cyprianus: Petrus est fundamentū Ecclesiæ: vt vna radix, vnde multi rami: vt vnus fons, vnde multi riui. Si ramū à radice, vel riuū à fonte diuellas, arescit. Voluit ergo Dominus, neminē fidelē, posse a Petro diuelli. Et quantū coniecto, hoc loco voluit Dominus omnē consecrationem Episcoporum, reliquorū etiam Prælatorū, ex Petro descēdere. Vt nisi ab eo, nemo Prælatus esse possit, id agnouit Papa. c. licet, de præbendis, lib. 6. & cap. inter corporalia de trāslatione Epi. & dist. 22. c. omnes. Vbi asseritur de iure diuino trāslatio, institutio confirmatio, & depositio Episcoporum Romano pōtifici. Multa de ea re Canonistæ.

Tertia promissio est: *Portæ inferi non præualebunt.* Memento in portis vrbis, fuisse iudices, consilia, & totam vrbis autoritatem: vnde dictum est: Ferent signa virginitatis, ad se-

Deut. 22. niores vrbis qui in porta sunt. Et experientia teste, in portis vrbis sunt arma, & tormenta bellica. Itaque in portis erat, & autoritas, & potentia vrbis. vnde dictū est: possidebit semen tuum portas inimicorū suorū. & item possideat semen tuū

Genes. 22. portas inimicorū suorū. Cū ergo infernus sit, velut ciuitas,

Gen. 24. cuius rex est Lucifer: per portas inferi intellige, consilia, au-

Iob 41. toritatē, poten[illegible] dæmonū. Hæc non præualebunt contra Ecclesiam. Quo primo infertur: nullū errorem posse totam Ecclesiā maculare, nec Conciliū, quod totā Ecclesiā repræsentat. Secundò: nec vitiū totam Ecclesiam maculabit. Nunquam erit tota in peccato mortali: est enim speciosa, vt co-

Cantic. 2. lumba. Tertiò: Nunquā deerit pugna inferni cum Ecclesia. Quartò: Nunquam Petrus carebit Ecclesia. Siquidem totus infernus non præualebit contra Ecclesiā in Petro fundatā.

Quarta promissio est: *Tibi dabo claues regni cælorum.* Expli-

Lucæ 11. catur ex Luca: tulistis clauem scientiæ: & nec vos introistis, & eos qui ingrediebantur prohibuistis. Igitur clauis vna est

cathedra

cathedra, magisterium, & docendi autoritas: quam Scribæ & Pharisæi habuerunt. Rursum est apud Isaiam, loquentem de Eliacim sacerdote: Dabo clauē domus Dauid, super humerum eius: aperiet, & non erit qui claudat. Vbi non intelligitur clauis Dauid pro imperio seculari. Nam erat tūc rex in Iuda, ad quem regni secularis imperium spectabat. erit ergo imperium Sacerdotale: quod Eliacino committebatur. Cui attestatur verbū Domini, ego viuo, & fui mortuus: & habeo claues, id est, imperium & gubernationem vitæ & mortis. *Isaiæ 22.* *Apoc. 1.*

Ergo cùm Dominus dat claues Petro: dat cathedram docendi, & dat imperium gubernādi in Ecclesia. Igitur omnes difficultates definire, ad eum spectat: habet enim cathedrā, licet ignorātissimus fingatur. Ita habetur in cap. maiores, de Baptismo. & 24. q. 1. Canon. quoties. Similiter admittere ministros in Ecclesiā (à Cardinali, ad accolithū,) ad Papam spectat: vt ad Eliacim spectabat admittere in templū. Item norma ministerij diuini, altaris, Sacramentorum, ad præscriptum Papæ spectat. vt ad summum Ecclesię gubernatorem.

Latissimæ sunt hæ claues, & tam latè patent, quantum patet Ecclesia. Si enim Petro datur cathedra, ergo ipse definiet quid sit de fide, quid cōtrà, heresis: definiet, quid sit peccatū, quid contrà, sit iustum. Si item Petrus habet Ecclesiasticum imperium, eius mandatis, (si iusta sint,) parendum erit. Meditare verò quòd Dominus dixit: *Tibi dabo claues regni*: indicans claues esse super humero, nō sub pedibus: Nā Christus habet imperiū super humerum suum. Planè qui clauibus in suum commodū abutitur, is sui, non Petri vicem gerit. Sicut rex qui propriā, & non communem quærit vtilitatem, non rex est, sed tyrannus. Rursum nota, non dicit: *Tibi dabo claues regni* terrarum, sed, *cœlorum*. Quomodo enim Christus daret, (certè quantum ad vsum,) imperiū terrenum, Petro, quem ipse habere nolebat, dixit enim: Regnum meum non est de hoc mundo. Scio Canonistas imperatorem terræ facere Papam: nixi quodam testimonio Nicolai Papæ: titu. de Rom. Ecclesiast. c. 1. Sed hāc rem si cognoscere vis, vide cap. vnam sanctam, de maior. & ob. in Extrauagantibus communibus. *Isaiæ 9.* *Ioan. 18.*

Quinta promissio est: *Quodcunque ligaueris, erit ligatum.* Et sexta promissio: *Quod solueris erit solutum.* Vbi primum aduerte: ex multis doctoribus scholasticis, & decretis pontificum, idem videri posse claues regni, & ius soluendi & ligandi. Sed sunt fortasse diuersa. Siquidem Pharisæi habebāt *Luc. 11.*

claues

clauem scientię non perinde tamen habuerunt ius soluendi *Isaiæ 22.* peccata. Et Eliacim habuit clauem regni Iuda: non tamen peccata potuit ligare, aut soluere. Et imperatores regesque claues habent regni sui, qui nihil de peccatis agunt. Igitur cum hæretici viderent, datam Papæ cathedram docendi, & ius Ecclesiam gubernādi: calumniari possent, eum nō posse peccata soluere, & ligare, ideo Dominus, post claues regni, ius ligandi tribuit & soluēdi. Quod quia pendere, vel claudi, videbatur in clauibus, ideo claues dictæ sunt.

Huic promissioni Dominicæ primò obijcitur, multos Papas ligasse, & absoluisse, quod vt iniuste factū, non est ratum in cœlis. Respōdet Panormitanus, in cap. ab excōmunicato, de rescriptis. Et Glosa in cap. præsenti, de sentent. excōmun. lib. 6. Domini verbum intelligi, claue non errante. Sed hæc adiectio non habetur ex textu. Ideo dicerem: idem debere dici de vi re ligandi animas, & de formis Sacramentorū: quę sæpius non efficiūt gratiam in recipientibus, nec sortiuntur effectū suum: non quia inefficaces sint, sed quia materia est indisposita. Profectò dictum est: Omnes ad quos peruenit aqua ista, salui facti sunt: & itē: Qui crediderit & baptizatus *Marc. vlt.* fuerit, saluus erit. At contra multi baptizantur, & gratiā non suscipiunt. Id sanè non tribuitur impotentiæ baptismi, aut confessionis: sed ijs qui baptizātur. Ita quod ligatur à Petro, si materia non fuerit indisposita, ligatum erit. Ex se enim Petri absolutio, & ligatio valet: nisi valor suus ex materia impediatur. Sicut cùm Confessor absoluit impœnitentem, profectò nisi materia obstaret, potestas efficeret. Ita cùm excommunicat innocentem, profectò nisi materia obstaret, sententia excommunicaret.

Ex dictis habetur Papam posse excommunicare: ex hoc quòd ligare potest. Siquidem Cyprianus epist. 2 tom. 1. per Ligare, excommunicare intellexit. Secūdo habetur, Papam in foro animę peccata absoluere & ligare: ita Gelasius Papa, in Tomo de Vinculo Anathematis, confessus est. Tertiò habetur Papam posse indulgentias ex Christi thesauro concedere. Hac enim ratione ab omni pœna, vel ab eius parte pœnitens absoluitur. Quòd si absoluitur, absolutus erit. Quartò habetur, Papam posse ligare pœnitentes, in Sacramento pœnitentiæ, ad pœnam pro peccatis debitam: quicquid recentiores Theologi dicant. Quod enim ligauerit, ligatum erit.

Secun-

Secũda obiectio est: Si Petrus ligat super terram, quomodo Augustinus excommunicabat defunctum Cecilianum: Rabanus Theodorum mortuum, Sophronius Origenem. Papa Dioscorum, iam vita functos? Id habetur 24. q. 2. capit. vltimo. Ad hoc videri poterat Gelasius respondisse Epist. ad Faustum. Item & Leo Papa Ecclesiam nõ posse excommunicare defunctos. Sed veritas est: nõ posse Papam præcipere defunctis, ne communicent viuis. Potest tamen præcipere viuis, ne pro certo quodam defuncto orent: & hæc est excommunicandi mortuos ratio. Vt habetur 24. quæstio. 2. capit. sanè profertur.

Libet vnum verbũ adhibere. Si (vt vetustiores Theologi tradebant) Petrus nunquam absoluisset, sed ostẽderet solum absolutos: cur Dominus dixit: *Quod solueris, erit solutũ.* & non potius non ostenderis solutũ? Certissima ergo est sententia, Petrum absoluere eum qui vinculis peccatorũ ligatus venit: modò dolorem quendam adducat, quam Theologi dicunt attritionem. Et super hac re, iam opinari non licet. Est enim definita à Concilio Tridentino sub Iulio 3. Sessio. 3. cap. 4. vbi habetur, eum qui dolet de peccato, vel propter peccati turpitudinem, vel propter gehẽnæ metum, vel propter pœnarum timorem (quem Niniuitæ habuerunt) si voluntatem peccandi excludat, & à Sacerdote absoluatur, absolutum coram Deo esse.

Exinde cœpit Iesus, &c. Quis vrget te, vt sit pati necesse? Nũ malus es, vt passurus sis? Rapuistíne, vt exoluas? Si sanctus es, non est necesse pati. Quod si hominum amor passioni te subdit: an non poterat Pater tuus, hominibus noxam remittere, sine tua passione? Aut certè si de hominibus sese vlcisci volebat, sumeret ab eis pœnam vel æternam, vel tẽporalem. Quod si hominum labores, sat non sunt suæ culpæ soluẽdæ: sed laborandum tibi est, quid: an non sat laborasti? Quòd si adhuc mori cupis: quid oportet in tam celebri loco, tam solenni die à tam illustri gente, tam multa pati?

Sanè oportet eum multa pati. Ipse enim est omnes nos: omniumq; nostrum personam habet. Igitur delicta nostra, sua sunt. Id ipse cognouit, cùm dicebat: Longè à salute mea verba delictorum meorum. Quia pater in eo posuit iniquitates omnium nostrum. & infra: Iustificabit ipse iustus, seruos meos multos, & iniquitates eorũ ipse portabit. Portabit scilicet vt impleatur illud: proiecisti post tergũ tuũ iniquitates — *Psalm. 21. Isaiæ 53. Isaiæ 53.*

Isaiæ 38. corum. In tergum enim Christi proiectæ sunt, vt scapulis
Psalm. 90. suis obūbraret nos. Rectè enim Paulus: Eum qui non nouerat
2. Cor. 5. peccatū, peccatū fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso, id est, Christū innocentē, voluit Pater omniū nostrum peccatis onerare, vt nihil nisi peccatū purū videretur, vt per eius iustitiam, iusti nos efficeremur: iustitia nostra, à sua manāte. Si igitur oportebat nos pati, vt malos: oportuit etiam Christum pati, vt qui nostram malitiam sustinebat.

Et profectò sat erat eius quilibet quantūuis exiguus labor, nedum mors, ad nos redimēdos. Sed videri voluit, plenissimè Patri satisfacere: si eas pœnas solueret, quas totum genus hominum pati debuisset. Tum voluit ea ratione Patrē maximè
Oseæ 11. colere, & ostēdere eum eo cultu esse maximè dignum. Tum etiā voluit nos illa morte, velut funiculis Adam in sui amorē ferè cogere, quis enim non amat tantū redēptorem? Adeò friget pectus nostrum: vt non nisi tanto calore posset accendi. Demū voluit erigere spem nostram, si iusti essemus ad gloriā: si peccatores ad veniam, adeò debiliter spiritualia credimus, vt fides, hæc requirat fulcimenta.

Interim tu considera, oportere eum pati à Senioribus, vbi mundi residet prudentia: à Scribis, vbi residebat scientia, & eruditio Theologica: à principibus, vbi residebat potentia, & autoritas. Vide quid tota mūdi suppellex possit, conetur,
Galat. 5. efficiat? Contēdere contra Deum potest, eumque occidere! Et vtinam tunc solum occissus esset: nam & quotidie caro concupiscit, eū in nobis occidere. Quod sit contra Christum totus orbis dimicat, an non ea re ostenditur Deus? orbis pugnat contra pauperem, humilem: & non vincit tamen: imò vincitur, maior igitur orbe est, cōtra quē mundus adeò nihil potest. Iam si cōtra Christū orbis: si in te est Christus contra te erit orbis: caterua scilicet, Seniorū, doctorū, & potentum. Tu verò interim paruulus sis, & abiectus: ne fugiat à te Christus. Si non fugit: vincet in te insurgentes contra te.

Quòd verò Christus in Ierusalem voluerit mori, indicat: nullum esse locū, vbi ignominiosius Christus pati potuisset, quam Ierosolyma, qualis enim ille Christi amor, & animus, nō nisi summa aggreditur. Voluit enim Christus, quo nemo potest esse maior, offerre illud Patri sacrificium, quo nullum potuisset offerri maius. Et voluit illud exemplum orbi proponere: in quo nihil esset nisi summum.

Tobiæ 3. Addit illud verbum: *Tertia die resurget*. Hæc enim Dei

conditio

conditio est, vt post tempestatem, tranquillum faciat: post labores, requiem tribuat: non solum in vita futura: sed & in præsenti, tribuit centuplum, & post mortales labores, gloriam resurrectionis concedit. Matth. 19

Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum. Itaque nō solū pugna nobis, ab inimicis imminet: sed etiam a domesticis. Et ab his etiam, quos Prælatos Christus fecit. Et ab his quibus benefecisti. Ioab enim occidit Abnerem, & Amasam viros amicos. Micheæ 7. 2. Reg. 2.

Quam verò graphicè loquitur Petrus: *Propitius sis tibi.* An non hanc vocem dicunt nobis amici? Cur inquiunt, Te occidis, cur cum tanto rigore viuis? facilius comparabis cœlū. dicunt igitur, Propitius esto tibi.

Petre vnde nosti, quod tam affirmatè asseueras: *Non erit tibi hoc?* Quis te prophetā fecit? Quis iudicē constituit? Christus dicit fore: tu non fore. Cui credemus? Adeo multum noster affectus potest: vt cōtra Dei iudiciū, suum pronūtiet.

At Dominus: *Vade post me Satana.* Docuit igitur contemnere omnem affectum, senectam, amicitiam, Prælationem eius, qui in via virtutis offendiculo nobis fuerit. Imo verò diabolus habendus erit ille, qui sicut Petrus Crucem a nobis auertit. Neque verò Paulus potuit maius probrū spuere in quosdam: quam eos, inimicos crucis Christi vocans: nec se potuit magis laudare: quam dicens, mihi absit gloriari nisi in cruce. Philip. 3.

Addit Dominus: *Non sapis quæ Dei sunt.* Quid Domine, an non Dei sunt diuitiæ & gloria? An non est apud eum fons vitæ? An non est in dextra eius longitudo dierum? Cur Petro non sapient: crucem dicis: *Non sapis quæ Dei sunt?* Quid Deo cum cruce? Diabolum iunge cruci, Deum verò cruci quomodo nectes? At profectò, Christus cruci affixus, Deus est cruci confixus. Si ergo sapis quę sunt Dei, sapies quæ sunt Crucis: vbi ille est tantopere fixus. Sanè duo erant viuendi modi: Voluptas & Crux in voluptatem irruit dæmō: Crucē Deo vacuā reliquit. Igitur si vis Deum inuenire, inuenies in Cruce, dolore, probris, tormentis, mortibus. Quia enim in sapientia, voluptate, diuitijs honore, non cognouit mundus Deū: placuit Deo per stultitiā Crucis, saluos facere credētes. Galat. 6. Prouer. 3. 1. Cor. 1.

Adiungit item: *Non sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum.* Vt meritò Iob dicat: Quare me posuisti contrarium tibi? Quis iam non doleat, hominum inuenium Deo contrarium? Verè Paulus, Prudentia carnis est Deo inimica: legi Dei non est Iob 7. Rom. 8.

subiecta, neque enim potest. Vide quã æstimandus sit homo? Cuius carnalis propẽsio Deo cõtraria est. Quia verò ex hac vnica doctrina, tota pẽdebat hominũ vita, ideò Christ⁹ non cõtentus eam dixisse Petro, conuocat turbas: vt audiãt, & velut è suggestu leges fert: quas seruemus, si seruari volumus.

Siquis, inquit, vult venire post me. qui à doloribus inferni de-
Actor. 2. tineri non possum: qui Deus sum, cuius est vita, & qui est vita, has leges seruet.

Titum 2. Prima est: Abneget se. Explicatur à Paulo: Abnegantes impietatem, & secularia desideria. Est igitur abnegare se, facta
Rom. 8. carnis secundum spiritum, mortificare. Est, habere corpus mortuum propter peccatũ, viuum ad iustitiam. Quòd si non penetras audi: Vult homo se sui esse ducem, consiliarium, regem, Deum. Adhuc enim tinnit in auribus nostris illud: Eritis sicut dij. Igitur te, à te mouere: non viuere ad arbitrium
Genes. 3. tuum, ad leges tuas, sed Dei, id est, abnegare te. Idq; maximè conspicies, cum tui immemor fueris. Cum non dolueris, nec lætatus fueris, de tuæ volũtatis successu. Sed si doles, est quia sic te dolere vult Deus: sicque vult gaudere, si gaudes.

Habet hæc abnegatio gradus suos. Summus gradus est, nec operari, nec loqui, nec cogitare, nisi secundũ legem Dei. Imus gradus est, nec loqui, nec cogitare, nec efficere, quę sub mortali prohibita sunt. Medius est ad summũ contendere. Planè sumus serui: igitur viuendum est ad normas Domini, & multo id vehemẽtius si filij sum⁹: & id arbitror esse quod Dominus dicit: Qui non renuntiauerit omnibus, non potest esse meus discipulus. Omnibus scilicet quæ sunt contra legem.

Matth. 10. Lex secũda, *Tollat crucem suam*, Explicatur suprà, per illud:
Luc. 14. Qui non accipit Crucem suam. & item: Qui non baiulat Crucem suam, & sequitur me, nõ potest esse meus discipulus. Porrò non reliquit Christus indefinitũ, quãdo sit baiulanda
Lucæ 9. Crux. Nam apud Lucam iubet eam baiulari quotidie. Iubemur enim omni momento potius velle mori, & mori in
Deut. 6. Cruce, quàm lætaliter offendere Dominum. Id enim est, diligere Deum super omnia. Primũ ergo te negato: tum omne malum cupe tibi, prius quam mortale crimen admittas. Ita
Philip. 3. enim Christus cum esset Deus, exinaniuit, & velut negauit se & omne malũ tulit, quo tibi commodaret. Porrò non à te exigitur, vt Christi Crucem feras, non enim posses, sed vt tuã feras, iuberis. Cumq; enim Deus parauit Crucem, labores, tentationes,

tentationes, quas ferre sit potens. Fidelis enim Deus, qui nō permittet tētari supra vires, sed vt humeris Christi Crucē grandē imposuit, ita debilibus nostris debiliores imponet. 1. Cor.10.

Tertia lex: *Sequatur me*. Græcis ἀκολουθείτω μοι, id est, Sectator meus sit & perpetuus viæ meæ comes. Requiritur ergo à nobis illa familiaritas, confabulatio, & conuersatio: quā eiusdē viæ comites, habere solent. Quā quis præstare possit, nisi qui feruenter amet, non video ô igitur Christiani, quibus semel Christus placuit, contendite in eius amore feruere. quia sine charitatis feruore, quis negare se, quis ferre Crucem, quis perpetuus Christi poterit esse comes? Profectò ille te ita amat, vt comitem viæ se præstet: congerronem, & adiutorem: an non & tu, eius comes eris? Si viæ tuæ comes fuerit, omne bonum tibi socium esse puta. Propterea enim te mala premunt: quia Christo vitæ socio cares. At equidē sicut Iudæos præcessit, in columna nubis, & ignis: ita & multo maximè nobiscum esse cupit: vsque ad consummationem seculi. Vniuit enim se nostræ carni, in signum: quod nos sibi socios perpetuò habere vellet. Si igitur bonum fuit Deo nostræ carni adhærere: & ponere in nobis cor suum: cur nos nō ita contendimus Deo adhærere, & in eo cor nostrū ponere? Exod.13. Matth.28. Iob 7. Psal.72.

Num verò Domine has leges tuas, vt consilia proponis, an vt præcepta? Respondet:

Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam. Id est, Peribit qui non negauerit se, qui non tulerit Crucē, qui non me sectatus fuerit. Quiuis tamē in suo gradu. Neque enim æquè sectari iubetur laicus, vt monachus, vt Prælatus: est igitur Euangeliū paradoxa: qui se humiliat exaltatur. Qui se negat, cruci affigit, & perdit: is se inuenit, is se in cœlū sustollit, is se verè statuit. Planè paradoxa fuit verbum caro factum. Paradoxa sit, Caro se relinquens, in Deum transiens. Luc.18.

Quid enim prodest si vniuersum mundum lucreris, & animæ tuæ detrimētosus sis? Quo significatū est. ferè fieri non posse, vniuersum mundū, sine animæ detrimento lucrari. Qui enim volūt diuites fieri incidunt in laqueū diaboli, & in desideria multa, & nociua. Est enim cupiditas radix omniū malorum. quam quidā appetētes, errauerūt à fide. Spinæ enim sunt diuitiæ, quę pungunt, lacerant & cruentant animam nostram. Roga Cæsarē Iulium, Alexandrum illum: qui vniuersum mundū sibi subiugarunt, quid ex hoc lucro lucrati sunt? An non & animæ, & corporis necem? Ioan.1. 1. Tim.6. Luca 8.

Aut quam dabit homo cōmutationem (post mortē) *pro anima*
Daniel. 4. *sua?* Dum viuis, peccata eleemosynis redimuntur, commutamus lachrymas, contritionem, ieiunia pro anima nostra. Vel certè cōmutamus Sanguinem Christi, pro anima nostra. Ille
1. Petri 1. siquidem sanguis redēptio nostra est. At post mortē, non est
Psalm. 48. pretiū, non cōmutatio. Iam frater noster non redimit, non redimit Deus homo: ideo non dabimus ei placationē nostrā: quæ sola Christus est, sed laborandū erit in æternum: & mo-
Luc. 19. riendo, viuendū in finem. Hæc enim vita tēpus est negotiandi. Post vitam, recipiendum cuiq; iuxta opera.

Filius enim hominis vēturus est in gloria Patris. Venerat prius Filius Dei in abiectione hominū: veniet postea filius homi-
Epist. 1. Decret. nis in gloria Dei. Nota primū ex Igino papa, illud verbū, veniet: signum enim est diuinitatis, venit quippe non solùm à Patre, sed à se. Secundò, veniet in gloria Patris. Pater in sua gloria, omnia habet sibi subiecta, ita cùm venerit Christus,
1. Cor. 1. habebit sibi cuncta subiecta. Nunc enim non omnia subiecta sunt ei. Tertiò veniet in gloria Patris, & Angelorum: ipsum veniet stipatus tota curia cœlesti: & id est venire in gloria Patris, adoratus ab Angelis omnibus. Quartò, *Tunc reddet cui-*
Psalm. 33. *que*. Nunc enim reddit: siquidē nunc multæ sunt tribulatio-
Psal. 72. nes iustorū. Contra verò, impij pacē habent: & in labore hominū non sunt. Quintò, reddet cuique iuxta opera eius. Etiā
Rom. 5. pueris reddet, iuxta opera quæ gesserunt. Nam pueris nō baptizatis verò, iuxta merita Christi, quæ in baptismo illis applicata sunt. Sextò, nota. Reddet cuique, præmium scilicet essentiale, vel pœnam æternam. Sane nunc satisfacere potest vnū membrū, pro alio mēbro. Ideo potest Deus vni in purgatorio reddere, iuxta opus alterius. Sed post diem iudicii, cessant suffragia: & in die iudicij præmiū, vel pœna essentialis solum dantur ex cuiusque meritis, vt iam Lutherani ora concludant. Septimò expende: reddet cuique. Non dicit, Reddet animabus, sed cuiq; toti, & integro. Animabus enim defunctorū statim à morte, secundum earum opera reddit. Sed animabus cum corpore iunctis, præmia & pœnas differet, vsque ad iudiciū. Lapsus ergo in eare fuit (vt fertur) Ioa-
Matth. 10. nes 22. Quid quod etiam animabus, reddet honorem, aut confusionem, coram toto orbe, in die iudicij: Quod vsque in eum diem differetur. Octauò, nota: Non dixit, Reddet iuxta misericordiam suam: sed secundum opera, id est, ex operum condignitate. Dignus quippe cō præmio erit, qui se

negauit,

negauit, Christi Crucem tulit, Christique perpetuus comes fuit. Nonò intellige: quanta sit infinitas Sapientiæ & iustitiæ Christi: qui cuncta cunctorum mortalium opera, tam in parato, & procinctu cognoscat: tamq; omnium valorem nouerit & pretiũ. Quis nisi Deus id posset, vel nosse, vel taxare? Adeò enim iustè taxabit, vt nec impij de taxatione conqueri possint. Quare ô Christiani, quos terribilis ille dies manet: in quorum facultate est, vel premium, vel pœnam comparare, quid negligitis? quid cessatis? Currite vt comprehendatis. Vigilate, vt vos Iudex vigilantes inueniat: oleum in vasis sumite, ne vacui reijciamini. 1. Cor. 9. Luc. 12.

CAPVT XVII.

Et post dies sex assumpsit, &c.



HÆc transfiguratio aptari potest futuro regno Christi: & item præsenti. Agam de sensu priore.

Assumpsit tres discipulos in mõtem excelsum. Id est, in cœlũ. quod tam excelsum est: vt animus horreat, suspiciens intercapedinem à terra ad lunã: inde ad stellatum cœlum, inde ad Empyreum, vbi est beatorum locus. Mons ille mõs pinguis est: mons, in quo beneplacitũ est Domino habitare in eo. In quo habitabit in finem. Mõs decem millibus multiplex. Imò tot millibus frequẽs, quot dignum est tam nobilem, & spatiosum, locum habere, ne terra illa viuentium sine habitatore redigatur in solitudinem. Psalm. 67.

Ascendit in hunc montem Christus iuxta Lucam: vt oraret, id est, interpellaret pro nobis, videlicet Põtifex, qui non in manufacta sancta introiuit, exemplaria verborum, sed in ipsum cœlum: vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Sanè Pontifex Iudæus quotannis introibat in sancta sanctorum, id est, in exemplaria verorum, cum sanguine quem offerret pro peccatis: vt vultum Dei placaret. At Christus introiuit semel in sancta: æterna redemptione inuenta, vt oraret, & aduocatus esset pro nobis: non semel, sed semper. Nota tam excelsa esse dona Dei: vt necesse sit, Christum orare: vt nobis illa donentur. Et licet Christus iam mortuus fuerit, & patrem placauerit, tot tamen sunt peccata nostra, vt ferè impedimento Luca 9. Hebr. 9. Leuit. 16.

 sint,

ſint, ne flumen gratiarum, per Chriſtum comparatum, ad nos peruenire poſſit.

In montem adduxit Dominus tres. Nec enim vult ſolus in ſuo eſſe cœlo. Volo, inquit, Pater: vbi ſum ego, ſit & miniſter meus. Et itē: Ego diſpono vobis: ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, regnum. Siquidem ſine inuidia communicat bona ſua, & eorum honeſtatem non abſcondit. Tanta eſt charitas eius, qui totus charitas eſt.

Ioan. 12. *Luc. 22.* *Sapien. 7.* *1. Ioan. 4.*

Quòd autem tres ſecum in cœlum abducat, ſignificatur ſtatus Chriſtianitatis. Siquidem iuxta Auguſt. in tres claſſes diuiditur Eccleſia, ſcilicet in Rectores: qui ſunt clerici. Qui ſignificantur per illos laborantes in agro: ex quibus vnus aſſumetur, & vnus relinquetur. Et in plebes, ſcilicet coniugatos: qui ſignificantur per molentes in molendino. Et in cœlibes, id eſt, continentes, ſignificatos per eos qui ſunt in lecto. Hos ſignificabant Noë, Daniel, Iob. Noë ſiquidem regit arcā per aquas, vt Clerus. Iob in laboribus, vt coniugati. Daniel vir deſideriorum, vt cœlibes. Quid verò clarius potuit ſignificari per Petrum, Iacobum, & Ioannem, quàm hi tres Chriſtianorum ſtatus? Petrus cum ſuis, regit Eccleſiam. Iacobus in lucta eſt, & labore. Ioannes dedicatus, in lecto eſt pectoris Domini. Igitur aſſumens Dominus hos tres Apoſtolos, ſignificabat ſe aſſumpturum in cœlum illos tres ſtatus.

Pſal. 36. *Pſal. 99* *Matt. 24.* *Eodem.* *Ezec. 14.* *Daniel. 9.* *Ioan. 13.*

Rurſum, Petrus repræſentat Patrem mundi rectorem, Iacobus, Filium in labore cum dæmone luctantem. Ioannes, Spiritum ſanctum, pacis & quietis autorem. Aſſumit ergo Dominus eos Chriſtianos qui repræſentāt Patrem (quando ſe regunt) & Filium, (quando ſunt in laboribus plurimis) & Spiritum ſanctum, (quando charitatis dona conſeruant.) Dignus planè qui aſſumatur in cœlum, is qui Trinitatem repræſentat in terra.

2. Cor. 11.

Porrò myſterium eſt, quòd aſſumantur ſeorſum. Dū enim viuimus, corpus quod corrumpitur, mille miſerias animæ communicat. Mundus mille labores ſubire facit, dæmon mille excitat pugnas. At qui aſſumentur in cœlum, à malis omnibus liberi, & ab eis facti ſeorſum, aſſumuntur.

Aſſumuntur verò, & non ipſi eunt. Quia tota naturæ potentia huc pertingere non poteſt: vt homo aſcendat in cœlum. Nemo aſcendit in cœlum, niſi quem Deus (qui eſt aquila grandis) expanſis alis aſſumpſerit, & portauerit in

Ioan. 3. *Deut. 32.* *Luce 15.*

humeris

humeris suis: & nisi agnus fuerit quem pastor super humeros suos in cœlum portauerit.

Resplenduit facies eius vt sol. Interim quòd Christus vultui Dei assistit in cœlo pro nobis, (id est, dum in monte orat,) faciem habet fulgentem, vt sol. Ita enim facies Christi fulget in loco illo, vbi fons est luminis: sicut sol fulget in loco isto tenebrarum. Aduertisne quantus erit splendor ille Christi? Qui lucentes stellarum in cœlo globos, ita obscurat: sicut sol nobis obtenebrat stellas. Vt enim infinita est diuinitas Christi, ita infinita est gratia animæ suæ. Quare, & ferè infinita erit lux vultus eius. Iam igitur intelligis, quare nullus sol erit in illo cœlesti monte necessarius, vbi, scilicet adeò Christus refulget. D. Thom. 3. Parte.

Iam sicut Deus dicitur amictus lumine sicut vestimento, Apoc. 21.
ita Christus amictus est niueo candore: ideo dicitur, vestimenta habere albentia, vt nix. Videlicet ne credas immensam vim luminis in facie fulgentem, Christum cremare, non cremat: siquide niuis candor ibi potest consistere. Rursum, sicut nulli rei adeò natiuè adest candor, vt niui: ita nec niui ita adest, vt carni Christi. Psal. 103.

Et ecce apparuerunt illis Moses & Elias. Veniet Elias, in fine mundi conuersurus omnes nationes ad Christum. Venit Moses ferè in initio mundi conuertens Iudæos ad Deum, vt August. docet. 20. de Ciuit. cap. 29. Igitur Princeps Iudæorum, cum gente quam Deo quæsiuit: & Princeps conuertendorum cum gente fideli, non erunt à Christi gloria alieni. Sed quia ambo Christo militarunt, ambo in eius gloria videntur.

Magnum verò mysterium est, quòd Moses, & Elias loquuntur, de Christi morte. Nemo enim poterit in gloria esse, nisi de Christi morte loquutus. In fide enim saltem implicita sanguine Christi omnes seruãtur: qui cœlo fruuntur. Id enim erat quod omnis oblatio sanguine mundabatur, Hebr. 9.
quia sine sanguinis effusione nõ fit remissio. Ideo Gregorius dixit: Qui præcedebant & qui sequebantur omnes clamabant: Hosanna. Omnes enim ante, & post Christum, per fidem in eum, in Ierusalem cum Christo, conscendunt. Matth. 21.

Iam Petrus, Christi nomine vice dicit: *Bonum est nobis hic esse.* O verè quàm bonũ esse in cœlo? Ego, inquit, ostendam tibi omne bonum: quàm bonum ergo esse vbi ostenditur omne bonum, vbi torrente voluptatis anima potatur! Vbi Exod. 33. Psalm. 35.

licet bibere de fonte vitæ: & in lumine Dei, eius lumen vi-
Genes. 15. dere. Vbi ipsa Dei essentia est species, & imago sui. Vbi Deus
Psal. 30. est merces magna nimis. Vbi est magna multitudo dulcedi-
Sapien. 7. nis abscondita, his qui timent Deum. Vbi est thesaurus infi-
Ibidem. nitus seruatus hominibus. Vbi omnia bona veniēt cum illo
Isaiæ 5. vnico bono.

Quàm bonum est nos hîc esse: ô hîc. In cornu filio olei,
Psal. 143. vbi absterget Deus omnem lachrymam. Vbi mors vltra nō
Isaiæ 15. erit. Vbi nec luctus, neque clamor in plateis. Vbi facit Do-
Isaiæ 25. minus conuiuium pinguium, vindemię medullatorum, vin-
Matt. 25. demiæ defæcatæ. Vbi præcipitat Dominus faciem vinculi colligati super omnes populos. Hic, est domus Dei tēplum Dei, gaudium Dei, Deus ipse.

Nec vacat mysterio illud, *Esse*. Nos hîc esse: nō fuisse, non fore, sed esse. Quia iuxta Platonem, non proprie tribuitur
Exod. 33. Deo, quod fuit, vel erit: sed qui est: esse enim æternitatis est, ita & beatis æternitatis esse tribuitur.

Addit Petrus: *Faciamus siue figamus hîc tria tabernacula.* Quia nullum bonum plenum esse potest: nisi fixum sit, & stabile. Ideo Petrus curat de tabernaculorū stabilitate. Iam
Luc. 16. mansiones cœlestes dicuntur æterna tabernacula. vt illud: Facite vobis amicos, de mammona iniquitatis: qui vos recipiant in æterna tabernacula. Quęrit ergo stabilitatem tabernaculorum Petrus. Quærit etiam eorum ordinem, vt quisque mansionem agnoscat suam. Est enim pax tranquillitas ordinis. Cùm igitur in domo Patris, mansiones multæ sint, optat Petrus cuiuis pro dignitate, suam. Tum, maximè Petrus curat, & optat omnes admitti in regnum: siue Iudæos, siue Gentiles. Ideo dicit: Tibi cum Christianis vnum, Mosi cum Iudæis vnum, Eliæ cum gentibus, per eum conuertendis, vnum.

Adhuc loquente Petro, nubes lucida eos ambit, è qua vox Patris auditur. Nubes significat maiestatem & gloriam Patris:
1. Tim. 6. qua ambiuntur in cœlo Sancti: luce, scilicet, inaccessibili. Vt circundati se videant pelago dulcedinis, infinitate lucis, Dei Patris maiestate. In qua gloria, nihil aliud auditur, nisi: *Hic est Filius meus*. Cuius meritis gloria est Patri comparata gloria hominibus communicata: Cuius causa Deus habet homines filios: cuius causa Filij habent Deum patrem. Iubet ergo Pater omnes Sanctos in ea gloria, Filium intendere. Non solum, vt Deus est, sed etiam vt homo. Videntur ergo mihi hæc

Patris

Patris voce, omnes ſancti in Chriſtum intēti, vt redemptorem, ducem, paſtorem.

Tunc cadunt ſancti in facies ſuas. Vbi indicatur ſumma ad Chriſtum Sanctorum reuerentia, ſummus Chriſti fulgor, omniū oculos perſtringens: & indicatur, qui ſint ipſi Sancti, agnoſcunt enim ſe, ex peccato ad tantā gloriam ſubleuatos. ideo volunt abſcondere quod ipſi ſunt, vt in eis ſolum fulgeat quod Dei eſt. Neque poſſent ſancti illum Chriſti ſplendorem ſuſtinere, niſi tangeret eos IESVS. Igitur, vt qui in magna luce verſatur, dum tegit oculos, indicat & lucis magnitudinem, & oculorum imbecillitatem: ita illi ſancti cadentes in faciem, indicant infinitam ferè lucem, in Chriſto: & infinitam in ſe, ex ſe inſufficientiam ad eam ferendam. *Apoc. 4.*

Quòd verò præcipit Dominus, ne eam viſionem Sancti dicant: Indicat Sanctos (quę eſt eorum charitas) ad nos deſcenſuros, vt de ſuæ gloriæ magnitudine admonerent: niſi à Chriſto, quia id non expedit, vetarentur. Quia ſi Deo, de ſua gloria non credimus: neque ſi aliquis à mortuis reſurgat, credemus. *Luc. 16.*

Secunda explicatio quæ ſe offert, eſt de Eccleſia Chriſti. Nemo neſcit eam eſſe montem excelſum. Mons, ſuper terrena eleuatus. Excelſus, quia ordinis eſt Diuini. Cùm audis Eccleſiam, vitam Chriſtianam intellige. Quæ non ex ſanguinibus eſt, aut ex voluntate carnis, ſed ex Deo. Neq; caro & ſanguis eam inſtituerunt: ſed Pater. Montem excelſum eam eſſe iam vides. *Ioan. 1.* *Matt. 16.*

Aſſumuntur in hanc vitam Petrus, Iacobus, & Ioannes, id eſt, credentes per fidem, luctantes per ſpem, diligentes per charitatē. Petrus enim iuſtificatur, ex viua fide: Iacobus luctatur, ex æternorū ſpe: Ioānes diligit, ex ardenti charitate. *Rom. 1.* *1. Ioan. 3.*

Venit in huius montis cacumen Chriſtus: vt oret. Nemo enim ante Chriſtum ita orauit: nec ita Deum ſua oratione placauit. Nemo ita orare docuerat: nemo vim & robur prębuerat orationi. Igitur veniens Chriſtus oraturus in vitam Chriſtianam, & ſpiritualem: docuit munus vitæ Chriſtianæ eſſe orare. Oportet enim ſemper orare. Docuit præterea, per orationem veniendum eſſe, in transfigurationem, id eſt, in participationem ſeculi venturi: Docuit per oratione veniri in familiare colloquium cum Deo, & cum ſanctis æternæ beatitudinis. Et demum per orationem venire præſidium languentibus diſcipulis. *Luce 18.*

Orate

Orante verò Christo apparēt Moses & Elias: ille mansuetissimus: hic zelātissimus. Vt scias per orationem humiliare teipsum: & legem Domini zelari. Oratio est, quæ feritatem animæ mansuetam reddit: & eiusdem mansuetudinem in Dei zelum ferocire facit. Et ita in Christo maxime relucet
Matt. 11. mansuetudo ipso dicente: Discite à me quia mitis sum. Sed
Psalm. 68. in eodem est zelus. Zelus enim domus Dei comedit eum.

Secundùm Lucam euigilant de somno discipuli. Quia licet vita Christiana omnibus habentibus fidem, communis sit. Non tamen contingit Christum videre fulgentem, nisi ijs qui ex peccato, & tepiditate, ad vigilem & surrectam vitam traducuntur. At vita, aut in peccato, aut in torpore, non vita: sed vel mors, vel somnus dicenda est. Ita enim
Ephes. 5. Paulus: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.

Vigilantibus itaq; splendet Christi facies, vt sol. Et albent
Exod. 23. vestes: vt nix. Num clam est faciem Christi, quam Moses videre cupiebat, esse eius diuinitatem: sicut vestimenta sunt sacra verba, & opera: quæ in hac vita peregit. Dicitur enim
Apoc. 19. in Apocal. Byssinum esse iustificationes sanctorum, id est, vestis byssina Sanctorum, est bona opera eorum. Igitur sanctis vigilantibus diuinitas Christi splendet vt sol. Splendet quidem: quia illustriorem de ipsa notitia assequuntur, quàm cæteri non vigilantes. At quia notitia illa non est omnino clara, ideo non dicit faciem Christi esse solem, sed fulsisse sicut solem. Vestimenta Christi, eius, scilicet opera, & verba: his qui in vita Christiana vigilant, adeò albent: vt nihil in eis sordium, erroris, doli, aut peccati inueniant: imò
Isaiæ 64. nihil non diuinum & cœleste suspiciant. Nostra opera vt
Isaiæ 1. pannus menstruatæ rubescūt. Sanguine enim manus nostrę sunt pollutæ: sanguis siquidem ex peccatorum nostrorum vulnere manans animam nostram sordidat & cruentat. At
Matt. 27. in Christo omnia sunt sicut nix. Sanè in sua passione veste
Isaiæ 53. coccinea indutus est: quia sanguines nostros, id est, peccata
Isaiæ 1. nostra ipse portauit. Sed tantus est eius niueus candor: vt coccinum nostrum in albam lanam reddiderit. Ideo confi-
Joan. 8. denter dicit: quis ex vobis arguet me de peccato? & licet
Marc. 14. testes accessissent subornati, peccati notā ei inurere, nequiuerunt, & Pilatus non inuenit in eo causam: & Herodes alba
Lucæ 23. eum veste remittit. Rectè igitur vigilantibus apparent sicut nix: quæ liuidis hostium oculis, tenebrosa videri non potuerunt.

fuerunt. Fidelis igitur Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in operibus suis. Ideo ait: Siquis voluerit cognoscere de verbis meis, an ex Deo sint & fulgeant, faciat voluntem Patris mei. *Psal. 144.* *Ioan. 7.*

Tunc Petrus: *Bonum est nobis hic esse.* Clament igitur Prædicatores, quibus vigilare datum est: Bonum est in hac vita vigili esse: nulla alia vita lumen, dulcedinem, quietemque præstare potest, nisi hæc. Nulla enim vita testimonium perhibet quòd filij Dei sumus. In hac vita est fulgor, & notitia Dei. In hac est candor omnium vritutum, adeò bonum est nos hic esse, vt si gloria comparanda non esset, hæc vita cœlestis (vt sufficiens præmium) amplectenda esset. *Rom. 8.*

O si Prædicatoribus fulsisset in hac vita Christus, vt clamarent omnibus: Venite faciamus hic tria tabernacula, vbi Christus cum mãsuetudine Mosaica & Eliaco zelo habitare possit. Neque enim sine his Christus habitare alicubi vult. Sed quia parũ est homines admonere: vt tabernacula construant: ideo ad Dominũ clamare debuissent. Vt sicut Moses habuit tabernaculũ inter Iudæos, & Elias habiturus est inter infideles: ita & Christus tabernaculum sibi construere velit inter omnes. Faciamus tria tabernacula, id est, faciamus vt sint tria. Vnum fuit Moysi, alterum erit Eliæ. Sit ergo potissimum tibi.

Lucas addidit: Petrum hæc dixisse nescientem quid diceret: videlicet quia adhuc fides eius obscura est. Adhuc per fidem ambulamus, non per speciem, adhuc non videmus facie ad faciem, sed per speculum in ænigmate. Igitur nondum plenè scimus quæ dicimus. Alioqui, nihil aliud diceremus quàm: Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo. *1. Cor. 13.* *Psal. 141.*

At verò qui in vita spirituali vigilantes, Christum splendentem videre meruerunt: hi nonnunquam nube obumbrãtur lucida, id est, fauore quodam & præsidio cœlesti: Quo se Dei cura, & dilectione protectos ferè sentiũt. In qua protectione nihil aliud audiunt: quam, Hic est filius meus. O mortales, quid vagi & errãtes singuli singula habetis idola? cur quæritis vanitatem, & diligitis mendacium? Cur respicitis in vanitates, & insanias falsas? Hic est vester Deus. Hic est quem Pater vobis demonstrat: quem tota Philosophorum schola monstrare voluit, nec potuit. Hic est ille quem tot figuris & vmbris innuebat lex illa vetusta. Hic est quem *Psalm. 4.* *Psalm. 39.* *Psal. 18.*

totus

totus mundus enarrat. Ipsum ergo audite, secundumq; eius
Actor. 4. regulas & præcepta versamini. Siquidem non est aliud nomen datum sub cœlo, in quo oporteat nos saluos fieri.

Igitur sicubi animum Prędicatoris pulsauit de Christiana professione dubietas, contigeritq; hanc nubem, fauoremq; Dei in animo sentire: ilicò omnis fugatur dubitatio. Stat firmus, hunc esse credens Filium Dei dilectum. Et quia vox Patris dicentis: *Ipsum audite*, operatoria est & efficax: ideo in prædicatoris Christū iam (illustrius quam solebat) agnoscentis pectore, efficit quandam ad Christum reuerentiam:
Apoc. 2. & ad eius præcepta obedientiam, quam ipse sentire, non adeò facile exprimere potest. Efficit vox illa, vt verba Christi melius intelligantur, auidius audiantur, efficacius compleantur. Efficit, vt magis nos pudeat peccatorum, & negligentiæ nostræ: magisque terreat rigor, & iustitia Dei. Et ideo addit textus, Apostolos timuisse, & velut pudibundos, cecidisse
Rom. 4. in facies suas. Tunc ipse Christus tactu suo languentes roborat: vt enim emortuus Abraham iuxta naturam nouam secundùm Deum, accipiat potentiam, ad gignendum Isaac: ita Christus suos excitat, vt mortui secundum carnē, viuant secundùm Deum. Vt iam non in carne, sed in nouitate vitæ procedant.

Rom. 6. Iubentur tamen qui hunc Christi tactum, Patris vocem,
Tobiæ 12. eiusq; nubem senserunt: ne ista dicant. Sacramentum enim
Isaie 39. regis celare bonum est. Et Ezechias punitur, quia thesauros
Exod. 40. suos Babilonijs demonstrauit. Et demum sancta sanctorum
Luc. 1. voluit Deus esse velata. Ideoque Zacharias viso Angelo obmutescit: ne visa mysteria publico donet.

Et cùm venisset ad turbas. In hac historia tractatur curatio mirabilis, difficillimi morbi, id est, eius morbi, qui in vita Christiana maximus est. Quale est peccatum iam vetustum. Nulla plane difficilior curatio, quam eius, qui ab infantia
Ierem. 30. seculo seruiuit, & dæmoni. De hac enim veteri infirmitate
Ierem. 13. dicit Ieremias: Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua, curationum vtilitas non est tibi. Et item: quomodo potest Æthyops mutare pellem suam, & pardus varietates suas? quomodo vos potestis esse boni, cum sitis mali? Et item:
Ierem. 18. Dixerunt, Desperauimus, post cogitationes nostras ibimus.
Isaie 28. Et item: Pactum fecimus cum morte, &c. Igitur Christo
Psalm. 80. proponitur desperatus homo & dimissus iuxta desideria cordis sui.

Quàm ſit huius infirmi curatio difficilis indicatur: quia diſcipuli eum curare nequiuerunt. Et quia adductus coram Chriſto diſcerptus eſt, & eliſus: & relictus, vt mortuus. Et quia oratione, & ieiunio tantùm dicitur hæc plaga curabilis, quod nunquam de alio morbo dictum inuenitur. Aggrediar nunc textum, ſi prius admoneam parentes: quá cura & diligentia, inuigilare pro ſalute filiorum, debeant: videntes huius lunatici patrem, ita coram Chriſto genibus prouolui, precatorias manus extendere, lachrymis ſuffundi. Quòd ſi hæc præſtant patres carnis, quid deberent præſtare patres ſpiritus?

Huius patris filius erat lunaticus, inſaniã in diſſectionibus lunæ patiens. Itaque hominis ſenſus, & iudicium pendebat ex luna. Morbus hic dicitur comitialis & caducus, cadere faciens nunc in ignem, nunc in aquam.

Prima, Iam nunc audi: Fecit Deus duo luminaria magna, *Geneſ. 1.*
alterum vt præeſſet diei, in quo filij lucis ambularent: in quo *Rom. 13.*
exiret homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque *Pſal. 103.*
ad veſperam. Alterum vt præeſſet nocti: in qua pertranſi- *Eodem.*
rent omnes beſtiæ ſyluæ: qui enim ebrij ſunt & dormiunt, *1. Theſ. 5.*
nocte id patiuntur. Luminare maius ſequuntur Chriſtiani: *Rom. 13.*
nobis enim nox præceſſit, & dies appropinquauit: ideo vt filij lucis ambulemus. Lunam ſequebantur Iudæi vt qui am- *1. Eſd. 7.*
bulabant in vmbra, donec aſpiraret dies. Sectabantur enim *Cantic. 2.*
temporalia bona: quæ ſunt vmbra cœleſtium. At Chriſtiani ſectantes ſpiritualia bona, lunam non ſpectant: ideo lunatici non ſunt: ſolares enim ſunt: quibus, ſcilicet, facies Chriſti *Matt. 16.*
fulſit vt ſol. Qui verò Chriſtianus, relicto ſuo inſtituto, bona ſectatur temporalia: quique ab infantia nihil niſi temporale ſapit, is verè, lunaticus ab infantia eſt. Porrò quia ſapientia *Rom. 8.*
carnis Deo eſt inimica (legi enim Dei nõ eſt ſubiecta, neque enim poteſt) fit neceſſario: vt dæmoniaca ſit. Igitur qui lunaticus ab infantia eſt, dæmoniacus etiam ab infantia *Tit. 2.*
eſt. Ideo enim Paulus præcipit abnegare impietatem, & ſecularia deſideria. Et Ioannes: Nolite diligere mundum: *1. Ioan. 2.*
quia qui diligit mundum, Dei inimicus conſtituitur. Videbis hos, prudentes adeò: vt mundum regere videri poſſint. Sed interius ſpecta, lunaticos inuenies: qui ſuper re nihili, velut ſtulti, certant, oderunt, vindicantur, & mille alia. Legi apud Galenũ lib. 3 de diebus decretoriis: nutibus lunæ ſeculũ hoc inferius maxime regi. Quod in æſtibus maris, & in cerebris

infirmo-

infirmorum facilè probatur. Dux igitur seculi luna: reguntur que eius lumine lunatici, vt reguntur temporales sua carnali prudentia: non Christi, qui sol est.

Secundò, Quam verò cadant hi in ignes, & aquas: monstrant mercatores, coniicientes se in æstatis, & hyemis iniurias: & curiales, mergentes se in mille pericula. Quid bellatores? demum hi omnes, nunc amant, nunc odiunt, nunc merguntur in summos dolores: nũc in summas voluptates: nullibi scientes tenere modum. Contrà iusti, seu solares homines, non cadunt in aquas dolorum, nec in ignem voluptatum: sed sumunt ex eis quantum est sumere necesse.

Tertiò, Hos lunaticos dæmon allidit, id est, ossa con-
Psal. 36. fringit. Iam hic vides differentiam iusti, & iniusti: Iustus cùm ceciderit, non collidetur. Dominus enim supponit
Psalm. 33. manum suam, ne confringatur. Custodit enim Dominus omnia ossa eorum: vnum ex eis non conteretur. Caro po-
Ioan. 19. terit cruentari, sed ossa seruantur. Ideo enim latronibus cum Christo crucifixis ossa defracta sunt. At Christo, os non comminuetis ex eo. Iniustis ergo cadentibus, ossa con-
Iob 31. fringũtur, iuxta maledictionem Iob: brachium cum ossibus confringatur. Igitur diutina peccandi consuetudo rationem frangit, & habitus virtutum (qui sunt ossa) comminuit. Cùm igitur videris peccatorem, omni verecũdia, & pudore destitutum: & sine virtutis amissæ dolore in vitia ruentem: intellige totum eum esse carnem, & nihil ossium, id est, virtutum habere.

Quartò, Allisus lunaticus spumas ex ore respergit: quo nihil homini, vel fœdius, vel deformius contingere potest. Cùm videlicet, mali homines publicè, deformissima, & im-
Rom. 1. pudentissima dicunt, & faciunt: tunc spumant. Traditi enim sunt in reprobum sensum: vt faciant quæ non conueniunt,
Rom. 12 id est, vt faciant dedecorosa & pudenda. Contra iusti parant bona, & honesta: coram Deo, & hominibus. Nemini dantes
2. *Cor.* 8. vllam offensionem, ne vituperetur ministerium nostrum. Iusti enim sicubi labuntur, velut in occulto, egerũt stercora sua. At iniusti publicè, vt Cynici.

Quintò, Hic lunaticus arescit. Ficus illa, folia tantum ha-
Marci 11. bens, à Christo maledicta, à radicibus aruit. Et palmes foras
Ioan. 15. eiectus arescit: videlicet destitutus à succo: qui à radice di-
Isaiæ 53. manat. Id fit, cùm Christus (radix in terra sitienti) auxilia tribuit peccatori, sed debilia & infirma: quorum debilitate

incipit

incipit sui, cœli, Dei, & iusti, obliuisci: tunc arescere incipit, nam in inferno arescit omnino.

Sextò, Cæcus est hic lunaticus & surdus: vt qui verba Dei non audit, cùm non sit ex Deo, & qui lumen Dei non videat *Ioan. 8.* cum Tobia, & si videt radios malignioris lucis, id est, Lunæ, *Tobiæ 5.* & prudentiæ suæ videt: non Christi.

Iam Lector vides morbum desperatum: vides hominem, iacentem in grabato ab annis 38. O quàm essent admonendi *Ioan. 8.* parentes: vt filios suos docerēt, in his quę Dei sunt, ab infan- *Thren. 3.* tia esse. Bonum enim erit viro, si portauerit iugum Domini, ab infantia sua. Rectè sapiens præcipit pueris: vt mittant *Eccles. 6.* pedes, in compedes prudentiæ, & collum in torquem eius. Alioqui si ab infantia lunaticus homo est, Prædicatorum (nisi magnam fidem, ieiunium & orationem habentium) ministerio non sanatur, soliq; Christo eius curatio seruatur. Sed ideo speranda eius curatio est, si modo eius pater genu flectat, clamet, fleat.

Interim de horum prædicatorum incredulitate, quorum ieiuna virtute, lunaticus sanari nō potuit, grauissimè Dominus conqueritur, dicens: *Generatio praua quousque patiar vos?* quia videt prædicatorum culpa, morbos non sanari: & quia: cum maiori fide conueniret eos præditos esse, quàm vulgus: vulgarem tamen fidem non excederent. Inquit igitur, quousque mihi tam vulgaris fides? laboraui sustinens. *Isaiæ 1.*

Aduerte eum qui laborare nescit, quique totius mundi molem sustinet, imò qui orbem tribus digitis sustinet laborare se dicit, & pati non posse prædicatorum tepiditatem? quod si discipulos illos suos, annis vix tribus sustinet, viros alioqui bonos, & simplices: quomodo nos sustinebit tam iniquos, tamque annis multis? Sed ne nomen Domini traducatur, ipse subiungit.

Afferte lunaticum ad me. Spes vitæ ex tēpestate, clarescit: si Dominus nos ad se vocauit. Vide quid Petro profuerit à Do- *Luc. 22.* mino respici? Quid Virgini, cùm respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ? Quid Abeli, cùm respexit ad eum Do- *Lucæ 1.* minus, & ad munera eius. Quid demum humilibus, cum *Genes. 4.* orationem eorum respexit Deus? Vitam dat & calorem *Psal. 101.* solis aspectus: & oculus heri impinguat equum, & hortum suum stercorat. Afferte igitur illum ad me. Duo vult & quod alij afferant, & quòd ipse veniat. Propterea pauci sani, quia pauci afferunt: Afferte ad me quia non est in alio aliquo

Act. 4. ſalus. Afferte tenebras, lãguorem, mortem, infernum, ad me, id eſt, fontem omnium bonorum.

Allatus lunaticus coram Chriſto eliditur: & velut mortuus redditur. Vbi ſignificatur, ea cõcertatio & pugna, morti ſimillima: quæ tunc inter carnem & ſpiritum committitur: cùm hominem Deus conuertere vult. Deſcribitur eleganter hæc pugna, cùm dicitur: Circundederunt me dolores

Pſalm. 17. mortis, & pericula inferni inuenerunt me. Et apud Eſaiam:

Iſaia 2. Ingredietur ſciſſuras petrarum, & cauernas ſaxorum: à facie formidinis Domini. Quia cum vultu terribili increpat no-

Abac. 3. ſtra peccata: cùm aſpexit (inquit Abacuc) diſſoluit gentes, & contriti ſunt montes ſeculi, id eſt, vitia ab adoleſcentia firmata, ſicut montes firmati à ſeculo. Tunc confunditur ſuperbia noſtra: tunc eliditur animus, tunc timet, nec eſt foramen in quod abſcondi non cupiat, à facie formidinis Domini. Cadit igitur lunaticus vt mortuus præ timore, vt cum

Act. 9. Paulus coram Domino proponitur ex equo velut mortuus diſijcitur. Vt etiam Auguſt. de ſe refert. 9. lib. Confeſſ. Quid enim faciet miſer lunaticus, quem inferni minæ, aſpectus iudicis, & vox eius terribilis terrẽt. Luna, quam eatenus ſequutus fuerat, prouocat ne ſe deſerat: vitia ne antiquos comites deſpiciat. In hoc conflictu nonnunquam ſolet lunaticus ſuam antiquam velle miſeriam: idque ſpumare eſt. Sed redit ſtatim ad ſe, dolens crimina vitæ prioris hic conteritur: cuius contritionis ea eſt vis: vt lunaticum ferè mortuum reddat. Verè conteritur, comminuiturque hominis animus. Verè Deus tunc mortificat, & in puluerem deducit

1. Reg. 2. vt viuificet.

Sed attende verbum Domini: *Ego præcipio tibi ne iterum in eum introeas*. Igitur nemo ſanatur: niſi in quo propoſitum iterum non peccandi: nec admittendi amplius dæmonium inuenitur. Gratia enim Domini adeò eſt efficax, vt (ſi velit homo) poſſit in perpetuum dæmoni reſiſtere, intrare cupienti. Illo enim verbo, *Præcipio tibi, ne introeas iterum*, abſtulit Dominus diabolo vim rurſus intrandi, niſi ab intimo introducatur. Abſtulit igitur à dæmone vim cogendi: non abſtulit ab infirmo vim recipiendi. Ergo homo qui à peccato ſanatur, recipit gratiam, ne peccet, néue ſupra vires à dæmone tentetur.

Iam quòd turba credat lunaticum mortuum, ſignificat eam admirationem quà populus admiratur hominem in ...

in malis consenuerat, ad vitæ melioris spem reuocari. Vix enim credunt hunc esse, qui viuebat olim.

Tunc accesserunt discipuli, rogantes: Quare nos non potuimus? Vbi docentur prædicatores, cùm aliquid dedecoris acceperunt, ad Christum in orationis secreto, recurrere, dicentes: Quare dereliquisti me?

Respondet Dominus: *Propter incredulitatem vestram.* Quid? num Apostoli hæreseos insimulantur, vt increduli? Quid? num habitus fidei minui potest? Id enim constanter negant Theologi. Dominus Hieronymus, in dialogo contra Luciferianos: fidem accipit pro simplicitate, & deuotione: quæ planè minui potest. Sed capiendo fidem, vt communiter solet, ea minui nequit. Porrò vt miracula edat, non requiritur. vt formata charitate sit. Transferre enim montes, fides sine charitate potest ipso Paulo doctore. Requirit ergo, vt arbitror sibi gratiam sanitatum adiungi, aut operationem virtutum. Quæ sunt dona adiecta fidei: ideo per fidem fieri miracula dicuntur. Sed hæc explicent qui habent. Ego enim arbitror hos miraculorum factores, antequam illa faciant, concipere de Domino, certam persuasionem, Deum per eorum ministerium illa facturum. Quam persuasionem non habere, fortasse hîc vocatur incredulitas. Porrò peccata nonnunquam obstant, quo minus hæc habeatur persuasio.

Marc. 15.
1. Cor. 13.
1. Cor. 12.

Si enim habueritis fidem ita feruētem, & sursum ascendentem, vt granum sinapis: dicetis monti huic, &c. Mirabilem Dei bonitatem, quam sine inuidia etiam suæ potentiæ dona vilibus vermibus communicat? Dominus dixit, & facta sunt: concedit creaturæ, vt dicat, & faciat. Certè quia homo tunc instrumentum sit diuinitatis: sicut humanitas Christi erat instrumentum diuinarum operationum, Doctore enim Gregorio, & Domino Thoma, Sancti ex potestate miracula faciunt Sicut Iosue dicit soli: Sta, & stetit. & Petrus claudo, Surge, & surrexit. Ergo vt nihil est Deo impossibile: ita & nihil est impossibile credenti: vtpote Dei ministro. Dices: Num ergo si credam me montes aureos facturum, aut totum subactum orbem, fiet? minimè. Dicit enim textus nihil impossibile erit vobis, vobis scilicet spiritu fidei afflatis. Sicut illud: quicquid orantes petitis: ex spiritu orationis Christianæ: credite, & fiet vobis.

Psal. 148.
Iosue 10.
Actor. 4.
Luce 1.
Marci 11.

Hoc autem genus dæmoniorum in nullo exijt, nisi in ieiunio & oratione. Quæ verba cùm ad solos discipulos dicta sint, cum sensum habere videntur. Hoc genus dæmoniorum, non eijcietis, nisi ieiunantes, & orantes. Videlicet, quia genus morbi vetusti, & callo obducti, difficilimè curatur. Vt enim eo morbi genere languens totus est dæmonis: ita qui morbum curaturus est, totus sit Dei. Quod vix nisi ieiunio fit & oratione. Porrò conuersantibus discipulis in Galilæa iam tertio memoriam refricat de sua passione. Quia regnaturis est pati necesse.

Et cùm venisset Capharnaum. Lectorem præcatum cupio, ante expendat hæc nostra, quàm damnet. Cæsaris nomine, mundum: Cui imperat Cæsar, intelligo. Vt enim Christus suam Ecclesiam: ita Cæsar suum imperium repræsentat. Imò si Petrus pro Ecclesia sumitur sæpè: quid miraris, si Cæsar sumatur pro mundo. Imò forsan, cùm psalmus dicit: *Psalm. 2.* astiterunt reges terræ. Ibi reges, pro mundo intelligas. Alioqui tempore passionis, non astiterunt reges contra Christum.

Iam quæstio eximia proponitur Petro: An Christus mundo pendat tributa? Profectò mundus à nobis omnibus tributa exposcit: lachrymas, labores, languores, & demum vitam, Quia enim in mundo habitamus, quasi in domo conducta, locationis à nobis pretium requirit, non alio quàm vita contentus. Ideo cum exire iubemur de mundo, vitam mũdo relinquimus. Igitur Petre num magister tuus vitam, laboresque suos, mundo pendebit.

At Petrus etiam non pendebit: dixerat enim Petrus Christo mortem suam prædicenti: Absit à te, non ita erit. Petri *Matth. 16.* ergo sententia est: Christum non soluturum mũdo vitæ suæ pretium, id est, non moriturum. Sed ò Petre, nisi moriatur Magister tuus, scandalum mundo dabit. Cuius lex est, vt omnes moriantur, qui in mortali vixerunt mundo. Est enim statutum omnibus semel mori. Et quis Petre mortis vulnus *Hebr. 9.* firmus expectasset, nisi Christi morientis exemplum vidisset? Ideo Dominus Petro respondet, se soluere mundo velle: prius professus se nihil illi debere. Certè filius Dei est, cui mũdus totus se debet, ille verò mundo nihil. At quia in forma serui in mundum venit, ne mundo scandalum præberet, *Philip. 3.* vt seruus tributum mundo soluit. Sed non soluit, nisi quòd Petrus ex ore piscis detraxerit.

Meminc

Memineris Lector, Ionam incidisse in ventrem piscis: & inde ad vitam rediisse. Ita decidit Christus in mortem, sepulchrum, & infernum. Hic enim est piscis qui Christum deuorauit: sed detinere in suo ventre nequiuit. Euomuit enim ex ore suo Christum mors & infernus. Inde verò extraxit Petrus, id est, extractum ostendit. Primus enim qui Christi resurrectionem ex morte mõstrauit, fuit Petrus. Intrat enim Petrus sepulchrum, Christum quærens: quasi aperiens os piscis: vt inde staterem extraheret. *Ionæ 3.* *1. Limbl.* *Actor. 2.* *Ioan. 20.*

Petrus item pro concione, primus Christum à morte reuocatum, prædicat: cumque mundo soluit, in Christi gloriã, & Petri, (id est, Ecclesiæ) vtilitatem. Soluit mundo: quia vitam Christi per manus Petri, id est, Ecclesiæ mundus accipit. Soluit verò pro Christo, id est, exaltatione Christi: & pro se, id est, pro omnibus Christianis.

Primò, Relinquo tuæ disquistioni, cur vita Christi sit didrachma? quòd aliquanto apertius est. Erat enim vita eius, simul diuina & humana. Secundò, Rursum illud: Cur Christus non nisi per manus Petri soluit? & quidem, quia non vult mundo vitam suam tribuere, nisi per sacerdotales manus. Tertiò, Et illud ipsum didrachma offerentibus prodesse sacerdotibus: prodest enim tum ad spiritualem, tum ad temporalem commoditatem. Quartò, Tandem, vita Christi offertur pro Christo, ipse enim morte sua, suam meruit exaltationem.

Offert se mihi, huius historiæ altera explicatio: Exactoris nomine, cui tributum homines pendunt, diabolus intelligitur. De Christo enim dicitur: quòd sceptrũ huius exactoris, & virgam humeri eius separauerit: sicut in die Madiam. Hic ergo Cæsar & princeps mundi est, cui homines peccata pendunt. Adeò enim peccator est diabolus, vt nullum ab hominibus tributum nisi peccatorum velit. *Isaiæ 9.* *Ioan. 12.*

Iam Petrus interrogatur: & loco Petri omnes nos interrogamur, an Christus peccati tributum dæmoni soluerit? id est, an peccatum fecerit? Petrus respondet: peccatum non fecit, neque dolus est in ore eius inuentus: nullum ergo tributum dæmoni pendet. Id Dominus confirmat, dicens se esse filium regis. Sane omnes creaturæ aliquid de non esse, & de nihilo habent. & ideo corrumpi & mori possunt. & homo secundum animam peccare. Solus Deus est qui cum nihil, de nihilo habeat: nihil etiã habet de defectu, aut de peccato. *1. Petri 2.*

Ideo ipse confidēter dicere potest: quis ex vobis arguet me
Ioan. 8. de peccato. Siquidem eius diuinitas erat impeccabilis. Porrò in humanitate, tota plenitudo diuinitatis inhabitat cor-
Coloss. 2. poraliter. Idcirco impossibile est eum peccare. Quare & impossibile est, ipsum diabolo censum peccati pendere. Vnde ipse dicit, venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam, id est, nihil illi peccati debeo.

Ioan. 14. At verò licet peccati censum ipse non debeat: si tamē non soluerit, væh miseris nobis. Si tributum non soluerit, nec Pater sua promissa verificat: nec prophetarū vaticinia complentur: nec Patriarcharum votis fit satis: nec totius humanitatis necessitati succurritur. Meritò igitur Dominus dicit: Ne scandalum hominibus sim, soluere volo. Imò si non solueris Domine: non tua, sed nostra peccata, cœli manebunt conclusi: angelorum ruinæ desolatæ: tui labores sine mercede: tuus Pater sine decore, nostra miseria sine remedio, eris igitur scandalum cœlis, angelis, Deo, & mundo.

Soluere igitur vult Dominus, sed efficaciter non soluit: nisi peccata à Petro in ore piscis inuēta. Piscis à Petro, extractus ab aquis, est Ecclesia fidelium. Licet enim fideles multi
Actor. 5. sint: vna tamen fides, vnumq; cor, vnum eos piscem constituit. Pisces verò dicuntur fideles, quia ex aquis huius mundi abducti, Christo in obsonium præparātur: vt supra exposui-
Ioan. vlt. mus. Porrò peccata, quę Petrus in piscis ore reperijt, ea sunt: quæ Christiani, oris sui apertione, confitentur. Et hæc sunt quę Christus soluit. At licet ore tuo peccata fatearis, nisi Petrus, id est, sacerdos, ea à te extrahat, illa non soluit. Demum soluit ea peccata Christus, quę Petrus extraxit pro se, & pro Petro. Pro se, quia ex sua nimia charitate nostra peccata, sua esse dicebat: vt in Psalm. 21. Lōgè à salute mea, verba delictorum meorum. Pro Petro verò, id est, pro Ecclesia, quia peccata nostra ipse pertulit in corpore suo.

Igitur Christiane sacerdos, cùm videris peccatorē qui ad te sua confessurus peccata humilis accedit, intellige: te piscē ab aquis extrahere, eius ora laxare, eius peccata recipere quæ Christus Deo soluat, in gloriam suam, & meritū tuum.

Duo mihi hic sunt adnotanda. Primum est: Posse reges tributum sub pœna peccati mortalis à suis subditis exigere. Possuntque etiam de regis licentia, reliqui populi duces. Dixi de regis licentia, quia solus Papa, cōcilium, imperator, Rex, aut libera ciuitas ius habet exigendi tributa: Vt habetur cap.

cap. super quibusdam, de verb. significationibus. Quòd Duces aut Marchiones tributa exigant, id licebit tunc fieri: quum eam acceperunt à rege facultatem, quam rex ipse possidebat. Dixi, posse reges exigere tributa, sub pœna culpæ mortalis. Quia Apostolus dicit: Necessitati subditi estote: nō solū propter iram, sed etiam propter conscientiā. Ideo enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes Reddite ergo omnibus debita. Et hoc loco, solos eos visus est Dominus à vectigalibus exemisse, qui Regum essent filij. *Rom. 13.*

Sed rogas, num possunt Reges à clericis vectigalia petere? Respondebit tibi Papa, in cap. quanquam de censibus, lib. sexto. Ecclesias & Ecclesiasticas personas, ipsarumq; res, non solo humano, sed & diuino iure, à secularum personarum exactionibus immunes. Quòd si requiris vbínam sit ius hoc diuinum. Respondet eiusdem cap. Glosator, ius illud inde manare: quod Ioseph omnem Ægyptum Pharaoni subiecit, *Gen. 47.* excepta terra sacerdotum. Ex ex illo, quòd Esdras liberos *1. Esdræ 7.* facit sacerdotes. Volunt tamen Canonum leges, tributa à clericis negotiatoribus extorqueri: in his maximè rebus, quas ipsi negotiandi causa comportant. Vt cap. vlt. de vita & honestate clericorum, sancitur.

Ex hoc Christi ad Petrum mandato, habetur ni fallor, licitum esse clericis piscari. Dicitur enim Petro, vt piscem piscetur. Videtur etiam colligi, maris opes, eius esse qui primus eas inuenerit. Sicut Petri fuit stater in ore piscis inuentus. Quòd Cæsar agnouit Institut. de rerum diuisione. §. item lapilli.

CAPVT XVIII.

In illa hora accesserunt ad eum, &c.



NESCIO, vnde ambitionis pestis in mũdum irrepserit. Hæc in paradiso nostros parẽtes perdidit: in cœlo Angelos decepit, in regno cœlorum Apostolos cõtaminauit. Apostolos videlicet, pauperes, Genes. 3. rudes, piscatores: & hi etiam maiores in Isaiæ 14. regno Dei esse volũt. Adã vult esse sicut Deus, Lucifer sedem in Aquilone figere desiderat: nemo est, Philip. 3. qui non ambiat esse sicut Deus: adeo creaturæ commutarent, adeoq; hanc rapinã, arbitrantur, vt Deus esse velint. Christus Sapien. 10 igitur videns superbiam esse occasionem, initium, & fomitem omnis peccati: respondet. Primum in genere, mox in speciali quid facturi sint, qui dominatum desiderant.

Dicit ergo: *Nisi conuersi efficiamini sicut paruuli*. Statim se profert admiratio cur non dixit: nisi conuersi diligatis, aut pœnitentiam agatis? Primum, cum nemo sit qui non peccet: qui vere & perfecte de peccato dolet, quique perfectè peccatum suum agnoscit, hic adeò se deiicit: vt nullus adeò Concil. Trident. sub. Pau. 3. Sess. 6. cap. 5. 6. paruulus sit. Age igitur. Primum quod in vita Christiana agitur est, quòd manus Domini tangat peccatorem. Tunc illuminatur, & se peccasse cognoscit: se seruum esse peccati, se captiuum esse diaboli, se damnatum in infernum, se læsisse maiestatem: se cœlo, terra, & omni beneficio indignum: se omnium creaturarum odio dignum. Vides ne humilem: qui omnibus se bonis indignum videat. Rectè ergo Dominus, *Nisi conuersi* à peccato, *efficiamini vt paruuli*.

1. Tim. 1. Adde & illud: Vt est fides ficta, ita est & charitas ficta. Paulus enim admonet, finem precepti esse charitatem, de corde 2. Cor. 6. puro, conscientia bona, fide non ficta: est igitur fides ficta. Rursum est charitas ficta, eodem Paulo teste qui dicit: exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros, in multa patientia: & infrà. In charitate non ficta. Vult igitur Dominus explicare, quando fides & charitas erunt non fictæ. Quod tunc fiet, cùm nos velut paruulos esse erunt. Igitur meritissimè dixit: Nisi conuersi, fitis sicut paruuli. Ac si diceret: Nisi conuersi habeatis fidem, & charitatem non fictam.

Primò, Nunc aduerte Lector: Hoc loco, voluit Christus instituere

instituere eum qui in Ecclesia præesse velit. Prima vero institutio est. Vt conuersus efficiatur, vt paruulus. Quasi diceret: Regula prima à Prælato seruanda est, vt fidem & dilectionem habeat non fictam, ita vt qua paruulus sit. Hæc enim veritas firma stat. Qui est in peccato mortali, iure diuino est inhabilis Ecclesiasticæ prælationi. Licet si prælatus sit, suo malo sit. Vt recte Caietanus admonuit, 2 2 q.185. artic.2.

Secundo, Huic veritati alteram Dominus subiungit: *Qui humiliauerit se* (inquit) *sicut paruulus, hic maior esse potest in Ecclesia Dei.* In priore veritate dixerat. *Nisi conuersi* (scilicet à Deo) *efficiamini* (etiam a Deo) *sicut paruuli*, non estis habiles prælationi. Nunc in posteriore, opus nostrum requirit: ideo addit: Postquam Deus vos conuerterit, & per veram fidē, & charitatem veram, paruulos effecerit, necesse est, vt quiuis vestrum humiliet se, sub potenti manu Dei. Illa prior humi-
liatio requiritur vt in gratia sitis: hæc posterior, vt in prælatione. Vis ergo maior esse, en tibi via. Conuertere ad Domi- 1. Petri 5.
num, & humilia te in omnibus: memor Domini, qui cum in Eccles. 3.
forma Dei esset, exinaniuit se. Et memor Petri qui ante Ponti- Philip. 3.
ficatum fleuit amare: & memor Pauli, ex equo in terrā pro- Luc. 22.
strati: vt præeminere posset. Profecto præesse, donum Dei Actor. 9.
est. Vt ad Rom.12. & ad Ephes.4. docet Apostolus. Hoc igitur donum prælationis secundū Deum, Deus dat humili, ei scilicet qui paruulus est effectus. Ars autem est regimen animarum. hanc artem non habet, nisi humilis, & tremens sermones Dei. Id est, plene non habet: nisi is in quo efficaciter quiescit Deus. Moses non audebat regere Iudæos carnales, nisi prius intraret tabernaculū Dei: vbi audiret, quæ doceret. Exod. 33.
Quid ego audeo regere Christianos spirituales, non excipiens à Deo quod populo tradam?

Tertio, *Qui susceperit paruulum in nomine meo, me suscipit.* Hæc tertia Prælati regula est: videlicet Prælatus ea sit in Christum charitate, reuerentia, teneritudine: vt pauperem subditum cùm viderit, Christum se videre putet: & cum pauperem susceperit, Christum suscepisse videatur. Vbi Christi sapientiam attende. Qua te precor, potuisset meliore ratione prælatos admonere, quàm hisce verbis iam dictis? quasi diceret: Si mihi beneficia libenter daretis: his date & mihi reddidistis. Et si de præmio cogitatis, ego qui beneficium recepi, ego persoluam. Et nota vim vocabuli: *Qui susceperit.* Quod in sacris Literis est, beneficio & amore suscipere. Vt ibi: Salus tua Psal. 68.

Deus suscepit me. & item: Suscepit Israëlem puerum suum,
Lucæ 1. &c. Quam verò cautè dixit: *Qui susceperit in nomine meo.* Profecto prælati nostri, facile suscipiunt multos, in quos suas prodigant opes: sed suscipiunt consanguineos, scurras, famulos: non hos recipiunt in nomine, amore & affectu Christi. Sed nomine terreno, ideo à terra mercedem accipient.

Quartò: *Qui autem scandalizauerit vnum ex his, &c.* Mirari hic non desino Christi prudentiam. Nouerat quam facilè, qui Prælati sunt, vitia admittant grauiora. Nouerat maiorum vitam minoribus exemplo esse. Nouerat, minores, in maiores oculos habere coniectos: & quicquid peccent, maiorum exemplo excusare. Ideo dicit: *Qui pusillum scandalizauerit, conuenit, vt suspēsa ad eius collum, asinaria mola, mergatur in profundum.* Vbi multa mihi notanda se offerunt.

Primum illud: Sancti pontifices, qui verbo & exemplo homines ad Deum adduxerunt: habebūt in cœlo aureolam, vel lauream. Quæ erit intus in corde specialis quædam lætitia: & exterius in corpore signum triumphi & perfectionis. Contrà, mali Pontifices, qui pusillos verbo, vel exēplo scandalizauerunt, habebunt pressuram, & angustiam in corde: & signum fortè quoddam exterius in corpore: quo erubescant & confundantur. Hoc significauit Dominus, cùm dicit: *Expedit*, vel iustum est, vt qui scandalizarit pusillos, molam collo habeat appensam. Vt intelligas, idem tormentum malum pontificem habiturum in inferno: quod habet is qui collo molam habet ligatam. Tu nunc cogita, quantum sit doloris, & angustiæ molam super pectus habere: eamque angustiam malum pontificem habiturum existima.

Iam sponsa in Canticis à sponso admonetur his verbis:
Cantic. 8. Pone me, vt signaculum super cor tuum, & super brachium tuum. Videlicet, vt nūquam à sponsæ corde, & opere sponsi memoria discederet: Ita malus prælatus iubetur, collo molam habere ligatam: vt nunquam eius doloris anxietas ab eius memoria diuellatur. Sed potius id cogatur cogitare, abhorrere, dolere.

Solent etiam nobiles viri, torques habere collo connexas: in nobilitatis insigne. Erit igitur torques mali Pontificis, asinaria mola, in sui pudoris, & confusionis documentum. Itaq; sicut qui suspecti sunt hæresis, probroso notātur habitu. (quē *Sam Benito* vocāt) ita & mali pōtificis probrosū habitum

bitum in inferno sunt habituri, scilicet, asinariam molam. En tibi pontifex quæ tua est tiara, qui annulus, qui baculus.

Quam verò quadranter asinaria mola dicitur, tormentum illud & desperatio, quam est malus pontifex habiturus? Sanè quia cum prælatus malus, esset in honore, non intellexit: ideo iumēto, & asino similis factus est. Asinus, scilicet, nulli alio, quàm verberibus idoneus: asinus nulli vsui habilis, quā importabili molæ ferendæ. Ille, Doctoris locum iniquus inuasit, ideo asini molā patitur. Vide rerum vicissitudinem: Doctor asinus factus, Samson ad Philisthæorum molam coactus. Quòd verò additur, vt ligata ad collum mola, mergatur in profundum maris: facilè intelliges, si in memoriam reuoces: sanctos pontifices super omnia bona Dei constituendos. Amen (inquit) super omnia bona sua constituet eum. Ita malus pontifex, infra omnia mala demergitur, demergitur ergo in profundum maris, id est, in profundum malorum. O miseram mali pontificis sortem: cui sat non est mola tam graui, grauissime premi: sed vltra, in profundum malorum miserrimè torqueri. Quis igitur in regno Ecclesiæ maior esse cupiat? *Psalm. 48.* *Iudic. 16.* *Matt. 24.*

Væh mundo à scandalis. Arbitror verbum hoc, ex intimo pectore Dominum hausisse. Sciebat enim plus mala exempla maiorum valere, ad corrumpēdum populū: quam valuerint sacra verba, sacra Christi & Sanctorū exempla ad eum conseruandū. ô væh, plus potest diabolus his armis, quā possint sanctissimi viri. ô quantū corrupit Ieroboā, quantū Arrius, quantum Lutherus, breui hi tempore diruerunt, quæ tam lōgo anteà tēpore Sancti ædificarunt. ô quàm verè Christus clamat: Attendite à falsis prophetis. Dicit in Polit. Aristoteles: Homo est animal imitās: sed nunquā ita imitatur, quam cum ei imago proponitur, autoritate fulgēs superioris. Væh igitur mūdo à scandalis, id est, prauis exemplis Prælatorum. Necesse siquidē est, vt veniant scādala. Necesse est videlicet, si Dominus communem naturæ cursum seruare voluerit: si arbitrij nostri libertatem non frænat: si eligendorū, & eligentium ad Prælationes, ambitionē nō amputat. Necesse est igitur scādala venire. Tāta est mūdi in quo sumus corruptio. tanta est rationis quæ nos regit cæcitas. tāta est viatorum in quē scandalū venit. Sed væh homini Prælato per quē scandalū venit. vt enim Paulo & Augustino & alijs Doctoribus continua crescit in cœlo gloria, ex his qui per eorū *Matth. 7.*

scripta

scripta proficiũt ita & Machumeto, Luthero, Arrio, cõtinuè crescet in inferno pœna, ex his qui per eorũ exẽpla peruertuntur. Quocirca Christiani gregis pastores: si pro naturæ
Psal. 4. imbecillitate peccandũ vobis vsquam erit, peccate: sed oc-
1. Reg. 24 cultè. Irascimini, sed in cubilibus vestris. Egessit Saul stercora
Genes. 19. sua, sed in specu. Peccauit Adã, sed latuit. Inebriat⁹ est Loth,
Genes. 9. sed in spelunca. Nudatus est Noë, sed in tabernaculo suo. Ne
Ioan. 11. igitur vobis sit frons meretricis, vt nolitis erubescere. Mor-
Genes. 18. tuum Lazarum sub lapide sepelite, ne fœteat. Quod si fœtor
Gen. 19. vester, ad cœlum ascenderit, expectate eum ignem, & sulphuream pluuiam: quam Sodomæi pro meritis passi sunt.

Sed si (vt vsu venire videmus,) miser Prælatus scandalo est gregi suo, admonet Dominus gregẽ: vt etiam si Prælatus sit nobis vice pedis, manus, & oculi, eum abijciamus. Solent enim diuites Prælati opibus Ecclesiæ manus esse, & pedes, his quos ad peccandum pertrahere concupiscunt. Interim his verbis Dominus Prælatum officij sui admonet, vt ocu-
Iob 29. lus, manus, pesq́; suo sit gregi. Id quod de se testatus est Iob, dicens: Oculus fui cæco, pes claudo.

Quintò: *Videte ne contemnatis vnum ex his: Angeli enim eorum in cœlis, semper vident faciẽ Patris.* Hæc est quinta admonitio, quá Prælati opibus fulgentes, autoritate maiores, admonentur attente, ne paruulos contemnant. Rationem addit Dominus: quia pusilli custodiuntur ab Angelis qui sunt in cœlis, quiq́; vident faciẽ Patris. Vbi singula expende: Angeli sunt nostri custodes. Quo verò Angeli sunt, tota natura cor-
Iob 41. porali sunt superiores: toto sunt mundo maiores. Si enim non est potestas super terrã, quæ diabolo comparetur: quid arbitraris de Angelorum potestate? Vide quantus sit Angelus: ipse est qui cœlestem machinã sufficit per secula rotare.

Addit Dominus hos Angelos esse in cœlis: vt si summa dignitas est Angelum esse, ex sua natura: maior conciliatur ex loco, vbi sunt: quantò enim cœlum quàm terra dignius est, tãto dignior est, qui habitat in cœlo, quàm omnes prin-
Matt. 11. cipes terræ. Nec enim immeritò maior est, qui minor est in regno cœlorum, quàm qui maior est inter natos mulierum: quid enim tam pulchrum in terra est, quod vni stellæ cœli comparare queat?

Addit tertio: *Semper vident faciem Patris.* Vbi scito tãtam esse dignitatem faciem Patris videre: vt si formica eam videret, (si posset) multo esset maior, quàm omnes Angeli. Si est non

non viderēt. Nulla est vel in terra, vel in cœlo dignitas, quæ huic æquari possit. ô igitur Prælati: videte ne contemnatis eos, quos summæ dignitatis, ex natura, ex cœlo, ex gloria, custodes seruant, & fouent. Si vos auro fulgetis & opibus, multo splēdidiores paruuli habent Episcopos, & Prælatos, nō Prælatos modò, sed custodes, pædagogos, & ministros. *Hebr. 1.*

Quòd si tantorum custodū fulgor non perstringit oculos vestros: vt pensi apud vos habeantur vestri subiecti: terreat vos certè, quòd filius hominis, id est, qui totus dicatus est hominū obsequiis, venit vestros seruare subiectos: Reliquit hic Filius hominis, suas 99. oues in deserto: vt hanc ouem vobis commissam, propria negligentia perditā, restitueret. Laborauit quærens, sudauit, ieiunauit, tandem morte sua, vitam oui tribuere voluit.

Gaudetque plus super oue restaurata, quàm super nonaginta nouem ouibus, id est, super nouē choris Angelorum, qui nō peccauerūt. Certè si ouis perdita est natura humana, quam Filius Dei reparauit: quis non videt magis Deū super ea, quàm super omnibus Angelis gaudere? Siquidē ex ea est Christus caput omniū Angelorum: & ex ea est Virgo, exaltata super choros Angelorum: & ex ea sunt Apostoli, si non maiores omnibus Angelis, certè non multò minores. *Lucæ 15.* *Coloss. 1.*

Rursum, quia fideles sunt mēbra corporis Christi, & sunt velut quidam Christus, magis gaudet Deus super eis, quatenus in eis cōspicitur Christus, quàm super Angelis, si solum in eis sua nobilis natura spectetur. **Video Angelos habere** gratiam, & gloriam: sed hanc gratiam & gloriam a Christo recipiūt: qui est hominum caput & Angelorum. At propter homines, Christus homo est. Gaudet igitur Pater super homine, qui origo fuit & ratio, cur fuerit Deus homo. Iam si lætabitur Dominus in operibus suis, magis lætabitur in maiore opere suo. Maximū verò Dei opus fuit homo redēptus. Siquidem verbo cōdidit Angelos: sed non nisi suo sanguine reparauit homines. Num super humeros suos Pastor tulit Angelos? Num consedere eos fecit in cœlestibus? Num honorabile est nomē Angelorum coram illo? Ergo sciat Christianus, iis se oculis à Deo conspici, quibus ab eo cōspicitur Christus: & illo Pater suscipiens prodigū filiū, ruit in eius amplexus & oscula, eum vestit stola prima, vitulum saginatum occidit quē seniori filio non fecerat. Demū magis gaudet Christus in homine, quàm in Angelis: quia in homine *Psal. 103.* *Lucæ 15.* *Ephes. 2.* *Psalm. 74.* *Lucæ 15.*

potea-

potentiam, Sapientiam, patientiam, & cunctas opes suas Christus monstrauit, & copiosè effudit, quas non ita manifestàrat in Angelis. Cur igitur contemnat Prelatus terrenus, quem ita amauit, & honorauit Prælatus æternus?

Sed profectò suo exemplo, Christus docuit Prælatos nostros, quomodo suas oues pascere debeant. Primùm, si quæ errauerit ouis, alijs relictis eam quærat: suas interim deserat voluptates, arripiat laborem & iter, vt errantem in caulas reducat. Iam apertum est, quam suas oues habere debeat in numerato: vt errantem statim norit. Ideo enim Dominus

Ioan. 10. dicit: Bonus pastor proprias oues vocat nominatim. quasi dicat: eas omnes de nomine cognoscit. Quo infertur vni Pastori non infinitas oues esse committendas: vt paucarum citius possit inire rationem.

Tertiò dicit Dominus: *Si contingat ouem perditam inuenire:* quia aliquando continget non inuenire. Neq; enim Christo contigit Iudam inuenire. Neque ipse Iudas voluit inueniri. Non igitur animum despondeat pastor, sicubi penitus amiserit ouem, requiritur pastor diligens quærendo: non requiritur fœlix inueniendo.

Quartò: Si contigerit ouem inuenire, plus gaudeat Prælatus oue reperta: quàm super ouibus non amissis. Reperta enim est fructus manuum, orationum, & lachrymarum Prelati: reliquæ non item.

Quod verò addit: *Sic non est voluntas Patris, vt pereat vnus ex his*. Docet, quis sit scopus Prælati: scilicet ne pereat vnus ex sibi commissis: propter quem Deus homo factus est. Cui se dedit in socium, cibum, pretium, præmium.

Grauissima se hic offerebat difficultas, quomodo Pater

Rom 9. neminem vult perire: cùm dictum sit. Cuius vult miseretur,

Eodem. & quem vult indurat. Et item: Volens Deus ostēdere iram, & notam facere potentiā suam, sustinuit in multa patientia, vasa iræ aptata in interitum. Igitur vult perire aliquem: vt in eo suam iram, & potentiam ostendat. quomodo ergo dicit: Neminem vult perire? Scio quantum chartarū in hac quæstione insumant Theologi. Sed primum facile dictu esset sic

1. Tim. 2. debere intelligi, Deum neminem velle perire: sicut Deum velle omnes saluos facere: & ad agnitionē veritatis venire, id est: Deus contulit omnia sacramenta, doctrinam, auxilia, & reliqua necessaria: vt quiuis saluus esse possit, si velit. Secundò & profundius dicendum est: Deum neminem velle perire,

perire, id est, Deum neminem velle peccare. Peccatum enim est vera perditio animæ nostræ, & hoc est, quod Deus non vult, dicente Dauid: Mane astabo tibi, & videbo: quia non Deus volens iniquitatem tu es. Dicente etiam Ecclesiastico: Nemini mãdauit impiè agere, & nemini dedit spatium peccandi. Non enim concupiscit multitudinem filiorũ infidelium & inutilium. Porrò, quia infernus est connexus morti peccati, est enim mors secunda, primã comprehendens: ideo nec in infernum perire aliquem vellet Deus. Tertiò, & tenerius dicendum erit, Dei primam voluntatẽ & institutionem non esse: vt quispiam moriatur & pereat. Sapiẽtia teste, quæ dicit: Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Impij autẽ manibus & verbis accersierunt illã. Non est igitur pijssimi Domini voluntas, vt quispiam moriatur, sed si quis moritur & peccat, cogit Deum, vt præter suum institutũ puniat, cum qui non nisi infernum voluit. Vindicta enim est opus alienum, & peregrinum à Deo.

Psalm. 5. Eccles. 18. Sapien. 1. Isaiæ 28.

Si autem peccauerit in te, &c. Graue nimis videtur præceptũ de correctione fraterna. Sed equidẽ, qui diligit Deum & proximũ (vt par est,) id vt facilè æstimabit. Qui enim verè Deũ diligit, eius gloriam & regnum extendi desiderat. quocirca, si frater in peccatũ lapsus est: totis viribus è tam profundo pelago extrahere contendet. Vt sic regnũ augeat Dei. Vt sic regnum minuat diaboli: Vt sic auferat Satanæ sedem, & inueniat locum Domino, & tabernaculum Deo Iacob. Iam si fratrem verè diligit, cum à peccato, id est, à veneno, peste, gladio, & morte liberare non cessabit. Igitur vires præcepti de fratris correctione in Dei proximiq; amore figũtur. Quòd si iubemur cibũ, potum, vestẽ proximo indigẽti porrigere: quantò potius iubebimur eũ à peccato (si possumus) liberare? Liberando enim à peccatis, planè vestimus, cibamus, medemur, & omnia indigenti præstamus. Certè si charitas non quærit quæ sua sunt: facilè oblita sui, commoda proximi quæret. Demum Christus Dei Sapientia, hoc præcipiens, non potuit non cordatissimè præcipere. In cuius signum ipse læsus, & offensus, venit nos correcturus. Imò verò quotidie nos in nostræ conscientiæ secreto, nostri admonet peccati. Quòd si non corrigimur, permittit secretã culpam in lucẽ proferri: velut afferens testes: vt nos corrigat. Tum ad iudiciũ confessionis & Ecclesiæ pertrahit. ò vtinã ita pertractos, & incor-

Psal. 131. 1. Cor. 13.

rectos non relinquat, vt Ethnicos. Non relinquet tamen pro sua beneficentia.

Sed ad textũ. Primò: *Si peccauerit in te.* Videtur mihi sensus esse: Si peccauerit contrà te. ita comprobatur ex Petri interrogatione. Sic enim percũctatus est: Quoties peccabit in me frater, id est, contra me. Cui respondetur: Si peccauerit in te frater, id est, cõtra te. Comprobatur etiã ex parabola quam in hanc rem adduxit Dominus, dixerat enim: Si peccauerit cõtra te frater, corripe: tum Petrus: Quoties peccanti cõtra me dimittã? Et respondetur ei Semper. Nam rex seruo, qui contra regem peccauerat remisit. Vides omnia quadrare illi sensui? Et quia seruus peccauit cõtra regem, non ei soluẽdo: fit vt peccare contra fratrẽ sit, aut eum dãno afficere, aut debitum nõ reddere. Ita enim cõseruus peccabat in conseruũ.

Secundo loco quæro: quid sit fratrem corripere? Num est ei dimittere debitum: & condonare iniuriam? Minimè id quidem. Non id præcipit Dominus. Siquidem iure naturæ repetere sua quiuis potest: & sæpe debet. Nemo enim cogitur, cui non vult facere beneficium. 10. q. 2. Can. precariæ. Igitur offensus, licet odiũ ex animo debeat relegare, potest tamen satisfactionem iniuriæ reposcere: etiam corã iudice. Meritò igitur Dominus non dixit: Si peccauerit in te frater, condona debitum: sed tantum corripe, reprehende, vt [illegible] à peccato exeat: lucrum animæ eius contende. Et profectò rex non dixit iniquo seruo. Nónne oportuit te condonasse,
Rom. 13. sed te misereri? & Paulus dicit: Reddite omnibus debita. Demum sicut Iudex corripit reum pœna, & pater filium verbere: ita & offensus offensorem satisfactione.

Tertiò quæro, de quo peccato hic mentio est? Respondetur: de eo esse mentionem: quo qui peccauit periit: vt qui eum eripiat, fratrem lucretur. Non est igitur mentio de peccatis venialibus: quibus frater non perit: nec qui eum à peccato auertit, lucratur.

Quartò. Nec item est sermo de iis peccatoribus, qui labuntur quidem, sed ipsi per se surgent: quique pereunt, se ipsi se facile lucrabũtur. Quales viri pii sunt: qui magna quadam occasione, & magna passione in culpam ruunt, sed statim dolent: aut bona est spes eos facile dolituros. Hi enim non expectant, vt tu vadas ad corripiendum se: sed ipsi se corripiunt: & quæ dicunt, aut faciunt, in cubilibus & cordibus compunguntur.

Quintò,

Quintò, Porrò licet textus expreßè loquatur de criminibus in alterum iniuriosis: at planum est, loqui de omnibus. Si enim loquitur de his, vbi minor videbatur ratio proximũ corripiẽdi, multo magis loquitur vbi multo est potior ratio. Psal. 4.

Sextò, Iam si proximus meus lapsus est quidem, habet tamen admonitorem qui super oue inuigilet sua, non adstringetur offensus ouem corripere. Si enim indigens habet, qui sibi succurrat: non ego teneor succurrere. Ergo si offensor meus est monachus, habens Prælatum prouidum: non ego illum admonebo. Idem fuerit, si qui me læsit, filius est patris iusti, & probi.

Septimò, Rursus nec peccata publica corripere obligor. Hæc enim inquirere, corrigere, & punire iudicis est. Vt in capit. qualiter, de accusatio, dicitur: Verum est tamen me teneri ad correptionem, si iudex alioqui dormitat.

Octauò, Item nec peccata infidelium teneor corripere: quid enim si me nõ audierint, num dicam Ecclesiæ? At quid Ecclesia super infideles potest? Quid enim mihi de his quæ foris sunt iudicare? 1. Cor. 5.

Nonò, Adde nec obligor corripere peccata eorum de quibus correctionem non spero. vt peccata eorum cum quibus non est mihi conuersatio. Nec enim illi me audient.

Decimò, Imò si peccatum iam est senio confectũ, & callo consuetudinis obductum: forsan corripere non teneor. Nec enim spero corripere.

Vndecimò, Demum sapiẽter video ab autoribus animaduersum: correctionem opus esse eleemosynæ spiritualis. & propterea, quę locum habent in eleemosyna, & ab ea excusant: habent etiam in correctione, vt excusent ab ea.

Quarta quæstio est, quorsum adducuntur testes. Sancti dicunt: vt autoritas multorũ facilius corrigat delinquentem eorumque charitas magis prouocet ad pœnitẽtiam. Secundò, vt si neget crimen, quod forsan illi viderunt: illis attestãtibus, fateatur. Tertiò, quia denunciator repelli debet a Prelato, nisi prius coram testibus, fratrem corripuerit. Ita videtur dici in cap. licet Heli. de Simonia. Vbi Abbas se defendit quòd prius esset à testibus charitatiuè admonẽdus: quàm coram Iudice, de peccato traducendus.

Quinta quæstio: quænam sit Ecclesia, cui peccatum pertinacis dici debet? Et quidem tempore antiquo Ecclesia erat congregatio fidelium. Neque enim tunc excommunicatio

fiebat, nisi fidelibus congregatis, vt habetur à Paulo dicente:
1. Cor. 5. Congregatis vobis cum spiritu meo, &c. Et per tempora multa, hic inoleuit vsus. At quia durissimum erat, Ecclesiam toties congregari, placuit per Ecclesiam fieri, quod à Iudice factum esset. Ideo Papa in cap. nouit de Iudicijs, dicit: sibi peccatum Regis Franciæ cognoscendum, vt qui vicem Ecclesiæ habeat, dum ei præsidet.

Sexta quæstio: An Ecclesia possit peccatorem secretum, & peruicacem, sententia excommunicationis ferire, vbi suam correctionem spreuerit? Video enim hoc à quibusdam, in dubium vocari. Sed est planus Pōtificis textus, in dicto cap. nouit de iudicijs. vbi habetur: Ad officium nostrum spectat, de quocunque peccato mortali corripere quēlibet Christianum: & si correctionem contempserit, per districtionem Ecclesiasticam coërcere. Et apertè id textus Euangelij dicit: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, scilicet per
Matt. 16. excōmunicationem. Si enim ita ligauerit Prælatus, ligatum erit in cœlo. Certè ligatū erit: si Prælatus in nomine Christi, non in alio nomine ligauerit. Porrò nomen Christi comprehendit iustitiam, veritatem, charitatem, &c. Quod si hoc nomine Ecclesiam non ligauerit: quid mirū si ligatum non erit in cœlo? Porrò memor sum explicasse me locum Euangelij. Quod ligaueris erit ligatum. Et illum etiam: Quæ petierint fiet, ideo ab explicatione supersedeo.

Iam quærit Petrus: *Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei?* Respondet Dominus: Septuagies septies, id est, in-
Osee 6. finities. Certè hominis misericordia est vt nubes matutina, quæ citò finitur: bonitas hominis taxata est, sicut & spiritus eius. At cùm factus est Deus homo: & quando homo reddi-
Psal. 102. tur quidam Deus, id est, quando Spiritus sanctus habitat in homine, sicut misericordia Dei est ab æterno, in eternum: ita misericordia hominis redditur, ab extremo ad extremum: attingit enim à fine ad finem fortiter.
Sapien. 8. Dices: An nō Deus dicit: Super tribus sceleribus Damasci,
Amos 1. & super quartum non conuertar? Et ad Ieremiam: Si oraue-
Ezech. 14. rit Ieremias, Noë, & Daniel, non exaudiam. Igitur & homines ad certum numerum dimittent. Respondeo, illa dicta fuisse cōtra non resipiscentes: aut si contra resipiscētes etiam intelliguntur quātum ad pœnam. Culpam enim pœnitentis remittit facilè Dominus, pœnā non item. Quam verò velit Dominus culpas fratrū à nobis remitti, animumq; nostrum

eorum offensionibus nō offendi, parabola sequenti docetur.

Ideo assimilatum est regnum cælorum homini regi, &c. Id est, Christo: qui rex & homo est. Plane homo in substantia sua: quia verbum caro factum est, sed & humanitatem, & placidos mores, visum est Dei Verbum accepisse, cum carnem accepit. Siquidem quale monstrabatur exterius, tale erat interius. Hic homo Rex dicitur: prius homo quā rex, quia ipso iure susceptæ humanitatis, ab omnibus hominibus erat, vt rex suscipiendus, licet alioqui quatenus Deus, prius esset rex, quam homo.

Igitur hic rex tunc ponit rationem cum seruis suis, id est, cum Christianis: cū eos ad confessionē Sacramentalē adducit, tunc item, cū eos reuocat ad cor, admonens: vbi sint, vbi iaceant prostrati, sale non saliti. Porrò, quia licet cum multis ponat rationem, non tamen multos efficaciter cōuertit: sed illos duntaxat, quos dat sibi Pater (iuxta illud: Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet. & illud: Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum, id est, nisi pater mihi obtulerit eū) ideo dicit: *Cùm cœpisset rationē ponere, oblatus est & homo, &c.* Pater igitur offert Filio iudicandos. Pater enim non iudicat quēquam, siquidem omne iudicium dedit Filio. Ille verò oblatus, debebat decem millia talēta. Vbi admirari hominē libet: qui tantus sit, vt ei decem millia Deus tribuat talenta, & ipse decem millia talenta possit insumere, & tam sit stultus, & prodigus, vt illa male consumere soleat. Ezec. 16. Ioan. 6. Eodem. Ioan. 5.

Cupis forsan scire, quę sint hæc tot talēta? Audi: dedit Deus homini talenta naturalia: & supernaturalia. Naturalia primū accipe. Primò, Dedit se Deus homini: vt vbicunque velit homo, Deum habeat cooperatorē, quia sine Dei cooperatione, neque naturalia opera quis facere posset. Secundò, Dedit homini mūdum: constituit enim eum super omnia opera sua, subijciens ea vanitati, propter spem, vt Paulus ait. Tertiò, Dedit homini ipsum hominem, scilicet carnem tot organis instructam, animam tot potentijs vigentē, acumen rationis, & arbitrij libertatem. Quarto, Dedit cuiuis peculiares gratias, & donaria: quibus alijs alij sunt prestantiores. Alij enim canunt: alij pingunt, alij alijs artibus pollent. Quintò, Dedit omnia reliqua bona, salutem, honorem, amicos, diuitias. En tibi naturalia talenta. Psalm. 8. Rom. 8.

Si ad supernaturalia oculos conuertas, inuenies innumera: sed hijs quinque millibus comprehensa. Primum dedit

2. Cor. 1. homini Filium vnigenitũ: qui factus est nobis, iustitia, sanctificatio, redemptio. Secundò, Dedit Ecclesiam: nouum quendam mundum, vbi sunt Sacramenta, sacræ Literæ, sacræ, cæremoniæ, sacer Dei cultus, & religio. Tertiò, Dedit gratiam: cum qua fidem, spem, charitatem, & reliquas virtutes infusas. Nouum scilicet hominem interiorē, multò ditioribus ornamentis exornatum, quàm sit hic noster exterior. Quartò, Dedit gratias gratis datas, quibus in vita Christiana alij alijs ministrent, quæ Paulus recensuit Roman. 12. & 1. Corint. 12. & ad Ephes. 4. Demum, Quintò dat infinitas inspirationes & spiritualia beneficia: quibus à malo auocetur, ad bonum promoueatur. O verè talenta, & decem talēta & decem millia talenta: profectò talenta sunt, quibus cœlum, Deumque ipsum mercari licet: profectò talenta sunt, quæ qui non soluit, nulla pœna, nisi inferno satisfaciet.

Si igitur hæc talenta in cultum Dei insumantur: iam nihil debebit qui insumit. Siquidem in vsus Domini qui dedit, expenduntur. Sed si (quæ nostra est infœlicitas) in obsequium diaboli perdātur: certum est nos ea debere Deo, qui exactissimam eorum rationem exiget à nobis. Vt enim est

1. Cor. 4. liberalis dando, ita est exactor rationem exigendo.

Sed cùm miser homo debet decem mille talenta: vnde obsecro soluet? Quid enim habet, quod non acceperit? Iubet igitur Rex eum venundari. quod duplicem habet sensum. vel quod venundetur homo, cùm Deo illustrante cognoscit se venundatum esse, vel quod tunc venundatur, cùm datur in

Rom. 1. reprobum sensum: in efficaciam erroris, & in quādam velut

1. Thess. 2. impotentiam surgendi à peccato. Nam & Paulus dicit: Ego

Rom. 7. carnalis sum, venundatus sub peccatum.

Iam discrimen iustorum & impiorum agnosce. Iustorum animæ, sponsæ & vxores Dei sunt. Et ideo quicquid faciunt, quosque filios operũ pariunt: Deo sponso, & nō sibi pariūt.

Genes. 21. Nam Sara & reliquæ antiquæ matronæ viris suis dicebantur peperisse, non sibi. Et Paulus ait: Christus pro omnibus

2. Cor. 4. mortuus est, vt qui viuunt, iam non sibi viuant: sed ei qui pro ipsis mortuus est. Iusti ergo non sibi pariunt, non secum nubunt. Ad iniusti secum nupserunt, suam habēt vxorem, suos filios, non Dei. Ideo à Deo omnia vendi iubentur.

Procidens verò seruus ille. Sanè non potuisset procidere, nisi

1. Cor. 12. à Deo Patre, Christo esset oblatus. Si enim nemo dicit IESVS, nisi in Spiritu sancto: quomodo procidet corā IESV, nisi

nisi in Spiritu sancto? Igitur cùm quis à Spiritu illuminatur: vt sua debita cognoscat, ô quàm se verè desijcit? ô quàm procidit! Stare non vult: quia cor contritum, & confractum habet. & factus sibi metipsi grauis, ad pedes Christi cadit: Ille enim spiritus, qui crimina demonstrauit, ad Christum pro remedio volare præcepit: imò & orare docuit in hæc verba: *Patientiam habe in me.* Et quidem Christus ipse est patientia, misericordia & benignitas: at peccator rogat: Domine qui in te patientia es, patientia sis in me. Quid enim prodest, si patientia sis in te, & iustitia in me?

Iob 7. — *Psal. 70.*

Porrò mirum est, quàm audacter, confidenterque dicat: *Omnia reddam tibi.* Vnde tibi pauper, decem millia talenta? Si te tuaque vēdas nihil es, vermis es, homo nō es, & si peccatum es, nihil es: vnde igitur tibi, tanta soluendi fiducia? Sed profectò eleganter ipse dicit, *Patientiam habe in me, reddam omnia tibi*: quia ex inimico sibi Deum amicum facere cœpit, reddere ei etiam omnia cœpit. *Patientiam igitur habe in me*, gratiam inueniam apud te: & incepi omnia tibi reddere. Si enim amicus mihi fueris, quid nō acceptabis in pretiū debitorum? Calicem aquæ frigidæ, pro magna solutione recipies. Vt enim tibi impatienti & inimico, nihil quāuis grande accipitur in pretium: ita patienti, & amico quiduis (etiam paruum) in satisfactionem acceptatur.

Psalm. 21. — *Marci 9.*

Secundò, etiā eleganter dicit: *Patientiam habe, & reddam omnia*: quia si homo se Deo reddit, omnia fere reddidisse videbitur. Si enim homini subiecit Deus omnia: cùm se homo Deo subijcit: an non & omnia Deo subiecisse iudicabitur? Sapienter Deus ab homine petit, cùm dicit: Fili præbe mihi cor tuum, hoc enim si præbeas, cuncta præbuisse videberis.

Psal. 8. — *Prou. 23.*

Tertiò, illo audaci verbo, docuit quo animo esse debeat in Deū homo pœnitēs. Videlicet, vir verè pœnitēs, vereque proponens male actam vitam corrigere, decernit in pectore suo, quicquid edat, bibat, dormiat, vigilet, omnia in gloriam Christi facere: imò decernit, seipsum castigare, punire, & in hostiam sanctam, & rationabile obsequium, se Deo sacrificare. Id verò est omnia reddam tibi.

1. Cor. 10. — *Rom. 12.*

Quartò, adeo confidenter promittit iste satisfactionem operum: quia nouit per pœnitentiam, operibus applicari sanguinem Christi, qui cum infiniti valoris sit, profectò omnia talenta valet. Tunc Dominus eum [illegible] potius quam opus satisfacit, debitum dimittit.

Misertus illius, dimisit eum. Seu absoluit eum, *& debitum dimisit ei.* Prima omnium est misericordia: quâ ex ingrato, & inimico peccator, in filium admittitur. Ex misericordia, gratiam peccatori Deus infundit. quâ absoluitur à dæmone, peccato, inferno, id est, quod dicit, absoluit eum.

Porrò quod addit, *Debitum dimisit ei:* videbitur fauere Lutheranis, dicentibus in pœnitentia non requiri satisfactionem. Siquidem Deus debitum dimittit. Sed toto cœlo fallũtur. Si enim de baptismo loquamur: ita est Deum dimittere debitum, sine noua satisfactione baptizati. Si verò de pœnitentiali confessione loquamur: planè debitum dimittit: illud videlicet, quod ante debebat, scilicet, debitum æternum. Instas, de debito temporali, in quod æternum commutatur. Sed respondeo: Primum fieri sæpè, vt tãta sit peccatoris contritio, humilitas, & verecũdia: vt sine noua satisfactione peccatum deleatur à Deo, vt Magdalenæ contingit. Secundò: si isti voluit Deus dimittere omne debitum, quia perfectum animum, plenissimè satisfaciendi adduxerat, num & tibi, non eundem animum afferenti remittet? Minimè profectò.

Lucæ 7.

Egressus verò seruus. O rem miserandam, egredi à Deo! Tota hominis vita est, adhærere Deo: est esse vnum cum Christo: est iactare suum cogitatum in Deum: est prouidere Dominum in cõspecto nostro semper. Quam ergo erit, hinc egredi malum? Sicut enim totum damnum damnatorum est, mitti foras vt palmes: ita tota fœlicitas sanctorum est, intrare in gaudium Dei. Is igitur qui Deum obliuiscitur, egreditur à Domino.

Psal. 72. Ioan. 18. Psalm. 54. Psalm. 15. Ioan. 15. Matth. 24.

Egressus verò suffocabat conseruum. ô spectaculum triste. Cur proximus proximum suffocat, & torquet? Carnem torques tuam. Seruum, amicum, & filium Dei, Christum Domini, Prophetam, sacerdotem, regem. Sumus enim regale sacerdotium, & quidem Christi: ac ideò Sacerdotes & reges, sumptis hisce nominibus, aliquantò fusius, quàm vulgus accipiat.

Exod. 19.

Tunc conserui contristati sunt valde. Argumentum enim plenè Christiane est flere cum flentibus, & sicut culpa Sodomorum, clamor fuit coram Deo: ita & gemitus piorum, cum pios vident ita torqueri, clamor est coram Deo.

Rom. 11. Genes. 18.

Tunc vocat Dominus seruum, & dicit: Serue nequam. Vocat scilicet, quia in trono suæ iustitiæ, is qui fratrem torquet: vt nequam vocatur, & damnatur: id verò est vocari. Licet fieri

etiam possit, vt intus in corde mali serui, per intimam inspirationem, Deus ita peccantem nominet.

Atqui statim dubium non spernendum occurrit: cur vocatur is seruus nequam, qui bona sua repetit? Siquidem nequam non est, qui iure suo vtitur. Nec eo priuatur, licet eam gratiam à suo hero receperit? Ad hoc respõsio est: primum, seruum hunc peccasse mortaliter, quia conseruum suffocabat. Si enim conuicium dicere mortale est, quid erit tantam violentiam inferre? *Matth. 5.*

Secundò: peccauit mortaliter, conseruum propria autoritate, trahens in carcerem. Id enim officium Iudicis est, non cuiuspiam priuati. Vide Siluestrum, verbo: Carcer.

Tertiò: peccauit mortaliter, exigens ab eo, qui soluere nõ poterat, qui tamen soluere cupiebat. quia grauissimè indigenti, dare: non auferre iubemur.

Quartò peccauit: quia non est conserui misertus: quæ est germana ratio textus. Rectè enim Ioannes, Qui viderit fratrem necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas est in eo? Fateor, diligere proximum, preceptum esse affirmatiuũ. Sed ideo obligat in loco & tempore. Locus verò diligẽdi ex hoc textu euidenter colligitur, is esse: cũ frater debet, & eget, & patiẽtiam petit. O si hæc non surdis auribus audiremus. Res enim erat omni dignissima consideratione. *1. Ioan. 3.*

Quintò peccauit: ex ingratitudine. Seruus enim sciens voluntatem Domini, & non faciens, plagis vapulabit multis. Ergo recepisse summa beneficia à Domino, fratrũ amorem summè cupiente, & iubente: & torquere fratrem tam exigui æris debitorem: id mortale Domino visum est: & ideo iubetur tradi tortoribus. quod quale sit, inde colligas, si intellexeris, quale fuerit intrare in gaudium Domini. *Luc. 12.* *Matt. 24.*

Traditur verò tortoribus, donec soluat etiam nouissimum quadrantem. Cuius verbi difficilima est explicatio: quomodo enim Deus peccata semel remissa, iterum repetat? Sed hoc interim accipe. Cum quis summa beneficia, post summa debita, & peccata recepit à Domino: si iterum offendit in scelere grandi, hoc peccatum ex ingratitudine, fit grauissimum, adeò vt grauitatem præcedentium delictorum, aut superet, aut æquet: & ita debitor huius peccati, dicitur debitor totius debiti præcedentis, quia hoc debitum tantum est quantum erat antiquum, & hac ratione, antiquum in nouo videtur reuiuiscere. Quare, ô viri pii, quibus

Dominus multa peccata donauit: cauete rursum Deum offendere, cauete ne iniuriam proximo faciatis, scientes eam iniuriam tantùm valere: quantùm priora peccata valuerant.

Quod si Lector nosse cupis, quātùm nostræ monetæ sint decem millia talenta, scito ex Budeo & probatis autoribus, valere sexagies centena millia aureorum, id est, Sex milliones aureorum. Denarius verò: videtur nūmus, qui esset sufficiens laboris diurni stipendium. Diciturque, in monasterio Guadalupes is denarius esse, quem Christus dixit, esse Cęsari reddēdum. Is verò appensus, 42. nūmos æreos (quos *Marauedis* vocant) valere asseueratur.

CAPVT XIX.

Et factum est cùm consummasset, &c.



LEX vetus nuptias iubebat & pijs operibus diuitias, in præmium pollicebatur. Volēs igitur Dominus, virginitatem & paupertatem instituere: & ita finem legi Iudæorum imponere: ad fines Iudææ accessit. Et qui summo consilio ad fines Iudæę venit, eodem Pharisæos ad interrogandum prouocat: & profectò Pharisęorum interrogatio summa fuit, nam eam cuncti fere cōiugati, quibus cum vxoribus non bene conuenit, percontantur. Et, vt summa fuit interrogatio: ita ei nequibat respondere, nisi summus. Quis enim alius, hominum petulantem libidinem, (Moysi, imò Dei autoritate) suffultam, potuisset cohibere?

Quæstio igitur est: An vir quauis de causa, vxorem relinquere possit? Hic mirari non desino miseriam nostram. Non dabatur in lege facultas vxori, virum repudiandi: soli viro dabatur. Cur ergo nostra anima, facultatem sibi arrogat, Deum virum suum repudiandi? Idque quauis, vel leuissima causa? ò libertatem, eo nomine indignissimā! Quid inuenerunt, inquit, patres vestri in me iniquitatis, quod recesserint à me? Et Pilatus non inuenit causam, cur Synagoga repudiet Christum. Anima mea, dum vnus est cum viro tuo spiritus, diues es, fœlix es, omnia enim viri tui bona, tua sunt: quæ te igitur repudij libido exagitat? Num meliori nubes? Num diabolus Deo melior est? Vir tuus nunquam deseret te, excepta fornicationis causa: nisi te prostituas, nisi te vt meretrix

Ierem. 2.

Ioan. 18.

prosternas. Nam qui auarus est, fornicatur cum Idolorum numinis, qui gulosus & libidinosus, cum ventre, &c. Quod si olim non licebat repudiatam repetere: nunc verò Deus tuus te inuitat: vt licet repudiaueris eum, conuertaris, & ipse te recipiet. *Ierem. 3.* *Ierem. 3.*

Iam scrupulosos conuenio: & eos qui se à Deo dimissos queruntur. Cur ô viri creditis, Deum vos repudiasse? Si crimen mortale non admisistis, non dimisit vos Dominus. Quis, inquit Dominus, est liber hic repudij, quo dimisi matrem vestram? Aut quis est creditor meus, cui vendidi vos? Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, & in sceleribus vestris, dimisi matrem vestram. Ergo vbi scelus non est, repudium non est. *Isaiæ 50.*

Sed redeamus ad nostra: *Qui fecit hominem ab initio, masculum & fæminam creauit eos.* Taceat ergo Aristoteles: qui mundi negat initium. Taceat & inter Theologos Gabriel, qui creaturas facere negat. Si creaturæ non agunt: quorsum masculus fieret, & fœmina? Igitur Deus qui vtrumque sexum in animalibus fecerat: imò & in plantis connubia instituerat (habent enim & palmæ, & rursum ficus sexum suum) imò & in elementis connubia meditatus fuerat: est etiam inter cœlum, & terram: maris & fœminæ coniunctio, itidem in hominibus, quantumuis ad Dei imaginem factis, esse mandauit: Eleganter Irenæus: Christus ex terra Virgine: sicut Adam ex terra Virgine. Nondum enim pluerat cœlum in terram, cùm Adam factus est.

Et dixit Deus, Propter hoc relinquet homo. Inter bruta noluit Deus connubia esse indiuisa. Non enim Deo tanta est cura de bobus: at homines indiuisibili nexu connexuit. Ad quod verba adduxit & signa. Primum: relinquere iussit patrem. quasi diceret: Tam indiuiduè sibi hærebunt coniuges: vt etiam caussa patris, aut matris non separentur. Secundò: *Erunt*, inquit, *in carne vna.* Certum siquidem est, carnem Euæ fuisse carnem Adæ, ex quo illa ædificata est. Vna igitur est caro viri, & fœminæ: ergo inseparabiles sunt, vt caro à se non separatur. Quasi diceret Dominus Adæ: Si capis nosse, cur ex te Euam ædificarim, caussam accipe: Vt tam inseparabilis ei hæreas, quam hæres carni tuæ: Quod vt in Adam factum est, ita in omnibus coniugibus Deus intelligi volens ideo ait: *Quos Deus ita coniunxit: homo non separet.* *1. Cor. 9.* *Genes. 2.* *Eodem.*

Patet ex dictis, cur vir & fœmina sunt duo in carne vna, non perinde verò bruta, quia ex carne viri facta est Eua, non ita ex carne bruti masculi, fit fœmina bruta.

1. Cor. 6. Patet secundò: sensus Apostoli dicentis: Omne peccatum extra corpus est: sed qui hæret meretrici, in suum corpus peccat. Sensus enim est: Qui hæret meretrici, dat ei carnem suam. Caro enim viri, caro meretricis fit. Cùm igitur meretrix abutitur corpore suo, perinde est, ac si abuteretur corpore viri. Igitur qui hæret meretrici: corpus suum exponit, constuprandum ab ijs, à quibus meretrix polluitur.

1. Cor. 7. Patet tertiò: sensus Apostoli dicentis: Vir non habet potestatem sui corporis. Siquidem corpus suum fecit corpus vxoris suæ. Caro enim vtriusque, neutrius est.

Ephes. 5. Ephes. 2. Epist. vlt. Decretal. & Caius. Patet quartò: Cur sacramentum matrimonij magnum sit: sed maximè, in Christo, & Ecclesia, quæ de latere Christi sumpta est. Et verè facta vna caro cum illo, & ita Christi opes & merita, nostra sunt: & ideo eo moriente mortui sumus, eo verò surgente, ascendente, & in cœlis sedente, surreximus, ascendimus, consedemus, &c. vt Leo dixit.

Epist. Decretali. Exod. 32. Ezech. 11. Ephes. 4. *Ad duritiam cordis vestri.* Erant Iudæi duræ ceruicis, habebant cor lapideũ, & lex vetus non habebat oleum gratiæ, sufficiens illam duritiam emollire. Ideo Iudæorum corda non vinciebantur, neque hærebant viri vxoribus suis inseparabiliter. At quia per legem nouam, ablatum est cor lapideum, & datum est cor carneum: & simul data est charitas, quæ est vinculum pacis: faciens multos esse vnum cor, & vnam animã: ideo in lege veteri libellus repudij permissus, in noua reuocatur.

Iam sicut in lege noua, Deus iungitur animæ, per baptismum: vt nunquam sit eam dimissurus, quò ad vinculum (character enim baptismalis vinculum est:) licet peccantem animam dimittat, quò ad thorum: (nec enim in vno lecto quiescit Dominus, cum anima peccante mortaliter.) ita vir fornicariam dimittere potest, quò ad thorum: nõ verò quò ad vinculum.

Nota etiam in lege veteri fornicationẽ habitam, vt peccatum: eius enim causa dimittebatur vxor, & lapidabatur. Dixi de hac re suprà cap. 5.

Non omnes suscipiunt hoc verbum. Nota quosdam suscipere verbum castitatis: quosdam sine culpa non suscipere. Suscipiunt ij, qui animam ad castimoniam propensam in se

sentiant,

sentiunt, qui ad continentiam accenduntur, incitantur, vocantur. Qui verò non ita feruent, his non est datum. *Quibus datur verbũ castitatis.*

Item ex his qui ad castitatem inclinantur, alij possint capere, alij non item: capiant illi, qui natura sunt moderatiore: vel qui exercitio mortificationis, ardores libidinis temperarunt. Qui verò corpore sunt ad libidinem irritatiore, vel ex diutino vsu æstus carnis vix ferunt: ijs dicitur, melius est nubere quam vri. *Qui possunt verbum illud capere.*

Demum: ex his qui ad castitatem vocantur, & naturâ sunt tepidiore, alij capiunt verbum continentiæ, scilicet qui vocanti Deo obediunt. Non capiunt verò, qui videntes se à Deo non obligari, (licet ab eo vocentur ad castimoniam,) à vocatione declinant. Dicit ergo Dominus: quibus datum est donũ amoris erga castitatem, & possint eam capere, (quia natura vel exercitio minus libidine feruent,) si adeo, vt capiant: adero præsens agoribus, iuuabo flaccescentes, coronabo triumphantes, ipsi inuenient pacem, vitam meliorem & regno Dei aptiorem. Id dicit Dominus: Vultis viuere fœlices, declinare molestias? vouete continentiam. At vos (cum turpibus loquor) ô clerici, ô monachi, ô moniales, cur vouistis continentiam, si forsan vobis datum non erat, nec capere poteratis? *Qui capiant.*

Aduerte quam Christus, legem veterem eneruet? In ea dicebatur: Maledictus sterilis, & vxor tua sicut vitis abũdans, & filij merces, fructus ventris. At nũc contra, Virginitas asseritur donum Dei, cui debetur regnum cœlorum in præmium. Qui potest capere capiat. Id enim melius est. *Deut. 7.* *Psal. 127.*

Tunc oblati sunt ei paruuli. Offerebant Iudæi paruulos Domino qui tangebat eos, & orabat pro eis. En vbi tota nostra salus est. Primum, si Christiane iturus es in cœlum, offeras te Deo necesse est. Christus Sacerdos est, & hostia qui se Deo obtulit in Cruce. Nos etiam ideo sacerdotium regale sumus, vt nosmet Deo offeramus in nostra cruce. Et quidem animæ Deo oblatæ, virgines illæ sunt: quæ regi offerũtur, vt habetur in Psalm. Libet admonere eos, qui vitæ se dicunt perfectiori. Si perfectus esse vis, te totũ Deo offer, nihil in te tuũ maneat. quod in te tuum esse vis, hoc te molestat, affligit, inquietat. Exhibete igitur corpora vestra, & totos vos hostiã sanctam, placentem Deo. *Hebr. 9.* *1. Petri 2.* *Psal. 44.*

Porrò infirmũ est natiua imbecillitas, ignorantia, metus. O si scires Christiane, quam sis infirmus, ignarus, inermis: te *Rom. 12.*

Deo

Deo offerres, vt paruulus, quo Dominus te doceret, armaret, roboraret. Vbi verò te Domino obtuleris, optandū est: vt ille te tangat. Vita carbonū est, si tangantur ab igne. Salus infirmi, si penetretur à medicina, vita mortui, si tangatur à
4. Reg. 4. vita. Salus pueri fuit tangi ab Elisæo. Salus leprosi tangi ab
4. Reg. 5. aquis Iordanis. Salus ergo, & vita nostra, est tangi à potētia
Cantic. 5. Christi. Ad cuius tactum venter sponsæ tremit. Ad cuius
Matth. 9. tactum sanguinaria mulier sanatur. Ideo enim nisi manducemus panem, vitam, medicinam, non habebimus vitam.
Ioan. 6.

At non est satis semel à Christi manu tangi: nisi & ipse fundat preces pro nobis: tanta est perpetua miseria nostra, vt indigeat continuè adiuuari à continua oratione diuina: tam est nihil, nostrum nihil, vt perpetuò ruat in nihil, nisi prohibeatur ab orationibus Christi. Nisi enim Dominus custodierit nostram ciuitatem, frustrà vigilat, qui custodit eam. Igitur nostra miseria magno indiget adiutorio. nostra causa, magnum requirit aduocatum: qui non meritis adeò causæ nostræ, quam meritis & precibus suis, ius nobis asseret victoriæ.

Discipuli autem increpabant eos. Quis non stupeat videns discipulos Christi impedire pueros, ne veniāt ad Christum. Si diabolus, caro, & mūdus vetuissent, nō mirarer: sed quod discipuli Christi partes agant diaboli, auertentes pueros à
Matth 23. Christo, quis non doleat? Spiritus Christi, congregat pullos
Prou. 1. sub alas Christi. Clamat: Si quis est paruulus, veniat ad me. & Dominus: Venite ad me. at discipuli vetāt, & vetant paruulos, qui magis Christi egent ope? Reuera ita est, maiores quidam nostri, qui totis viribus erant annisuri, paruulos ad Christum adferre: hi eos auertunt à Christo. Si enim ipsi ad opes, honores, & delitias inhiant, ad eas etiam paruulos inhiare docent: igitur planè eos auertūt à Christo. Non audeo dicere, multos eorū ferre non posse, quòd paruuli frequētes ad orationem, ad confessionem, ad communionē accedant. An non vides discipulos, qui paruulos à Christi auocent accessu. Hi audiant Christū dicentem: *Sinite paruulos*: nolite prohibere eos accedere ad me. Pro his mori volo, pro his
Ioan. 17. meipsum sanctifico: his ius regni cœlestis tribuo. Sinite eos venire ad me. Vt enim ipsi nullo nisi me delectantur: ita &
Luca 15. ego, vehemēter illorum delector amplexu, in eorum osculario, &c. Quam verò securus est, qui inter amplexus Christi est? Quem timebit leo & vrsus, & lupus, ab eo qui Christi amplexa-

amplexibus gaudet? quàm verò dulcis est amicitia: Vbi ad tam intimos venitur amplexus? Quàm est Christus tener amicus: qui etiam cum seruis, ad amplexus & oscula venit? An non hi amplexus, quædam sunt cœlestis beatitudinis imagines? An non priùs cor dat, qui etiam amplexus dat? An non dabit reliqua, qui non fictè dat amplexus & oscula?

Quod verò addit: *Talium est regnum cœlorum*. Duo indicat. Primum, quòd etiā pueri si modò tangātur à Christo (quod in baptismo fit) ius habent in regnū cœlorum. Tactus enim Christi sat est regnum dare, his qui non obstacula ponunt. Alterum est: Id solum, (quod capax quis sit regni) satis esse debet Christianis, vt ametur, diligatur, nō prohibeatur. Non enim aliud dicit Dominus, quàm *Sinite*, ne sitis molesti his: qui sunt mei regni capaces. Sufficit vobis, quod ijs erit dandum regnū. Qui enim regnaturus est, amādus est, prohibendus non est. Solemus enim eos mirari, honore & reuerentia afficere, de quibus dicitur, quòd sint in terra regnaturi. Quid igitur, si regnabunt in cœlo?

Et ecce vnus accedens. A seculo non erat audita fœlicitas, & perfectio hominis: qualis in præsentia à Christo docetur. Philosophi docuerant fœlicitatem esse, vel indolentiam, vel cognitionem causarum, vel virtutum humanarum assequutionem. Sed quis audierat, perfectionem esse, quandam animæ cum Deo vnionem: vt nihil nisi Deum amare, vel intelligere contendas: vt in hoc vnico pelago nates, hunc cibum solum edas: huius causa, omnia reliqua vendens, contēnens, & fugiens? Huius perfectionis docendæ gratia, Dominus aduocat adolescentem probissimū, integerrimum, dignum quem (vt Marcus dicit) Dominus diligeret, & talem cui (vt Dominus testatur) nihil deesset ad perfectionem, nisi vendere omnia: adeò ab omni erat culpa liber. Nō igitur potest ratione doceri, adolescentem hunc fuisse dolosum: alióqui multa illi deessent ad perfectionem, & non vnum solum. *Marci 10.*

Ergo cùm Dominus decreuisset docere, quænam sit hominis in hac vita perfectio: adduxit adolescentem omnibus bonum modis: Cui tamen perfectio sola deesset, quā illum Dominus doceret.

Inquit ergo adolescens. *Magister bone quid faciendo vitam æternam possidebo?* Vbi primum videre est adolescentem diuitem, principem, quem inter diuitias, delitias, honores, non alia tangit cura: nisi cœli, & vitæ beatæ. Profectò sat hoc est viri

viri probi signum: cõdemnat tamen nos Christianos, senes, & Deo dicatos: quos non hæc tangit solicitudo. Secundò aduerte, & mirare: cur non hæc nos tangit maxima cura, quid facientes vitã assequamur? Vita hæc nostra fugax: sed ex hac vita pẽdet æterna: cur igitur nõ vehementer illa cura nos angit? Docuit ergo adolescẽs, primũ quærere regnum Dei, & iustitiam eius. Docuit primum exhibere membra nostra arma iustitiæ in sanctificationem. Docuit ita habere terrena, ac si non ea possideremus. Qui enim inter diuitias anxius est, de vita æterna: ita eas habet, ac si non haberet.

Matth. 6. Rom. 6. 1. Cor. 7.

Adolescenti respondet Dominus: *Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi Deus.* En insinuatur vitę Christianę perfectio. Sensus enim est, ò adolescens: Delectaris, in hoc exteriori, quod tibi demonstro: quodque tibi videtur amabile, & gratiosum? Age, si vis perfectus esse, nihil istorum bonum & amabile, dignumque quod oculos distineat tuos, videri tibi debet. Sursum corda. In solo Deo iucunditas tua, amor tuus sistendus à te est: reliqua auocantia ab hac fœlicitate, longè sunt relinquenda. Igitur si vis de perfectione doceri, en breue verbum. Solum Deum æstima vt bonum illud, dignum quod à te vnicè ametur: cætera reiice. Si verò de communi vita rogas, quid agendum: vt liceat in cœlum ingredi, *Serua mandata.* Et quidem omnia mandata sunt necessariò seruanda. Sed maximè exigitur à te, vt serues mandata de proximi dilectione.

Nota primum: *Serua mandata*, quia mandata sunt. Hac enim ratione, ex amore seruabis. Nota secundò, concessum Theologis esse, neminem ex puris naturalibus sine gratia Dei, vniuersa posse adimplere mandata. & quia mandatum de dilectione proximi vniuersam legem implent, fit, vt sine gratia nemo possit diligere proximum, vt debet. Rectè ergo dicit Dominus: *Si vis vitam, serua mandata*, proximum spectantia. Nota tertiò ordinem preceptoru. Cœpit enim Dominus à senioribus. Non occides, inquit. Id verò à natura videtur insitũ, ne illius sanguinẽ fundere: at, quanto difficilius est à pulchra alterius vxore temperare, & difficilius ab eius rebus abstinere: maximè cùm sint expositę furto. Porrò difficillimũ est os moderari: ne malũ de proximis dicat. Penitù verò grauissimũ est, etiã cor à concupiscentia retrahere.

His mandatis respondit Iuuenis. *Hæc omnia custodiui à iuuentute mea.* O fœlicem adolescentem, cui tanta cõgerat

gloria:

gloria: vt iugum Domini portauerit ab adolescentia sua, qui praeter communem adolescentium viam, nō corruisset pronus ad malum, ab adolescētia. Qui cum Iob gloriari posset, quòd eum non reprehenderit cor suum, in vita sua. Et cum Anna, quòd mundam seruarit animam suam, ab omni concupiscētia. Et cum Tobia, quòd ab infantia timuerit Deum, & abstinuerit ab omni peccato. *Tren. 3.* *Genes. 8.* *Iob 27.* *Tobiae 3.* *Tobiae 1.*

Agnosco fiduciam viri immaculati, cùm dicit: *Haec omnia custodiui*. Vt enim fidenter Petrus dixit: Ecce nos reliquimus omnia, ita confidenter adolescens: *Haec omnia seruaui*, hanc fiduciam sanctitas animae facit. Discant igitur Christiani adolescentes, ex Iudaeo adolescente cor suū à rebus caducis fraenare: pudeatq; Christianū non facere, quod Iudaeus tam foeliciter fecisse comprobatur. Discant etiam parentes, & paedagogi: sibi demandatos iuuenes sanctè nutrire: vt cum hoc adolescēte dicere possint: *Haec omnia custodiui à iuuentute mea*. Et licet saepè expugnauerint me à iuuētute mea: etenim non potuerunt mihi. *Matt. 19.* *Psal. 128.*

Intelligis ergo Lector: cur Dominus trahere conabatur adolescentem ad Christianam perfectionē: certè quia quem ab ineunte aetate amauerat, custodierat, & gratiam dederat, vt mandata custodiret: nunc gratiae perfectione ornaret, & illustraret. Intelligis etiā, quam amet Dominus eos, qui sua mandata custodiunt: amauit enim etiam signis exterioribus adolescentem hunc, vt testatur Marcus. *Marci 10.*

Ex quo intelligere licet, quantum doleat de mandatorum violatione. Certe tangitur dolore cordis intrinsecus: doleret enim si posset. *Genes. 6.*

Respondet ergo Dominus adolescenti: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, da pauperibus, & veni vt sequaris me*. Vehementer admiror, quam graue onus Dominus adolescenti praecipiat. Grande opus mandatū est Abrahae: vt Isaac quem vnicè diligebat, suis manibus sacrificaret. An nō multi tenerius amant opes, quam filios? Quid si adolescens hic vnicè amabat diuitias suas? at iubetur ipse ire, manibus suis vēdere: manibus suis dare pauperibus. quasi dicas, manibus suis filiū iugulare. Domine quid adolescentem tanto periculo obijcis? vt, scilicet, ipse vendat, & distribuat? Tu discipulo redire volenti, dicis, sine mortuos. Alteri verò, item redire ad suos volenti, inquis: nemo respiciens retro, idoneus est mihi. Cur ergo hunc, ad sua redire iubes? *Gen. 22.*

Acbi-

Arbitror ego his verbis Dominum indicasse, quàm voluntariè, quàm libenter, quam meditatò, quàm prudẽter: qui vult esse perfectus, viam perfectionis debeat ingredi. Certè, vt ipsemet vadat: vt ipsemet sua vendat, ipse distribuat. Locum ergo, & tempus habeat cuncta expendendi, & considerandi. Et vbi intellexerit, quàm sit bonũ, hærere Deo, eumqi sequi, tunc vendat, distribuat, & sequatur Dominum: sciens nunquam relinquendum à Domino: qui, vt sequeretur Dominum, se & sua reliquit.

Psal. 72.

Sed spectatissimè considera, qui perfectus esse voles, quòd tenerius ames, id iubeberis relinquere. Iubetur occidere Isaacum senex: iubetur relinquere omnia iuuenis. Igitur iubetur amittere quod magis amant, vt corde ab eo amore vacuato, fœlici commutatione, Deus impleat cor: & fœlix sis, in eo qui est vera fœlicitas.

Gen. 22.

Demum considera, cur adolescens non iubetur relinquere delitias, parentes, honores? Sed, *Vade, vende.* Equidem ego ita iudico: qui diues est, putat se nullius egere: imò nec Dei opem requirit. Credit enim latẽter, Deum quendam se esse. Nec enim immeritò sensu quodam altiori Paulus dixit, auaritiam esse idolorũ seruitutem. Sibi enim diues, quasi idolo seruit, & seruire alios vult. Meritò igitur volens deitas vera, in cor diuitis intrare: idola & falsam deitatem prius diruit, & destruit.

Ephes. 5.

Igitur audito Domino, recedit iuuenis tristis. Quia re- uera nulla vera tristitia est, nisi à Deo recedere. Qui non recedit à Deo, non habet cur tristetur. Imò si in te non recedentem à Deo, irruant tristitiarum agmina, dic: Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me. Et: Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? &: Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quia tu mecum es. &. Non sum confusus te pastorem sequens. At, qui recedit à Domino, cùm ab omni bono discedat verè iustam tristitiæ causam habet.

Iob 17. *Psalm. 29.* *Psal. 22.* *Isaiæ 50.*

Igitur abscedente iuuene, Dominus ait: *Diues difficilè intrabit in regnum cœlorum: & facilius est camelum per foramen acus introire, quàm diuitem in cœlum.* Quis vnquam Theologiam talem audiuit? Planè hæc doctrina repugnat Stoicæ sectæ. Possidonius enim Stoicus, inter bona fœlicitatis assignat opes. Autor Diogenes in vita Zenonis. Repugnat item familię Platonicæ. Plato siquidem Dialogo nono de Legi-

de Legibus, ad fœlicitatẽ tria asserit bona, animæ, corporis, & fortunæ. Repugnat etiam familiæ Peripateticæ. Nam Aristoteles, ad fœlicitatem necessarias esse dixit diuitias. Repugnát demum toti mundo, qui ad fœlicitatem diuitias quærit.

Et quidem parum esset mundo repugnasse: at repugnare videtur Concilio Gangren. (vt refertur dist. 30. c. hæc autẽ,) dicenti: Qui dixerit diuitem in iustitia, & bonis operibus, non seruãdum: anathema. Item Ecclesiasticus: Beatus diues, qui post aurum nõ abijt. & Dauid: Beatus vir qui timet Dominum, gloriæ & diuitiæ in domo eius. Quomodo igitur Dominus, diuitem asserit non intrare in regnum? *Ecclef. 31.* *Psal. 111.*

Ad hanc grauissimam quæstionem, primùm facilè esset dicere regnum cœlorũ, hic sumi pro perfectione vitæ Christianæ, iuxta Paulum, qui dicit: Regnum Dei, est iustitia, pax & gaudium in Spiritu sancto. In hanc pacem & gaudium difficillimè intrat diues. Iustus sanè ille esse potest, & pius: sed illa intima pace, quiete, & gaudio gaudere difficilè potest, ô vtinam responsio hæc, vt est numeris omnibus absoluta: ita esset omnibus accepta. *Rom. 15.*

Sed age aggrediamur aliam responsionem. Planè video arctam esse viam, quæ ducit ad vitam. Sed Christiani qui diuites non sunt, facilè per hanc viam ingredi possunt. Est enim via adeò plana, vt nec stulti in ea errent. Certum est, hanc viam sine Dei speciali fauore transire non posse: sed certum etiam est hunc fauorem esse duplicem. Alterum excellentem, alterum mediocrem. Pauperes igitur fauore mediocri vitam currunt Christianam. At diuitibus non est sat fauor medius: sed requiritur ille maior. Sicut D. Thomas asserit, prelatis esse necessaria auxilia maiora, quam plebibus. Id asserit explicans titulum Epistolæ Pauli ad Timothæum. Hac igitur ratione difficile, inquit, diues saluatur. Auxilium enim excellens requirit, ne peccet, qui tractat diuitias, tam efficacia ad peccandum allectiua. *Matt. 7.* *Isaiæ 37.*

Porrò, nemo cõtemnat similitudinem cameli: rectissimè enim comparatur camelo diues. Camelus solus animãtium, habet gibbum: qua vnicè deformis est. Minus cęteris animalibus, potest in cœlum attollere caput. Libẽter se oneri submittit, etiam flexis genibus. Ita diues gibba diuitiarum deformis coram Deo est. vnde Dominus: Væ vobis diuitibus, quia habetis cõsolationẽ vestram. Est item diues grauatus, *Lucæ 6.*

ne in cœlum caput attollat. Nam qui vult diues fieri, incidit
1. Tim. 6. in laqueum diaboli, & in desideria multa nociua, quæ eum mergunt in interitum. Si eum mergunt in interitum, non sinent in cœlum animum erigere. Quàm verò libenter diues se oneri diuitiarum subdat, ostendit hic adolescens, recedens tristis: quia iubebatur onus relinquere. Quàm verò, flectant genua diuites, vt ditiores sint: docent curiæ plenæ genuum flexionibus, quas diuites coram regibus faciunt, &c.

Rursum prudentissimè, porta cœli foramini acus comparatur. Arbitror enim nullibi angustiorē esse portam, quàm in acu: nec item vllibi angustior est porta, quàm in cœlo. Si enim per eam, sola possunt intrare spiritualia, certè angusta porta est. Hac enim causa purgatorij locus sancitus est: vt ibi anima omnem crassitiem terræ deponat. Nec enim vel ipsa anima intrare per eam portam potest, si non nihil fecis habeat admistum.

Demum, inquit Dominus: *Facilius est camelum, &c.* quia camelum intrare per acum, est super auxilia naturę communia. Diues item intrans in cœlum, est super fauorem gratiæ mediocrem. At maius est auxilium gratiæ, quàm naturæ.

Tunc respondens Petrus ait: Ecce nos reliquimus. Quàm audet
Isaiæ 38. animus integer? Ezechias dicit: memento Domine, quòd
Psal. 7. in corde profecto quæsierim te. Dauid dicit: Iudica me Domine, secundùm iustitiam meam, & secundùm innocentiam
Psalm. 85. meam. Et item: Exaudi me, quia sanctus sum. Ita Petrus audet, & audet sine superbia. Grandes enim illi Sancti, carebant superbiæ fumo.

Sed libet Petrum interrogare: Petre si reliquisti omnia, non satis retributionis accepisti? Primus Apostolorū factus es, totius Ecclesiæ caput, miraculorum operator, maris calcator, & serpētum: quid vltra requiris? At profectò animus perfectus, in nulla re creata quiescit: nullum præmium crea-
Psalm. 16. tum sui operis requirit. Sed ait: *Quid erit nobis?* satiabor enim tunc solum cùm apparuerit gloria tua.

Respōdet Petro Dominus: *In regeneratione, sedebitis & vos*
Psal. 50. est generatio ad esse naturæ: hanc contemnit Dominus, quia in iniquitatibus concepti sumus. Alia est generatio ad esse gratiæ. Demum, est regeneratio ad esse gloriæ. In hac regeneratione, sedebitis ad vos. Quo signo ostendit Dominus, suos Apostolos futuros super omnes sanctos. Iudex enim

omnium,

omnium, deligi debet incorruptissimus omnium. Secundò, eo signo Dominus demonstrauit, Apostolos fuisse prędestinatos, & prædestinatos ad gloriam summam.

Vide verò, quàm non comederit Dominus nec buccellam panis, quin ex ea communicaret discipulis. Habiturus erat Christus summum Iudicis honorem, & hunc etiam illis concedit. Pro modo tamen suo. Iob 31.

Quòd verò addit, *Iudicantes duodecim tribus Israël*, sic intellige: Duplex est Israël secundùm carnem, & secundùm Spiritum: vt asseuerat Apostolus, dicens: Non enim qui in manifesto, Iudæus, &c. Israël secundùm carnem cœpit à Iacob, & durauit vsque ad legis finem. Ad Israël secundùm Spiritum cœpit ab Abel iusto, & finietur in vltimo credente. Ad hunc Israëlem soli fideles spectant: hi enim sunt verè fortes cum Deo: infideles nihil Israëlis habent. Hunc igitur Israëlem credentium, & fidelium Apostoli examinabunt, & iudicabunt. Siquidem infideles, iam iudicati sunt. Porrò licet viri Apostolici, qui Apostolorum vitam pro virili sectati sunt, etiam ipsi sint fideles iudicaturi, vt sanctorum Doctorum consensus habet: at de Apostolis hic specialis est mentio, quia sicut eorum fuit sanctitas excelsior, ita & gloria in iudicio maior, & mentio de eis specialior. Rom. 2. Ioan. 5.

Demum concludit: *Qui terrena propter nomen meum reliquerit, centuplum accipiet*. Vbi primum nota: posse hæc terrena relinqui, & non propter nomen Christi. Potest enim homo distribuere facultates suas, in cibos pauperum: idque non ex charitate. Nota secundò, tunc propter nomen Christi relinqui, cum Christus est autor relinquendi. At nunquam est autor, nisi cùm sanctè, piè, & prudenter opus fit. Non igitur propter Christum relinquit, qui pauperē vxorem, mendicos filiolos ablegat à cura sua. 1. Cor. 13.

Illud verò centuplum est mentis hilaritas, & animus sua sorte contentus, & ditior, quàm si mille haberet hæreditates.

Verbum vltimum Christi: *Sunt nouißimi primi, & primi nouißimi*, referri videtur ad iuuenem, honore principis primum, vitæ puritate etiam primum: at cupiditate factum nouissimum. Apostolos verò omnibus modis nouissimos, primos omnibus modis futuros.

CAPVT XX.

Simile est regnum cœlorum, &c.



PLACVIT Patri æterno vineam possidere, id est, Ecclesiam. Placuit Verbo æterno eã plantare: non alia vite, quàm semetipso. In vna enim Ecclesia, vnam voluit esse vitem. Ego enim, inquit, sum
Ioan. 15. vitis: vos palmites, & germina, dicente
Isaie 5. Isaia: Vinea Domini, domus Israel est: & vir eius, germen est delectabile. Germen quidem seu palmes: at non vitis.

Porrò, licet vitis palmites habeat naturales: at Christus pal-
Ephes. 2. mites habet insitios. Nos enim cũ nascimur filij iræ, ex vite corrupta, vt veræ vitis accipiamus succũ, ei inserẽdi sumus.

Iam ad inserendos hos palmites, fouendos, dirigendos,
Rom. 6. putandos, necessarij sunt operarij, Palmes enim ex se habet corpus peccati, legem in membris, repugnantem legi mentis: ideo frequenter profert fructus suos, id est, fructus carnis.
Galat. 5. quos Paulus numerat. Hos ne proferat, operarios aduigilare necesse est. Hac ratione, Deus exit conducere operarios vitis
Isaie 5. suæ. Indignum videns, palmites, ex quibus sperabat vuas, ferrè labruscas.

Licet verò hi operarij maximè sint prælati, clerici, mona-
Matth. 21. chi: (Nã Scribę, & Pharisæi dicuntur agricolę: imò & Paulus
1. Cor. 3. se plantatorem asserit) at profectò quilibet etiam nostrum
Rom. 12. operarius est: vocatus vt exhibeat corpus suum hostiam sanctam, placentem. Vocatus, vt non sinat se luxuriari, faciendo curam carnis in concupiscentijs.

Cum igitur nos omnes operarij sumus: age videamus, vbinam sint isti operarij? Sanè sunt in foro. Igitur, antequam quiuis nostrum viti inseratur, in foro est expositus, vt conducatur, vel à dæmone in perditionem, vel à Deo in vitam æternam.

* Eorum vita est sine Deo: vita ampla, quia platea est. Est igitur forum locus negotiosus, simul & otiosus. Væh nisi è foro exeas: non enim sat est, ex voluntate carnis nasci, aut ex
Ioan. 1. volũtate viri: nisi nascaris ex Deo. Exi e foro: vbi licet infinitis quæstionibus & negotijs immisceaaris, otiosus tamen es.
Psal. 31. Vt enim Dauid tacuit, dum clamaret tota die: & vt Ierusa-
Tren. 1. lẽ est ciuitas sola, licet sit plena populo, ita negotiatores

sine

ſine Deo, otioſus eſt. Si cor tuum eſt ſicut mare ſpatioſum, vbi naues, vbi negotia, vbi curæ verſentur: ſi ſine Deo eſt, otioſum eſt. Quia vbi charitas nō eſt, etiam ſi reliqua opera *1. Cor. 13.* ſint, nihil eſt, ô quantam vim & pondus habet verbum illud negotiamini dum venio. Et illud, cum timore & tremore *Luc. 19.* veſtram ſalutem operamini. Hoc enim opus eſt: aliud pro- *Philip. 2.* pterea nullum.

Ad hoc otioſorum forum exit Pater, primo mane. Habet ergo prouidētiam ſuæ familiæ: habet amorem: nec ipſe conducere dedignatur, docens patresfamilias, ne dedignentur ipſi ſua inuiſere. Imò auſim dicere: licet prædicatores vocent operarios, ſolus Pater eſt qui verè eos vocare poteſt: vocatione, ſcilicet illa interiori. Omnis enim qui audiuit à Patre, *Ioan. 5.* & didicit, venit ad me.

Quis verò pondus illius verbi, *Exijt*, Expēdere poſſit? exijt Deus: vnde exit, qui omnia implet? Liceat dicere: Exit ex ſe, vt intret in te: imo, vt te conuertat in ſe. Vt enim Verbum exijt à Patre, & venit in mundum: vt Deificet mundū: exijt, inquam, quia deiecit ſe, & humiliauit ſe: ita Pater exit velut à ſe, velut à ſua maieſtate, vt inhabitet in te. Exiens vero venit in forum. Quid te Domine mouet, vt è loco pacis, lucis, ſanctitatis, venias in locum tumultus, in regionem vmbræ mortis, in locum horroris & vaſtæ ſolitudinis? Ex loco fœ- *Deut. 32.* licitatis in locum peccatorum, captiuorum, mortuorum: in locum Sodomorum? Quid habet pectus noſtrū: vt ad ipſum venire velis?

Exijt verò mane: hora tertia, ſexta, nona, vndecima. Non eſt mihi adeò à vero abhorrens, hos Patris exitus, Chriſti exitu, meruiſſe. Exijt Chriſtus mane in prętoriū: hora tertia ad palatium Herodis, hora ſexta ad Caluariam, hora nona exijt ſpiritus eius è vita ad limbum, hora vndecima corpus in ſepulchrum. Hi exitus Chriſti merentur, vt reſpondentibus horis Pater ad nos exeat.

Exit item conducturus: qui conducit, volens conducit: & item, qui conducitur, volens conducitur. Secundò, conducēs adſtringitur, vt conductum alat: cōductus verò, vt in officio perſiſtat. Tertiò, iuſtitia eſt, vt conducens, & conductus debita ſoluant. Quàm hæc Deo, & homini quadrant? certè *Concilium* mentitus Lutherus, dicens: hominem conduci non volen- *Trident.* tem, & non eſſe iuſtitiam, quòd conducens Deus ſoluat. *ſub Paulo* At mirari juſtum eſt, Deum homini obſtringi conductio: & *3. Seſ. 6.*

 timeri,

timeri, quòd homo Deo obligetur.

Iam conduxit Deus operarios, nō otiaturos, sed operatu-
Galat. 6. ros: opera verò quæ essent operaturi, Paulus explicauit: cùm
fructus spiritus enumerat. Alioqui palmites non ferentes
Ioan. 15. fructus, sunt exscindendi: & arbor non faciens fructum era-
Matth. 3. dicabitur. Et terra non faciens fructum maledicta est, com-
Hebr. 7. bustioni proxima.

Conuētione autem facta, ex denario diurno. Stimulus est ope-
rarij merces, quam post laborem sperat, & magno labori
(qualis est in vita Christiana) non nisi magnus stimulus
Psalm. 118. magnæ mercedis debebatur. Vt igitur egregie Dauid: Incli-
naui cor meum, ad faciendas iustificationes tuas, propter re-
tributionem: ita perperam hæretici asseuerant: non esse ope-
randum intuitu conuentionis, ex denario.

Nota tamen, operantibus in vinea præcipuam conuen-
tionem esse de nummo, Nam cibus, & potus certus est. Igi-
Matt. 7. tur tu primum quære denarium regni: reliqua omnia adij-
cientur vobis.

Eleganter verò vita æterna denarius dicitur. Denarius si-
quidem omnes numeros claudit: & vltra denarium nulla
nouit natio numerare. Ita vita æterna omnes fœlicitates in
1. Cor. 2. se comprehendit: nec est cor, quod vltra fœlicitatem illam,
quicquā desiderare possit. Forsan verò decem digitos in ma-
nibus, & pedibus habet homo: vt semper norit denarij fœli-
citatem, in extremis sibi promitti.

Nec imprudenter dicitur. *Denarius diurnus*: quia in ea fœ-
licitate, nihil est admistum peccati, ignorantiæ, mali. Fateor
Luc. 14. gaudium æternum cœnam dici: at ipsa quæ est cœna, post
Cantic. 1. omnem laborem, est prandium in meridie: vbi habitat spon-
sus, & cubat.

Animaduertè dixit. *Conuētione facta misit in vineam.* Quos
enim efficaciter Deus vocat, quodā spiritu agit, & velut im-
Marci 1. pellit ad laborem: Sicut spiritus cōpulit Christum in deser-
tum. Rectè ergo additur, *Et illi abierunt*: à spiritu, scilicet acti.

Sublucet mihi consideratio quædā, non spernenda quidē.
Quid causæ, quòd cum prioribus operarijs conuentio fit cū
vltimis nulla fit conuentio? Huius causam esse arbitror: Pa-
Isaia 2. tres illi antiqui, si operabantur promissa habebant bona ter-
ræ: quæ comederent. At Christiani qui vltimi operarij sunt:
non propter bona terræ operantur. Adde & illud magnifi-
cum. Tanta est vis gratiæ Christianæ, vt etiam si nulla esset

merces

merces æterna proposita: adhuc Christiani Deum suum colerent. Siquidem & Paulus optat anathema esse à Christo Rom. 9.
pro fratribus, id est, æterna mercede carere. Vi.S. Th.

Quid statis tota die otiosi? Non te pœniteat Christiane, si à Ad Ro. 9.
Domino vocaris otiosus: id est, si te contumelia affecerit. Si enim te mortificat, viuificabit: si humiliat, exaltabit. Re- 1. Reg. 2.
spondent, *Nemo nos conduxit*. Ita Samaritana & Paralyticus, Ioan. 4.
Virum non habeo. & Apostolus: Quis es Domine? quasi di- Act. 9.
ceret. Non habuimus conductorem: adeò ad excusationes proni sumus? Quòd si non conducti, durè arguuntur de otiositate: quanto durius arguentur, qui conducti, & in vinea, & videntes alios laborare, otiantur? Melius fuisset nobis vitam veritatis ignorasse, quàm post agnitam otiari. 2. Petri 2.

Cùm serò factum esset. Igitur nunc dies, est ad operandum. Veniet posteà nox, in qua operari non licet. Nunc ergo Ioan. 9.
tempus est acceptabile, & dies salutis. 2. Cor. 6.

Dicit Dominus procuratori suo. Procurator est Christus homo. Qui Rebeccā è longinquo, id est, animas è peccato, attulit: vt cū Isaac, id est, cū Christo quatenus Deus, nuberent.

Voca operarios. Rectè dies iudicij dicitur regeneratio. Vt Gen. 24.
enim prima rerum generatio facta est verbo, & vocatione Dei, qui dixit, & facta sunt: ita in die iudicii, resurrectio, & Genes. 2.
melior orbis conditio fiet vocatione Christi, dicentis: Surgite ad iudicium. Psal. 148.

Redde illis mercedem. Error esset dicere, animas non accepisse mercedem: sed expectare, ad iudicium: vt Deum videre queāt: Quā igitur mercedē procurator daturus est? Respondeo: quia vsque ad iudicium non habent mercedem corpora Sanctorum: ideo integra merces animæ & corporis tūc redenda erit. Nondum enim integrum denarium accipit anima, donec corpori suo vnitam se videat.

Incipiens à nouissimis. Nouissimi sunt Apostoli, cum reliquis Christianis. Hi verò sunt primò mercedem accepturi. Quia honorabile est nomen Christianorum, coram Christo. Speciali enim quadam ratione Christus Christianos suos dilegit: quos largiori donauit gratia: quosque maiori donauit Psal. 71.
spiritu. Olim enim spiritus non ita abunde erat datus, quia Iesus nondū erat glorificatus. Nihil igitur mirū si primi, Ioan. 7.
potissimi, honoratissimiq; sint in gloria, qui fuerūt potiores in gratia. Nihil enim aliud est primos habere mercedem: quā cumulatiori eos prosequi & honore, & fauore. Certè vt

qui perfecti sint: cùm tamen priores fideles, paruulorum nomine cẽseantur. Lex enim nostra perfectorũ est, spiritualium, diuinorum: illa verò vetus erat lex carnalium, puerorum: qui sub pædagogis agebant. Vide verò Lector quæ legis, de statibus sermo nobis est: non de quibusdam personis. Fieri enim potest vt Iob, Abraham, Noë, maiorem & proinde priorem habeant gloriam, quàm multi fideles Christiani. Sed vt plurimum nostri Christiani in gloria erunt maiores.

Galat. 3.

Venientes primi arbitrati sunt, se plura accepturos, &c. Sunt egregia hoc loco dubia. Primum, quomodo Sancti in cœlo, putabunt se plura accepturos? Secundò, quomodo murmurabunt contra Patremfamiliâs, quem intimè diligunt? Tertiò, quomodo oculus beati esse nequã potest? Quartò, quomodo omnes in denario pares sunt, cùm alij sint electi, alij non item?

Daniel. 20

Ad primum, recolendum est ex Daniele. Inter angelos fuisse pugnam. Angelus enim Iudæorum, cupiebat eos è Babylone exire, sed Angelus Persarũ, cupiebat Iudeos pro Persarum vtilitate manere. Restitit ergo Angelus angelo: vterque intelligens se benefacere: ita & sancti vetusti, resistunt Christianis, quasi putantes se plura præmia, quam nos accepturos: vt qui laborauerint per ætates quas habebant longissimas. Viuebãt enim fere per annos mille: cùm nos vix viuimus septuaginta. Rursum illi carebant sacramentis conferentibus gratiam, & iuuantibus contra laborem: nos contrà sacramentis reficimur. Item minori illi ornabantur gratia, minoribusque Spiritus sancti viribus: quàm nostri. Denium minori illi quàm nostri stimulabantur virtutum exemplo. Rectè ergo videbãtur, se plura accepturos. Quò si non placet hanc persuasionem in Sanctis ponere: dicito, Ita illos putasse: non quia sic putauerint, sed quia sic iustum erat illos putare: nisi altiori diuinitatis lumine collustrarentur.

Huic verò sanctorum verbo, respondet Dominus: *Amice non facio tibi iniuriam*: iudicij tempus est, non iniuriæ. Quid quereris, si speciali honore Christianos afficio: qui specialiter me coluerunt, pro me specialiter sanguinem fuderunt?

Tolle quod tuum est. ô verbum omni miraculo maius: ô sancte, quidnam tuum est? Augustinus dicit: Fecit Deus hominem, vt amando, summum bonum possideret. Est ergo Deus possessio hominis. Isaias dicit: Filius datus est nobis.

Isaia 9.

nobis. Verbum ergo Dei, nostrum est. Christus dicit: Si in alieno, (id est, in terrenis) fideles non fuistis, quod vestrum est, (id est, Deum) quis dabit vobis. Luc. 16. Igitur Deus est possessio nostra. Tolle igitur quod tuum non est: an tibi sat Deus est? Gauderes si tuus esset orbis: gaude, quòd tuus sit autor orbis: Gauderes diues: & nō gaudes diuinus, & velut quidā Deus? hoc enim differt. Deus enim mutari nequit, tu verò Deus mutabilis es. Ideo dicitur: *Tolle quod tuum est, & vade.* Deus quidam es: sed qui ire potes.



Addit: *An non licet mihi, quod volo facere?* Totum orbis damnum est, quòd putat sibi licere, quodlibet. Solius Dei est: licere, quod vult. Eò enim quòd vult, licet. Nostrum est, vt solum liceat, quod Deus vult. Cœlum est, facere quę Deus vult: infernus, facere quæ non vult. Responsum ergo est ad primum & secundum dubium.

Ad tertium attende: Non dicit Deus asseritiuè: *Oculus tuus nequam est*: sed interrogat me: num tu vis malus esse, quia ego bonus sum? Sicut illud: Num oculi carnei tibi sunt, & sicut videt homo, tu vides? Iob 10. & illud: Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis, &c. Psalm. 93. In his enim subintelligitur, absit.

Ad quartum. Scito, Philosophos & sapientes essentialia respicere: de accidentarijs: non adeo curare. Cum ergo in essentiali beatitudine pares sint Sancti, ideo pares dicti sunt: licèt in accidentarijs differant. Pares illos fecit denarius ille: torrens ille voluptatis, fons vitæ, pelagus dulcedinis. Amor intimus, quo vnum est illis cor & anima vna. Psal. 35. Actor. 4. Volo, inquit, Pater vt vnum sint, sicut ego, & tu vnum sumus. Ioan. 17.

Multi sunt vocati, pauci verò electi. Duo explicanda sunt. Alterum est, qui sint nouissimi, qui facti sunt primi? Sunt verò Christiani ideo facti primi: quia eos diligit Iesus, vt scilicet, Ioannem speciali quodam diligebat amore: & quia (vt arbitror) in iudicio Christianorum congregatio cæteris fulgentior apparebit. Ioan. 12. Priores verò fideles non ita. ideo nouissimi dicuntur.

Alterum est, qui sunt hi vocati, & electi? Respondeo: Non est hic sermo de vocatis, qui pereunt. Nec enim hi denarium accipiunt, nec amici à Christo nominantur. Igitur omnes pii ab origine ad finem mundi, hic vocati dicuntur. Porro inter omnes pios: Christiani dicuntur electi, qui apparebunt abundantiori sanctitate fulgentes.

Et ascendens Iesus Ierosolym. Ecce ascendimus: & quia omnis

altus locus expositus est mille periculis: ideo Ierosolyma, quæ locus excelsus est, mortem & pericula continet, his qui in eam ascendunt. Mortui ibi sunt prophetæ, morietur & ibi, prophetarum Dominus. Cur igitur Prælate locum cupis excelsum? Reddenda tibi est ratio de subditis: deque malo
1. Tim. 3. exemplo, quod illis præbuisti: deque vitæ sanctitate, quam
2. Cor. 11. Paulus à te requisiuit. Et vt sanctissimus sis, instat tibi solicitudo Ecclesiarum, vt nemo infirmetur, quin tu infirmeris: nemo offendatur, quin tu excrutieris, & demũ si officij debita impleturus es, en moriendum tibi est, vt Christus mortuus est.

Ecce ascendimus. ô inter mysteria omnia, miranda & sublimis ascensio, per quam Christus Deus ad mortem descendit. Quis audiuit vnquam tale? Deus moritur. Per ascensionem hanc moritur Christus, summe colitur Deus, ruina reparatur Angelorum, mundus stupebit attonitus, diaboli minuetur regnum, Limbus expoliabitur, Purgatorium euacuabitur, peccatum delebitur, vetus homo crucifigetur. Chirographum decreti rumpetur, spiritus abundantior dabitur, pœna peccatorum soluetur, cœlum aperietur, omnes virtutes augebuntur, fiducia impetrandi accipietur, exemplum sanctitatis orbi proponetur, omnia mala claudentur, omnia bona aperientur, Lex vetus implebitur, Noua confirmabitur, Gentium desiderium perficietur, cœlum in terra constituetur.

Ascendimus, inquit: O vos Christiani, num placet vobis ascẽdere cũ Christo, certè, vel fugiendũ vobis est probrosè,
Iudic. 6. vel moriendũ gloriose. Si cum Gedeone nostro ascenderis, ô Christiane, vide ne implicceris negotijs. Si cum Ionatha
1. Reg. 14. libet ascendere, reptandum tibi est per scopulos, vix tibi peruios, id est, per difficultates, quas insuperabiles esse pu-
1. Reg. 24. tes. Si cum Dauid libet ascẽdere: ascende super minutissimas petras, ne te gladius Saulis comprehendat.

Ecce, inquit, *ascendimus, & filius hominis tradetur.* Nũquam verius filius hominis, quàm cum ascendit: vt tradatur. Si enim Filius hominis dicitur, quia addictus est ministeriis hominum, plane nunquam addictior fuit, quam cùm ascendit, vt traderetur. Rursum, si Filius hominis significat
Iob 5. ærumnosum, calamitosum: Enos enim id significat, quãdo ærumnosior Christus, quam vbi ascendit, vt tradatur? Nunquam igitur verius, homo natus ad laborem: quàm cum ita ascen-

ascendit: nunquam verius puer natus nobis, & filius datus *Isaiæ 9.*
nobis.

At, expende verbum, *Tradetur*, quasi: relinquetur, velut
homo sine adiutorio, qui dicere possit: Pater meus & mater *Psal. 87.*
mea dereliquerunt me. Traditur verò, velut petra durissi- *Psal. 26.*
ma, velut murus æneus, vt ictibus hominum quatiatur. Tra-
ditur velut murus & antemurale: vt hostium in eo furor *Isaiæ 50.*
deseuiat, atque ita ciues liberentur. Ita ergo Deus dilexit *Isaiæ 6.*
mundum: vt Filium suum traderet omni malo, id est, omni *Ioan. 3.*
afflictioni & tormento. Vt verè ipse dicat: Pene fui in omni *Prou. 5.*
malo, & dolores inferni circumdederunt me, præoccupa- *Psal. 17.*
uerunt me laquei mortis. &: In altitudinem maris: iam non *Psalm. 68.*
est substantia. &: Traditus sum, non egrediebar, oculi mei *Psal. 87.*
languerunt præ inopia.

Expende rursum, *Tradetur principibus*. Vide mundi sapien-
tiam, nobilitatem, culmen, contra Christum armari. Nullius
vero rabies impotentior, quam iniustitiæ: viribus sapientiæ,
honores, & opū armare. Et hæc vobis ò Christiani, qui cum
Christo ascenditis, expectate: totus infernus, totusq; mūdus
cōtra vos insurget. Quòd si vos vobis videmini locustæ cum *Num. 13.*
tamen hostes vestri gigantes videantur: confidite: si cum
Christo licuerit mori, cum Christo licebit etiam resurgere.

Tertia die resurget. Breui surrexit, Breui etiam dolores in-
ferni circundabunt vos: cetus emouet animam vestram. *Ionæ 3.*
Non potuit Christus teneri à doloribus inferni, nec igitur *Actor. 2.*
vos teneri poteritis. Si modo cum Christo manseritis. Sit *Iudic. 16.*
in te sanctificatio Nazarei, & non poterit contra te tota *1. Reg. 30.*
Philisthinorū cohors. Sit tecum Ephod sacerdotale: & licet
inimici tui tuam Sicelег diruant: tu eorum auferes spolia. Si
in arca Noë fueris, non præualebunt aquæ contra te. *Genes. 8.*

Tunc accessit mater filiorū Zebedæi. Nota triplex esse regnum,
scilicet tēporale: cuius iura describūtur à Samuele, cū vngere *1. Reg. 8.*
parabat Saulem in regē. Et hic etiā describuntur à Domino
dicente: *Reges gentiū dominantur*, id est, habēt ius dominandi,
& exercendi potentiā in suos. Quo iure Christus dominabi-
tur, ex die iudicij. Alterū regnū est Ecclesiasticum: quod est
regnum cœlorū. Huius regni ius est: vt maior in eo sit sicut
minor, ministret, & seruiat. Sicq; bonus pastor, amet subditos
suos: vt animā suā ponat, pro ouibus suis. Tertiū est regnū *Ioan. 10.*
cœleste: Cuius regni ius est, facere subditos similes Dei, iuxta
illud: Nunc filij Dei sumus, sed nondū apparuit quid erimus. *1. Ioan. 3.*

Scimus

Scimus tamen quia cum apparuerit, similes ei erimus.

Igitur Iacobus, & Ioannes cupiebant in secundo regno
Matth.16. principes esse summi. Sciebat enim Petro promissas claues regni, factumque principem Ecclesiæ summum: idque non ferentes, contendunt eum suo deijcere gradu, vt ipsi possent principes esse summi. Hoc ita esse, ipsius Euangelij tenor euincit. Nam cùm Dominus dicit: *Qui maior est, erit sicut minister,* non intelligitur (aut in cœlo) vbi nemo ministrabit: aut in regno terreno) vbi rex nõ est suorum minister. Igitur veneranda Apostolorum mater, de summo pontificatu, inter suos filios diuidendo preces contexuit.

Cùm verò bona mulier dicit: Dic, vt sedeant. Illo verbo,
Psal. 148. *Dic*, videtur agnouisse Christi diuinitatẽ. Cuius est solo verbo facere: ipse enim dixit, & facta sunt, & itẽ verbo Domini
Psalm. 32. cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.

Respondet Dominus: *Nescitis quid petatis.* Ac si diceret: Si scirent homines, quantum sit in prælatione periculi: quidque
Ioan. 10. requirat Deus, & Paulus ab eo, qui Prælatus futurus est, quid
1. Tim. 3. demum debeat Prælatus ouibus suis, nemo prælatus esse vellet. Quis enim nimium pauper, decem mille filios, vt ab eo alantur, habere vellet? quis pauper, alieno ære grauari cupit? quis ascendens onustus onere graui, mille grauiora pondera sibi imponi desideret? quis languidus, multorum sibi languores asciscat. At prælatus alere suos greges, rationem pro eis ponere, onera eorũ soluere, languoribus eorum,
2. Cor.11. languere debet. Nescitis igitur quid petatis, creditis vos petere honorem, & petitis summum onus, summum periculum. Petitis calicẽ exultationis, & verè non est exultationis, sed continuæ passionis.

Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Ego sum summus Pontifex: ideo animam meam, omnibus doloribus
Ioan. 10. trado pro ouibus meis, omnem dolorem ouium mearum
Isaiæ 35. deuoro, hunc calicem libet vobis bibere? Num si placet aureus calix, placet eius potio amara? Sed vos putastis calicem esse mundi, cùm sit calix Christi.

Aduerte: Non dixit Christus? Bibetisne calicem? Sed: *Potestis bibere calicem?* Ac si diceret Estne in vobis potentia, & virtus animi tanta, vt libenter, & intrepide passionem in ca-
Philip. 4. lice prælationis deuoretis? Paulus dicit Scio abundare, & egere: omnia possum in eo qui me confortat. Qui animum ita potentem senti, prælationem ambiat, si vult.

Respon-

Respondent illi: *Possumus*. Ita respondent omnes qui beneficia concupiscunt. Verbum est humanæ superbiæ. Quid enim non sibi pollicetur, qui aliquid sine Deo desiderat? Ita enim ille: Ascendam super aquilonem. &: Illi volunt esse sicut dij. *Isaie 14.* *Gen. 3.*

Tunc Dominus: *Calicem quidem meum bibetis*. Differentia est calicis Christi, & mũdi. Calix Christi principio amarus: in fine suauis. Calix mundi principio suauis, nouissima verò eius, vt absynthium. Calix Christi, licet inebriet, præclarus tamen est. Quo enim magis inebriat eo maiorem lucem animo præbet. Calix mundi plenus est abominatione, & immunditia fornicationis. Calicem Christi sequitur torrẽs voluptatis, & fons vitæ. Calicem mundi sequitur stagnum ignis ardentiꝫ. Calix Christi calix est, nõ vrna vel amphora. Paucum enim breue, & momentaneum habet laboris & doloris. Sicut etiam calix Babylonis, calix est paucũ habens & breue delectationis. An non verè fœlix est qui bibit calicem Christi? Hac igitur gratia vos dono, vt calicem meum bibatis. Verbum est profundissimæ sapientiæ, vt enim consortes eos fecit suæ passionis: ita & honoris. Et vide: Non dixit partem calicis bibetis, sed: *Calicem meum bibetis*. Forsan probabile videbitur, vt sicut Ioannes astitit cruci Christi, eius passionem bibens, ita & astitit Iacobus, licet à longè vt etiam de acerbissima biberet passione. *Prouer. 5.* *Psalm. 15.* *Apoc. 17.* *Psalm. 35.* *2. Cor. 4.*

Igitur, *calicem meum bibetis, sedere verò ad dextram & sinistram, non dabo vobis*. Tum quia iam hi loci dati sunt Petro & Paulo: tum, quia non libet tanto vos onere grauare. Sat est tempore passionis gustauisse calicẽ meæ passionis: nolo, vt continuè eam gustetis in prælatione. interim, o viri, Reginæ cœlorum debetur locus dexter. Astitit enim regina à dextris tuis: cur eius locum ei præripere cupitis? Num Salomon matrem suam loco sibi debito fraudauit? Num decet regis matrem in angulo sedere? *Psal. 44.* *3. Reg. 2.*

Tunc decem indignati sunt. ô verè venenum charitatis, cupiditas: venenum concordiæ, ambitio! Quis crederet inter piscatores, pauperes, & hos Christi collegas: futuram de summo loco discordiam? Interim admirari libet: quidnam habeat mellis hæc dextera Dei, vt ab omnibus appetatur? Cupiuit eam Lucifer dicens: In cathedra Dei sedi in corde maris. Cupiit Adam. Cupiunt nunc viles piscatores. Certè fecit Dominus creaturam rationalẽ, stomachum, & sinum haben- *Ezech. 2.*

habentem ferè infinitos, id est, capacitatis passiuæ, seu receptiuæ, infinite. Non quiescunt igitur, nisi eis offam ingeras infinitam, & plane si cupit animus sedere ad dexteram Dei, expectet, ne festinet. Sicut enim in Christo commortui sumus: ita & consurgemus: ita & cõsedebimus in cœlestibus. *Qui voluerit maior esse, sit sicut minister.* Quidni erit minister hominum: qui nouit, cùm homini ministrat, se Deo ministrare? quòd enim minimis fit, Christo fit. Quidni ministret, qui videt Christum ministrare, & lauare pedes discipulorũ? Quidni ministret, qui videt ministrare munus esse Dei, superbire verò Luciferi? Exigebat locus hic, quid deberet Pontifex gregi, simul quid etiam rex: quæ vide apud Summistas. Sed vtinam cùm a prælato consanguinei petunt præbendas, dicerent: Non est meum dare vobis.

Ephes. 2.
Matt. 25.
Ioan. 12.

Et egredientibus illis, &c. Habet anima oculos suos, quibus videat: sicut habet & corpus: & quidẽ, si anima suos oculos cæcos habeat, corpus etiam cæcum dicitur: licet oculis corporalibus videat, dicente Domino: Si lumen quod in te est, tenebræ sint: totum corpus tuũ tenebrosum erit. Hi igitur, (scilicet corpus & anima) duo sunt cæci, de quibus in hoc loco. Licet reuera duorum cæcitas, ab vno cæco, scilicet ab anima pendeat. De quo cæco Marcus loquitur. Porrò oculorum carnalium fœlicitas, & obiectum est lux solis. Tunc oculi sani sunt, quando in ea luce omnia vident. Ita & diuina lux, id est, Christus, obiectũ est & fœlicitas oculorũ mentis. Qui sani tunc sunt, cùm omnia in ea luce videntur. Sed hoc profundissimum est. Interim, beati oculi qui vident, quę vos videtis. Contrà, miseri: qui tanta fœlicitate priuantur.

Luc. 16.
Matth. 13.

Porrò oculi mentis quadrupliciter cæci sunt. Primi: qui nunquã de Christo audierũt: vt infideles. Alij, qui per fidem vident: obscurè tamẽ: vt qui in peccato mortali sunt, quibus melius fuerat, si non vidissent: quàm post visum retrocedere à sancto mandato. Tertij, qui vident, & benè vident, sed quadam torporis & desidiæ caligine offuscantur. Vt qui sunt in gratia, tepidi tamen sunt. His non reuelantur mirabilia Dei. Quarti, qui illuminati quidem sunt, at non luce illa meridiana. Corpus enim quod corrumpitur adumbrat lucem illorum ne clarè videant. Dicam primum de primis duobus.

2. Petri 2.

Via quã Christus transiuit, vita hæc temporalis est: maximè cum vita bona est. Hæc enim est via, ambulate per eam.

Isaiæ 30.

Iuxta viam hanc sanctam, sedent infideles, malique homines. Iuxta, quia de nullo dum viuit, desperandum est. At malum est non esse in via.

Licet verò cæci mali sint, clamant tamen: quia semper ratio, & conscientia ad meliora aspirat, meliora petit. Ideo mendicat: Dum enim Deum non habet, pauper est. Egestas enim a Domino in domo impij. *Prou. 3.*

Quòd si peccator rerum transeuntium strepitum audiat, intelliget omnes res seculi, & malas & bonas clamare, aliud esse bonum, scilicet, Deum. Id si attendat, ad Deum clamabit. Videns non in creaturis, sed in creatore, lumen esse & fœlicitatem.

Porrò licet creaturæ omnes, sua vanitate, & afflictione spiritus, nos ad Deum reijciant: eædem tamen sua gratia & decore à Deo ad se aduocant. Ideo dicuntur factæ in muscipulam insipientiũ: & hic dicuntur obstare: quo minus cæci, ad Christum clament. *Eccles. 1.* *Sap. 14.*

At quamuis vetent creaturæ, ne clamemus: qui se tamen cæcum esse sentit, non desistat à clamore. Id si faciat, Dominus stabit. Stare enim dicitur, cùm ad auxiliandum, separat. Vt Stephanus vidit Iesum stantem, id est, ad subueniendum præparatum. Item sicut spiritus dicitur orare pro nobis, quia nos orare facit: ita Christus dicitur stare, quia nos prius male sedentes, bene erigi facit, & stare. Item dicitur stare cæco: quia cæco malo Christus transibat: & velut è manibus elabebatur. A cæco iam conuerso, stat, volens manere in eius anima: & volens vt cæcus non pereat, sed stet & maneat in æternum. Stat ergo & dicit: *Quid tibi vis faciam?* Quia nemo nisi volens, ad lumen ex cæcitate conuertitur: volens, vt in se faciat Christus, quod tota creaturarum turba facere nequit. Vis igitur, vt tibi faciam, id quod verè est aliquid: sine quo reliqua sunt nihil? Siquidem sine charitate cætera nihil sunt. *Actor. 7.* *Rom. 8.* *1. Cor. 13.*

Tunc illi: *Vt aperiantur oculi nostri.* Vt oculos à culpa clausos, tu potenti manu reseres & aperias.

Tangit tunc oculos Dominus, & sanat. Tangit alchimicum aurum alia metalla, & ea in aurum vertit. Tangit cæcos oculos lumen Dei, & in lumen conuertit. Deus tangit, & vertit in semideos. Et quia proprium est, vt simile suum simile sequatur, ideo cæcus illustratus, & deificatus, solem: vt heliotropium sequitur.

Cæci

Cæci tertij generis (boni viri, sed desidiosi) sedent secus viam, id est, secus crucem, & mortificationem. Quia enim in ea non sunt, mendici sunt. Paulus ex luce, quam intus hauserat, poterat illuminare omnibus Euangelium: factus,
Ephes. 3. scilicet particeps sanctorum in lumine. Ideo diues erat: vt
2. Cor. 5. alios ditare posset. At, qui nondum lumen illud illustrius recepit, in corde, is mendicus est. Viuens ex alieno magisterio, non ex suo. Interim desidiosus audit turbam perfectorum, qui Christo perfectè sese conformarunt, & cum illo transierunt.
Cantic 3. ô articulus, ô occasio? quando transit Christus prope
Genes. 32. cæcum. Tenui, inquit, eum: & non dimittam. & item non dimittam te, donec benedixeris mihi. Transit igitur ingens amor Christi iuxta cæcum, facit eum clamare. Vrit enim ille ignis, & arguit desidiam nostram.


Interim sancti prætereuntes vetãt desides ne clament: sed exurgãt potius à torpore suo, & ita clamẽt. Imò verò insignis eorum perfectio, nostræ desidiæ verecundiã, & velut desperationem: vt potius tacere velimus, quàm clamare. dictum
Eccles. 22. enim est, de stercore boum lapidabitur piger. Clamandum nihilominus est. Optaui enim, & datus est mihi sensus: in-
Sapien. 7. uocaui: & venit in me spiritus, &c. Clamet interim cæcus, & clamor sit, fili Dauid miserere. Nisi enim filius Dauid esses, lumen cæcis non meruisset. Et si filius Dauid es, ideo es, vt miserearis. Si enim filij Dauid es, caput nostrum es. At caput consulat reliquis membris. Stat Dominus: Cùm enim non operatur in te, prçterit te: at si stat operari vult. ô quam sum infœlix si me prætereat: quàm cõtra fœlix si mihi stet. Stans verò dicit: Quid vis, vt faciam tibi? Quia agens vniuersale determinatur ad vnum, ex subiecti dispositione, id est, ex voluntate petentis. Ideo Dominus aliquid nobis daturus, prius facit in nobis pium quendam affectũ: quo donis eius disponamur. Tunc cæci: Domine, vt aperiantur oculi nostri. Summus enim dolor est, quòd res spirituales adeò dignæ videri, non videantur: & oculi ad eas videndas nati, sint cæci: & cùm filij simus lucis: nihil minus videamus, quàm lucem. Ac propterea minus æquo, de luce iudicemus. Tangit tunc Dominus oculos, & tactus ille, qui cæcare videbatur, illuminat. Tactus enim ille claudit oculos: vt clausi ad terrena, re-
1. Cor. 13. ferentur ad cœlestia. Id, inquit Apostolus: Qui sapiens est inter vos stultus fiat, id est, qui videt, cæcus fiat: vt videat. Illuminatus, Christum sequitur: quid enim aliud facit, cum tantarum

tantarum rerum pulchritudinem videt? Certè: Paulus vbi vidit, continuè non acquieuit carni, & sanguini, &ç. *Galat. 1.*

Cæci quarti generis sunt, sancti adhuc existentes in caliginoso loco, donec illucescat dies. Hi pijssimi viri sunt secus viam, id est, secus mortem: per quam Christus transijt ad vitam. Sedent secus mortem, quia eam continuo desiderant: & quia eorum vita mors quædam, seu mortificatio est. Rursum ij mendicant: scilicet sorbitiunculas cœlestis dulcedinis. Et item mendicant: quia nihil ex mundo volunt. Sed toti pendent ex stipe cœlestis auxilij. Clamant hi, cùm vident adhuc Christum transire, & non stare sibi: clamant, scilicet adoptionem, & libertatem gloriæ filiorum Dei. Clamant, vt eruantur à cæcitate huius vitæ. Sed turbæ vetant: sciunt enim turbæ fidelium, quàm sint hi pijssimi viri in hac vita necessarij: ideo increpant eos, ne mori cupiant, aut ne pro morte precentur. Et Paulus dicit: Mori melius, sed manebo propter vos. At interim piorum animus clamare non desistit. Tunc Dominus stat mandans, illi pio clamanti, vitam stare: stat, quia iam cum eo non progredi, sed quiescere vult: Stat, volens implere voluntatem timentium se. Tangit Dominus cæcum aliquo morbo, & tactus relinquit vestem corporis, vt luce fruatur æterna. *2. Petri 1.* *Rom. 8.* *Philip. 1.*

CAPVT XXI.

Et cùm appropinquasset, &ç.



ID in primis meditationi dignissimum. Cur Dominus breui ignominiosissimã mortem passurus, nunc vult vti pompa gloriosissima. Certè vt intelligant qui pompas ambiunt: quàm sit, vicinum, & germanum summum decus, summo dedecori. Videntur hæc distantissima, Christus docet esse coniuncta. Secundò, intelligant ij, quibus crux placet: adeò gloriosum esse pati, adeoq; opus esse perfectum: vt ad id subeũdum gloriosa deceat pompa. Ornatur sacerdos sacrificaturus, sponsus nupturus, rex inaugurandus. Ornatur Christus passurus. *Iacobi 1.*

Sed quid ò Christe, asello tibi opus est? quis te vidit equo insidentem? Num ita nostro langues amore, vt vehiculo tibi sit opus? Sponsa dicebat: Fulcite me floribus, stipate me *Cantic. 2.*

malis: quia amore langueo. Num etiam tū amoris vires expertus, amoris oneri succumbis: & ideo eges, qui te vehat asello?

Sed cur asello? num asellus tanto quadrat triūpho? Certè
Genes.22. quia Abraham suum Isaac immolaturus, asellum sterni iubet, cui Isaac imponat. Non it tamen asinus ad locum immolationis, sed expectare reditū iubetur. Hic asellus genus
Psal. 48. hominum est. erat enim homo in honore, & quia non intellexit, iumentum factus est. Sternitur ergo ab Apostolis: & Christus verus Isaac illi imponitur, magno tamen mysterio: nec enim passurus est asinus, non est immolãdus. Nec enim est animal sacrificio idoneum: immolabitur Isaac, illæso asino. Ita enim dicit Dominus: Si me quæritis, sinite hos abire, Videlicet, plagæ, verberi, gladius, non in iumentum, sed in Christum inciderunt. Cùm igitur videbat Christus ramos
Ioan. 18. ex oliuis decisos, quis credat, eum eius historiæ immemorē, quæ Isaac, ligna quibus immolaretur, tulisse declarat. Iam
Iosue 15. Axa, recepta peiore hæreditate, meliorē petens: super asino suspirat: imò & illachrymat. Ita & Christus pro Iudaismo (priore hæreditate) Gentilitatē à Patre suo petens, super asino sedens suspirat, & visa ciuitate lachrymas effundit. Mouet verò dubium, quid sit: *Dominus his opus habet*: cum tamen bonorum ipse nostrorum non egeat? num ille qui sedet super cherubin, eget asello? an non currus Dei decem millibus multiplex, Dominus in eis, in Sina, in sancto, num is eget asello? Certè qui prius equitabat super cherubin, & cuius
Psalm. 75. (beside "per cherubin")
Psal. 97. erant tot currus: vt videretur terribilis, auferens spiritum principum: nunc eget asello, vt humilis videatur & mansuetus.
Psal. 75.

Sed interim Domine cur super asello sedes? cur summam
Coloss. 2. sapientiam summæ coniungis stultitiæ? Tu sapientia Patris. In te omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei. At nullum animal insipientius asino: adeò, vt ex inscitia nomen [illegible] xisse videatur: cur sapientia summa insidet asello, cui propria
Psalm.106 stultitia est? nam seniores asini, vel experientia, aliquid [illegible] cerunt. Planè Dominus nouit, terram desertam ponere in stagna aquarum, & terram sine aqua, in exitus aquarū. Nouit igitur ex summa stultitia, summam mõstrare sapientiam. Quod si vnquam fecit, tempore suæ passionis [illegible]. Quis non crederet summam esse stultitiam, quòd Deus pateretur: quod plagis, & verberibus se subijceret: quid stultius [illegible]

poterat,

poterat, quàm dicere, vita mortua est: gloria sine gloria est? 1. Cor. 1.
At quod stultum est hominibus, id summæ sapientiæ Deo 1. Cor. 3.
est, vt inde nos colligamus tunc nos demum sapientes esse,
cum stulti facti fuerimus. Stultum videri potest, abnegare
seipsum: tollere super se Crucem: at id summa sapientia est.
Eguit igitur summa Dei sapientia, nostra summa stultitia: Luc. 9.
vt summã inde sapientiam demonstrans, summam gloriam
sibi compararet.

Nescio verò an & hoc tuæ patiantur aures: sapiens Adam Genes. 2.
fuit, sed nulla maior stultitia, & asinitas, quam peccando, &
se & nos ita læsisse. Hac asinitate vsus est Deus: & velut hoc
asello eguit: vt sibi gloriam inter homines: & hominibus
gloriam in cœlo conciliaret. Dictum enim est: ó verè neces-
sarium Adæ peccatum. Adde aliud: Dominus in suo trium-
pho vsus est asino, animali & laboris patientissimo. & verbe-
ribus aptissimo: indicauit ea re, eos sibi ex hominib' esse ne-
cessarios, qui idonei sint oneri ferendo, & plagis sustinendis.

Expende tamen cur iubeat Matthæus, & prius Zacharias,
& Isaias: vt Sion exultet, & exultet satis, cùm rex super asinã
venit? quenã tantę causa lætitiæ, quòd veniat pauper? an non
gaudendũ esset magis, si venisset diues? quod si gaudendum,
quia mãsuetus venit: cur iubet gaudere, quod super asinã ve-
niat sedens? Video enim gaudendum esse quod pauper ve-
niat, vt eius inopia nos diuites simus. Ac si omnia sua nobis 2. Cor. 8.
bona communicasset, nihil sibi relinquens. Video gauden-
dũ, quia venit pauper. Docet enim suã inopiã, meliorem eam
esse, quã copiã, videlicet quia cœlũ inopia mercandũ, potius Isaiæ 55.
quã copia. Dictũ enim est. Qui nõ habetis argẽtũ propeate,
emite, comedite. Cur verò gaudendũ, quod super asinã ve-
nit? Primũ quidẽ quia si pullus populũ significat Gentilem,
maximè gaudendũ erit, quod dirupta maceria inimicitiarũ, Ephes. 2.
pax coaluerit inter tã dissidentes populos. Quòd etiã cultus
Dei, non iam inter priuatos Iudæorum contineatur lares.
Quòd item, non tam late iam dominetur diabolus. Quòd
non tanta strage, totus orbis in infernum proruat. Quod
Dominus plures habeat cultores. At profectò nihil adeo piũ
que pietatem exhilarat animum: quam cum videt Dei cultum, hominum-
que pietatem extendi. Quòd si Iudæi circueunt mare & ari- Matth. 23.
dam, vt vnum proselytum faciant: quam deberent gaudere,
videntes totum orbem à Deo, & ad Deum conuersum. Scio
quàm male Iudæos habuerit Gentium pietas, grauiter enim

Actor. 10. obiurgabant Petrum, quod ad Cornelium introisset. Id verò nunc est, quod admonet Matthæus, Isaias, Zacharias, quod exultent:& deposito supercilio, amplectantur pietatis suæ socios.

1. Cor. 1. Secunda gaudendi causa est: quòd Dominus non quærat nobiles, potentes, sapientes: sed stulta huius mundi, iumenta scilicet, quæ nullum habent in mundo nomen, hæc quærit vbi sedeat. Maxima verò mundi pars est pauperum, ignobilium, stultorum gaudeant igitur hi. Si enim solos quæreret sapientes, diuites, nobiles, esset causa discedendi à Christo.
1. Cor. 1. quærit verò stulta iumenta. Id quod si tibi probri loco videtur. Certè nisi stultus fias, vt sapiens sis. & nisi abneges te-
Lucæ 9. metipsum, non sedebit super te Christus. Dic igitur cum
Psal. 71. Dauid: vt iumentũ factus sum apud te, & ea ratione, ego semper tecum. Quanto enim magis iumentum fueris, tanto magis sedebit in te Dominus: magis tui curam habebit, magis te gubernabit, & magis te turbæ honorabunt.

Isaiæ 62. Tertiam exultandi causam explicauit Isaias: Exulta filia Sion (inquit) ecce saluator tuus venit, ecce merces eius cum eo, & opus eius coram illo. Cùm vides Christum sedentem
Genes. 15. super asello, intellige duo, Mercedem, & opus. In Christo merces significatur: est enim ipse merces magna nimis. In asino est significatio laboris: gaude igitur, quòd laboranti
Psalm. 26. iumento sua merces adest. Expecta igitur Dominum, viriliter age, sustine (velut asellus) Dominum. Et sanè nemo
Psal. 72. est in hac vita: qui labores, & multos non ferat. At si in hisce laboribus Christum tulerit, eum in mercedem habebit. Delicati verò illi, qui in laboribus hominum non sunt: quique cum hominibus non flagellantur. peccatores etiam quorum
Psalm. 31. sunt multa flagella, hi Christi mercede fraudantur.
Zach. 6. Quartam gaudendi causam adfert Zacharias. Exulta (inquit) filia Ierusalem: ecce rex tuus venit ipse pauper, sedens super asinam, & filium asinæ. Et dispergam quadrigam ex Ephraim, & equum de Ierusalem, dissipabitur arcus belli, loquetur pacem gentibus. Si Christus adfert pacem: si dissipat arma bellica: si insidet asino, animali minime pugnaci, maximè pacifico: si factus est in pace locus eius & habitatio eius
Psal. 75. in Sion, vbi confringit arcum, scutum, gladium & bellum.
Luc. 12. Si fortis armatus arma & spolia distribuit, an non est æquũ adueniente tanta pace lætari?

Rom. 8. Quinta gaudendi causa est: quia veniens Dominus super asina.

asina: venit passurus,& pro omnibus satisfacturus: rē omnibus seculis tantopere desideratam. Hic regulam istam accipe. Cū Dominus insigne facinus inter nos est designaturus, id ferè accipit pro instrumento, quod eius facinoris plena significatio sit: olim venit laturus legem timoris, ideo in mōtem descendit fumantem, ardentē, flammantē, fulgurantem. vt omnia timorem illum repræsentarent, quem erant Iudæi habituri. Venit in rubo ardenti, non exusto, significans se esse in populo afflicto, sed non destruēdo. venit legem nouā promulgaturus in die Pentecostes: ideo venit in linguis igneis, & in spiritu vehementi: significāte Apostolorum per orbem discursum, eorum igneam Euangelij prædicationē. Ita venit & nunc, summos dolores patiētissime laturus: merito igitur super asino venit animali patientissimò: & quia regula etiam est alia quod, duo, vel duplex, significent multū (vt suprà dictum fuit) fit: vt Christum duplici asino incidisse, summā eius patientiā significarit. Gaude igitur Sion, quod Christus super asino veniens, satisfacturus veniat & redempturus. Exod. 20. Exod. 3. Act. 2. Matt. 14.

Sexta gaudendi causa sit. Totus orbis in hoc vno cardine suam versat salutem, si quænam sua sit fœlicitas agnoscat: super hoc vno tota Philosophorū cōtendit schola. hoc vnum cœli, inferni, & in tota natura monstrare nituntur. Erit igitur magnum operæpretium, mundo suæ fœlicitatis certa ostendere signa, vbi errare, (nisi velit,) non possit. Id igitur est quod Zacharias nunc efficit: dicit enim? ó mortales, si vestram quæritis salutem, fœlicitatem, regem, vitam: en profero vobis certa venientis signa ecce venit rex. Signum verò est, quod super asina venit, & filio asinæ. venit ita Christus: nō ita venit alius. Exulta igitur, & quod veniat, & quod tam certa sui aduentus adferat signa.

Septima gaudendi ratio sit. Hominum natura facta fuerat asina. id est, super quam dæmones sedebant, sedebant cuncta peccata, curæ, labores, dolores, & miseriæ infinitæ: quibus miser homo, rectus à Deo factus, infœliciter se implicuerat. Hæc asina in biuio erat vitæ & mortis veritatis & erroris: præmij & pœnæ: cœli & inferni. At Dei misericordia factum est. vt mente à vinculis dæmonis soluta, & Christo ei insidente, quo penetrauerit Christus, mens etiam penetret nostra. Si Christus sursum ascenderit, sessurus ad dextram Dei in cœlestibus: si ascenderit, vt perueniat ad ipsum antiquum dierum: eò etiam ascendet, & perueniet Eccles. 7. Ephes. 2. Daniel. 7.

nostra natura, quæ prius asina fuerat. An non hæc summa gaudendi ratio.

Causa gaudendi vltima sit: quòd Christus super asina: regulam vitæ monstrarit, vt scilicet sanctitatis celsitudinem, humilitatis vilitati iungamus. Cùm triumphabant Romani, secum afferebāt, quod eos humiliaret: & triumphi gloriam, deiectionis vilitate temperaret. Ita Paulus magnitudine
2. Cor. 12. reuelationum triumphans, carnis stimulis, velut recalcitrantis asinæ molestia premebatur. Petrus in sublimitate sedis
Matt. 27. Apostolicæ statuendus, negare permittitur: vt celsitudo deiectioni esset adiuncta. Omnes denique qui piè volunt
2. Tim. 6. viuere in Christo patientur persequutionem, vt dignitatis Christianæ altitudo, sub vili persequutionum tegumento tutior consistat. Nihil adeò est in orbe sublime, cui sui con-
1, Cor. 1. trarij non sit adiunctum momētum & pondus, vt sic omnia temperentur. Quę causa est, vt Deus pauperes elegerit ignobiles stultos. Nihil enim est omni ex parte beatum.
Mich. 7. *Ecce rex tuus venit tibi*. Quid? an non venit & Petri? An
Psalm. 21. non dictum est, ex te exiet mihi dux? & in Psalmo dictum est à Domino. Anima mea illi viuet: & semen meum seruiet
Rom. 1. ipsi. Et Paulus ait: Qui factus est ei, ex semine Dauid. Si ei factus est, si eius anima: Domino viuet, si illi dux orietur: quomodo nunc dicit: Ecce rex tuus venit tibi?

Nec caret dubitatione cur dicat de Christo, *Ecce rex tuus*: an non & Saul, & Dauid, & alij, reges fuerunt Sionis? num solus Christus rex? Hoc secūdum dubium aliquanto facilius est. Licet enim multi & ante, & post Christū reges fuerint nemo tamē ita hoc fuit dignus honore. Sicut multi fuerunt
Ioan. 10. ante Christum boni pastores: sed ipse ait: Quotquot fuerunt
Matt. 19. ante me, fures fuerunt & latrones. Sicut etiam multi viri boni fuerunt, ipse ait tamen: Nemo bonus nisi Deus. Cuius
Prou. 8. ratio est, quia ipse fons est bonitatis, regni, & curę pastoralis, ipso dicente: Per me reges regnant. Quocirca reges alij ad Christum collati, stellæ sunt Soli collatæ. Et equidem aliorum regnum & potestas super corpora est, quod si etiam ad animas spectat, non sanè super actus intimos, (nisi quatenus
Matthæi vltimo. cùm extimis habeant commercium) eorum iurisdictio se extēdit. At Christus rex, & sacerdos, omnem habet potestatem: pertingit enim vsque ad diuisionem animæ & spiritus,
Hebr. 10.
Psal. 44. compagum quoque & medullarū. Ideo enim dicitur, quòd sagittæ eius sunt acutæ, (populi sub eo) & cadent in cordis inimi.

inimicorum regis. Qua ratione dictum est: Ex vsuris & ini- *Psal. 71.*
quitate redimet animas eorũ: ad hæc non pertingit aliorum *Matth. 1.*
imperium. Meritò ergo dicitur, Iesus: quia saluum facit po- *Genes. 41.*
pulum suum, non ex fame, vel tritici inopia, sed à peccatis
eorum. Adde tertiò illud: Alij quidẽ, & reges, & sacerdotes
plures constituuntur, (succedit enim alius alij) quia morte *Hebr. 7.*
prohibetur permanere: mortales enim sunt, sicut & eorum
imperium mortale est: Christus tamen, vt qui super animas
imperium habet, imperium habet immortale. Rex ergo & *Psal. 109.*
sacerdos est in æternum. Vnde & meritò Angelus dicit: Re- *Lucæ 1.*
gnabit in domo Iacob in æternũ, & regni eius non erit finis.
Quocirca desiderium illud impletum est: Deus, iudicium
tuum regi da, tale enim iudicium dedit Pater Filio, quale *Psal. 71.*
ipse Pater habet, omne verò iudicium Pater Filio dedit, vt *Ioan. 5.*
omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Si
igitur Pater est rex omnium seculorum, immortalis & inui- *1. Tim. 1.*
sibilis: talis rex & Filius est regnum habens omnium secu- *Psal. 144.*
lorum immortale, & inuisibile.

Sed redeamus ad priorẽ dubitationem: quæ eo maior est quo Christus maior est, quoque nos minores sumus. Venit ille tantus nobis vilissimis. Venit verò: Puer enim natus est nobis, & filius datus est nobis, non ea solum ratione, quod non venit ille ministrari a nobis, sed vt esset minister noster, sed & illa, qua se totũ tradidit nobis. Eleganter enim dictum est: Se nascens dedit in socium, conuescens in cibum, moriens in pretium, regnans in præmium. Ita planè se nobis exhibuit, ac si nihil cogitasset aliud, quàm cõmoda nostra: ita rursus gloriam quærebat Patris, ac si nihil de commodo quæreret nostro. *Isaiæ 9.* *Matth. 20.*

Tecum nunc cogita, quale sit, quòd Christus rex, & Deus
tibi nascatur, circumciditur, oret, prædicet, sudet, patiatur,
resurgat, & regnet. Expende & illud: Venit tibi mansuetus.
Quid habet Deus cum mansueto? An non Deus, Deus est *Isaiæ 6.*
Sabaoth? Deus, scilicet exercituum & potestatum? An non
Deus quasi vir pugnator, omnipotens nomen eius? An non *Exod. 15.*
Deus zelotes, vindicans peccata parentũ, in tertiam & quar- *Exod. 20.*
tam generationem? An non Deus est qui inebriat sagittas
suas sanguine, cuius gladius deuorabit carnes? An non Deus *Deut. 32.*
est, qui regit gentes in virga ferrea, & tanquã vas figuli con- *Psalm. 2.*
fringit? quid igitur est, quod nũc mãsuetus venit? Certè, quia *Ierem. 15.*
nouũ fecit Domin' super terrã nouus, si fas est dicere, factus

est Deus. Igitur cùm audis, venit tibi mansuetus: rerum om-
Isaiæ 65. nium mutationem intellige, nouam legem, nouum orbem
nouum regem, omnia denique noua.

Secūdò, Intellige: Si Christus venit māsuetus vt ouis, ergo
Isaiæ 53. ad occisionem venit. Si mansuetus vt agnus, ergo coram
Num. 12. tondēte se obmutescet. Iactet igitur suum Iudæa Samuelem,
suum Mosen omnium mortalium māsuetissimos: iactamus
nos Christum mansuetudinis fontem: & in suas passione
Ioan. 1. summæ mansuetudinis exemplum. Agnus, scilicet sacrifi-
candus, vt tollat mundi peccata.

Tertiò, venit māsuetus: vt iā liceat nobis ad illū accedere
Isaiæ 42. licet peccatores simus, non enim clamabit, nec fuūēs in pla-
teis vox eius audietur: lignum fumigās non extinguet, cala-
Hebr. 3. mum quassatum non cōfringet. Igitur ô peccatores, accede-
re ad thronum gratiæ eius cum fiducia licebit. Idcirco enim
in cruce, transfixos habet & pedes, & manus: ne nociturum
Psal. 104. credas. Idcirco humiliauerunt in compedibus pedes eius, &
ferrum pertransijt animam eius: vt mansuetus ostenderetur,
Hebr. 3. qui posset compati infirmitatibus tuis.

Vide verò: nihil magis principes decet, quàm clementia.
Armantur tamen contra læsæ maiestatis reos, legibus, gla-
dijs, crucibus, ignibus. Quàm contrà fecit Dominus? qui
contra contemptores suos lauacra parauit, medicamina
composuit, salutem adhibuit. Quid enim aliud sunt Ecclesię
Sacramenta, quàm aquæ Iordanis, quibus Naaman lepra
4. *Reg.* 5. curetur? quam aquę Siloë, quibus in natatoria sanantur infir-
Ioan. 5. mi? Si modo intrēt primi. Nā primogenita Deo sacrantur &
Matt. 7. prima cura nostra de comparādo regno esse debuerat. Quæ-
rit enim à nobis Dominus quæ prima sunt, quæ meliora.

Quid verò est, quòd multi strauerunt vestimenta sua in
via: nihil verentes, si illæ sordescerent, & calcarentur à mul-
tis. Rursum alij resecant ramos de arboribus: non contenti
folia aut fructus obtulisse. Vbi duplex se mihi sensus offert.
Prior est si per Christum insidentem asinę, intelligimus ver-
bum Dei ascensorem super carnem suam. Quo sensu ita in-
tellige. Cùm Dei filius in carne, Ecclesiam inuisit, mortem
pro ea passus & crucem: tunc multi strauerunt vestimenta
sua, id est, corpora sua, ea martyrio offerentes. Multi reseca-
runt ramos, id est, opes suas: quas vt Christo gratificarentur
omnino relinquebant. Vtriusque rei, historiæ Ecclesiæ nas-
centis abundè perhibent testimonium. Sed vtrumque tam
grande

grande miraculũ fuit: vt nullę historię simile proferant. Vnũ certè aut alterum producent: qui se obiecit gladio, aut inopiæ. Sed quænam historiæ tot myriadas martyrum, tot qui possessiones suas vendiderint, exhibebunt? *Actorum 2. 4. & 5.*

Alter verò sensus est, Si per Christum asinæ superpositum, intelligas eundem, nostram sensualitatem gubernantem. Est verò asina sensualitas nostra oneribus peccatorum olim assueta. Asellus verò significat hominem terrenum, à vitijs quidem abhorrentem, sed sine Christo, qualem tibi Philosophorum Scholæ exhibebunt: qualemque Euangelista Ioannes dicitur dipinxisse, cum dicit: esse quosdam, ex voluntate viri natos. Hic sensus si placeat, iam accipe, multos Christi amore, & exemplo carnem suam strauisse, calcandam pedibus aliorum quod monachi faciunt, voluntatem suam pedibus Prælatorum suorum subijcientes: nihil verentes si hac ratione, oculis hominum viderentur sordescere, & dehonestari. Rursum, multos, ex arboribus ramos detruncasse, id est, affectus mortificasse ex cupiditate (omnium malorum radice) pullulantes. Vbi enim proferes mihi tot mirabiles viros, qui monachalem vitam professi fuerint, qui affectus suos, qui erant super terrã ita resciderint, sicut à tempore mortis Christi publica fama fuisse testatur? Nulla plane lex est, nulla secta, nulla natio: quę ita anatomẽ, seu resectionẽ affectuũ, ad viuum exequatur: vt Christiana. Sermo enim Dei viuus, pertingit ad diuisionem animę & coporis, compagum quoque & medullarũ, & nulla creatura etiam abditissima, inuisibilis est coram illo. Qua ratione Lex noua abdicat occultamẽta dedecoris, nihil vitiosũ, etiã in intimis cordi penetralibus, consistere patiens. Longe enim est à Christi lege simulator, & hypocrita: qui sepulchrum est dealbatum, foris sanctum, intus immũdum. Ergo si Christum sequi vis, alterum delige, aut voluntatem tuam alterius iudicio subde calcandam: aut ex arbore terræ defixa, id est, terrena voluntate, ramos abscinde.

Ioan. 1. Caietan. Ibidem.

Coloss. 2. 1. Ad Timot. 6.

Hebr. 4.

2. Cor. 4.

Matth. 6.

Matth. 24.

Sed non est fas præterire, quod Ioannes inquit, omnes qui huic aderant Christi triumpho, ramos accepisse palmarum: & clamasse: *Hosanna filio David.* Palmæ in manibus, victoriæ indicium & symbolum est. Necesse est igitur, eos qui Christum sequuntur, & pugnare, nec pugnare tantum, nisi sequatur victoria pugnam. Id verò est quod habetur in Apocal. sanctos qui in cœlo consistunt, palmas in manibus habere. Itaque *Ioan. 12.* *Apoc. 7.*

neque otiosos, neque ignauos patitur Christus: neque socios habet nisi victores. Quocirca neq; Iudæi terrã promissionis assequuti sunt, nisi post frequẽtes pugnas, & claras victorias.

Quòd verò qui palmas habent, *Hosanna* clamant: indicant victorias suas, se à Christo recepisse. Tum indicant, dum viuimus nunquam à pugna esse cessandum, neque vllum esse momentum: in quo non sit necesse pro victoria clamare. est enim militia vita hominis super terram. Rursum indicant,
Iob 7. qualis sit eorum animus ad Christum, est enim eum semper aspirare, ad ipsum semper aspirare. Dixit enim Dauid: Oculi
Psal. 24. mei semper ad Dominum. & item: Sicut oculi ancillæ in
Psal. 122. manibus Dominæ suæ: ita oculi mei semper ad Dominum.

Nec vacat mysterio, quod bis dicunt *Hosanna*, sed cum secundò dicunt, addunt *In excelsis*. quo indicant: se quidem in hoc seculo optare victoriam: at non qualemcunque, sed quæ in cœlis plena sit. vt sicut Christus per pugnas tam difficiles, perque victorias tam illustres, consessum in Dei ex-
Hebr. 1. celsis comparauit: ita & illis contingat. Patriam enim in
Hebr. 11. excelsis Sancti in hoc seculo aspiciunt, eamque à longe salutant. Igitur dicunt: Salua nos Domine in hoc seculo: sed maxime salua nos in excelsis.

Non libet silere, quòd licet hosanna significet, tũ triumphos, tum salua, tum saluifica, tum salua obsecro: significat etiam tamen reconditum quendam exultandi modum: qui percipi potius quàm dici possit, significante hoc Spiritu sancto, quòd sicut quando pugnamus, spiritus interpellat pro
Rom. 8. nobis, gemitibus inenarrabilibus, ita quando vincimus, exultare facit lætitia inenarrabili, quæ gustari, non dici possit. Interim tamen, siquid de ea lætitia dici possit, id illi explicarunt dicentes: Salua, & benedictus qui venit. Licet enim animalis homo non percipit quæ Dei sunt. (nec enim quæ
1. Cor. 2. sunt Dei, nouit nisi Deus, & cui voluerit Deus reuelare.) Si
Matth. 11. quid tamen ex his diuinis, velut per transennam, perspici datur, hoc est: quod qui Dei sunt, & salutem æternam sibi, & Deo gloriam æternam quærunt. Primum indicant cùm dicunt; Salua. Alterum, cum addunt: *Benedictus, &c.*

Porrò verbũ illud: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Multa nos docet. Primum illud optatissimũ, quod Messias iam venit. Secundò, quòd veniat in nomine Domini, id est, vice, loco, autoritate, maiestate Domini. Si enim Pater venisset in carne, ea plane omnia quæ dixisset, aut fecisset, ea

omnino

omnino dixit Christus & fecit. quâ ratione Christus Philippo roganti, vt Patrem suum Christus ostenderet, respondet: Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum, id est, Dum vides me operantem, dum audis me loquentem, Patrem videre te puta, & operantem, & loquentem. Est enim Patri Filius consubstantialis. Ergo cum Dominus dicit: Ego veni in nomine Patris mei. sensus est: Ego veni loco Patris mei, ita, vt qui me videt, & audit: videat Patrem & audiat. *Ioan 14.* *Ioan. 5.*

Quòd si Christus ita venit, vt eam vitam, mores, ingeniũ, quæ tractantur in cœlo: ad nos adferat habitantes in terra: an non dignus est, cui acclamemus, benedictus qui ita venit in nomine Domini, omnia cœlestia adducens in terram? Expende obsecro Euangelicã vitam, quid inuenies aliud quàm cuncta cœlestia? Benedictus ergo qui venit in nomine, non Adæ, non Platonis, aut Socratis: tolle, hi terreni sunt. Benedictus iste cœlestis, qui venit in nomine sui Patris æterni.

Rursum benedictus qui venit: quia per eius aduentum, iam multæ cum turbæ cognoscunt, & laudant. Dictum erat in Psalmo. Et florebunt de ciuitate, sicut fœnum terræ, ideo benedictum sit nomen eius in secula. Quid erat aliud, videre turbas egredientes de ciuitate, clamantes, & laudantes, quàm videre turbas florentes, copiosas sicut fœnum terræ. Sit ergo nomen eius benedictum in secula: qui multiplicauit gentem, licet non magnificauerit lætitiam, sicut in die Madian. *Psal. 72.*

Sed in eodem Psalmo dicitur: Benedictum nomen Maiestatis eius, & replebitur maiestate eius omnis terra. Quam mutantur omnia! Sedebat olim ciuitas sola, licet plena populo. At nunc benedictus qui venit: vt ciuitas, imò terra prius sola, maiestate diuina repleatur. Verum igitur est illud Isaiæ: Et que sub ipso erant, inquit, replebant templum. Certè opera & Sacramenta, & prædicatio Christi, non solum replent templum, sed etiam orbem vniuersum. *Psal. 72.* *Tren. 1.* *Isaiæ 6.* *Psal. 117.*

Iam, dictum fuerat: ô Domine saluum me fac, ô Domine bene prosperare, benedictus qui venit in nomine Domini. Deus Dominus, & illuxit nobis. En quæ sit causa benedicendi, scilicet, quia illuxit nobis, & quia, vt Isaias dixit, venit lumen, & gloria Domini iam orta est: & item quia Deus misertus est nobis, benedixit nobis, illuminauit vultum suum. *Isaiæ 60.* *Psal. 66.* *Psal. 117.*

Demum benedictus qui venit, quia lapis quẽ reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, hic connexuit

asinam

Ephes. 2. asinam pullo, connectens, vtrumque parietem, & maceriam dissoluens, connectens in suo triumpho pauperibus diuites, præcedentes sequentibus. vt omnes sint vnum, vt
Ioan. 17.
1. Cor. 1. iam non sint diuisiones, sed omnes idipsum dicant, & non
Psalm. 67. sint schismata. Benedictus sit qui facit habitare vnius moris
Actor. 4. in domo: benedictus qui facit, vt omnium sit cor vnum & anima vna.

Iam quid fœlicius ea vita, quæ omnes vnanimes facit? Sed hæc vita licet rosa sit, est tamen rosa & lilium inter
Cantic. 2. spinas. Tota enim vita nostra est plena malis, ideo turbæ clamant: Hosanna, salua, sed salua in excelsis. Quia igitur Christiano nihil debet esse antiquius, quam gloria Dei, & propria salus. ideò Ecclesia ante consecrationem, vtrumque nobis inculcat, dicens: *Benedictus qui venit, Hosanna.* idque dicit non semel, sed bis: cupimus enim seruari à malis, non solùm animæ, sed etiam corporis. nec simpliciter dicimus, Hosiah, id est, salua: sed hosiah na, id est, salua obsecro, quo verbo, & humilitas Christiana notatur: & quòd perseuerantia non cadit sub merito: & quòd sine præsidio diuino, vana sit salus hominis: & quod in excelsis, nemo seruare potest nisi Deus.

Et cùm intrasset Ierosolymam. Hoc Euangelij segmentum, ad quadruplicẽ Christi ingressum applicari potest. Christus enim ingressus est in Mundum, in Virginem, in Animas, in Cœlum. Dicam paucula de singulis. In primo ingressu
Aggei 2. commota est ciuitas, imò & orbis. Dicitur enim: Adhuc modicum, & ego commouebo cœlum, terram, mare, aridam: & mouebo omnes gẽtes, & veniet desideratus cunctis gen-
Psal. 17. tibus: & implebo templum istud gloria. & item: Vidit & commota est terra: montes sicut cera, fluxerunt à facie Do-
Isaiæ 40. mini. Certè, quia omnis vallis implebitur: omnis mons & collis humiliabitur. At necesse est orbem commoueri si val-
1. Cor. 1. les implentur, montes humiliantur. Si cor excelsi deijcitur, quia frater est: si cor serui exaltatur, quia Christianus est, an non omnia commouentur? Si Philosophi disputant Iudæi scandalizantur, Gentes credunt, dæmones confunduntur, idola deijciuntur, oracula cessant, templa diruuntur, Euangelium recipitur, noua vita inchoatur, vetus condemnatur: an non est hoc totum mundum commoueri? Si mortui resurgunt, infirmi conualescunt, dæmoniaci curantur, mare
Matt. 27. calcatur, Sol obscuratur, Crux adoratur: an non hoc est

omnia

omnia susque deq; moueri? Cùm decidebat Manna de cœlo, mirabantur omnes dicentes: quid hoc? cùm ergo Christus verum manhu de cœlo venit: an non vehementius turbabuntur, dicentes: quid hoc? quænam doctrina hæc noua? Christus super naturam. ergo Christum miratur natura. Cùm diuulgabatur Salomonis sapientia, mirabātur omnes, currebant omnes: vt eum audire liceret. At plusquàm Salomon hic: quia ille, vt de terra, de terra loquebatur: at hic, vt de cœlo super omnes est, quæ enim audiuit à Patre hæc loquitur, loquiturque sapientiam non huius seculi, aut principium huius seculi. Iure igitur miratur orbis. Ad prædicationem Ionæ, sacco rex Assyriæ induitur, totaque Niniue commouetur: expende nunc, quàm longè magis mores suos mutauerit per Christum orbis, quàm per Ionam Niniue. Miraculum est naturæ Christus: imò miraculum cœli. miraculum miraculorum: meritò igitur natura. Angeli, & orbis dicunt, quis est hic? videt mundus violatas leges suas? Virginem parere, hominem Angelis imperare, honores, diuitias, delitias contemni, diabolum prostrari, vinci, calcari, idque à fœminis, à puellis: videt ciuitates deseri, solitudines impleri, vitam secularem abijci, vitam Angelicam ab hominibus tractari: an non meritò dicent omnes, *Quis est hic?*

Exod. 16. Actor. 17. Ioan. 3. Ioan. 15. 1. Cor. 2. Ione 3. Isaie 63.

Et equidem hæc vna causa est, quare damnabit Christus, eos qui in eum credere noluerunt. Cur enim videntes tot rerum miracula, non dicunt: *Quis est hic?* Cur Mauri & Indi tantarum rerum famam habentes, non curant nosse, quis est hic?

Et, siquis est inter homines, qui de rebus Christi dubius hæret: audiat populos acclamantes: *Hic est Iesus Propheta* Si populos priores audias, si Prophetarum oracula, si totius gentis Iudææ expectationē aduertas, facile cognosces, quis sit hic. Finis enim legis Christus. Lex igitur illum clamat. Iudæi Christum sperabant, dicente Samaritana: Scio quod iam venit Christus. Populi qui tunc erant, dicunt: Propheta magnus surrexit in nobis. & quid aliud dicere poterant, à dæmonibus liberati, a languoribus sanati, panibus satiati, à morte excitati? Quid si libeat audire tot monachos, virgines, martyres, & tot homines, quorum vita Deo sacra est, mors Christo dicata.

Rom. 10. Ioan. 4. Luce 7. Matth. 4. Ioan. 11.

Nec simpliciter audias: *Hic est Iesus Propheta*. Propheta

enim sumi apud Sanctos solet, pro prædicatore. At voluit Christus, se vt prædicatorē laudari. Certè Paulus nunquam
1. Cor. 9. non iactat suam Apostolicam, suam prędicatoriam functio-
2. Cor. 3. nem, quam nec Dominus siluit, cùm dicit: Spiritus Domini
Isaie 91. super me, eò quòd vnxerit me, ad prædicandum pauperibus misit me. Cur enim Dominus non iactet munus suum, vnde nouit omnia nobis bona prouenisse?

Cur verò dicunt: *Propheta à Nazareth?* Christus secundùm Deitatem genitus in æternitate: secundum humanitatem genitus in Nazareth. Cur igitur taceatur ea terra, vnde nobis bonum omne processit? Imò & cur taceatur, quòd è florēte patria, florentissimus & fructuosissimus nobis prouentus accessit?

Igitur, cùm dicunt turbæ Christum esse Iesum, eius maiestatem indicant. Cùm prophetam, eius prædicatoriam functionem. Cùm Nazaræum, omni virtute florentissimum, & omni fructu refertissimū affirmant. Quod addunt: *Galilea.* significant, quòd sicut Christus velut rotatus e cœlo venit in terram, ita & nos rotati è terra ascendemus in cœlum. Galilæa enim rotationem significat.

Porro, antequam Dominus in mundum venisset, omnia strepebant venalitate: quid enim aliud homines faciebant, quam auro suo, argento, & labore, honores, diuitias, & deli-
Isaie 55. tias quærere? An non hoc erat appendere argentum: licèt non in panibus, & laborem, licet non in saturitate? Emebant igitur homines voluptates suas, pro quibus non verebantur & animas in pretium dare. Oculos te precor in mundum, qui tunc erat, conijce: quid credes aliud mundū fuisse, quàm mensam nummis plenam, hominesq́; in circuitu illius mēse laborantes, accurrentes, anhelantes, vt ex ea mensa nonnihil arripere possent.

Quòd si columba simplicitatem & bonitatem significat: quid aliud Iudæos esse credis, quàm emptores columbarum.
Matt. 6. id est, toto nisu quærentes viri boni videri? Ideo enim tuba canunt in plateis: ideo alij ab alijs testimonium bonitatis
Act. 10. requirunt. At vbi Christus in mundo cognitus est, videres
Actor. 4. delitias eijci, nummos contēni, honores calcari. Vendebant
Actor. 5. enim possessiones, & ibant gaudentes quia digni habiti sunt contumeliam pati.

Illud annotatione dignissimum: *Domus mea, domus orationis vocabitur.* Ergo templum vbi Christus adoratur, domus

orationis vocatur. Primum quidem illud omni acceptione dignum: quòd Deus domum inter nos velit habere, non quòd domus sit illi, vbi habitet necessaria. Nec enim cœlum, aut cœli cœlorum eum capere possunt: sed domum habet, vbi miserias nostras audiat, & misericordias suas largiatur. Et quidem proprium illi est misereri, semper & parcere: meritò igitur domus vbi miseretur, domus illius nominatur. Et si dicere fas est: tam Deus domum vult in terra, quàm in cœlo. hic enim præmium dat beatis, ibi auxilium præbet miseris: hic miseriæ nullæ, ibi pater misericordiarū filiorum miserias misericorditer eijcit. 3. Reg. 8.

Sed cur domus hæc, domus orationis vocatur. cur non potius domus Dei, domus auxilij, domus misericordiæ? Primum quidem ostenditur, quàm sit hominum conditio misera, id est, quàm sit auxilij impetrandi egena. Adeò enim miseri sumus: vt nunquam nobis sit in templū intrandum, nisi ad orandum, petendumq; contra mala nostra fauorem. Secundò: Ostenditur, quòd non est aliud nobis medium per quod Deus lubentius, facilius, & vt ita dicam naturalius, fauorem suum præstet, quam oratio. Est enim oratio scala Iacob, per quam Angeli orationem ascendunt: & fauorem descendunt. Tertiò: Significatur, quòd vix aliud fieri vult in domo sua Deus, quàm orationem. *Domus enim mea domus orationis est.* Qui igitur in templo non orat, perinde est, ac si in conuiuio nō edat, in schola non discat. Quartò: Expende. Domus Dei, domus orationis est. ac si diceres: Quæ habet Deus, orationis sunt. per orationem Deum, & quæ Dei sunt acquirere licet. Quintò: Ostendit Dominus quā velit viscera sua nobis esse manifesta: vult nos certissimè scire quòd largissimè nobis fauere vult, ideo domui suæ nomē Orationis imponit. Sicut si rex rigorosus, cupiens suum monstrare rigorem, domui suæ hoc nomen adhibeat, quòd sit Iustitiæ domus. Sextò: Scitum est, quòd oratio sit eleuatio mentis in Deū, sine qua frigent, quę corporaliter in tēplo fieri solet. Spiritus est Deus, & tales adoratores quærit, qui adorent cum spiritu, & veritate. Demū si domus Dei domus orationis est: igitur ministri huius domus, grandes sint oratores. non venatores, non potatores, non alijs vitijs maculentur. Genes. 18. Ioan. 4.

Iam id sibi persuadeant homines quòd mundus hic vallis sit lachrymarū, domus sit horroris & vastæ solitudinis, terra sit deserta inuia & inaquosa, locus sit periculorum & malorum: his

Deut. 32. rum: his omnibus malis, vnicum prouidit Deus remedium,
2. Cor. 11. domum orationis. Est igitur templum Dei, velut pharmacopolium, vnde contra omnia mala, remedia petantur & impetrentur. Est cella vinaria, imo penu ditissimum Dei, vbi bona omnia habeat Deus: sed instrumentum quo haurias, oratio est.

Cantic. 1.

Ergo duo sciant Christiani, primum, quòd licet in omni loco dominationis Dei, Deus velit orari & benedici, tamen locus vbi (velut ad largiendũ) se Deus obstinxit, templum est. Scio planè dictum esse, venit tempus, cùm neque Ierosolymis, neque in monte hoc, orabitis Patrem: sed orabitis in spiritu. quasi dicat: orabitis vbilibet spiritus vester scit: scio tamen, quòd fructuosior multò est oratio quæ in templo, quam quæ alijs locis fit, si sint reliqua paria: meritò enim Christus dicit: se inueniri, in his quæ Patris sunt. quasi dicat: Si vis me inuenire, in templũ ascẽde, ibi me reperies. Animo igitur meo insedit, quod vt sunt in Ecclesia tempora, in quibus Deus maiora hominibus auxilia præstat (vt est tempus Quadragesimæ, Aduentus, &c.) Ita sint loca, id est, templa, vbi Deus se largiorem hominibus præbet. Nec id sine merito. Siquidem in Ecclesia Christus adest, in Eucharistia latens. Adest & Christi crux. Adsunt Sanctorum reliquiæ & imagines. Adest aqua benedicta, & reliqua sacra: vbi hæc sunt, minor est diabolo de nobis triũphandi facultas, maior est diuina participandi potestas. Si fugabatur diabolus cùm Dauid citharam percutiebat, quanto acrius fugabitur, cùm in templo laudes diuinæ cantantur. Intelligere igitur licet, Regiam Dei cœlum illum summum esse, vbi summa Deus attentione adoratur. Aliud cœlum est templum nostrũ, vbi summa esset Deus attentione laudandus. In illo cœlo sedet Deus super solio excelso & eleuato: sed eius vestes nostrum cœlum replent, id est, eius auxilia, fauores, & viscera misericordiæ Ecclesiam replent. Cœlũ illud est sancta sanctorum. Cœlum hoc est sancta. Nihil enim cœlum illud à nostro diuidit, nisi paries interstitius carnis nostræ.

Psal. 102.
Ioan. 4.
Luc. 2.
1. Reg. 16.
Isaiæ 6.
Hebr. 10.

Exod. 23. Illud vero est vehementer terribile: *Vos fecistis eam speluncam latronum*. Planè quia plebs terrenis laboribus occupata, nec Deum debite laudare, nec de peccatis vt par erat dolere: nec diuinorum contemplationi vacare, nec libros sacros euoluere, nec pauperum remedio poterat inseruire: ideo clericos locauit & monachos, quos prouentibus alit & ditat:
Ioelis 2.

vt hi

vt hi vicem illorum gerant, operam vicariam præstent. Deumque illorum loco laudent, & inter vestibulum & altare plorantes dicant, Parce Domine, parce populo tuo. Sint Maria, quæ ad pedes Domini sedens, audiat verbum eius: sint Lucæ 10.
ij ex quorum ore scientiam populi requirant. Demum Mariæ Malac. 2.
Martham adiungant solicitam: vt pauperibus Domini, imò Lucæ 10.
Domino pauperum seruiant.

Iam nunc Lector expende: si clerici nihil horum ad quæ locati sunt præstent: adeò, vt nec horarias preces recitent: an non hi fures tibi videbuntur & latrones, qui cibos quidem, & hos lautissimos recipiunt: vt opus exhibeant, quod tamen non exhibent.

Audiant nunc Prælati (qui hosce clericos indignos in ministeria Ecclesiæ deligunt) Christi vocem terribiliter dicentem: *Vos fecistis domum Dei, speluncam latronum*. quasi diceret: Vestrum erat domum Dei orationis, oratoribus replere: domum Dei Angelicis hominibus, imò diuinis adornare: at contrà, speluncam latronibus plenam exhibuistis. Profectò si Prælatus pretio ministrum Ecclesiæ constituit, hic minister pretio etiam Ecclesiæ ministeria exercebit: nummularius ergo erit, igitur nec latronis nomen effugiet. Cum Ecclesia Dei habuerit prælatos qui nummos non requirant, sed contemnant: habebit etiam ministros, qui nummos non suspiciant, sed despiciãt: quo fiet vt & plebes habeat, quæ nummos non admirentur, sed distribuant. Quia enim Dominus super asinam vilem ascendit: placuit Apostolis, se suis vestibus nudare: vt asinæ imponerent. Vbi verò plebs Apostolos Matth. 21.
nudos conspexit, se etiam ipsa suis vestibus nudauit: vt transeunti Christo prosterneret. facile profectò maiorum vestigia subiecti sequuntur. Christo placeat, vt Ecclesiam suam, mensis nummarijs, (id est, cupiditate omnium malorum 1. Tim. 6.
radice,) & cathedris columbarum, id est, ambitione, quæ Iacobi 3.
maius sibi iudicium sumit, purget & mundet. Id ipse si præstare vellet, scio quam multi cæci, & claudi, tum mente, tum etiam corpore, sanitatem reciperent. Nec enim eius nunc manus coarctata est, vt eam saluare non possit, & equidem quando in Ecclesia resplendunt ministrorum sanctitas, resplendunt etiam & miraculorum claritas.

Interim [illegible] admiratione dignum, quod [illegible] Christo in templum [illegible] & [illegible], non destiterunt tamen principes & [illegible] contra Christum [illegible]

ita & nunc, licet ministri sanctitate & miraculis emineant: non desunt qui contra eos immurmurent. Legitur in actis,

Actor. 13. quod cum Antiochiæ dissem inaretur verbum Dei, per mulieres religiosas & honestas, & per principes ciuitatis excitata persequutio est contra Paulum, & Barnabam. Quis præcor te, potuisset credere religiosos & honestos contra sanctitatem surrecturos? quis crederet religionem contra religionem, honestos contra honestatem armari?

Porrò obtrectatoribus Dominus respondet *Ex ore infantium & lactantium perfecisti laudem*. Vbi aduerte, & infantes laudare, & eorum laudem esse perfectam. Et equidem scio multos fuisse in vita Christiana paruulos, qui adhuc pendentes ex vbere matris, Christum vehementer laudabant, quod de infantia Nicolai & Catharinæ publica fama commemorat. Sed dubium mihi est, quis fuerit Christi sensus hoc loco? & equidem tres sunt Christiani profectus ætates. Sunt

Hebr. 5. enim alij perfecti: quorum, vt Apostolus, inquit, solidus est

Hebr. 12. cibus. Horum locum tenent nunc Prælati & monachi. Sunt alij medij, qui propositum sibi certamen currunt, aspicientes in autorem, & consummatorem fidei Iesum: hi sunt bona populi pars. Sunt vltimi, qui cum prius Christum non nos-

1. Petri 2. cent, è vitijs egressi tanquam mundo geniti infantes, lac rationabile concupiscunt. Hi solent in principijs, mirabili & singulari Spiritus sancti impetu adflari: vt stupenda, & mira-

Actor. 9. bilia & dicant, & faciant. Quod cernere est in Paulo recens conuerso, in Augustino, in Francisco, in quorum primitijs parum humanarum virium, multum verò diuinarum fac... cognoscas. Hi sunt pueri Hosanna clamantes, quem clamorem, non humana prudentia, non maiorum instructio, non fortunæ casus potuerunt edocere: non caro denique,

Matt. 16. aut sanguis, sed Pater reuelauit, qui est in cœlis. Quòd si Pater has laudes edocuit, apertum est, quam erit perfecta laus, quæ ex tam perfecto principio dimanauit. Cùm igitur Pater, has laudes tunc Iudæos Christo cantare docuerit: profectò, & qui canebant pueri erant, recens à Deo in spiritu geniti: & quam canebant laudem, perfecta erat: vt quæ erat à Patre profecta: vt quæ odorem quendam Deitatis efficiebat. Sed de hoc priori sensu sat dictum sit.

SECVNDVS SENSVS.

De ingressu Christi in Virginem. Cùm ingressus est Christus in Vir-

in Virginem (Virginem inquam) verè Ierosolymam, id est, vere pacis visionem, commota est vniuersa Virginis ciuitas. Nouo enim lumine illustratus est eius intellectus, nouo igne exarsit affectus, noua lætitia exundauit cor, nouo fœtu intumuit venter. Stat tota attonita Virgo, videns sanguinem suum, rubum esse qui ardeat: sed non comburatur. Videns se amiciri Sole, nec inflammari. Videns se in media flamma, nec lædi: quia Spiritus sanctus eam obumbrabat. Cogitabat Virgo qualis erat fœcunditas, & omnia eius interiora dicebant. Quis est hic? Manhu? Sanè erat prudentissima Virgo. Sed opus in ea gestũ, attonitos redderet etiam Seraphinos. Si Maria conseruabat verba pastorum, conferens ea in corde suo, admirans rerum magnitudinem: quanto potius admirata dicebat: Quis est hic nouus in vtero fœtus? Exod. 3. Apoc. 12. Daniel. 3. Luc. 1. Luc. 2.

Sed hunc Virginis admirationi multa respondebant, & dicebant: *Hic est* IESVS. respondebat luminis magnitudo, ignis efficacia, lætitiæ immensitas, & ipsius prolis nouitas. Hæc omnia dicebant: *Hic est* IESVS, ille desiderium collium æternorum, ille desideratus gentibus, ille in quo plenitudo deitatis habitat corporaliter, ille verè Nebia, verè videns Deum: nam quæ apud Patrem vidit, hæc nobis enunciauit: nec pilus de verbis eius, cadit in terram: vt de Samuele dictum erat. Gen. 49. Coloss. 2. Ioan. 5. 8.

Nec simpliciter intellexit Virgo, quod Christus esset Deus, sed quod erat tantopere expectatus, & tantopere à Prophetis cantatus. Intellexit Christum esse florem illum, quem Isaias dixerat ascensurum, ex virga de radice Iesse: ergo intellexit quòd Christus erat Propheta à Nazareth florente, sed à Virgine multo florentissima, & quòd sicut flos non corrumpit, sed ornat virgam: ita Christus non erat corrupturus, sed perfecturus Mariam. 1. Reg. 3. Isaiæ 11. Lucæ 1.

Iam igitur Christus, nõ solum descẽdit in Virginis aluum, sed multo potius in Virginis animum: tunc eiicit vendentes & ementes, id est, eiicit fomitem, qui venalitatis radix est: sanè licet in Virginis exortu, ei fuerit fomes ligatus: at in Christi cõceptu, est à Virgine ablatus & extinctus, vt Theologorum primores asseuerant. Eiicit igitur Christus ex matre mensam illam, vbi caro nostra vendere bona sua solet. Dicitque Christus: *Domus mea domus orationis vocabitur*. ô verè domum Dei, vbi sanctissimam illo verè domum in via perpetuò oratio fiebat. Vbi iugiter mens ad Deum, Virginis, sic in S. Thom 3. par. q. 27. artic. 3. Actor. 12. Leuit. 6.

templo nutritus, aſcendebat! Si cœlum domus Dei eſt, vbi adoratur: an non altius adoratur à Virginis mente? ſi ſinus Patris domus Filij eſt, vbi ab æterno generatur: vterus matris domus eiuſdem eſt, vbi in tempore concipitur, moratur, naſcitur. Domus igitur hæc non eſt aliud, quàm domus
Gen. 28. Dei, & porta cœli. At fomes feciſſet, vt hæc domus ſpelunca latronum eſſet: niſi cùm concepta fuit, ligatus ille fuiſſet, velut Aſmodeus ille, ligatus eſt: ne recens ſponſatæ noceret.
Tobiæ 6. Vbi verò Chriſtus in templum virgineum ingreſſus eſt, acceſſerunt claudi ac cæci. Eia igitur ſi claudi ſumus & cæci, acceſſus nobis patet ad Chriſtum. Illi cæci Iudæorum, nos admonent, quod quia Chriſtus in Mariam ingreſſus eſt, accedamus & nos ceci. Ideo enim in eam ingreditur, vt ſanet, & templum ipſum, Chriſtum pro noſtra ſalute interpellat, & exaudietur pro ſua reuerentia. Quid enim neget Matri
Hebr. 5. Chriſtus, ſuæ hoſpitæ Eliſeus? Imò planè Bernardus aſſerit
4. Reg. 4. pleraque bona, quæ Chriſtus nobis communicat, non niſi per Mariam communicare. Sed de Maria nunc ſatis: de qua nihil ſatis.

TERTIVS SENSVS.

De ingreſſu Chriſti in animam. Cùm in animam quæ prius erat in peccato, ingredi dignatur Dominus, id eſt, cùm di-
Pſal. 112. gnatur è ſtercore erigere pauperē, & de terra inopem: cùm
Epheſ. 5. dignatur obtenebratum illuminare, & mortuum excitare: tunc commouetur vniuerſa peccatoris ciuitas, totus turba-
Pſal. 6. tur peccator. Miſerere, inquit mei, quia conturbata ſunt oſſa
Pſal. 37. mea, & anima mea turbata eſt valdè. & item: Non eſt ſanitas in carne mea, à facie iræ tuæ: non eſt pax oſſibus meis à
Eodem. facie peccatorum meorum. Et rurſum: Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea. Planè cor cõteri debet,
Concilium vt peccatum dimittatur, at ſi conteritur, commouetur.
Trident. Cùm verò ita animus commouetur: cumque ſagittæ po-
Pſal. 44. tentis cadunt in cor inimicorum regis, tunc animus nouo vulnere percuſſus dicit: *Quis eſt hic?* vnde hoc mihi? Nam &
Act. 9. Paulus vulnus ſentiens dicebat: Quis es Domine? Certè cùm vocatio illa, ex morte ad vitam, ex peccato ad gratiā, ſuper naturam fit: rem tam nouam, natura ſentiens admiratur, &
Luc. 11. interrogat quis eſt hic? Sanè tunc fit pugna Chriſti cum forti armato, à quo ille aufert animam, quam tenebat captiuam.

tunc

tunc idola exaltati cordis nostri corruunt, Dagone arcam 1. *Reg.* 5.
Domini non compatiente, tunc creatur nouus homo, noua *Galat.* 5.
creatura, vetere homine pulso, tunc filius prodigus ad pij parentis pedes procidit, à quo ille osculum recipit & amplexus: *Luca* 15.
an non dignum est in rebus tam nouis ciuitatem animæ commoueri, & quærere, quis sit tantæ nouitatis effector?

Cui interrogationi omnia viscera respondent: *Hic est* IESVS. Cum enim nō in peccatoris conuersione Pater peccatorem trahat ad Christum, (vt omnes honorificent Christum,) *Ioan.* 6.
fit, vt intus in animo, responsio inueniatur: quod qui eam nouitatem facit, sit IESVS. cuius vulnerantem, & sanantem manum peccator, licet euidenter non videat: intelligit tamen.

Porrò vbi Dominus in sacratiorē animæ partem, id est, mentem, velut in templū intrat, eijcit ementes inde & vendētes. Profectò ante Christi ingressum in mentē: mens tota curis perstrepit inquirētibus, quomodo illud emā, illud vendam? quomodo nūmos acquirā? quomodo honores & delitias cōparabo? At cum Christus intrat, curæ silent: ille possessionū eijcitur amor: honorū contēnitur ambitio. Intelligit anima, magno se emptā pretio: ideo vēdere se nō vult. venalis esse nolo, dicebat Augustinus: itaq; exit anima è telonio 1. *Cor.* 5.
cum Mattheo, distribuit sua cum Zacheo, & sæpè omnia re- *Matt.* 9.
linquit cum Petro & Ioanne: vt ad pedes Domini liceat se- *Luc.* 19.
dere cum Maria. *Luc.* 10.

Et meritò id quidem: Mens enim domus Dei est, domus orationis est. non ergo licebit eam alienis curis perturbari. non erit æquum speluncam eam facere latronum. Certè si anima inter amplexus pij parentis, & dilectissimi sponsi, gustum & dulcedinem sentit: si sugit ex vberibus spōsi vinum, omni vino dulcius: in medio verò dulcedinis illius, intrat *Cantic.* 1.
cura terrena, quæ gustum rapit, & furatur: an non cura illa fur est, & latro? ó latronis impiam audaciā. Cur in Dei sacrarium irrupisti? cur Dei lectum ascendisti? ne crescas, quia Dei lectū commaculasti. Eiectis verò ementibus, & vendētibus: cæci vidēt, claudi exiliūt. Profectò videt intellectus pius, *Gen.* 49.
quod non videbat impius. Præceptū enim Domini lucidum est, illuminans oculos. & Paulus inquit: Surge à mortuis, & *Psalm.* 18.
illuminabit te Christus. si illuminabit, cæcus ergo prius *Ephes.* 5.
eras. Rursum: claudus ille iam sanus viā mandatorū currit, cū dilatasti, inquit, cor meū. Quæ causa est, quare ex indoctis *Psalm.* 118.

 homini-

hominibus plures videmus, in via Dei currentes spiritu fer-
Rom. 12. uentes, orationi instantes, necessitatibus sanctorum mini-
strantes? certè quia nouos habent pedes: quos perfecit Deus
tanquam ceruorum. Interim non deuiat Pharisæi: qui viden-
Psal. 17. tes, quod cæci prius, videãt nunc: quodque claudi prius, nunc
Ioan. 9. ambulent indignãtur, zelo mouentur & rabie. Sed illi taceãt,
Isaiæ 30. sperãtes in Dño. in silentio enim & spe erit fortitudo eorum.

QVARTVS SENSVS.

De ingressu Christi in cælum. Christo in cœlum ascendenti, pars prima huius historiæ applicari potest. Commota enim est vniuersa ciuitas regni cœlestis: videns carnem intrasse in regionem spiritus, temporale ingressum in æternitatem
Coloss. 1. carnem super Angelos exaltari, hominem à dextris Dei col-
Psalm. 109 locari. Filium hominis vsque ad antiquum dierum peruenis-
Daniel. 7. re. Commotam ciuitatem Angeli ostendunt, cum dicunt:
Isaiæ 63. Quis est iste qui ascendit de Edon, tinctis vestibus de Bosra?
Plane res erat admiranda, quòd qui ex deitate ascendebat
Psalm. 23. tinctas vestes haberet ex humanitate. Quis est iste qui simul
Deus & homo? Quis est ille rex gloriæ? Quæ est ista caro,
Cantic 8. quæ ascendit e deserto, delitijs affluens, innixa super dilecto.
Ephes. 4. Respondet multitudo illa, quam ascendens Dominus capti-
uam duxit: *Hic est* IESVS *Propheta à Nazareth* & quis explicaret immensitatem illam dulcedinis, in qua captiui illi, iam verè liberi, natabant: dum IESVM nominarent, per quem eam fœlicitatem, se videbant consequutos? Credere etiam par est, non solum nomẽ IESVS illos resonasse, sed IESVM prophetã dicebant. Cur enim non nominarent functionem illam, per quam ipsi ad Christum venerant? Illam quam Do-
Ioan. 13. minus ita iactat, cum dicit: Vos vocatis me Magister, &
Matt. 16. Domine, & benè dicitis, sum etenim: illam quam Pater illi
iniunxit, & nobis ostendit, cum dicit: Hic est filius meus, in quo mihi complacui, ipsum audite, nec est incredibile, eos subiunxisse, *Hic est* IESVS *Propheta Nazareus*. gaudent enim qui de dulcissimis fructibus edunt: arboris, floris & foliorum facere mentionem. At Christus arbor fuit illa florens in hoc mundo, de cuius fructibus suauissimè sancti edunt in cœlo. Iam verò existimandum est, quòd Galilæam cum Nazareth copularent, id est, reuolutionis quam Galilæa significat, illos meminisse. Videbant enim prius reuolutum Deum in carnem, nunc carnem in æternitatem.

Et relictis illis abijt Antequàm maiora hoc loco prosequar, sunt quædam minora prænotanda. Illud in primis propter peccata populi, Dominum in plantas, & bruta sæuire. Sæuijt in terram Ægypti, in Sodomam: imò in totum orbẽ diluuio sublatum: Si igitur agri nostri aruerunt, acceptum feramus ariditati pectoris nostri. *Ex 7.8.9.* *Genes. 8.*

Secundũ est: Esurit Dominus maledicturus ficui, indicans, quàm temperatus accedere debeat, qui maledictionem, aut aliam pœnam alij inferre cupit. Si enim Dominus temperatus, accedit maledicturus plantæ, quanto temperatior accedet, qui vult homini maledicere?

Tertium est: Maledicit Dominus ficui: non solum quia malas in ea ficus inuenit: sed etiam quia ficus nõ inuenit. Simile hoc est parabolis illis, quas Matth. 25. Dominus tractat de eo qui talentum defodit in terra, de virginibus carentibus oleo, &c. Ergo non solum condemnamur, quia male, sed etiam quia non bene egimus.

Quartum est: Ficus arbor est humectissima. Si igitur humectissima planta siccatur: quid sperat, quæ arida est? Si in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet? Id est, si in anima, quæ folia habet, quæ aliquid humoris habet, hæc execratio fit: quid in ea fiet, quę nihil horum habet, ô vos, qui sermone diuino fulgetis, qui canticis, qui cæremonijs diuinis, ad vos hic Dei sermo dirigitur: videte ne maledicamini. *Luc. 23.*

Quintum: Vbi Adam peccauit, & se nudum conspexit: folijs ficus se cõtexit. An non ficus illa, folijs, non fructibus, plena erat? Maledicta igitur terra in opere tuo. Iam si Episcopus, si Canonicus, si vir Ecclesiæ dicatus, videat se meritorũ fructu nudatum: & propterea suam nuditatem magna põpa, magnoque familiæ apparatu protegat: an non ille videt se ficum, cum folijs, sed sine fructu? At Concilium dicit: Autoritatem suam Episcopus vitæ merito sibi afferat: non seculi splendore. *Gen. 3.* *Conc. Carthagin. 4.*

Sextum: & id terribilissimum. Nunquam ex te fructus nascatur in æternum. Liceat hoc dicere liberius, videmus quosdam ex Ecclesia, ita foliorum gloria fulgẽtes: vt regium etiam superent splendorem: sed hos ita viuere & mori: vt à multis, etiam infidelibus (fide excepta) superentur. Quis non videant eorum sterilitatem, & a radicibus ariditatem? At in cœlum os ponere, vt non libet, ita & piget. Iam ad rem.

Quòd Dominus esuriat, (vt Sancti dicunt) quod nostram salutem esuriat, non potest nō mirabilissimum esse. An non habet quod edat, cur esurit? Si esuriero, inquit, non dicam
Psalm 49. tibi: meus enim est orbis terræ. Quid optet extra se, qui cuncta continet intra se? Deus non esset, si aliquid illi deesset. Si igitur in sua essentia, velut in ditissima mensa, sunt omnes dapes, omnia dulciaria, quid esurit? Quod si illi aliquid esurire fas est: habet propè se ardentissimos Seraphinos, sapientissimos Cherubinos, placidissimos tronos, vt homines esurire, videatur propè nefas, quis enim non miretur, quod à tam pulchris Angelorum choris oculos ferè Deus auertat: conuertatque in seruos: & seruos peccati? Et si simplici desiderio homines cuperet, esset mirandum: sed quòd eos esuriat: & quòd mane esuriat, quis non stupeat? Si mane esurit, quid faciet meridie? Certe id constat, mane aliquid velle, est vehementer velle: vt, Illud mane erigit mihi aurem,
Isaiæ 50. id est, vehementer id admonet: & mane adstabo tibi. &: Qui
Psal. 5. mane vigilant ad me, id est, qui vehementi cura inuigilant.
Prouer. 8. Id enim vehemens negotium est, quòd à summo mane incipimus. Idque toto die tractamus. Num igitur nullum negotium Deo nostro charius est, aut grandius, quàm de nostra tractare salute?

Video Christum tam ardenter nostram salutem optare, vt inde Patri suo gloriam, & honorem conciliet. Video Patrem, nostram ardere salutem: qui tantopere est ille bonus: & ideo tantopere nostram dolet desidiam, & nostram proinde miseriam. Est ille diues, cupitque, in quem suas effundat opes, habere: vel certè ideo esurit, vt nos cum esurire sciemus cibos apparemus, piaculum enim fuerit scire, quod nos ille cupiat: & quod eum suo fraudemus desiderio. Quàm verò piaculū sit, ex magnitudine pœnæ conijcias, maledixit ficui, fructibus carenti. De ficu pauca dicam.

Ficus hęc primum significat statum legis veteris: nō adeò homines, quā eorū statū. Hoc certe status legis, & Euangelij differunt: quòd lex terret, iubet, promittit, exornat exterius, sed gratiam non præstat interius, vnde fructus oriri queant: erat igitur folijs, non fructibus plena. Impossibile enim erat
Rom. 8. legi, quia infirmabatur per carnem: quempiam ad perfectum
Galat. 5. adducere, id est, ad fructus ferendos. Sunt enim fructus spiritus, charitas, pax, &c. Erat sane lex initium quadātenus gra-
Prou. 1. tiæ, quia initiū sapientiæ, est timor Domini, quē lex efficiebat.

Erat ergo lex radix gratię, sed quia per legē non erat iustitia: ideo per legē, non erat gratiæ ficus seu fructus. Apertum est Galat. 5. quòd ficus, sub vno cortice mel habet: in quo melleo humore grandis natat granorum multitudo. Hoc verò habet charitas, quæ humore melleus est: in quo omnes homines debent contineri. Neque enim charitatem habet, qui mel (in quo omnes diligat homines) non habet. Cùm igitur lex Moysi ex se gratiam & charitatem non contineret, nec caussaret: planè fit, vt ficus esset cum folijs, sed sine fructu. Pertęsus igitur Dominus huius arboris (meliorem plantare volens) exiccat legē illam, dicitq; illi: nunquam ex te nascatur fructus: id est, iam ex te nemo saluetur, veniant omnes ad Euangelium, in quo saluentur. Sciantq; post resurrectionē, legem iam mortuam, & post Euangelij promulgationem esse mortiferam. Iam igitur in lege nemo saluatur.

Ex sanctis nouimus, quemuis nostrum esse ficulneam, in terra Euangelica plantatam, nouimus etiam Dominum esurire huius arboris fructus: & quod manè esurit. Sed quid est, quòd veniat, quærens fructus, quando tempus non est? Respondere timor est. Multos nouimus in iuuenili, & florenti ætate defunctos, obijsseq́ue diem suum, quo tempore non Deo seruiebant, sed mundo. Quid hoc est? certè venit Dominus ad ficum, quærens fructum: quo tempore minus ficus fructum habere: siquidem in iuuēta potius videtur tempus fructificādi carni, & mundo, quàm Deo. At, non inuentis fructibus maledicitur arbor, eà qua nulla esse potest maledictio maior: nunquam nascatur in te fructus. Et certè in inferno non nascetur, qui enim arbor in medijs ignibus fructum proferat?

Vidimus multos recens sponsatos, multos initio suarum aut delitiarum, aut diuitiarum: quo tempore Deo non fructificabant: quo tempore arridente fortuna, videbatur tempus non esse vt Deo seruiretur, sublatos tamen è medio. Quid illud? quærit Dominus ficus, cùm tempus esse non videbatur.

In summa, multi sunt in peccato mortali: fructus charitatis non habentes, folijs Christianismi contenti. quærit in his Dominus fructus cum tempus non esset: & excindens, occidit: & in ariditatē inferni detrudit. Vanissimum ergo fabulamentum est dicentium, tunc nos Deum e vita subtrahere, cùm sumus paratiores. Imò verò frequenter

præoccupamur, qua hora non putamus. Vt parabola nos illa docet, de diuite, qui multa in multos annos bona congesse-
Lucæ 12. rat, sed illa nocte repetita est eius anima.

Accipe & aliud: Castigat Dominus frequenter filios suos,
Hebr. 12. quis enim est Pater qui non castiget filium suum, & castigat
Psal. 72. sæpè, etiam manè? Dicitur enim: Castigatio mea in matu-
Isaiæ 50. tinis. & item: Manè erigit mihi aurem. Quod solent patres
Iob 7. cùm castigant filios, erigunt illis aures. Et quidem sanctus Iob, queritur, quòd sua castigatio, etiam à summo manè incipiebat. Porrò cùm castigamur, tempus videtur potius recipiédi à Deo consolationem, quàm quod ei, patientiæ dulcedinem exhibeamus. Anima tunc potius vellet à Deo cibari: quàm Deum esurientem fructibus melleæ ficus alere. Sed si Deum
Matth. 5. esurientem non alat, maledicitur. Qui enim erubuerit me, erubescam & ego eum: maledicitur ergo, quia in culpam cadit mortalem. At qui culpa mortalis, quantum est ex se, fructibus caret in æternum.

Rursum, quòd mane fructus in nobis quærat, indicat, quam velit nos semper esse paratos, semper fructus habere expositos, quos Domino reddat. nunquam induciæ dantur: primum
Matth. 6. omniű quærite regnű Dei, nunquam sine hoc regno inuenia-
Luc. 2. mini. Estote parati, quia nescitis diem neque horam. Sint
Eodem. lumbi vestri præcincti: & lucernæ ardentes in manibus vestris. Sanè quia nocte carebant oleo, virgines, & sponsæ, non
Matt. 25. intrauerűt ad nuptias. At quis crederet sponsum venturum media nocte? venit igitur, cùm non esset tempus fructuum.
Psalm. 70. ô quàm rectè dictum est: Ne derelinquas me in tempore senectutis, cùm defecerit virtus mea, id est, cùm fructus, præ tempore, adferre desiero. Ama igitur Deű, & obserua legem
Deut. 11. eius, omni tempore. Et item, omni tempore benedic Deum.

Mirantur Apostoli ficum aridam. Quis non miretur animam in inferni ariditatem coniectam? Maximè si cōsideres Dei in se, clementiam. Dei in homines amorem: si hominis in se imbecillitatem: ad peccandum pronitatem. Si hominis
Genes. 8. hostes eum ad peccandum allicietes. Si ex alia parte pœnam in inferno infinitam spectes: quis non miretur à Domino animam exiccată. Miramur defunctum hominem, ruentem domű, euersam ciuitatē: ô quã est magis mirãda arens ficus.

Quis comprehendat illud: *Nunquam ex te fructus nascatur!* quod in inferno, nihil boni anima possit, non potest patienter sustinere, non potest in tormento lætari. Quis non

miretur ficum nulli vsui, nisi combustioni idoneam? & sane combustio ea est, vt in ea Dominus velit ostendere potentiam iræ suæ. plane enim fecit potentiam in brachio suo, Rom. 9.
dispergens superbos mente cordis sui. Si in viridi ligno talis Luce 1.
passio fuit, in arido quid fiet? Luce 23.

Quod vero Dominus Apostolis, potestatem montem eradicandi concedit: mihi creditu facile est. Data est Apostolis potentia super naturam, facti sunt Apostoli instrumenta & Marc. 11.
organa deitatis. Si deitas montem eradicare potest, siquidem deitatis nutu montes graui mole consistunt, poterunt Prou. 8.
etiam idem Apostoli. Non attendas cordas in lyra, aut tubos in organo: manum attende.

Sed eque item diabolus mons expressè dicitur apud Zachariam, hæc verba: Quis tu mons magne coram Zorobabele, Zach. 4.
in planum (supple) deducens. Quam vero frequenter Apostoli in diabolum suam exercuerint potentiam, ipsum ex obsessis eradicantes, Acta Apostolica declarant. Vbi illud non sileo quòd etiā sudaria, & semicinctia Pauli dæmones eijcerent. Act. 9.

Iam nemo nescit, per mōtes intelligi viros potentissimos: exercitus confertissimos, iuxta illud: Propterea non timebimus, dum turbabitur terra, transferentur montes in cor maris, id est, etiam si viri potentissimi & exercitus robustissimi Psal. 45.
coeant, non timebimus. Vide nunc Leonē illū primum verbo Attilæ regi obsistentem, & intelliges discipulum Christi, montem è sua firmitate eradicantem.

Rursum, cùm Apostolus Paulus excommunicat fornicarium, cum Petrus interficit Ananiā: quid aliud quàm ficum 1. Cor. 5.
exiccat? priuatus enim homo Ecclesiæ suffragijs (id est, terrę cœlestis humore) certum est, quòd arescet. At cum imperatores exautorantur & excommunicantur à Papa, quid aliud fit, quàm montes eradicari à discipulis Christi? Deponit Gregorius septimus Henricum quartum, Alexāder tertius Fridericum primum, Innocentius tertius Fridericum secundum. Quis hic non videat montes è terra depulsos?

Quia tamen Ecclesia non solū habet potestatē, vt eradicet, Ierem. 1.
sed vt plantet non solum in iram, sed in ædificationem, ideo rem ita intellige: Cum prædicator hominē diuitem, pompa & splendore seculi fulgentē conuertit, ficum exiccat. Atque adeo exiccat: vt qui folijs prius luxuriabatur: nunc folia illa pompamq; contemnat, & fugiat. At cum idem prædicator Regem aliquem, Cæsarem, aut Pontificem e seculi vanitate, in mea-

in mentem reuocat Christianam: planè montem eradicauit è terra, in melioremque locum dimisit: in mare, scilicet lachrymarum & compunctionis demergens. Ego verò non demiror montem è terra deuulsum: sed miror cœlum in terram coniectum: regnum cœlorum ad nos veniens, Deumque venientem & mansionem suam, in eo cubili facientem, vbi prius habitabant dracones.

Lucæ 17. *Isaie 35.*

Et cùm venisset in templum. Hæc, quàm Christo Pharisæi proponunt, quæstio mihi videtur, non vtcunque illi proposita: sed ex publico Iudaici senatus consilio. Itaque conuenerunt maiores illi, vt Christo grandem hanc quæstionem obijcerent: in qua quicquid responderet, caperetur. Sicut ergo ex publico Iudæorum consilio missi sunt Pharisæi interrogatum Ioannem, quis esset: ita & hoc loco, hæc interrogatio ex senatu processit, & coram frequentissima plebe Christo proponitur. Age igitur intelligamus concilium Iudæorum misisse ad Christum literatos viros, qui eum interrogarent, in qua potestate hæc facis?

Ioan. 3.

Est verò interrogatio adeò grauis, vt nulla posset grauior esse. Super hac enim omnes sectæ controuertuntur. Iudæi, Mauri, Gentes super hac re nobiscum decertant: habeátne Christus potestatem diuinam, an humanam? Ex hoc vno tota hominũ salus dependet. Ex huius viua fide iustus viuit. Qui enim credit in me, etiam si mortuus fuerit viuit: & qui viuit & credit, non morietur.

Rom. 1. *Ioan. 12.*

Porrò cùm sit grauis quæstio ista, est etiam cornutum dilemma. Si enim Christus respõderet, ex hominibus, dicerent illi: cur blasphemas, dicens te esse Deum? si diceret, ex Deo, blasphemiam illi impingerent. Dominus verò, simili dilemmate illis respondit: quocircà credibile est Pharisæos suam explicasse quæstionẽ hoc modo: *In qua potestate hæc facis?* ex Deóne, an ex hominibus? quibus Dominus paribus verbis respondet: *Baptismus Ioannis ex Deóne est, an ex hominibus?* Illi dicũt: *Nescimus*, timẽtes lapides turbæ. Vide quãtus Ioannes Baptista fuerit: vt siquis diceret, vitã illũ peregisse humanã, non diuinam, à Iudæis esset lapidandus. Vnde aduertendum tibi est, talis erat Ioannes Baptista vt testimonium eius toti mundo sufficeret, ad credendũ Christũ esse Messiham: tanta erat eius sanctitas, & autoritas illi à Deo non ab hominibus data. Non igitur, immeritò dictum est, existimante populo, quòd esset ipse Messias. Nec immeritò Dominus dixit

Ioan. 1. *Lucæ 3.*

Inter

Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta. *Matth. 11.*
Quo collige quã prudenter Dominus Phariſæis reſpõdit.
Si vos, inquit, quæritis in qua poteſtate hæc facio. Reſpon-
deo: Vos ſcitis fuiſſe Ioannem à Deo. Ille verò de me dixit: *Ioan. 1.*
Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Et item: Qui de
cœlo venit, ſuper omnes eſt. Et item: Nõ ſum dignus ſoluere *Ioan. 3.*
corrigeam calceamenti eius. Planè ergo vobis ille reſpõdit,
poteſtatem hanc eſſe à Deo.

Reſpõdent illi: *Neſcimus*. Quid? Soli vos eſtis peregrini in
Iſraël, vt neſciatis quod omnes ſciũt? an non erat grauiſſima
culpa, quòd rem tantã ignoretis? Veſtrũ erat diſquirere quid
quiſq; prædicatorũ aſſereret, verúmne an falſum eſſet? Cur
non examinaſtis an Ioannes verè an falsò tanta aſſereret de
Chriſto? examinaſtis enim: an Ioannes verus eſſet Meſſihas?

Tunc Chriſtus: *Neque ego dico vobis*. ô verè vnicũ malum!
Si Chriſtus nõ dicit nobis: quis ipſe ſit, verè perimus. Prima
enim ſalus eſt, ipſum audire ſeſe manifeſtantem. Audit *Actor. 9.*
Saulus: Cur me perſequeris? at ille. Quis es Domine? tota
Sauli vita inde pendebat, quòd Dominus diceret: Ego ſum
Ieſus: Diuina eſt mihi poteſtas, non ex hominibus. Audit *Ioan. 9.*
cæcus ille videns: Credis in Filium Dei? tunc ille, quis eſt
Domine? tunc Dominus, vt ſalutem daret in corde, qui de-
derat in oculis, ego ſum, inquit. Quæ verò alia ſalus eſſet Sa-
maritanæ & Samaritanis, niſi quòd Ieſus diceret, quis eſſet? *Ioan. 4.*
Duraſſent adhuc in mũdo denſiſſimæ tenebræ, niſi Chriſtus
dixiſſet, quis ipſe eſſet. Certè ſi fides ex auditu, & auditus per
verbũ Chriſti: vbi Chriſtus non loquitur: caret anima verbo *Rom. 9.*
vitæ, & vita: rogate ergo vt loquatur Dominus ad cor Ieru- *Iſaiæ 40.*
ſalem, dicens: Salus tua ego ſum. *Pſal. 34.*

Addit porrò Dominus parabolã: cuius ſingula verba ſunt
expendenda: *Homo quidam*. Rectiſſimè noſtri maiores Deum
dicunt, hominem vocatum, quia affectu eſt in nos paterno.
Adde, Chriſtum, qui illos duos filios habet, hominem eſſe.
Tum homo eſt, quia hominem deuicit, & captiuum ſecum
abduxit in cœlum. Vocatur ergo homo, ſicut Scipio, Afri-
canus. Tum tertiò, ſi in hac re libet [illegible] Platonem, imò
& Ioannem dicentem: Quod factum eſt, in ipſo vita erat:
omnes res creatæ ſunt in Deo eminenter: & licet in ſe morti
obnoxiæ ſint, in Deo tamen ſunt vita. Eſt igitur in Deo [illegible]
pis, ſeu [illegible] idea. Eſt homo ſiue hominis idea. Eſt igitur
Deus homo, non [illegible], ſed ille [illegible].

Hic homo duos filios habet. Ego arbitror hos duos filios ita intelligi: vt prior significet Christianos, ad Christum è peccatis conuersos. Posterior, Iudæos in legis iustitia fidentes: & ideo in Iudaismo perseuerantes. Hi, & illi peccatores, sed illi peccatum suum agnoscentes, ad Christum iustitiæ
Rom. 9. asylum confugerũt. Hi iustitiam sectantes, iustitiæ Dei non fuerunt subiecti. Ergo, hi filij sunt noui Christiani, & pertinaces Iudæi. Miraris forsan quòd hos, & illos, cùm peccatores essent, vocarit Dominus filios: sed admiratio crescet, si
Sapien. 2. spectes, quòd pro his & illis Deus misit Filium suum: quem morte turpissima cõdemnari, pro nostra salute permisit. Sic
Ioan. 3. Deus dilexit mundum: vt Filium suum vnigenitum in hoc daret: vt omnis qui crederet, per illũ vitam æternam assequi
Ephes. 3. posset. O incredibilis charitatis longitudinem, latitudinem,
Rom. 5. profunditatem! Certe commendat suam Deus charitatem, quia pro inimicis filium suũ mori voluerit. Video iam causam, cur Deus tot in orbe peccatores ferat. Plane quia eos diligit, sunt illi quidem inimici ex peccatis suis: sunt tamen dilecti ex Dei clementia, & ex bono quem à Deo receperunt
Rom. 11. humana natura. Sicut Paulus de Iudæis dicit: quòd sint inimici ex infidelitate, sed amici propter patres suos. Admiranda igitur Dei est in nos clementia: simul & nostra hor-
Luc. 3. renda miseria. Quòd Deus duos filios habeat, vtrumque in vineam: noluit ille ire, noluit alter Deo parere: omnes igitur
Rom. 3. peccauimus: omnes egemus gloria Dei. Conclusit omnes sub peccato Scriptura. Quæ igitur restat superbiendi ratio? immò vero vereor, ne licet Patri dixero, me in vineam iturum, tandem mors me euntem abripiat, non laborantem.

Dixit ergo Pater filio priori: *Fili vade.* Intellige, hoc esse auxilium supernaturale, quod Deus vtrique filio communicat.
Ioan. 1. Illuminat enim omnem hominẽ venientem in hunc mundum: & quia non dixit: Fili vis ire, sed: *Fili vade.* & vade, est verbum efficax, intellige, auxilium Dei quatenus ex Deo est, esse sufficiens ad eundem, si ire filius vellet. Non est igitur
Psal. 68. auxilium vanum, & fallax: sed naturâ valens, & forte & adeò forte, vt hominem infixum in limo profundi: hominem qui
Ionæ 2. descenderit in altum sinum maris, & ad ventrem inferni, (si homo ipse velit) arripere possit, & in altum sinum cœli conijcere. Non est igitur auxilium illud solum illuminans intellectum, sed efficiens & velut mouens voluntatem. Et utinam quoties auxilium hoc, vnde nostra pendet salus abijcimus!

Deus tamen ferè nunquam cessat, hanc incomparabilem è cœlis pluuiam instillare. Quis non laudet Dei munificentiã: vituperet nostram stultitiam? Deum, qui talia det inimicis. Nos qui talia reijciamus stulti.

Vade operare. Quid tandē est quòd Dominus opere nostro delectatur? Si posuit Deus hominem in paradiso, ad operandum: num in vinea erit otiandum? Paradisus nomen est delitiarum, vinea laboris. Si lubet inebriari ex vineæ vino, lubeat sudare in vineæ labore: in sudore enim vultus tui vesceris pane, quanto potius, bibes vinum? Certè nunquam non intellectus noster & voluntas aliquid agunt: an non potius tibi erit, appendere laborem tuum, in panibus vnde inebrieris: quàm in otio, vnde tibi veniat egestas? Si natus es ad laborem, cur horres laborem? num horret volatum auis, natationem piscis? *Genes. 2.* *Genes. 3.* *Isaie 5.* *Iob 5.*

Dicit tamen: *Vade operare in vinea.* In qua si non laboraueris, extra eam labor erit perpetuus: quia extra vineam non contingit laborare ad meritum, sed pati ad pœnam. Operare in vinea, id est, in Ecclesia, extra quam nullus labor vinum meretur. *De Sũma Trin. cap. firmiter. §. vna.*

Nota verbum paternum: *Operare in vinea.* Ita solent patres filios admonere: *Vade operare in vinea*, id est, in re tua, non alij laboras: sed tibi, tibi vindemia cedet. Et licèt mea vinea sit, & propterea esset operandum: licet nihil inde tibi commodi cederet: sed operare, quia tuum commodum erit, qua ratione non dixit, bene operare: diligenter operare: sed operare, nam tua res agitur.

At quia vinea tota sancta est, piaculum erit in sanctitate peccare, scilicet in terra sanctorum inique agere. *Isaie 26.*

Filius dixit: *Nolo.* O impudentem libertatē. Dic quænam creatura hoc te verbum dicere docuit? aut quid in Deo inuenisti, quod ad id dicendum animaret? Cur non omnes creaturæ contra tantam impudentiam insurgunt armatæ? Cur & creator talem fert in creatura iniquitatem? Quis dicit nolo, & cui dicit? quænam est causa dicendi, & quæ tandem erit pœna dicentis? O, Nolo tu contemnis Deum: tu irritas creaturas, tu occidis eum qui te dicit, tu claudis cœlũ, tu reseras infernũ, tu infernum illum immortale cõficis, tu tortores tantæ inuerecũdiæ vindices præparas. O, Nolo, si ita nõ fuisses: nec Angelus liber pulsus e cœlo, nec homo exulasset e paradiso, nec vlla miseria esset in orbe. O, Nolo, fons, radix, & abyssus *Ierem. 2.* *Sapien. 1.*

omni-

omnium malorum. ô mons Gelboe, vbi omnes fortes ca-
2. Reg. vlt. dunt, maledicat tibi omnis creatura.

Sed bene habet: Ex gratia Dei factum est, vt qui prius dixit: Nolo, postea pœnituerit. Nam pœnitentia motus abijt, eam pœnitentiā Deus offensus, animo offendentis infuit. Offensus enim adhuc pater est, & affectu paterno filium per pœnitentiam reuocat ad vitam, quem proprium, Nolo, perduxerat ad mortem.

Et pœnitentia motus abijt: ergo pœnitentia motus est, efficacia est, & impulsus ad operandum in vinea. Qui otiosi non operantur in vinea, pœnitentes verè nō sunt. Pœnitentia affert secum gratiam & virtutes: quibus velut manibus anima laborat in vinea.

Accedens pater ad alterum dixit similiter, id est, præbuit auxilium sufficiens: vt si filius hic vellet resurgere, posset. Est igitur
Iosn. 1. Dominus Sol illuminans omnem non se subtrahentem. Est ignis calfaciens omnem non se auertentem.

Dicit filius: *Eo domine*. Verbum est Iudæorum in sua lege fidentium, & de eius se exactissima obseruatione iactātium.
Luc. 18. Dicit enim ille: Ieiuno bis in sabbato, &c. & alij non edunt,
Marci 7. nisi lauent manus, lectos, vrceolos, &c. Sed quia hęc exterior
Hebr. 9. obseruatio (sine interiori) mundare animam non potest: ad
1. Tim. 4. modicum enim vtilis est: ideo licet Iudæus dicat, se ire in vineam, non it tamen. Quicquid enim fit, si non ex Christi amore fiat, non est in vinea laborare. Attendāt hęc Prælati,
Matt. 6. reges, clerici, laici, qui multa faciunt: non ex gratia Christi, sed vt videantur ab hominibus: receperunt mercedē suam.

Primus filius qui dixit: Nolo, postea iuit: fecit voluntatem
Rom. 11. patris. Quidnam fuit voluntas patris, vt ille diceret nolo? ô altitudo diuitiarum scientiæ Dei! Iuste Paulus inquit. Con-
Eodem. clusit Deus omnia, in incredulitate, vt omnium misereatur. At non fuisset misertus pater filij: nisi prius noluisset filius. Ergo licet pater noluerit, vt filius diceret nolo: permisit ta-
Luc. 15. men, volens nolentis misereri. Hoc, hoc est, gaudium coram Angelis Dei super vno peccatore prius nolente, postea pœnitentiam agente: ac ita diuinam voluntatem implente. Certè voluntas patris non est, quod fit delictum. Est tamen,
Rom. 5. vt vbi abundauit delictum, gratia superabundet.

Rectissimè ergo inferunt: *Publicani & peccatores precedent vos in regno Dei*. Id est, in regno gratiæ non communi, sed superabundantis. Satis in lege veteri, gratia dabatur hominibus:

nibus: sed dabatur angusta: non superabundans. Dabat Deus panem arctum, & aquam breuem. Lex verò nostra, lex gratiæ est, ita superabūdantis, vt flumina de ventre eius qui eam recepit, fluant aquæ salientis, in vitam æternam. Hanc gratiam superabundantem, & effluentem recipiunt sæpè, qui maxime peccatores fuerunt. Nescio enim cur factum sit, vt Apostoli affluentissimā gratiam accepturi in die pētecostes, fœdissime lapsi sint in tempore passionis. Num cōclusit eos Deus in peccatum, vt eorum misereretur? num noluerunt, & relicto eo fugerunt: vt in regno Dei reliquos præcederēt? Ergo Deus non vult peccatum esse: sed vbi peccatum est, gaudet videri misericors. *Isaiæ 30.* *Ioan. 7.* *Actor. 2.* *Matt. 26.*

Certè si Iudæus sine fide Christi suam legem seruaret pręmia humana, suæ humanæ iustitiæ referret: Bona enim terræ comederet, laboresque manuum suarum manducaret. Porrò volens Deus maiora præmia fidelibus dare, aliam iustitiam inuenit: quàm vires non attingunt humanæ, scilicet iustitiam fidei, quam Christus & sua Sacramenta largiuntur. Hanc iustitiam recipiunt publicani & peccatores. Non veni, inquit, vocare iustos, sed peccatores. Et, fidelis sermo: Christus venit peccatores saluos facere. Porrò peccatores hi, Christi iustitia recepta: tanto præcedunt Pharisæos in sua iustitia fidentes, quanto cœlum terram: æternitas seculum, Deus hominem. *Isaiæ 1.* *Matt. 9.* *2. Tim. 1.*

Porrò hoc verbum videtur Dominus dixisse, vt Phariseos prouocaret ad fidem. Paulus ferè in eodē argumento inquit: Iudæorum delicto, salus est gentibus: vt illos illi æmulentur. & infra: ministerium meum honorificabo, si quomodo ad æmulationem prouocem carnem meam. Ita nunc Christus dicere poterat Pharisæorum delicto, salus est publicanis & peccatoribus, vt hos illi æmulentur. Quid enim aliud Pharisæi in publicanis ad Christum conuersis, spectare poterant: quàm eximiam sanctitatem? *Rom. 11.* *Eodem.*

Iam in illo verbo *Præcedunt*, indicatur Phariseos retrò manere: at graue malum est, retrò esse. dictum est: Abierunt in volūtatibus, & in prauitate cordis sui, mali, facti sunt retrorsum, non in ante. Paulus etiam quæ retro sunt obliuiscitur, in anteriora se extendens. At in maioribus Ecclesiæ, retro manere, grauissima culpa est. Profitentur enim se esse pastores, qui ante oues suas vadant. Et prudentissime Hieronym. inquit, grauissimum est malum, si laicorum vita, vitam sacer- *Ierem. 7.* *Philip. 3.* *Ioan. 10.*

dotum excedat. Crescebat hæc in Pharisæis culpa: vt qui videbant Ioannem, cuius tam erat vita singularis, vt etiam publicanos ad meliorem mentem reuocauit. Pharisæi tamen immoti durabant, ideo subdit Dominus: *Vos videntes: nec pœnitentiam habuistis: vt crederetis, &c* Vides grauissimam culpam: non pœnitere, vbi prædicator prædicat magnificè, viuitque sublimiter.

Aduerte illud, *Non egistis pœnitentiam, vt crederetis*. Ergo quadantenus, fidem pœnitentia præcedit. Rectè igitur Paulus: Conscientiam bonam relinquentes, à fide naufragauerunt. Rectè & S. Thom in 2.2. quæstio. 4. artic. 7. dicit, virtutes quadam ratione præcedere fidem. Id intelliges, si videas, quòd qui vehementius pœnitent radiis lucis vberius illustrantur. Qui non pœnitent fidem habent sæpè tenebricosam. Ergo fidei ingressum pœnitentia sequitur, progressum sæpè præcedit.

Aliam parabolam audite. Satis à Patribus de vinea Iudaica dictum est. Dicam quæ ad vineam Christianam pertinere

Isaie 5. videbuntur. Si enim Deus Iudaicam vineam, in cornu filio olei, id est, loco pinguissimo collocauit, profectò Christianam vineam, in multo pinguiore loco plantauit. Certè singulos Christianos plantauit in Ecclesia (vt vites in vinea) impinguata sanguine & pinguedine Christi. Planè hortus ille in

Ioan. 19. quo Christus orans sudauit, impinguatus est Christi sudore sanguineo. Vnde & verè nomē Getsemani, id est, hortus pinguis, dici meruit. Quæ enim pinguia sunt, vehementi calore soluta, terram pinguedine rigant. Ita diues Christus, vehementi charitatis calore in horto succensus, sanguinem fudit, quo hortus rigatus, pinguis effectus est. Hortus, hic Ecclesia est. in hoc pingui solo, vt in cornu filio olei, plantantur qui baptismum suscipiunt. Vt ex pinguedine Ecclesiæ sugentes, vinum Deo proferant suauissimum.

Quàm verò sapienter Christiani dicantur vites in hac vinea plantatæ, dicam vt potero: res enim grandis est. Primū, vt nouellæ plantationes egent pedamētis, & statuminibus, quibus alligētur: ita nouellus in vita Christiana, eget magistro, & doctore: cui nitatur, ne facile cadat. Vt igitur a Moise

Iosue 1. & Iosue, inducuntur Iudæi in terram promissam: ita à doctoribus & ductoribus eriguntur pii, in vitam æternam. Nec est leuiter inspiciendum: quòd etiam Moses ducatū, & consilium à socero Ietro obnixe requirit. Nemo igitur viam Chri-

Christianam solus sine magistro ingrediatur. Væ enim soli. *Exod. 18.*
Tum necesse est vitem putari, ne virtus vitis in folia luxurians, euanescat: ita necesse est carnales Christianorũ affectus amputari: vt virtus spiritualis multum proferat fructũ. Egregius agricola Deus est: is sæpe palmites rescindit: qui videbatur in vite pulchri & necessarij, rescindit à pia matrona maritum, filios, facultatẽ. Vt vere vidua, & desolata manens, in Deum speret: & ita fructum afferat in patientia. *Eccles. 4.* *Ioan. 15.* *1. Tim. 5.* *Luca 8.*

Quòd si recisa vitis multum illa lachrymet, tabescit eius intima virtus: ita si cum Deus bona tua rescindit, multum doleas, caue te tabescas: dole cum Aarõ pro filijs defunctis, sed interim ne multum doleas, sicut gentes quæ spem non habent. *Leuit. 10.* *1. Thess. 4.*

Sed maximè ex vite racemos expectamus. Quam causam arbitror esse, quod Dominus fideles voluit vites appellare, vt ex quibus charitatis racemos desideret, nihil moratur racemorum genus, aut colorem, aut saporem, modò charitatis racemi sint. In racemo multi acini sunt: ex vnó pediculo pendentes. Ita in nobis ex vna charitate omnes homines debent dependere. hoc enim est præceptum: vt diligamus inuicem. Hos racemos si vitis habeat, generosa vitis est. *Ioan. 15.*

Vt vero racemi recentes acidi sunt, nisi fiant sole torrente maturi: ita nouella charitas aliquid ex carne nostra, acoris habet, donec tribulationis igne purgetur. Qua ratione Dominus electos, in tribulatione probat, sicut aurũ in fornace. *Sapien. 3.*

Demum vix ad maturitatẽ proficit vua, in humenti loco proueniens: ita vix charitas in delitijs nutrita grandescit. At verò neque vitis terram perpetuo sitientem patitur: alioqui corrugata siccatur. Ita & charitas suis aliquando fomentis eget. Consolatur enim Deus suos in tribulatione eorum. *1. Tim. 5.* *2. Cor. 8.*

Habuit sepem, turrim, & torcular Synagoga vetus: habet & Ecclesia nostra. Et quidem non est quod dubitemus protectionem Dei esse sepem: quæ cum aufertur, exterminant vineam omnes qui prætergrediuntur viam. Dictum etiam est: quod saluator poneret in vinea murus & antemurale, vt nihil sibi vinea timeat tali muro vallata. Maxime cum murus res viua sit & nunquã dormiat, nec dormitet, qui custodit Israel. Protectio ergo Dei, imò Deus ipse est vineæ sepes, ó fœlicem vineam ita munitam, ó intolerabili muro defensam. Scio vulpeculas paruas in vineam irrumpere: sed id permittit Dominus: vt colonorum curam excitet. *Psal. 79.* *Isaiæ 26.* *Psal. 120.* *Cantic. 2.*

Sed age, quid torcular est, quid turris: res est explicatu dif-
Isaiæ 63. ficilis. Ex Isaia habemus: Torcular calcaui solus, & calcaui
cos in furore meo, id est, calcaui peccatores in furore meo,
& respersus est sanguis eorum in vestimenta mea. Da igitur
tu mihi locum, in quo Deus calcauerit peccatores: & is lo-
cus torcular erit: Certè si infernus in ecclesia esset: infernus
torcular esset. At cum infernus in hac vita non sit, vbi con-
culcet Deus peccatores: manifestè colligitur, quòd torcular
huius vitæ sit iustitia, vindictam de malis accipiens: in hac
calcauit Deus peccatores. Id quia elegantissimum est, non
grauabor explicare.

Rom. 15. Sicut in Adam omnes fuimus carnaliter: ita in Christo
Rom. 3. spiritualiter: & quia omnes peccauerũt: fit vt peccatores per
Rom. 12. fidem in Christo inueniantur. Porrò cùm Christus ad cru-
cem adducitur, adducuntur etiam in eo peccatores, eius sci-
licet membra, adducuntur verò vt Iustitia Dei, suam in illos
exerceat vindictam. Adducuntur ergo ad torcular: Cùm
ergo vides Christi carnem affligi, lacerari, torqueri: intellige
nos etiam in illo afflictos, & iustitia (velut torculari premẽ-
te) compressos. Ergo Christus ex deitate vindex: ex huma-
nitate depressus. Ex deitate, calcans nos in furore suo. Ex hu-
manitate locum nostrum gerente, in furore calcatus: & ita
sanguis noster, id est, pœna peccatis nostris debita, vestimẽ-
tis Verbi æterni, id est, carni, respersus est. Iustitia igitur tor-
cular est.

At quia in torculari calcantur vuæ in eum finem, vt ex eis
exprimatur vinum: idcirco grandis est misericordia: quòd in
1. Cor. 11. Ecclesia, torcular iustitiæ Deus statuerit. Videlicet, vt si tor-
quemur, non premamur, vt damnemur: sed vt vinum Deo
optatũ proferamus. Certè grandis est in inferno labor: gran-
dis etiã est in Iudaismo, & in Paganismo. Sed labor hic tor-
cular non est: non enim inde vinum dulce, Deoque gratum
hauritur. Grande igitur beneficium est torcular in ecclesia,
quod a peccatoribus meliorẽ exprimit vitam, nemo est qui
non peccet, nemo igitur sit qui premi a torculari refugiat.
Non enim premitur vt prematur, sed vt fœcum liber & mun-
Hebr. 12. dus: vinum Deo exhibeatur. Quis enim Pater est, qui filium
non castiget? Castigatio ergo paterna torcular est.

Turrem verò arbitror esse charitatem Dei, & benignita-
tem, seu misericordiam. Quæ cum vbique splendeat, maxi-
mè verò in Ecclesia: & in hac, maximè in Sacramentis & eis

his maximè in Eucharistia. In Sacramentis igitur reconditi sunt thesauri Christi, velut in fortissima turri. Continent, inquit Concilium, Sacramenta gratiam: continent ergo cœlestes thesauros: sicut turris vineæ, vasa vino plena continere solet. Iam vt solent ad turrem sese recipere agricolæ: ita ad sacramenta recipere se debent, qui in vinea laborant. Quòd si quidam animas pias ab Eucharistia reuocant, profectò reuocant agricolas, ne in turrim se recipiant: vbi omnia bona sunt recondita. Agnosce ergo prouidentiam Dei, in vineam suam. Ipse est vineæ septum: Eius iustitia (sed in bonum) est torcular, Eius est misericordia turris. *Concilium Floren. in doct. Armenorum.*

Hanc planè diuinam vineam, Deus colonis locauit: sciens sine colonis posse quidem non nihil vineam, sed parum: sed quantum creuerit colonorũ diligentia, tanto crescet copia fructus. Quæ ratio est, quòd hoc loco non exigit Deus à vitibus fructus: sed à colonis. Fructum aliquando exiget à vitibus singulis, sed fructus plurimum exiget à colonis. Qua ergo pœna dignus erit colonus, qui multorũ in vite fructũũ esse causa debuerat: causa contrà est, vel exigui, vel nullius, vel quòd peius est, venenati fructus? Libet his quædam annotare. *Luc. 15.*

Primum: tantũ excedere debet prælatus subditos, quantum vites colonus. Quod & in parabola pastoris indicatum est: excedere enim debet prælatus subiectos: vt pastor oues, (& si placet:) vt piscator pisces. *Ioan. 10.* *Matth. 4.*

Secundum: Non admodum curant qui vineas habent eas viris bonis locare: modo ijs locent, qui benè vineas colant. At Deus, huius sanctæ vineæ plantator, vtrumque requirit. Et quòd bonus sit colonus, & quòd benè colat. Cùm ergo vineã nemo locet ignaro colono: quæ causa est, quòd vinea sacra ignorãtissimis locetur hominibus? Cùm sit ars artium regimen animarum. Potius de post fœtãtes deligẽdus esset, qui vineam spiritualẽ coleret, si artem nosset colendi: quam vir illustrissimus, si esset artis ignarus. *Psal. 77.*

Tertium: Et illud meminerit colonus, colonum se esse vineæ, non dominũ. Colere debet, non dissipare: ędificare nõ destruere: laborare, non otiari. Cur ergo credunt nostri Curati, se simulac curam receperunt animarum, iam earum principes esse? *2. Cor. 1.*

Quartum: Non sat est colono, si sui rationem habeat, non ei de se solo, reddenda ratio erit: Non suos solũ Deo [illegible]

 debebit

debebit fructus, sed etiam vineæ. Rectè Paulus, etiam si san-
1. Cor. 4. ctissimus esset, etiã si nihil sibi conscius esset, væ tamen (ait)
mihi si nõ euãgelizauero. Vt enim Dominus dat mnas suas:
Lucæ 19. vt ad mensam exponendo, ipse cum vsuris recipiat, ac velut
ditior fiat: ita locat vineã, vt labore in eam collocato Domi-
nus fructus reportet in benedictione, & ita ditior videatur.

Quintum, quam subiectionem habent vites colono, ha-
beant animæ prælato. Nec dubito, quin haberent, si sanctum
intelligerent esse colonum.

Sextum: O si cùm prælatus suam Ecclesiam intrat: sepem
aspiceret, torcular, & turrem. Nõn enim sine causa voluit
Ioan. 10. Deus esse vineæ & murus & ostium: vt cum in nostram
Ecclesiam intramus, diuinitatis admoneamur, diuina sunt
Exod. 3. omnia, tolle calceamenta.

Postea quam vinea locata agricolis est, peregrè Dominus
abest. ò rem miserabilem: vbi vinea de manu Domini velut
egreditur, & in manus hominum ingreditur, ibi ea Dominus
peregrè proficiscitur. Adeò enim quidã coloni vinea sua-
pte superbiunt: vt Dominus eorũ superbiam non ferens, longè
discedat. Videris clericũ, aut monachũ, doctrina & moribus
insignem. At vbi Dominus vineam ei locauerit: adeò contra
Dominũ sese erigit: adeò fastu, superbia, & luxu corrũpitur:
vt cogat a se Dominũ lõgè proficisci. Surge ò miser, tene eũ,
Cantic. 3. nec dimittas donec introduxeris eum in domũ matris tuæ.
Quis igitur nõ vereatur locatã suscipere vineam: si hac occa-
sione superbiturus est animus, & abiturus est Dominus?

Intellige & illud: Talem se Dominus ostẽdit quale de eo
opinionẽ habemus: vt diuus admonuit Gregorius. Horta-
Ioan. 20. nus visus est Magdalenę: quia nondum illa de Christo deita-
Lucæ 24. tis opinionẽ conceperat: sed cum vineę seu horti dominum
crederet. Peregrinus visus est euntibus in Emaus: quia non
illum vitã esse credebãt, sed a vita peregrinũ. Ita nunc longè
profectus visus, & dictus est: quia & a colonorũ animo lõgè
discesserat: & illi eũ velut lõgè distantẽ arbitrati sunt. Anne
quidam Prælatorũ ita viuunt, ac si nullum Deum esse crede-
Prouer. 7. rent: aut si esse credant, longè abesse existiment? Rectè de ani-
ma meretrice dictum est: non est vir in domo sua, abiit via
longissima. Ita enim misera credit anima. Rectè & Psaltes
Psalm. 9. de peccatore loquens: Non est (inquit) Deus in conspectu
eius: ideo inquinatæ sunt viæ eius omni tempore: auferuntur
iudicia tua à facie eius. Seruus ille malus cœpit inebriari, quia
crediderat

credidit dominū lōgè abesse: ac ideo lōgam factum ū moram.

Sed hoc adde: Cùm videas Deum adeo malorum dissimulatorem: cùm videas nequitiam ita vigere: an non videtur Deus longe profectus? si enim mala non sustineret, adesse videretur. Cùm verò ita nequiter nos agentes sustineat, peregrè profectus dicitur. Luc. 12.

At si Deum nobis nostra peccata fecêre remotum: nec vinea coli (vt debet) potest, nisi sit ipse propinquus: fit apertè, vt tota vita nobis sit ad Dominū clamandū, vt veniat. Nam licet remotus videatur, audit tamen orationes nostras. Nec enim dormit, aut in itinere est: vt sacerdotes Baalis ridens, dicebat Elias. O vtinam nostri Prælati, cùm vineam de manu Domini suscipiunt colendam, ita ad eum clamarent: vt clamauit Salomon, regno ex Dei manu suscepto. Nihil enim ei fuit antiquius, quam orare: vt de remotis Dei sedibus sapientia Dei illi daretur: quâ rectè vineam colere liceret. 3.Reg.17. Sapien. 9.

Cùm autem tempus fructuum esset. Non est crimen, quòd vitis nō omni tempore fructus ferat. Tēpus enim infantiæ, tempus pueritię idoneum non est ferendis fructibus, imò & cum primum, quis ad Deum conuertitur ex antiqua peccatorum fece, vix maturos Deo fructus affert. Dictū enim est, anno tertio decimas dabis leuitæ & aduenæ: nondum enim terra idonea est fructus ferre perfectos. At, quòd qui propter ætatem debuerāt esse magistri, propter ignauiam lacte adhuc egeant: id graue crimen colonorum est. Graue est etiam: quod iam ætate maturi, iam propè senescentes, & ferè in autumno constituti homines, fructibus careant: hæc est grauis culpa colonorum. Nescio verò an quòd dicam verum sit. Dum gens aliqua de nouo in fide plantatur, sua tempora habet a Deo præfixa: suam scilicet quasi infantiam, maturitatem, autumnum. Si in autumno gens fructus nō fert, sæuit tunc Dominus. Nec enim sæuijt in gentem Cananæam, donec compleretur eorū nequitia, id est, donec in suo autumno, fructibus vacua inueniretur. Quis nō videt regiones illas Ierosolymæ propiores, in quibus fides primum plātata fuit, iam fide carere? & quis non suspicetur eius rei causam fuisse: quia regiones illæ in suo autūno fructibus caruerunt? Et nos quidem in autumno sumus: si quæ enim nouissima tempora sunt, hæc nostra videntur. Vbi adeo abundauit iniquitas, & refrigeruit charitas multorum. Admonemur ergo, ne sine fructibus vinea nostra sit, neve pro vuis protulerit labruscas. Deut. 6. Hebr. 6. Genes. 15. 1. Ioan. 2. Matth. 24 Isaiæ 5.

Mittit ad nos Dominus seruos in tempore fructuum. Dices (Christo gratia) quòd non lapidamus Dei seruos. Imo eius prædicatores veneramur, & reueremur. Ego verò ad interiora oculos conuerto. Si eorũ monita opere complemus: non lapidamus, neque occidimus. At si eorum dicta contẽnimus, hominem quidem venerantes, prędicatorem lapidamus: veneramur eius eruditionem, amplectimur gratiam? sed lapidamus prædicationẽ. Et equidem si sanctus prædicator est, non euadat calumnias maledicorum: æmulationes iniquorum: nonnunquam & lapides eorum, qui videntur quidem Dei zelum habere, non habent tamen. Nec immeritò Dominus dicit: Ecce ego mitto vos, tanquam oues in medio luporum. Nescio quibus furijs agantur nostri seculi homines quidam: Vbi splendere vident prædicatorem, eum obnubilare contendunt. Vbi arborem frondescere conspiciunt, illi admouent ignem.

Matth. 20.

Hic est heres, occidamus eum, & nostra erit hæreditas. Liceat nunc inter Christianos vera libere loqui. Sane sunt multi qui piorum animos à sacratissimæ Eucharistiæ vsu auocent: an non id est, hæredem è sua vinea eijcere, & ferè occidere? Viuit enim in suis Christus: si à suis eijcitur perinde est, ac si occidatur. Tum, qui auocant pios homines ab oratione Dei, à diuinorum contemplatione: an non tibi videbuntur Christum occidere? vel certè Christum à vinea sua eijcere! adfert oratio & cõtemplatio Christum ad vineam qui Christianum ab oratione pellit, Christum a vinea propellit. Si Magdalenã a Christi contemplatione remoueres, putaret illa se a vita abalienatã: videreturq; Christus à sua vinea reiectus?

Galat. 2.

Dices: Quænam fuerit causa, quòd coloni, Christianos à cõmunione & ab oratione repellant? plana causa est. Viuunt illorum nonnulli tepide: nonnulli & iniquè. Dũ non adsunt viri deuotionis, & splendore & feruore flammantes, fruuntur illi suis delitijs in pace. Dum vero in medio noctis flamma accensa est: qui malè agit odit lucem: & lucem conatur extinguere, ne per lucẽ arguãtur opera eius: ne per lucẽ agnoscatur eorũ vita, vel peruersa, vel frigida. Venite igitur occidamus eũ, vt luce sublata: nos nostro honore diuitijs & delitijs, omnium malorum timore sublato, fruamur.

Mirari interim subit humani animi ferem audaciam. *Nostra*, inquiunt, *erit hæreditas*. Quid est idem est quod Luciferum mouit: vt hæreditatẽ Dei desiderans: ero, inquit, similis altissimo.

Isaiæ 14.

altissimo. Quid mouit Adamum, vt hanc hæreditatem cuperet? voluit enim esse sicut Deus. Quid mouit Gigantes illos vt turrim construerent: quæ in cœlum pertingeret, quasi diuinitatem sibi de cœlo vendicaturi? Quid proritat hos colonos, vt diuinam hæreditatem, id est, cœlum terrenum, regnum, scilicet Dei sibi arrogare concupiscant? Certè qui legem Dei semel contemnit, Deum etiam contemnit: Deum contemnens, Deum se in corde suo effingit, Deumque se esse vult: Quid iam mireris, si quis Deum se finxit, diuinam velit hæreditatem? Vide quid sit male incipere: proruit iniquus ex Dei contẽptu, ad deitatis furtũ, & inde ad Dei in se occisionẽ. Genes. 3. Genes. 10. Ezech. 28.

Attẽde rursum, in quem puteũ auaritia deijciat auarum, Vt sit hæreditas nostra (dicunt) hæredem occidamus.

Nota etiam: Non dicuntur vites occidere: sed coloni. Raro plebecula ferociam habet: magnates sunt, qui bellum, Deo inferre non verentur.

Nota etiam: Si adeò creaturæ deitatem exoptant: si adeò coloni hæreditatem velint esse suam, sana via id assequi poterunt. Iustitia id paratur & probitate. nam per impietatem via patet ad omnem miseriam. Vir pius esto: tuus erit honor, tua ecclesia, tuum cœlum, tuus Deus. omnia enim vestra sunt: si modò vos estis Christi. Quid faciet Dominus vineæ his colonis? Circunstantes respondent, & Dominus confirmat: *Malos malè perdet*. Quid est male perdere? num facit Deus aliquid male: num qui bene omnia fecit, hos solos male castigat? imò profectò non malè, sed benè perdet. Respondere potest, hunc esse tritum loquendi vsum: cum vehementer quem læsimus: dicimur, eum male tractauisse. 1. Cor. 3. + Marci 7.

Sed rem profundius dicamus. Cum Deus hominem castigat ad eius emendationem, benè eum castigat. Sed cum eum ad condemnationem castiget, malè eum perdit. Solent callidi homines cum ludũt principio parua perdere, vt sic colludentem alliciant, & ab eo maiora lucrentur. Qui igitur initio perderet: vt in fine lucrum acquireret, is bene perderet. Sed si perderet, non lucraturus, male ille perderet. Ita profectò Dominus lusit cum Petro, cum Paulo: Initio eorum iacturam permittẽs, vt eos postea maiore lucro reciperet. Id sanè erat benè eos perdere, quos postea melius recuperaret. Sed cũ Iudam, cum suis hostibus amisit, nolens postea lucrari, id verò fuit malè perdere. Psaltes inquit: Vendidisti populum tuum sine pretio, & non fuit multitudo in commutationibus eorum. Matt. 26. Matth. 27 Psalm. 43. Actor. 9.

Cùm igitur Paulus spirat minas & cædes: vendebat Deus Paulum Paulo, mundo, & dæmoni. Non sine pretio. vendebat enim Paulum superbū, vt sibi redderetur, Paulus factus humilior. Sed cùm Iudas perijt, vēditus est sine pretio. Non fuit in melius commutatio facta: id enim est, esse multitudinem, & meliorem conditionem in commutatione. Cum igitur ita Deus vendit, male & infœliciter perdit.

Psal. 17. Adde & aliud: Psaltes inquit: Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso, peruersus eris. Igitur, sicut cum pijs videtur Deus omnium pius: quia maiora illis tribuit, quam in cor
1. *Cor.* 1. hominis ascēdere potuerint. Dicit enim Paulus, quòd nimia charitate Deus dilexit nos: vt ergo Paulo visus est Deus nimius diligendo: ita videri alicui potest nimius puniendo. Certè si damnationem fragilium hominum, perpetuo, & in inferno: palmo metiaris humano, vix te continebis, quin dicas: Malos male Deus perdit. Igitur male perdet, timenda vox nimium est. Adeo enim in malos sæuit Deus, vt nimius videatur: vt malè & iniuste perdere oculis humanis appareat. Iustè puniet Deus, quis neget? sed maluit Dominus hac asperrima voce, colonos malos deterrere. malens sibi excessiuæ vindictæ notam inuri: quam colonos sibi de impunitate blandiri.

Dicam & illud: Si quis in inferno punitur posset suam pœnam ferre patiēter: si posset cum virtute, in ea miser a quiescere: malos benè perderet Deus. Id est, perditio bona esset. nam pœnam tolerare patienter, licet perditio sit mala tamen non est. Sed cum damnati pœnam suam maiore culpa, & rabie exasperent, & exacuant, perditio mala est: quam nulla
Matt. 4. virtus, nulla patientia comitatur.

Demum audi. Vites infructuosas comburet Deus igne inextinguibili: incredibilis pœna vites exuret. Sed malos colonos duplex, imò & centuplex pœna manet, quia & sibi
Sapien. 6. & vitibus fuerunt exitij causa. An non tibi mala perditio videbitur centupla: quæ etiam simpla nimium intolerabilis esset. verè igitur potentes potenter tormenta patientur.

Vineam suam alijs locabit agricolis. Forsan, quia agricolæ qui in Iudæa, & Palestina Ecclesiam Christianam colebant, fructus non præstiterunt, vinea caruerunt. Translata enim Ecclesia est à Palestina, in Græciam, Ægyptum, Africam. Quas nunc vineas desertas videmus, fortè à colonorum culpa. Faxit Deus ne etiam transferatur à nobis. Et certè à quibusdam

busdam clericis ablata vinea est, & quibusdam religiosis locata: ex quibus ad alios, nunc qui tenent, teneant, ac nec alij succedant.

Nunquam legistis. Ergo vitio vertitur clericis non legere, scilicet scripturam non euoluere. Scientia enim de illorum Malac. 2.
ore requirenda est, sed qui iam coniuratis animis decreuerunt, scripturam nec de nomine cognoscere.

Lapidem quem reprobauerunt ædificantes. Vides non dici colonos ædificatores arte, sed ædificantes actu: non artifices officio, sed exercitio. Vbi ergo sunt qui dicunt: Prælatos posse non residere, si Dominus dicit: quod manus admotas operi Ecclesiæ suæ tenere debeant? quid verò, si manus habeant Ecclesiæ admotas, non ad ædificandū verbo & exemplo: sed ad dissipandum verbo & exemplo?

Vide etiam an nostri ædificantes lapidem approbent, an Psal. 55.
reprobent? Lapis humi iacuit: a multis conculcatus est. Frigori & æstui, pluuijs, & gelu erat expositus. (erat enim pastor qui sicut Iacob frigore rigebatur, & æstu.) Vide nunc Genes. 31.
an Prælati frigora probent, & æstus. Vide an humilitatem sectentur & crucem? forsan Prælatus laudet lapidis abiectionem & vilitatem: sed quod laudat, & probat verbo, id si reprobat exemplo, quid hic ædificabit? altera manu ædificās, altera ædificata destruens: altera manu telam texens, altera Eccl. 34.
textā retexens.

Porro, quicquid ædificantes faciant: tandem Christus caput efficitur anguli. Caput est quia in summo loco sedet, super omnem principatum. Caput est, quia homines & An- Ephes. 1.
gelos, vt caput gubernat. Et gaudet Christus nomine capitis. vt enim caput licet sit in altissimo loco, non tamen videtur sibi viuere, sed toti. Nō videt oculis sibi, sed quæ corpori necessaria sunt. Aures non sibi seruiunt, sed corpori. Os non sibi cibum seruat, sed in corpus transmittit: ita Christus nō venit sibi, sed nobis: non venit ministrari, sed ministrare, & animā suam dare pro multis.

Quòd si Christus vtrumque parietem antea diuisum in se Matt. 20.
connexit, quare nunc tanta est inter eos diuisio? Si a Domino factū est istud, vt vnirentur Gentes & Iudæi, cur quos Deus coniunxit, separat homo? Christus dissipauit maceriā, Matt. 19.
vos reædificatis? Christus aboleuit inimicitias per carnem Ephes. 2.
suam, vos eas instauratis? Mirabilis est vnio in oculis nostris: at nunc non mirabilis est vnio oculis vestris.

CAPVT

CAPVT XXII.

Respondens Iesus dixit, &c.



PArabola hæc nisi fallor, minus aptè quadrabit ante Christi aduentum intellecta: quo tempore Deus Filio, & humanitati nuptias non fecerat, licet promiserat. Qua causa serui vocãtes ad nuptias non videntur fuisse Prophetæ.

Secundò, nec perfectè aptari parabola potest, ad tempus, quo Christus nondum mortuus erat, nec Spiritum sanctum miserat. Siquidem ante Christi mortem, & spiritus missionem, non erãt omnia parata. Maxima enim pars regij conuiuij Spiritus sanctus est.

Igitur simile est regnum cœlorum homini regi, qui tempore incarnationis, fecit nuptias filio suo. Sed quia ante prandium multa parari solẽt: maximè cùm regium prandium est,
Hester 1. & pro regia dignitate (vt Assuerus fecit) parandũ: hac causa triginta & tribus fere annis necessaria conuiuio parabantur. Mortuo verò Christo, & Spiritu sancto misso, erant iam omnia parata. Tunc serui inuitarunt, vt ad prandium Iudæi venirent. Dicentes: *Venite, Parata sunt omnia*, nihil nũc deest. Iam primum inspice qualis est sponsus: qualis etiam sponsa.
Genes. 3. Ille rex, & rex summus: hæc ancilla est, & vilis. Ille Deus, hæc puluis. Ille spiritus, hæc caro. Et si rei magnitudinem audes penetrare, intellige qualis desponsatio sit: vt Deus suum esse, suam subsistentiam det humanæ naturæ. Dedit ergo ei suam infinitatem, contra verò nostra humanitas Verbo Dei, esse
Isaiæ 40. dedit humanũ. At omnis caro fœnum: vide quid caro dederit Deo? certè vt laboraret, vt crucifigeretur, & sepeliretur.

Expende secundò, quid regẽ mouerit, vt filio suo, filio sibi
Colos. 1. æquali: filio vnigenito: Filio dilectionis suæ, id est, dilectissi-
Matth. 17. mo: in quo sibi bene complacuit, eam sponsam cõiungeret: quæ vilis, quæ pauper, quæ vilissimis, & pauperrimis esset cognata: quorũ miseriam, nõ nisi magno labore sponsus sit releuaturus. Profectò commendauit hac ratione suam cha-
Rom. 5. ritatem Deus: quod sic dilexerit mundum, vt Filium suum
Ioan. 3. vnigenitum daret. Verissimè ergo Paulus: Deus qui diues est
Ephes. 2. in misericordia, propter nimiam charitatẽ, quà dilexit nos, conuiuificauit nos in Christo.

Tertiò expẽde, quod cum Sponsa, id est, humanitas Christi sit om-

sit omnium nostrum cognata, sumus nos omnes illi fratres. *Hebr. 2.*
Nec enim Sponsus confunditur nos appellare fratres, si fratres nos ille vocat, & reuera sumus: igitur diuites sumus in Christo, in quo benedixit nos Deus omni benedictione spirituali in cœlestibus, non de pinguedine terræ: Vt Isaac *Ephes. 1.* benedictionem dedit filio Esau: non in benedictione abyssi *Gen. 49.* iacentis deorsum, vberũ & vuluę: vt Iacob benedixit Ioseph filio. Sed benedictione spirituali, de rore cœli, de cœlo desu- *Gen. 49.* per, vt ipse Iacob dicebat. Certè spõsus parcus non est: sed si- *Ioan. 15.* cut quæ audiuit à Patre, nota fecit nobis, ita quæ accepit à Patre, donata voluit esse nobis. Neque enim buccellã come- *Iob 31.* dere voluit, qui in ex illa & nos comederem⁹, vt Iob dicebat.

Quarto vide: quo rex maior est, eo eius sunt festa maiora. *Esther 1.* Durauit enim conuiuium Assueri 180. diebus. At Deo nullus rex maior, nec vllum, rex hic maius festũ habuit, quàm has filij sui nuptias cum humanitate: vult igitur celebritatẽ hanc nõ paucis durare diebus: sed per omnia secula mundi. Igitur vsque ad diem iudicij prandium nuptiale est, cui æternitatis cœna succedit. Igitur licet dies ille, quo Verbũ caro factum est, iam transierit, cogita tamen esse præsentem etiamnum, vt Deo reuera præsens est. Vocat enim ea quæ non sunt, ac *Rom. 4.* si essent. Deo nõ transijt, nec igitur nobis transeat: sed intelligamus, totum nostræ vitæ decursum esse nuptialia festa. Paulus inquit: relinquitur Sabbatismus populo Dei: qui sab- *Hebr. 4.* batismus durat, donec hodie est, id est, dum viuimus: igitur in Sabbato sumus, in festo sumus, vita nostra nuptialis & festiua est. His nuptijs te para, te orna, talem te exhibeto, qualem exhibere dignum est. Soror tua hodie nubit, & regi nubit & rex vult te ditare, modò idẽ velis, & tu. Maxima tibi vult dona præstare, vt cœlo sis maior. Omnia enim vestra sunt. *1. Cor. 3.*

Quintò aduerte, quòd licet nuptialis thalamus fuerit virginis vterus, palatium scilicet regale. At domus regia in qua prandium paratur, templum Dei est. Sat scio, totum orbem templum esse Dei. Dicit enim Psaltes: In omni loco domi- *Psal. 102.* nationis eius, benedic anima mea Dominum. quasi diceret: Totus orbis est templũ, vbi benedicere Deo licet: sed verò templum speciatim Deo dicatum, domus regia est, nuptialis domus est, vbi festa & conuiuia sunt apparata. Vbiq; locorũ, Deum per fidem & amorem colere possumus: sed speciatim *Ioan. 4.* locus prandio paratus templum est. Hac igitur cogitatione Christiani armemur. Cùm in templum ingredimur, existimemus

memus nos intrare in regiam domum, vbi Sorori nostræ celebrantur nuptialia festa: vbi & nobis regalia conuiuia sunt præparata. At si festa à Deo nostri causa parātur, mittit Deus seruos suos, qui inuitatos vocent.

Hic primū intellige. Nemo vocare ad nuptias debet, nisi
Psal. 49. seruus regis. Ergo peccator tu, qui diaboli seruus es, quare enarras iustitias Dei, & ad eius nuptias vocas? Secundò, intellige neminem seruum Dei, munus vocationis debere sibi arrogare, nisi mittatur. misit, inquit, seruos suos. quomodo
Hebr. 5. enim prædicabunt, nisi mittantur? Merito igitur Paulus
Rom. 10. perpetuò cum scribit, de sua vocatione cōmeminit, dicens:
Rom. 1. Vocatus Apostolus. Et segregatus, &c. Intellige etiā, quod sit prædicatorum munus. Hoc enim explicat textus, cum dicit: misit seruos vocare ad nuptias. Ergo functio prædicatoria est: vt intelligant homines, ad se nuptias pertinere: se esse ad nuptias inuitatos. inuitarique vt edant, & vt diuites fiant, modò vestes & ornatum, nuptijs dignum adducant. Demū intelligant, vitam priorem alijs festis insumptam: sed postquam inuitati sunt, nuptijs esse insumendam. Quartò, intellige: *misit*, inquit, *vocare inuitatos*. nondum quisquā eos inuitauerat, & inuitati vocātur: nam eo ipso quod homines sumus, ratione habentes, inuitati sumus. Ratio enim docet nos, non nostrū esse prandium, nec nostra festa ista terrena: sed Deum esse, ad quem comparandum sumus ante creati. Imò verò apertissimum est: quòd si fratres sumus Sponsæ, etiam si non inuitemur, inuitati sumus. Ipsa nos enim cognatio inuitauit. & quia plus iusto tardamus: ideo rex seruos mittit, vt properè veniamus. Eo maxime quod seruorū est, expectare & adesse: non expectari, & vocari.

Sed inuitati renuunt venire. ò blasphemū, o phreneticum facinus! pauper es, famelicus es, tristis es, mortuus es, vocaris ad vitā, ad festa, ad conuiuia, ad opes immensas, & renuis? Si saperes, & non vocareris, magnam tibi iniuriam arrogari putares: nunc non aduertis quantam iniuriam tibi, orbi, &
Ierem. 2. Deo, perditus inferas? Quid inuenisti in nuptijs iniquitatis, quod non venias? Si bonum & summum bonum animos nostros ad se rapit, cur non rapit animum inuitatorum? An ne animus noster stupuit?

Misit rex alios seruos, qui dicerent: Tauri mei, altilia mea parata sunt. Igitur conuiuium erat ex tauris & altilibus. Dubium iam est, qui sunt tauri, & altilia: Et ego credo tauros, & alti-

& altilia Christum vnicum esse: maximè in Eucharistia. Suadeor hac ratione. Vnicus Christus vocatur agnus, vitulus, hircus, ouis, vitula, rufa, turtur, passer occisus, & alia multa. Certè quia vnicus ipse omnium illorum vim comprehendit, & vnicus ipse pro illis omnibus valet. Si igitur vnus ipse vim habet multorum taurorum, & altilium, siue pinguium: ergo ipse est tauri, & altilia. Vt enim manna habuit omnis saporis delectamentum: ita Christus habet omnium sacrificiorum efficaciam. Et certè illæ taurorum hecatombes, quas Salomon, Ezechias, & Iosias Deo sacrificauerunt, figuram vnius Christi referebant. Et intelligo Tauros referri ad Christum secundum carnem: Altilia ad ipsum secundum animã. Dicuntur porrò occisa: quia in cruce anima est à carne separata: & ita Christus occisus. Quod igitur est aliud prandium regia magnificẽtia dignum, quàm Christus? qui de se, ipse dicebat: Nisi manducaueritis carnem meam, non habebitis vitam. & sicut Deus Iudæis prandium parauit in deserto, dans illis manna: ita & prandium quod Christianis in hoc mundo Deus parat, manna est, id est, Christus panis verè Angelorum. Ideo Paulus dicit: Habemus altare, de quo edere non habent, qui altari deseruiunt, id est, habemus prandium regale, & nuptiale: si quæras, quod? Certè altare Christi.

Sap. 16. *3. Reg. 14.* *Ioan. 6.* *Exod. 16.* *Ioan. 6.* *Hebr. 13.*

Item quænam alia sunt saginata, per emphasim, nisi Christus? Ipse est pinguis & medullatus. Ipse omni rore cœli & pinguedine terræ plenissimus. Ipse in quo omnes thesauri scientiæ Dei inueniuntur. Ipse in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Ipse benedictus de cœlo desuper, & benedictionibus abyssi iacentis deorsum. tandem ipse est, de cuius pinguedine & plenitudine nos omnes accepimus: quem mihi sanctum dabis altum omni ex parte pinguem & altum, nullaque ex parte marcentem? Est ergo Christus omnia volatilia, & omnia altilia.

Isaiæ 25. *Gen. 27.* *Coloss. 2.* *Gen. 45.* *Ioan. 1.*

Sed nota: est Christus altilia, sed occisa: itaque si pinguis in anima es, ideo es vt occidaris, vt mortificeris: viuificatus spiritu, vt carne mortificeris. Holocausta, inquit, medullata offeram tibi: ergo si medullata & pinguia, holocausta sint, quod enim pinguius est, Deo offerendum est.

1. Petri 3. *Psal. 65.* *Genes. 4.*

Sed cur non dixit: Tauri sunt apparati, conditi, in mensa præsentes, tantum dicit: Tauri & altilia sunt occisa? Certè admo-

admonuit te, quanto ſumptu paratum tibi conuiuium eſt. Vnicum enim illum cibũ, quem ſibi viuum rex comedebat, vt tibi ſaperet, occidit. Dicit rex: Venite quia filium meum,
Geneſ. 18. vt cibus eſſet veſter, occiſioni permiſi, non peperci nobiliſſimo vitulo paſcuali, vt illum vobis pararem. Et equidem totus cibi apparatus in hoc vno continetur, quòd Christus
Exod. 12. occidatur. Ipſa enim occiſio, in amoris igne aſſatio fuit. Rectè ergo dictum eſt: Non comedetis ex eo quicquam coctũ, nec crudum, ſed aſſum tantum igni. Non eſt noſtri ſtomachi tam valens natura: vt viua digerere & concoquere poſſit: ſed quę alienus aſſauit calor, hæc nobis conuenientia cibaria ſunt. Ita aſſus in amore ſuo Chriſtus, cibus nobis congruus
3. Reg. 19. erit. Panis quem Elias edit ſubcinericius eſt, aſſus igne: erat
Iudic. 7. etiam ſubcinericius panis Gedeonis. Iam panis noſter igne
Ioan. 6. ſacerrimo paratus eſt, nemo igitur dicat: Durus eſt hic ſermo. Neque enim caro cruda, ſed aſſa nobis offertur comedenda, non datur manna Iudæis, carnis crudæ ſaporem ha-
Exod. 16. bens: ſed guſtus eius erat ſimilę cum melle: at ſimilia placēta eſt, igne aſſante parata.

Sed rem hanc profundius penetra: quæris cur tauri & altilia ſunt occiſa? Certè eadē fuit neceſſitas, quòd tauri eſſent
Hebr. 2. occiſi, quæ fuit, quòd Chriſtus eſſet Cruci ſuffixus. Paulus inquit: Pontificem noſtrum per omnia tentatum, vt potens eſſet tentatis auxiliari: ita fuit occiſus, vt omni morienti poſſet ferre ſubſidium. Laſſatur Chriſtus, ſudat, contumelijs afficitur, & flagellis: vt potens ſit, laſſis, ſudantibus, probris & verberibus affectis auxiliari. Ita fortis taurus & robuſtus ligatur, vrgetur, occiditur: vt roboret ligatos, oppreſſos, occiſos. Morte enim ſua mortē noſtram deſtruxit: & mortem
Iudic. 16. vitijs & dæmonibus intulit, ſicut Samſon, qui moriens hoſtes ſuos perdidit.

Mortalis hominũ natura non niſi mortalem cibum edit. Dicit ergo rex: Mortales, en mortalis cibus, taurus occiſus: edite. Edere non poteratis Deum viuentem in ſecula, Deum
Pſal. 93. vltionum, Deum exercituum, Deum terribilem, & qui aufert
Pſal. 75. ſpiritum principum, terribilem ſuper reges terræ. (Dicunt
1. Reg. 6. enim Bethſamitæ: Quis accedere poterit ad Deum ſanctum
Aba. 3. iſtum? Certè nihil mirum. Cornua enim in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius.) ſi ad terribilem accedere taurum veremini, num verebimini, ad ligatũ, ad oppreſſum, & occiſum accedere?

Demum

Demum Gentiles participes fiunt dæmoniorum, quando 1. *Cor.* 10.
de idolothitis edunt, id est, quando edunt de tauris occisis,
qui dæmonibus immolabantur. Ergo Christiani si vultis *Ibidem.*
participes esse Dei, edite de tauro vestro occiso: Deo æterno
in holocaustum immolato. Parati sunt igitur tauri, & altilia,
edite. Taurus comestus, efficiet vos robustissimos tauros:
auis pinguissima comesta, pingues animas vestras reddet.
Reddet enim vos participes Dei, reddet vos deos Deus ipse
comestus.

Porrò vasa in quibus tauri hi, & altilia nobis edenda pro-
ponuntur, sicut septem Sacramenta, in quibus nunc Christi *Concil.*
robur continetur, sanguis, merita, pinguedo, sapor cœlestis, *Florent.*
& reliqua, regio apparatu dignissima. Parati sunt ergo cibi:
parata & vasa, gratiam continentia: parati & ministri, qui
hæc nobis ministrent. Parati enim sunt Pontifices & Sacer-
dotes, reliquus etiam clerus. An non ministri tãto conuiuio
digni? Sed conuiuij architriclinus Spiritus sanctus est. Certè
si conuiuatur Deus est, si sponsus Deus, si etiam cibus Deus,
an non & conuiuij moderator erit Deus? Est ergo Spiritus
hic autor pacis inter conuiuas, Autor lætitiæ, & gaudij nu-
ptialis, Autor & doctor reuerentiæ in conuiuantẽ, in cibum,
in domum, & in vasa. O verè regale & Deo dignum conui-
uium. Vbi omnia diuinitatẽ redolẽt: vbi sunt omnia diuina.
O verbum omnibus sæculis absconsum. Omnia sunt parata.
Paratus Deus cõuiua. Deus cibus, Deus architriclinus. Vasa
diuina. Quid si tantum taleque conuiuium negligis, aut con-
temnis, quos non ignes patieris?

Sed multi negligunt: abit alius in villam, scilicet in rus,
& agrum suum, alius verò in negotiationem, alius duxit
vxorẽ. Profectò rusticatio licita est. Dicitur enim, Ne oderis
opera laboriosa & rusticationem, quàm creauit altissimus. *Eccles.* 7.
Posuit enim Deus hominẽ in paradiso: vt in eo operaretur. *Gen.* 2.
Itidem negotiatio licita est. Dicitur enim: Gustauit, & vidit, *Prouerb.*
quò bona sit negotiatio eius. Et Apostolus non prohibet, *vlt.*
quin homines emant, vult tamen, ita emere, ac si non possi- 1. *Cor.* 7.
derent. Idipsum de re vxoria dicit Paulus: Qui filiam suam *Ibidem.*
locat, benefacit. Cur igitur si hæc tria bona sunt, hi dicuntur *Ephes.* 2.
conuiuiũ neglexisse, quia illa tria exercebant? Certè ratio est,
quia licet bonum sit rus, & bona negotiatio, & bona vxor:
ita tamen hominis animum implicant, ita eum obruunt, vt
facilè animus his impeditus abducatur à Deo, diuinique

obliuiscatur conuiuij: nam qui magno feruore res seculi tra-
1. Cor 9. ctat: seculi, non Dei conuiua videtur. Ideo Paulus dicit: Qui
Lucæ 2. in agone contendit, ab omnibus se abstinet. & Dominus: Ca-
uete, ne grauentur corda vestra ebrietate, & curis huius seculi.
Iacobi 4. & Iacobus: Qui amicus est huius mūdi, Dei inimicus consti-
1. Cor. 7. tuitur. Rursum Paulus: Qui habent vxores tanquā non ha-
bentes, qui emunt tanquā non possidentes, qui vtūtur hoc
mundo, tanquam non vtantur. Ac si diceret: Bona est res
vxoria, sed cauenda, bona negotiatio, sed periculosa, bona
rusticatio, sed curis & labore plenissima. Idem subindicat Io-
1. Ioan. 1. annes cū dicit: Quicquid in mūdo est, est cōcupiscentia car-
nis, (rem vxoriam non nihil attingens) concupiscentia
oculorū, (possessionum & agrorum cupiditatem innuens)
& superbia vitæ, quæ maxime in negotiatione notatur.

Quod verò hi negligentes, contumelijs, & morte Dei ser-
uos affecerunt, duo nobis indicant. Constantiā scilicet præ-
dicatorum, qui vsque ad cōtumelias, vsque ad mortem: ho-
Ierem. 6. mines ad conuiuiū vocantes perdurāt. Alterū verò est, quod
Isaiæ 3. sit prædicatoris munus. Non enim est pacem semper populo
Ezech. 13. nuntiare. Non est populū beatum dicere. nō est sordidū pa-
Ibidem. rietē palearia facie celare: non est puluinos sub omni cubito,
& ceruicalia capitibus supponere. Si enim hoc esset prædica-
re, nunquam prædicator ad contumelias, vel mortē veniret.

Vbi inuitati venire negligūt, imò opprobrijs & morte af-
ficiunt Dei seruos: tunc Rex irascitur, & maximo sanè merito:
to: vt qui videat, se, séque amantē, & ita amantem contēni,
Sponsum sponsámque despici: & tam insigne conuiuiū [illegible]
to que sumptu præparatū reijci. Mittit exercitus, per [illegible]
micidas illos. Audis homicidas solos occisos: sed cū [illegible]
Et ciuitatem illorum succendit igni: facile colligit, & vxoratos,
& qui villas emerant, & negotiatores omnes, ad vnum ex-
terminatos. Licet ira pot[illegible] [illegible] s de[illegible]
Expende nunc, *Mißis exercitibus*. Itaque rex [illegible]
[illegible] faciem, omnia turbat, mittit non vnum, sed plures
Psal. 102. exercitus: (est enim Deus exercituū) contra vnum [illegible]
Isaiæ 6. hominem: qui folium est, quod vento rapitur. O [illegible]
Iob 13. homunculum, quem vnus [illegible] pulex, quem [illegible]
cula, quem [illegible] nox in somnis [illegible] [illegible]
tos contra se videlit exercitus. [illegible] contra [illegible]
rit [illegible] ignes, [illegible]
tuitatem, nam Angelorū, Dei [illegible]
Iob 24. pugna-

pugnantem cõtra insensatos? quid faciet cùm videat arma- Sapien. 5.
tas contra se suas cogitationes, curas, affectiones, mẽbra, & totũ se contrariũ sibi factumque sibi grauem? Pugnant contra eum bona quæ fecit, & quæ non fecit. Mala quæ fecit, & quæ non fecit. Bona quæ accepit, mala quæ sustinuit, gloria sanctorum, tormenta miserorum, quoquo se vertit, omnia cõtra se pugnare animaduertit. Sanè viuenti, exercitus beneficiorum Dei illi ministrabant: nunc exercitus tormentorũ contra illum desæuiunt.

Expende aliud: Ciuitatem illorum igni succendit: Cur 4
ergo quærimus, quòd tot malis morborum, famis, & miseriarũ opprimimur? Tolle neglectores Euangelij, tollet Deus exercitus vastantes.

Item expende: Deum iratũ non fuisse, contra primos, quibus nihil de tauris occisis dictum est. Ea enim ignorãtia Dei furorẽ mitigabat. At vbi opes Euãgelicæ, & beneficia Christi nobis aperiuntur: tunc negligere, Dei contra nos excitat vindictam. Vt ita contra ciuitatem nostram sæuiat: vt sæuijt 1. Reg. 22.
olim Saul contra Nobæ, vt Iosue contra Hiericho. Iosue 6.

Videns Dominus paucos esse, qui tam lauto fruantur conuiuio: nolens interim sua perire (nam dixit: Colligite fra- Ioan. 6.
gmenta ne pereãt,) iubet seruis suis: vt ad exitus exeant viarum, & inde quos inuenerint vocẽt. Locus hic referri ad prędicatores potest, & ad inuitatos. Prędicatores iubentur è ciuitate exire, extra vrbis septa egredi. Certè in ciuitate omnia tractantur humana. Iubentur ergo exire à rebus humanis: à modo vitæ humano, à modo loquẽdi, intelligendi, & volendi, humano. Vt viribus fidant diuinis, nõ humanis: vt sermo 1. Cor. 2.
sit non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus. Qua ratione Baptista prædicabat in deserto, & Dominus in deserto prædicare solebat. Matth. 3. 4

Iam quod subdit: *Quos inueneritis vocate*. Indicat non esse deliciosam prædicatoriam functionem, sed laboriosam. Vix enim inueniũtur vocandi, nisi lachrymis, ieiunijs, & orationę prædicatorum. Sed si ad inuitandos locus hic referatur, locus est difficilior. Cur enim ex vijs: non ex villis, & oppidis vocentur? Et quomodo in vijs tot reperiantur, qui impleant locum nuptiarum? Primũ intelligi posset. *Ite ad exitus viarum*, id est, ad initia viarum. Solent enim viles homines ma- Prouer-
ximè extra ciuitatem, ad initia viarum inueniri, maximè biorum
apud Iudæos, qui sua negotia in portis ciuitatis exercebant. vltimo.

Prou. 1. Ita dicitur: Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam: in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba sua. At fores portarum initia viarum sunt, vbi homines tunc esse solebant.

Nunc audi mysterium. Viæ publicæ sunt mores humani: per quos omnes ex Adam nati, decurrunt. Mores humanos intelligo, cupiditatẽ honoris, diuitiarum, delitiarum. Finge nunc prædicatorem coram se mille auditores habere. Habet quidem mille in vijs suis currentes, & ambulantes secũdum desideria cordis sui. Si ex his aliquis ad nuptias venturus est, prius extra viam suam, debet constitui. Deus enim quem
Rom. 8. vocat: excitat, illuminat, inflammat, iustificat, hæc non fiunt in via. Abducit Deus eum qui erat in via, extra viam, ad exi-
Genes. 12. tum viæ, vt ad conuiuium adducat. Adducitur extra viam Abraham: cùm educitur de terra sua, & cognatione sua. Et
Cantic. 3. sponsa non inuenit sponsum in via, sed paululum cùm pertransisset viam ciuitatis. Et Dominus illuminaturus cęcum,
Marci 8. apprehendit eius manus, educens eum extra vicum.

Igitur Dominus cùm aliquem trahit (per prædicatorem) ad Christum, extra antiquos mores educit: in eoque statu cõstituit, qui finis sit vitæ humanæ, & initiũ diuinæ. Is enim qui vetus erat homo, quiq; incipit esse nouus, priorẽ, id est, prophanam finit vitam, nouam, id est, diuinam incipiens.

Nec illud est tacendum, quod textus dicit: *Congregauerunt omnes*: quia vocatio Euangelica est ad congregationem, ad
Actor. 4. vnitatem, ad pacem: est enim ad cor vnum, & animã vnam.
1. Cor. 1. est, vt idipsum omnes dicant & sapiant: est, vt charitatem
Rom. 12. fraternitatis diligant: est, ad vinculum pacis, & vt vnanimes
Psal. 67. in domo Dei habitemus.

Addit textus: *Impletæ sunt nuptiæ discumbentium*. Sed hic
Isaiæ 9. impletur illud: Multiplicasti gentem, sed non magnificasti lætitiã. Nec enim lætatur Dominus in multitudine filiorum
Eccles. 15. sceleratorum. Itaque Ecclesia nunc Christianis plena est, discumbentibus repleta est. Verum non omnes filij, non
Rom. 9. omnes obediunt Euangelio, non omnes quæ vnitatis, &
Rom. 10. pacis sunt sectantur, non omnes quæ sursum sunt, quærunt:
Tren. 1. est ergo sola ciuitas, cum sit plena populo.

Quid verò monstruosius, quam nuptias plenas esse discũbentibus, nec tamen eos qui discumbunt, edere? Habent re-
Ioan. 6. gias coram se dapes, non edunt tamen: cùm tamen norint,
Exod. 16. quod nisi edant, morientur. Sed allia, & porros, ollasque Ægyptias

Ægyptias quærimus. Manna verò nauseam nobis mouet, vtpotè qui cibus leuissimus sit. Calathum igitur ficuum malarum, non verò bonarum amplectimur. *Ierem. 24*

Intrat verò rex in conuiuium, vt videat discumbentes Est enim solenne in Scripturis, tunc dicere quod Deus intrat, cum facinus aliquod insignius designaturus est. Ita iuit ad videndum, an clamor Sodomorum ita esset: vt ad cœlum ascendebat. Certè non egebat videre, sed quia facinus insigne erat facturus, videre pergit. Significabat etiam iudicem non debere contra scelera inflammari: & sceleratos punire: nisi vbi tam certa sunt testimonia, quæ ipsam rem vidisse testentur. Intrauit etiam Dominus in ciuitatem, cùm templum purgare volebat. intrauit in castellum: cùm contemplationem erat magnificaturus, & actionem approbaturus. Sic intrat nunc, insignem miseri hominis vltionem executurus: nec enim adeò erat miser feriendus, nisi à Rege videretur. *Genes. 18.* *Ioan 12.* *Lucæ 10.*

Iam aduerte: *Vidit*, inquit, *hominem*. En culpa prima. In diuino conuiuio, vbi Deus est author conuiuij, Deus sponsus, sponsa diuina, & omnia diuina. Cur miser diuinis, hominē miscuisti? Eo ipso quo, è via ad prandiū abductus es, hominem exuisti, Christum induisti: vt iam non esses homo, vt reliqui homines: sed velut Christus, velut Deus. Cur igitur Christum exuisti, quo indutus eras de nouo: & pannosum sordentemq́;, iterum vestisti hominem quem exueras? Ante vocationem homo eras, imò & bellua eras, fieri id poterat, dum eras in exitu viarum: at vbi vocatus est, exuisti Adam terrenū, data est tibi vestis nuptialis Adami cœlestis. Exuisti te tunica tua, quomodo rursum illam induisti? Lauisti pedes, quomodo illos rursum inquinasti? *Galat. 3.* *1. Cor. 15.* *Cantic. 5.*

Iam si culpa est: quòd homo inuentus sis: quę culpa fuerit, si bellua inueniaris? Sed forsan cùm dicit: inuenit hominem, eo verbo omnem miseriam innuit. est enim vniuersa vanitas omnis homo viuēs. ergo si inuenit hominem, vniuersam inuenit vanitatem, vide si in cōuiuio, vbi sunt vniuersa diuina, conueniat homo qui est vniuersa vanitas. *Psalm. 38.*

Vide verò, quod non certa quadā hora intrauit rex, sed ex tempore Vigilate itaq;, quia qua hora non putatis, introibit Rex, & nudo dicet: *Amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Multa se nobis offerunt dubia. Primum cur vocat amicum, eum qui inimicus est, eum quem tam acriter est puniturus? Secundum Cur dicit: Quomodo intrasti, *Matt. 24.*

an non erat quadrãtius requirere, quomodo hîc discumbis, non habens vestem? Non enim intrare sine veste erat inuerecundiæ tantæ, quantæ recumbere. Tertium cur misero datur vitio, quòd sit sine veste: quàm tamen nondum fortè acceperat? Nemo enim vestem hanc de se habet, nisi ei data
Ioan. 3. sit desuper. Si igitur ei data non est, cur crimẽ est eo carere, quod non erat illi concessum?

Ad primum: Ille vocatur amicus, licet nudus, quia frater
Hebr. 1. est sponsi, quia frater est sponsæ, quia reliqui conuiuæ sunt illi cognati, quia eius gloria Deus epulũ instituerat, & quia si pœnituisset, & non obmutuisset, verè amicus esset. Græcis verò loco verbi, Amice, Socie dicitur: quod verbum vehementem nudo pudorẽ incussit. Cur nudus es, quem socium sponsus habet in humanitate? quẽ domus hæc & conuiuium socium fecit? qui tam nobili societati socius esse voluisti? Si inimicis veste nuptiali caruisset, sustinuissem vtique: at tu
Psal. 54. homo socie, qui mecum dulces capis cibos qui in hac regia domo mecum ambulas confidenter, Vocatio mea te mihi socium fecit, fidei professio, sacramentorum vsus: Ecclesiæ
2. Petri 1. communitas: vnius diuinæ naturæ consortium, (non in natura, sed in gratia) hanc tantam & tam firmam societatem vnius vestis reiectio disrumpit, quomodo ergo cares veste?

Ad secundum id dicendum, non solum regis iniuriam esse, quòd sine veste discumbas, sed etiam quòd sine veste introeas. Ante ianuam, & in ipsa ianua, veste carere iniuria non est. Baptismus siquidem ianua est Ecclesiæ: ante baptismum verò, & in ipso baptismo nondum gratiam habere, & nondum Christum induisse, commune est: Baptismus enim vestem hanc, non solùm contritis, sed attritis etiam donat. Post ingressum verò per Baptismi ianuam, iam non
Apoc. 7. licet sine veste, corã rege comparere. Est vestis tibi concessa pretiosissima. Magno sumptu texta est. Lota est in sanguine agni: grauissima est iniuria illã amittere eo præsertim, quòd ea veste amissa, necesse est luctuosa veste, imò dæmoniaca, & infernali vestiri. Vide, an congruat luctuosissima vestis,
Isaiæ 9. solennissimo & diuinissimo conuiuio? Rectè dictum est: & Vestimentum mistum sanguine erit in combustionem, & cibus ignis: quia paruulus natus est nobis. A tempore enim nuptiarũ paruuli cum gẽte nostra, iam vestimento sanguine respersò, vti non licet. Si enim vellere meo agnus te vestiuit,
neque

neq; quod assumpsit dimisit: iustum est, vt quem Christum ego indui, nunquam dimittam. Iniuriam fecisset Dauid Ionathæ, Regis filio: si quam ille vestem Dauidi dedit, & a se abstulit, Dauid contemneret & reijceret. Si decor noster totus est in vestitu deaurato, nobis à rege concesso, cur eum pro dæmoniaco commutamus? 1. Reg. 18. Psal. 44.

Ad tertium responderi potest: non vitio verti misero illi, quòd sine veste fuisset in sepibus, in quae exitu viarū, sed quod vestem in ipso liminis ingressu ipsi donatam, non conseruauerit, sed amiserit. Quòd si etiam vim verborum expendimus crimen miser hic admisit, quia per baptismum ingrediens, non se illi idoneum præstitit, vt veste nuptiale amiciretur: indicatur enim hoc loco, esse quosdā, qui ex quo baptismum acceperunt, nunquam in gratia extiterūt, ac ideo nunquam vestem nuptialem habuerunt. Cum igitur sit facillimum virtute Baptismi vestem nuptialem accipere, crimini datur huic misero, quòd impœnitens, & iniquus, ad baptismum accesserit: ac ea causa, vestem recusauerit, quam illi aqua baptismalis largiebatur. Caueant igitur qui ad baptismum accedunt, ne sine prioris vitæ pœnitentia, & nouæ desiderio ad rem tantam accedant: alioqui veste nuptiali carebunt: & timor est: ne quam semel in baptismo non acceperunt, perpetuò non accipiant. Quòd si crimen est ingredi sine veste, quantū erit manere in domo, versari, discumbere, perseuerare? Conijce etiam magnitudinem conuiuij, in quo sine veste reperiri, tanta pœna punitur.

Nudus verò obmutuit. O si nudus verba illa Acolasti dixisset: Peccaui, in cœlum & coram te. Non sum dignus vocari filius tuus. ô si cum publicano pectus percussisset. ô si cum Maria retro succederet, & pedes Domini lachrymis rigasset. Sed obmutuit: sic Adam & Eua non ad pœnitentiæ, sed ad excusationis verba prodierunt, perinde ergo fuit, ac si tacuissent. Sic & Cain licet loqueretur: tacuit tamen. Luc. 15. Luc. 18. Luc. 7. Genes. 3. Genes. 4.

Verum si ad tempus, Iudicij extremi, & mortis cuiusque verba hæc referentur: iam tempus non est pœnitendi, sed obmutescendi: quid enim dicet, cui tot monstrentur Dei beneficia, tot ab eo impensa auxilia, tot instituta remedia, toties Deus contemptus, toties violata sacramenta? quid dicet is qui caret veste nuptiali, quam Deus autor conuiuij, sponsus, sponsa, vasa, & omnis apparatus conuiuij illi donabant: & eum, vt acciperet rogabant. Sed Deus etsi si nudū oculis suis

videat, non condemnat tamen, donec spatium illi sit respondendi. Vt iudices neminem inauditum condemnent.

Traditur nudus ille ministris. Satis huius miseri indicatur infœlicitas hoc vnico verbo, quòd tradatur ministris. Satis indicauit Christus suæ passionis acerbitatem, cum dixit: Ecce ascendimus Ierosolymam & filius hominis tradetur principibus sacerdotum, id est, relinquet Pater eum, vt libidinem suam in eo expleant illi. Iam vide qualis passio fuerit agni, inter rabidos lupos & leones: idē cogita de misero nudo, inter furentes dęmones, nisi quòd hęc maior passio est. vt quæ ab hostibus acerbioribus, crudelioribus, potentioribus, & venenatioribus erit. Vt igitur intrare in gaudium Domini, res est omni cogitatione maior: ita tradi ministris inferorum, res est omnem intellectum exuperans.

Matt. 20.

Matth. 25.

Explicatur tamen hæc res, vtcunque. Ligant ministri nudi manus, & pedes. Intellige damnatorum manus adeo stupescere, adeò torpêre, ac si fortissimis vinculis essent obligatæ: nec enim immerito, dãnati dicũtur in fasces colligi, & in ignem mitti. Id verò intelliges, si aduertas dotes agilitatis in corpore glorioso. intellige totum contrarium in corpore dãnato. At sicut in corpore beato dotes corporis, procedũt ex dotibus animæ: quia dotes corporis indicant gloriam animæ: quo fit, vt agilitas corporis ex agilitate animę procedat: ita & vincula corporis damnati, ex vinculis animæ progredientur. Potentiæ enim animæ infœlicis ligatæ sunt, vt nihil boni agere possint. Vide miserum spectaculum hominis, qui nec intus, nec extra potest quicquam facere, quod velit. Sapienter igitur dictum est: Pluet super eos laqueos, ignis, sulphur, spiritus procellarum pars calicis eorum, quia iustus Dominus. Pluet ergo Dominus laqueos in manus dãnatas, in pedes, in omnia membra exteriora: in sensus exteriores, & interiores, in intellectũ, in voluntatem. o spectaculum infœlix! Puta te videre fortissimum leonem, eumque grauissimè famescentem habereque escas præsentes, quas quia fortissimè ligatus est, contingere non possit.

Matth. 13.

Psalm. 10.

Psal. 10.

Quòd verò inquit: *Mittite in tenebras exteriores*. Sic intellige: Tenebras faciet sulphur, & spiritus procellarum: dicitur in Isaia, quòd inferni nutrimenta sunt ligna multa, & ignis: & quòd flatus Domini, erit sicut torrens sulphuris succendens ea: necesse verò est fumum esse, vbi ligna sunt multa, (quæ forsan sunt corpora damnatorum:) & vbi torres est sulphuris

Isaiæ 30.

succensus. Tenebras igitur facit fumus, sed exteriores faciet, quod tenebræ illæ non sunt nostris similes. Exterius sunt extra mundum istum, sicut lux gloriæ non est similis luci terrenæ, sed exterior est, multo iucundius exhilarans hominem, quam quæcunque lux corporalis: ita tenebræ illæ erunt exteriores, grauius offendentes, quam palpabiles illæ Ægyptiæ. Sed tenebræ exteriores signum erunt grauiorum tenebrarum. quæ erunt in mente damnata, sicut in beatis, lux exterior erit signum beatissimæ lucis interioris. Exod. 10.

Ibi erit fletus. Nascetur fletus hic ex acerbissimo dolore. qui etiam lapidea damnatorũ corda in lachrymas resoluat: erunt enim in inferno non fœminæ solę quæ lachrymas habent in parato, sed erunt viri rusticissimi, qui flere in vita non poterant, at in inferno flebunt, non quòd ibi erunt lachrymæ, sed erit tantus dolor, vt cuiuis etiam fortissimo lachrymas excuteret. *Stridor dentium*. qualis in accessionibus, febrientibus contingere solet. Intelligis ergo frigus, intelligis corporis discrasiam & intemperiem. Si vero frigus est, initium febris erit: transibunt enim ab aquis niuium, ad calorem nimium. Est ergo status ille, hominis grauissimo morbo in corpore correpti, & grauissimo dolore in animo prostrati. *Pauci electi*. Videlicet, quia homicidæ occisi sunt, ciuitas exusta: soli inuitati sunt, in vijs forte inuenti. Et ex his multi vestem proiecerunt: vt est in nostro Christianismo videre. Iob 24.

Sed attende obsecro: Ex omnibus qui Ægypto exierunt, solus Iosue terram promissam ingreditur. At ex omnibus inuitatis (quantũ hæc historia præ se fert) vnus caruit veste nuptiali: & ideo à terra, imò à regno Dei in tenebras exteriores eijcitur. Quid vult parabola ista? Ex Hebræis vnus seruatur: ex Christianis vnus periclitatur? Respõdeo: Vtinã solus esset vnus, qui ex Christianis perirer. Iam enim certi essemus, quod ille solus damnaretur. Siquidẽ ille vnus, vt Iudas iam scimus quod perditus sit. At Zacharias vix vnã partem di it seruari, nam reliquæ, inquit, dispergentur & deficient. Quid, hic ergo vnus perit solus, illic vnus seruatur solus? Certè status ille legis antiquæ neminem ad perfectum adducebat, quantum erat de se neminem iustificabat. Ideo in eo vix vnus dicitur seruari: licet ex gratia Dei multi seruarentur. At status gratiæ omnes saluat, quantum est ex se. Deut. 1. Zach. 13. Hebr. 7. Hebr. 9.

Tunc abeuntes Pharisæi. Vt illi Pharisæi conuenerunt, vt

IESVM caperent in sermone: ita nunc Pharisæi quidam, is nihil aliud intendunt, quàm vt miserum prædicatorem, pauperemque theologum capiant in sermone. Quàm verò sit horum grauis iniquitas, vel ex Dei, in loco isto sui ore coniicias. Vix enim inuenias Christum tam grauia verba dixisse, quàm nunc. Quid me, inquit, tentatis hypochrytæ? quibus verbis quatuor illis crimina obiecit. Primum quod essent hy-
Matth. 24. pochrytę, quibus nunquam non inclamat, væ. Id verò vitium longissime à Christiano, & maxime religioso pectore, abesse deberet. In alijs sectis locum habeat: in Christianitate locum non habet. Falsitas enim longè a veritate debet distare.
Ioan. 5. Adoratores verò quærit Deus, qui adorent eum spiritu & veritate. Secundò obiecit, quod essent tentatores, quod nomē, & munus diaboli est. Tertiò: *Cur tentatis me?* Beneficum,
Apoc. 20. innocuum, prædicatorem, medicum, & viuificatorem vestrum? at quod Prædicatori Christi fit, Christo fit. Et sanè ni-
Matth. 25. hil hos ad tentandum exagitat, nisi luciferina superbia, & inuidia rabiosa. Quarto: quid tentatis? quam autem assequi potestis, nisi animum perditissimum?

Proponunt isti verba mollita super oleum, sed ipsa sunt
Psalm. 54. iacula: & arbitror illos prophetasse: (sicut Caiphas) vt verba
Ioan. 11. dicerent, quibus illaquæarentur, licet imprudentes. Fatemini Christum esse veracem, ergo fatemini esse Deum. Est
Rom. 3. enim solus Deus verax, & omnis homo mendax, cum enim homo non sit totum esse, sed habeat plurimum de non esse: quantum illi ex esse deficit, tantum de veritate deesse necesse est. At Deus vt solus est totum esse: ita solus est veritas. Ve-
Mich. 24. rè ergo cœlum & terra: sed non verba mea transibunt. Cœ-
Ioan. 15. li enim non sunt veritas, sicut Deus est veritas.

Secundo dicunt: *Viam Dei in veritate doces* Igitur fatemini Deum esse. Docuit sane Moses viam Dei, sed in figura: in figura enim omnia contingebant eis. Machumet docuit
1. Cor. 10. viam diaboli. Philosophi viam naturæ, viam certè Dei, sed, vt erant homines, viam Dei nulle falsitatibus implicatam docebant. Cur id tandem? Certe enim Deum nemo vidit vn-
Ioan. 1. quam: at vnigenitus, sicut solus patrem nouit (nemo enim nouit Patrem, nisi Filius) ita solus viam Patris in veritate docere potuit. Dic quis te docere poterit viam ad cœlum nisi
Matt. 11. nisi qui de cœlo descenderat? Igitur si viam Dei certo, & sine errore docet, Deus est.

Ioan. 3. Id verò quod addunt: *Non est tibi cura de aliquo,* significare videntur

videtur, quod nulla re indigeat: ac ita, quod nihil illi desit: quod enim nobis deest, id curamus, eius curam habemus, at contra qui sibi sufficit, nullius curam habet. Et sanè Hebræi vocant Deum, Sadai, id est, nullius indigentem, sed sibi sufficientem: & equidem nullius rei curam habere, fœlicitas summa est. Curæ enim sunt quæ vitam nostram reddunt infœlicem. Recte enim Maro, curas in inferni vestibulo collocauit. Ergo nullam curam habere diuinum potius est, quàm humanum. Quis enim est nisi stupidus, qui non aliqua cura tangatur: si non temporalium, certe æternorum. Ergo si Christo non est cura de aliquo: nullum malum habet, nullo bono caret. Deus igitur est, qui bonorum nostrorum non eget. *Psalm. 15.*

Quod verò inferunt: *Et personam hominum non accipis*. argumentum profectò diuinitatis maximū est, quia apud Deum non est acceptio personarū, qui personam regis non accipit, qui mori nihil timet. Deus est: vel multum de Deo habet. *Actor. 10.* Elisæus nihil veretur personam regis Ioram. Cur ita? quia (vt ipse dicit) in conspectu Dei stabat. Ergo personam non accipere, Dei est principaliter. Ab eo verò viris pijs id donū, sicut & reliqua, cōmunicantur. Videsne Pharisæos diuinas Christo laudes, licet impudentes obtulisse. *4. Reg. 3.*

Audiamus quid velint. *Licétne censum dare Cæsari?* quæ quæstio etiam diebus nostris quæri solet. An scilicet ex conscientia teneamur tributa pendere regibus? Aduerte igitur qui sint qui quærāt. Sunt enim Pharisæi (id est illius temporis religiosi,) & quia socij isti Sacerdotibus erant, credibile est adfuisse nonnullos de gente Sacerdotali. Certè ex Marco id constat, hos Pharisæos, vice Sacerdotū ad Christū accessisse, quare respōsio Domini ad Religiosos, & Sacerdotes spectat. *Marci 12.* Cùm ergo dicat: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*. videbitur primâ fronte, ex hoc Domini respōso, Religiosos, & Sacerdotes nō esse à vectigalibus liberos. Cuius contrariū decreuit Bonifacius octauus in c. quamquā de Censibus lib. 6. asserens Ecclesiasticos, liberos à vectigalibus esse, non iure solum humano, sed etiam diuino. Cuius caussam Glossa notauit, quia Sacerdotes olim Ægyptij liberi fuerunt à conditione vectigali, & Sacerdotes etiam Iudæi, liberi etiam erant: vt Esdras pronuntiauit, quam rem vt à iure diuino manantē, Alexander quartus confirmat, vt videlicet, Ecclesiæ sua immunitate gauderent, cap. 1. de immunitate Ecclesiarum lib. 6. *Gen. 47.* *1. Esdr. 7.*

Facilè

Facilè quis nodum hunc dissolueret, dicens: Hoc Domini responsum, datum est solis Pharisæis, qui erant religiosi, non verò Sacerdotibus: quocirca, ex verbo Domini Sacerdotes non sunt vectigales, sed soli religiosi, qui Sacerdotalē vitam non habent. Sed non est animus in quæstionibus his immorari. Etsi enim iure diuino, non haberemus textum, qui eos à vectigalibus liberaret, satis sunt humanæ leges, quæ immunes eos reddiderunt.

Sed ex Christi responsione dubia quædam oriuntur. Primum si tributum debetur Cæsari, num illi debet dari, etiam si ipse non petat? Sunt enim plurimi, parati quidem tributa exactoribus regum pendêre, si exigant. Et quia nō exigunt, idcirco à solutione desistunt. At verò si ita tributū regis est, sicut est nummus aut vestis, quam ego alienam habeo: necessario reddi debet, etiam non petenti, etiam oblito.

Secundum dubium est: Hoc argumentum videtur Dominus fecisse: *Cuius est* (inquit) *imago?* Si Cæsaris: reddatur ergo nummus Cæsari. Atqui argumentum non valet: sunt enim apud me nummi regio signo signati, non tamen proinde sunt regi reddendi, cùm mei, non ipsius sint. Tertium, quod ex secundo nascitur, dubium est: quænam sunt illa Cæsaris, quæ Cæsari reddenda sunt. Vt enim non omnia Deo reddimus, licet omnia ipsius sint: ita nec omnia Cæsari reddenda sunt, cùm non sint eius omnia.

Ad vltimum dubium primo loco respondere libet: & quidē non erat facilè dicere, quænam sint Cæsaris iura. Sed Deo gratia, qui per Samuelem regni iura monstrauit, tunc videlicet, cum Saul erat regno inaugurandus, ea videre licet 1. Reg. 8. At in summa: ius regis est, vt alatur a regno, & alatur in pompa regali. tum vt ei regnum subministret, omnia quæ necessaria fuerint, & ad bella gerenda, & ad pacem conseruandam.

Vnde & ad secundum dubium responsio patet. Argumentum enim Domini efficacissimum est, eo supposito, quod Cæsar tributum exigebat ad iustitiam exequendam, pacem tuendam, bellum gerendum, splendorem regium seruandum. Si dicas: quid verò si id Tyberius petebat, ad suos luxuriosissimos sumptus? Fuit enim ille libidinosissimus, idemque profusissimus. Responsio est: quod cùm rex quid postulat, nec de causæ iniustitia constat, ei obediendum est. Præsumitur enim in dubio, sanctè & iustè petijsse. Ergo argumenti vis, & efficacia

Suetonius in illius vita.

efficacia est. Quod Tyberius rex vester sit, euidenter perspicitur, ex nummi currentis inscriptione. Nec enim nummus valere solet in regno, non regis signo percussus. Quod verò causa sit iusta ad petendū: vel constat, vel in dubio creditur esse iusta: reddendus est ergo illi nummus.

Ad primum verò dubium: ex Summistis petenda responsio est. Id tamen certò scio, quòd si petatur census à rege, negari illi non potest, (nisi de iniquitate constiterit.) Id etiam scio, minime, fraudibus, dolo, vel dissimulatione posse nos vti, ne census non petatur. Id etiam intelligo, quod si viri pij non credunt subditos, ad offerendum certum quendam censum arctari, quod non tenebuntur ipsi per se offerre. Legum enim efficacia ex piorum vsu dependet. At si vsus esset, vt vectigalia offerrent subiecti, non dubito quin non offerens peccaret. *Dist. 1. ed. non omnes vi. Syluestrū. verb. ieiunium princ.*

At nunquid Cæsar liber est? Si subditi sua illi reddunt, an nihil & ipse reddet? Certè rex coronam habet, sceptrum, & gladium: hæc reddere populo debet, reddat caput suū omni virtute coronatum, reddat se perfecta pace subiectis gratiosum, perfecta vindicta hostibus terribilem. Dicere plebs suo regi potest: Dic ò rex, Hæc corona, hoc sceptrū, hic gladius, cuius est imago? Profectò corona virtutis, sceptrum iustitię, gladius bellicæ fortitudinis. Hæc igitur & Deo, & tuo populo redde. Crede coronam, sceptrum, & gladium, populi habere sculptam imaginem, vt hęc populo, quæ populi sunt reddas: nec enim sine causa in pectore, & humero pontifex habebat populum designatum. *Exod. 39.*

Dicamus iam de Deo: cui quæ sua sunt, Christus reddi iubet. At omnia Dei sunt, num ergo omnia Deo reddemus? certè Domini est terra, & plenitudo eius. Domini sunt cardines orbis terrę: Meus est, inquit, orbis terrę, & iure. Si enim ipse fecit nos & omnia, iure creationis sui sumus, sua sunt omnia. num igitur omnia illi reddemus, nihil nobis, parentibus, amicis, & Cæsari relinquemus? *Psal. 23. 1. Reg. 2. Psal. 99.*

Memor sum, in lege veteri Dominum ita constituisse: vt si Iudæi Deo primogenita sua tribuerent, Deus illis reliquorum liberum relinqueret dominium. Quo forte fit, vt si nos nostra Deo tribuamus spiritualia primogenita, reliquorum fere liberum habeamus vsum. At primogenita reddere, hic opus, hic labor est. Primogenitus noster est ille amor, ille affectus, primus, grandis, fidelis, integer: hunc redde Deo, nam *Exod. 13.*

hunc

hunc maximè à te exigit Deus, ſic enim dicit: Diliges Do-
Deut. 6. minum Deum tuum, ex toto corde, anima, memoria, forti-
Prou. 13. tudine, viribus tuis. & rurſum: Fili præbe mihi cor tuum. &
1. Cor. 13. item: Si charitatem non habuero, nihil ſum. Si hunc tuum
affectum Deo reddideris, omnia, crede, illi dediſti, dediſti
cœlum, terram, Angelos, imò & Deum Deo, ſi fas eſt dicere,
dediſti. Rogas quomodo? Plane ex Gregorio habemus,
Homil. in quòd homo eſt omnis creatura. Da igitur te, & omnē crea-
c. 16. Mar- turam dediſti. An non omnia, etiam Angeli homini mini-
ci. ſtrant? quid? an non ipſe Deus fatetur, ſe hominis eſſe mi-
Matt. 20. niſtrum? At qui dat ſe alicui, dat etiam illi, quæcunque ſibi
miniſtrant: da igitur te Deo, & Deum Deo, (abſit verbo in-
uidia) & omnia Deo tribuiſti.

Ioan. 16. Ita Chriſtus ad Patrē: Tu, inquit, miſiſti me, & quæcunque
Ibidem. habet Pater, mea ſunt. reddit ſe Patri Filius, dicens: Nunc ad
Ibidem. te venio. at reddens ſe, reddit quæ accepit. Sic planè, Deus
Pſal. 8. nobis ſubiecit omnia. ſi nos Deo reddimus, omnia reddi-
mus: implemuſq; mandatū Dei Reddite quæ ſunt Dei Deo.
Fecit Deus flumen omnium creaturarum, quod valido im-
Eccleſ. 1. petu in hominis obſequia, quaſi flumina in mare intrarent:
Ioſue 3. ſi nos Deo reddamus. flumen illud, velut alueus Iordanis in
ſuum reddit principium. O verò quale flagitium: ſi flumen
hoc non in Deum, ſed in diabolum corriuetur.

Dicamus id rurſum: Non petit à nobis omnia Cæſar, ſed
quæ ſua ſunt imagine ſculpta: ita Deus non à nobis omnia
petit, ſed ea vbi ſua refulget imago. At licet in omni crea-
tura ſimilitudo deitatis cōſpiciatur, in ſola hominis anima,
Dei imago reſplendet. Hanc igitur animam ſecundùm in-
tellectum, & voluntatem, Deus à nobis requirit. Vt ſicut
Cæſar defendit eos, qui cenſum tribuerint: ita & Deus de-
fendat, & ſeruet eos, qui mentem ſuam numini dicant.

Vide verò: Imago Cæſaris nūmo impreſſa, res mortua eſt.
Imago Dei animæ impreſſa, viua res eſt. At viua Dei imago
Deus quidam eſt, ſcilicet intelligens, volens, immortalis,
Dei capax, orbis rex. Sed deturpauit homo hanc diuinitus
ſibi impreſſam imaginem. Venit Chriſtus, & deturpatam
longè ſœlicius reparauit. Quid enim aliud hominē perfe-
ctum eſſe credas, quam Deum terrenum, ſiue terrenum An-
2. Cor. 3. num? Nos, inquit Paulus, gloriã Dei ſpeculantes, in eandem
Sapien. 7. imaginem transformamur, ſcilicet in imaginem Dei, quæ
Ioan. 14. eſt Chriſtus. Chriſtus enim imago Dei, nos Chriſti. Vt enim

qui videt Christum, videt & Patrem: ita qui Christianum perfectum videt, Christum ferè videt. Est Deus inuisibilis: at in Christo visibilis factus est. *Ioan. 1.* Christus ascendens in cœlum, iam non in se videtur, videtur verò in perfectis Christianis. Quæ fecisset, dixisset, cogitasset Pater: hæc cogitauit, dixit, fecit & Christus. Iam quod dixit, fecitque Christus, hæc facit perfectus Christianus. Opera enim quæ ego facio, inquit, & *Ioan. 10.* ipse faciet, & maiora his faciet. An non vides Dei imaginem per Christum reparatã? Qui ex Adam (si perstitisset) nascerentur, imaginem Dei intactam reciperent: modo tamen quodam naturali: scilicet per generationẽ naturalem. Atqui in Christum renascuntur, imaginem Dei recipiũt pulchram, modo supernaturali: surgit enim noua creatura, in baptis- *Galat. 5.* mo. Nascitur noua creatura per Eucharistiam, qualisnam creatura? Num nouum cœlum aut Angelus nouus? Minimè. sed sicut nouum in terra Christus, ita nouum in orbe per- *Ierem. 31.* fectus Christianus. Est igitur per Christum fœlicissimè Dei in nobis imago reparata.

Quid ergo exigit a nobis Deus? Certè vt ei reddamus animam nostram, hac Dei & Christi imagine insignitam. Nam & ideo, character in baptismo impressus nobis est. Hanc deitatem nobis impressam dæmoni tu ne subijce: sed glorificate, & portate (inquit) Christũ in corpore vestro. Si dedit *1. Cor. 6.* se tibi Christus, tu redde te Christo: & reddes te quendam Christum. quantum te illi reddideris per amorem: tantum te in illum conuertes per vnionem gratiæ & charitatis. Est *Dionys.* enim amor conuersiuus, conuertit amantẽ in id quod amat: vt igitur ita Deus dilexit hominem, vt efficeretur homo: ita æquum est, sic nos Deum diligere, vt dij quidam efficiamur. Rectè Paulus in Christũ per amorem conuersus, inquit, viuo *Galat. 2.* ego: iam non ego, viuit verò in me Christus. Rectè & ipse admonet: vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed Deo. *2. Cor. 5*

Porrò cùm in iudicio, nos Deus interrogauerit: Cuius est hæc quam habes imago? Reddidistíne imaginem meam mihi? Induxistíne imaginem diaboli, super imaginem Dei? Quis tam horrendæ vocis, imò ingentis fulminis fragorem queat perferre? O vos quibus diuina imago & violata, & fœdata est, nunc eam reparare contendite, ne vos vox illa perterreat. Pœnitentiæ lachrymæ sunt quæ fœditatẽ, & sordes detergunt: Eucharistiæ vsus eandem imaginem splendori & nitori restituit. Ad hæc sacra venite, ne vos horrenda illa

execratio

Matt. 25. execratio (Ite maledicti) apprehendat. Tunc certè Christus
Matth. 25. æquus iudex, reddet cuique sua. Si imaginem afferetis Dei, reddet Deus quæ sunt Dei Deo, reddet semideum perfectò
1. Cor. 15. Deo. Ideo enim dicit: Intra in gaudium Domini tui, vt videlicet sit Deus omnia in omnibus. At si imaginem afferetis diaboli, reddet vos diabolo: cui vos prius dederatis, Domino respōdente: *Reddite quæ sunt Dei Deo*: omnes mirati sunt. Quidni mirarentur, cùm tota vitæ nostræ ratio, ex illo responso dependeat: & cùm mirabiles ex eo nascātur effectus? Primum enim hinc nostra manat prudentia. Si enim mundus, caro, diabolus, aliquid nobis offerunt, si sapimus, dicturi sumus: Cuius est hæc imago? Si diaboli, si peccati: reddamus illi peccato, dæmoni, nō verò animæ nostræ. Sed quid verò offertur sanctū ac pium, quære cuius est imago? Si virtutis, si Dei, arripiamus: vt Deo quod suum est offeramus. Si tribulatio, si angustia, si demum crux nobis offertur: & illa nō imagine Christi sola, sed ipsomet Christo est insignita: eam
Galat. 2. amplectamur, vt Deo optanti reddamus. Amplectemur verò, si per patientiam Cruci Christi configamur. At si impatientes sumus, caueamus: ne diabolo tribuamus.

Rursum, si infœliciter te diabolo tribuisti, ad thronum
Hebr. 4. gratiæ Christi accede cum fiducia. Dicito ei: Domine, cuiusnam est hæc, quam mihi appressisti, imago? Si tua est, quis est: redde eam tibi. non est hæc oratio leuis momenti. Certè, horsum ille de cœlo in terram descendit: vt fœdatam in nobis imaginem repararet, etiam non à nobis rogatus:
Isaia 41. quid putas faciet, hac ratione precatus? An non ille dicit: Ego feci, ego feram. Si ergo Domine, tuæ in me Christianitatis imaginem insculpsisti, refice quod per me defecit.

Adde & aliud: Cùm pauperem vides plagis, & vulneribus fœdum, si vbi sibus liuidum: id tecum reputa. Cuius hæc est imago? An non est Christi in Cruce pendentis? An non est Christi, amore nostro languentis? quod si ei viscera misera-
Isaia 53. tionis aperueris, reddidisti Deo imaginē suam. Similis factus es Christo miserias nostras dolenti. Similis factus es Deo, qui ex misericordia languores nostros ipse tulit, & dolores ipse portauit.

Finge tunc litem esse inter auaritiam, & misericordiam. Iubet illa nummos recondi, iubet hæc in pauperē collocari: in ea lite Deus est Iudex. Is dicit: Cuius est hic pauper imago? Certè Christi: Reddite ergo quæ sunt Christi, Christo.

Quæris quæ sunt Christi? Profectò est misericordia. Eius enim proprium est misereri: redde ergo Christo in paupere, misericordiam.

Eandem litem esse existima inter Angelos & diabolum. Diabolus rapit peccatorem, volens eum esse suum. Angeli eundem optarēt esse suum. Accedat tunc peccator ad Christum, ostendens ei animā, eius imagine insculptam & dicat: Domine cuius est imago hæc? Si tua est, & tu dixisti, vt reddatur cuique suū: tu qui potens es reddere, redde suum tibi.

Ne graueris & illud audire: Inter misericordiā, & iustitiā Dei super vno peccatore litē esse crede. vult iustitia peccatorem inferno dare. Est enim proprius infernus peccatori locus. Habet siquidē peccator diaboli, bestiæ, & inferni characterem. At misericordia contendit, reddendū peccatorem Apoc. 16. Deo in quam rem eumcendā offert Deo denariū aureum, id est, Christum in Cruce pēdentem, sanguine rubentē, vibicibus liuidum, quæ insignia erāt peccatorū nostrorū. Est enim Christus in Cruce fixus, non peccator, sed peccatoris imago. Isaiæ 53. Habet enim liuores quos nostra peccata meruerunt. Dicit igitur misericordia, Domine cuius est imago hæc in Filio tuo sculpta? an non est peccatorum? redde igitur peccatoribus Christum. ó si in hac contentione misericordia vincat!

Demum illud addam: Cum tentamur contentio est inter vitium, & virtutem. Vitium dicit: An liceat animam hanc (velut censum) vitio, mundo, carni, aut dæmoni dare? esto tu in ea re iudex. Dic: Cuius est hæc imago huic animæ impressa? Si Dei est, cur dæmoni aut vitio tradas?

Non te prætereat, quod Deus fucatā faciem videns, eamque non agnoscens, dicet: Cuius est hæc imago? & quia superbiæ, vanitatis, & frequenter libidinis est, verendū erit, ne dicat: Detur hæc imago ei cuius est. Detur dæmoni. Ipse enim rex est super omnes filios superbiæ. Contenti esse debueramus facie nostra. cū hæc facies extima, intimæ imago Iob 40. faciei, & per vultum externū, de interno iudicamus. Est igitur facies nostra imago animæ: at anima est imago Dei, est Gen. 2. ergo facies extima etiam & ipsa quadantenus Dei imago, licet remota: quæ vero est, qui non facie Dei contentus esse debeat? Meminerimus, faciem Christi in cruce, faciem fuisse Dei. At non erat illi aspectus, neque decor. Isaiæ 53.

Non libet prætermittere, quod viri deuoti, . . . dubitant frequenter: an sit Censum . . . proprio corpori, parentibus, patriæ,

cognatis,& amicis? & quia se Deo dicarunt,(sicut olim Pharisæi) iudicant non esse censum seculo dandum, non carni, non amicis. At Dominus dari seculo, quæ sua sunt iubet. Illa videlicet, quæ seculi habent imaginem. Inter quæ sunt,
1. Cor. 7. delitiæ,diuitię,honores.Transeunt hæc cum seculo,& seculi necessitatibus inseruiunt, idcirco seculi habent appressam imaginem. Omnia siquidem temporalia sigillum temporis habent. Danda ergo seculo sunt, ex Christi sententia, quæ seculo necessaria sunt, id est, quæ seculum necessario exigit. Vt enim Cęsar nõ tibi omnes corradit nũmos:sed eos quos si non dares,turbatio nasceretur, & scandalum: ita ea seculo trade,quæ si non tradis,seculum turbas,& exagitas. Reddis Cæsari, quæ suo iure illi debentur, redde etiam seculo, quæ illi iure debes. Vtinam reliqua Deo redderes. Redde igitur superiori obedientiam, maiori honorem, parentibus pietatem, amicis beneuolentiam, cognatis egentibus subsidium. Nec Deum te defraudasse suo debito existima. Imò si hæc seculo propter amorem Dei exhibueris:id Deo totum exhibitum certò scias.

Vltimo id admonendi sumus: quòd quia Christiani, inter omnes creaturas,speciali ratione sumus Christi,ideo reddimus nos Christo. Id verò maximè sacerdotes & clericos
Psalm. 15. respicit. Hi enim sors Christi sunt, & hæreditas: & quorum Dominus est pars hæreditatis & calicis, à quo speremus nobis restituendum, quod pro eius amore relinquimus: qui eius sumus charactere insigniti,imagine,scilicet regis nostri. Si imago Dei nobis appressa est,reddamus nos Deo. Speciatim etiam hæc vox, ad monachos clamat. Monachi enim per votum solenne Deo se tradiderunt. Iam ipsi se intelligent,cuiúsnam hic habitus est imago? certè hominis mũdo defuncti, Deo traditi. Redde igitur te ò religiose Deo, alienú te exhibe mundo. Ita ergo Deo ministra,sicut ministri regibus ministrare solent. Superaque ab eo, non vineas, &
1. Reg. 8. oliueta, vt olim ministri Saulis. Sed spera Deum, qui se tradet tibi, multo fœlicius, quam tu te illi tradideris.

In die illa accesserunt. Quod Moses mandat erit semen defuncto fratri excitare, latissimum offert explicandi campum. In primis videtur Moses sibi consuluisse. Sciens enim se moriturum sine liberis, id est, quod lex sua nemine iustificaret:
Galat. 2. siquidem ex operibus legis,nõ fit salua omnis caro. Si enim per legem iustitia, Christus gratis mortuus esset. Vt lex igitur

igitur Moses, sibi semen non nasci, legem sanxit: vt frater suus qui est Christus, sibi defuncto semen suscitaret. Quòd verò Christus frater dicatur Mosis, ipse ait: Prophetã, inquit, suscitabit Dominus de fratribus tuis. At quod Christus excitarit semen fratri, id est, Hebræis: inde colligas quòd Christus fideles efficit, quos Paulus filios Abrahæ appellat, & ideo Petrus Christianos recens factos, dicit esse filios prophetarum & testamenti. Sunt enim Christiani veri Iudæi, & vera circuncisio, & veri filij Isaac, vt Paulus asseuerat, in spiritu, scilicet non carne. *Eodem.* *Deut.* 18. *Rom.* 4. *Actor.* 2. *Rom.* 2. 9.

Hic aduerte, quòd si Christus coniungitur Ecclesiæ, ergo Moses & eius lex iam mortui sunt. Translato enim Sacerdotio, necesse est, vt legis translatio fiat. Porrò cùm Deus dicit: Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem, &c. apertum est Deum voluisse: & mortem legis antiquæ, (cuius sacrificia non vult) & nuptias viri sequentis, id est, Christi. Demum, cùm dicitur Abrahæ, In semine tuo benedicentur omnes gentes, non de semine naturali, id intelligas. Christus enim non propagatur ex semine naturali, sed ex Spiritu sancto. *Hebr.* 7. *Psal.* 39. *Genes.* 22. *Matth.* 1.

Sed alteram accipe huius loci explicationẽ. Anima nostra duplici vitá viuere potest, quasi duplici viro nupta. Prior est vita terrena, carnalis, animalis. Altera spiritualis cœlestis, diuina. Vtinã moriatur vita prior sine liberis, id est, sine fructibus carnis. Si enim renũciasti Satanæ & põpis eius: si vita tua absconsa est cum Christo, corpore interea mortificato, an non dices, virũ priorem sine liberis defunctũ? Quid tum lex iubebit? certè, vt secunda vita cum anima viduata, nubat. ó fœlicem virorũ commutationem! Siquidem viro primo viuente, nupsit homo sibi. Imò nupsit diabolus homini: at in secundis nuptijs iungitur Deus animæ, & licet videatur maritus secundus, non carni fructificare, sed spiritui: at profectò nũquam caro ita sibi fructificat, quàm cum spiritu gubernatur. Spiritus enim qui nunc mortalia corpora mortificat: idem, mortificata excitabit in vitam æternam, in delitias, opes, & diuitias: quas caro nunquam sibi fructificare potuisset, nec ista solũ in alia vita, spiritus paret carni sed & in ista similiter. Vbi enim pax, gaudiũ, & iubilatio iucundior, quàm in carne per spiritũ defunctã? quin & opera quæ spiritus facit, caro sibi arrogat: vt quæ sit spiritus dolores. Pœnitentia siquidẽ, & patientia, naturaliter ex spiritu nascuntur: sed *1. Cor.* 15. *Galat.* 5. *Coloss.* 3. *Rom.* 8. *Galat.* 5. *Psalm.* 88.

legaliter carnis esse videmus. Quid verò si quis relinquat
Matt. 19. vxorē, & liberos: an non centuplū accipiet? certè relinquens filios suos, videbitur sine liberis defunctus. Sed vbi ei nascuntur centū alij spirituales, an nō melius suæ carni fructificauit? Demum: Si vides Christum in cruce pendentem, iudicabis
Matth. 26 eum sine liberis defunctum. Omnes enim relicto eo fugerūt: ast vbi resurrexit, humanitas vita viduata priore, vitæ nupsit æternæ: quæ multos filios produxit. Vidit enim semen lon-
Isaia 53. gæuum: hi porrò filij, morientis Christi semē dicūtur. Siquidem ex latere Christi in cruce morientis, Ecclesia genita est.

Tertia explicatio sit: Viuimus, huic seculo, velut marito alligati. Vtinam cum seculum hoc nobis morietur, sine liberis moriatur, id est, sine secularibus vitijs, & vanitatibus. Si cùm ego moriar, vitijs seculi caruero: certè seculum defunctum erit sine liberis: & seculum æternum iungetur mihi, dabitque æternitatis opera: quæ in albo & catalogo seculi
Rom. 2. defuncti censebūtur. Præmia enim æternitatis merita fuere seculi prioris. Reddet enim cuiq; Dominus iuxta opera sua.

Quarta explicatio dura est. In hoc seculo Deo nupsimus misericordi. Si verò impia anima est, liberis ex hoc viro carens: cùm caro morietur, morietur etiā ei misericors Deus,
Psal. 75. Christo misericordi succedet ipse, Christus via lex, iudex, terribilis. Huic alligabitur misera anima, non ad vitam, sed ad vindictā. Ideo excitabit iram, vindictam, tanquam semen fratri defuncto. Incredibilis enim erit dolor, quòd Christo misericordi abusi simus.

Sed age dicamus de Sadducæa quæstione. Rogant illi
Isaie 4. cuius erit ea vxor, quæ septem viris nupsit? Magna felicitas est, quòd septem mulieres apprehēdant virum vnum, dicentes: Panem nostrum comedemus. Tamē id à te volumus, vt nomine tuo, velut vmbra tegamur. Contigit fœlicitas hæc,
Actor. 4. cùm in illorum discipulorum erat cor vnum, & anima vna. Apprehēderunt enim tun: non solæ septem, sed animarum vniuersitas, virū vnum, id est, Christum. Et contingit etiam nunc, quādo fidelium nostrorum vniuersitas, vni Christo copulatur. Id que tam sine spe temporalis præmij, vt fœlix
Matth. 19. quisque sua alijs distribuat: Id enim est dicere, panem nostrum comedemus, id est, parati sumus, non solum non quærere nobis temporalia tua, sed optimus dare tibi etiam nostra. Igitur fœlicitas est vni Christo hærere. Infœlix verò esse incipit, cum prior nobis vir moritur, & secundo

copulamur, omnis enim ab vno defectio misera est. Qua ratione sancti dicuntur, Deum non benedixisse diei secundæ: secundum enim cadit à primo. *Genes. 1.*

Quòd si secū.do viro copulari miserum est: quàm erat Samaritana infœlix, quæ quinque viros habuerat, & quem tūc habebat, suus non erat! quinque viri illi, quinque sunt sensus, & intimi & extimi. Sunt illa boum iuga quinque, ob quæ miser ille inuitatus ad nuptias non venit. Iam miserum erat quinque viros habuisse, sed ad cumulum miseriæ pertinebat, quòd, quē virum tunc haberet, suus non esset. Si enim mundo inseruisti, nūc verò Christo, certè quinque viros habuisti, sed quem nūc habes tuus est. At si dæmoni etiam nūc seruis, ea demum vera miseria est. Quòd si quinque nupsisse viris, miserum est: quam miseriam esse putas, viris septē nupsisse? miserum id planè: sed frequens ijs maximè, qui resurrectionem cum Sadducæis negant, horum anima, non septem solum, sed vniuersis vitijs subiacebit. Vir animę tuę amor tuus est. Vt enim vxor viro suo viuit, parit, seruit. Ita & anima ei quod amat. Si igitur resurrectionem futuram negas, liberè nunc vnum, nunc alium amorem anima sibi desponsat. At miseri mundi amores, liberis carent, & fructu. Quem enim fructum (inquit) habuistis, in ijs, in quibus nunc erubescitis? solus enim amor Dei, (vt natus ex ipsa fœcūditate) fœcundus est: cæteri amores, si fructificant, spinas fructificant, igni, non cœlo dignas. Seculi amor, ficus est, folia non fructus habens. Si verò sine fructu, & post multos amores anima tandem in fine vitæ inueniatur, nullius amoris erit: tota enim dolori, non amori mancipabitur. Sed si Christo placuerit, vt e terra promissionis septem nationibus depulsis, (velut septem seculi amoribus) suum ipse tibi amorem instillet, anima tua referet e Christo fructum, atque ideo Christi eris. Quam verò cauerat Deus in Deuter. ne quis fidelium filiam suam alicui ex illis nationibus septem copularet. Sciebat, malo nostro futurū: si animam nostram, alicui seculi amori penitus subderemus. Et arbitror septem illa dæmonia, quæ Christus ex Maria deiecerat, septem illos fuisse seculi amores, quibus sese Maria subdiderat. *Ioan. 4.* *Luce 14.* *Rom. 7.* *Rom. 9.* *Hebr. 7.* *Matt. 21.* *Deut. 7.* *Eodem.* *Luce 7.*

Audi & hoc: Primus vir quem Christiani à baptismo ducunt, est innocentia, puritasq; vitæ: si hic in nobis moriatur, crede eum sine liberis mortuum fuisse. Mortificantur enim quæuis bona opera, si gratia moriatur in nobis. Si igitur

ſtatus innocentiæ moriatur: lex Dei iubet, vt ſuccedat ſtat-
pœnitentię: quæ ſuſcitet liberos per mortē prioris innocē-
tiæ mortificatos, & ita eſt. Omnia enim opera per peccat-
mortificata, per pœnitentiam viuificantur. Dices: Quid
hec pœnitentia prima moriatur? certè & ipſa ſi moritu-
liberis (vt prior innocentia) moritur. Sed ſuccedat pœnite-
tia ſecunda, & tertia. Væh porrò animæ ſi contingat deſi-
munere vitæ. viris omnibus ſuis iam mortuis, id eſt, vt
contingat eā in peccato, ſine pœnitētia & ſine fructibus pœ-
nitentiæ, à vita recedere. In reſurrectione ſiquidē nullius er-
Si enim Dei non eſt, nullius eſt. Nullius certè boni eſt. Sed
redeo ad Domini reſponſum.

Reſpondet itaque: *Erratis neſcientes Scripturas, neque virtu-
tem Dei*. Ita planè: nullus error eſt, qui ita funditus euertat
Rom. 10 Scripturas, ita Dei virtutem abijciat, vt error negantium re-
ſurrectionem. Siquidem finis legis & Scripturæ eſt Chri-
1. Cor. 15. at ſi reſurrectio non eſt, nec Chriſtus etiam eſt, nec eius glo-
ria eſt, ad quā toto niſu nos inuitare contēdit. Si reſurrectio
non eſt, tota Chriſtianitatis machina ſuo pondere ruit. Ruit
& tota fabrica legis veteris, quæ vnicè Chriſtianiſmo funda-
Hebr. 4. menta iaciebat. Sanè Paulus inquit locum illū Pſalmi: Qui-
Pſal. 94. bus iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam, intel-
ligi non poſſe, de requie terrena. Si enim de ea intelligeret,
iam erant in eam requiem inducti. Quomodo ergo iurauit
quod non eſſent inducendi? Vnde colligo ſi locus ille nō in-
telligitur de requie corporali, ſed æterna: locí igitur ſine
de æterna intelligētur. at nulla eſt requies æterna Sadducæis,
igitur perit Sadducæis ſcriptura. Idem contendit Stephanus
Actor. 7. probare, de Abraham, cui Deus terram promiſit. At ſi tempo-
ralem intelligebat, nec paſſum illi terræ dedit. Quid mul-
tendo, error Sadducęorum non euertit modo ſacras ſcriptu-
ras, ſed & euertit omnes omnium legum ſcripturas. Si enim
mortalis anima eſt, nihili Deū faciam. & quæ erit in Deum
pietas? in homines fidelitas? Hæc planè ratio Deum coegerit
animam facere immortalem: ne laſciuientem animæ liber-
tatem, ſine lege, & ſine iugo, & ſine præmio bonorū, & pœ-
na malorum relinqueret.

Euertit etiam hic error virtutem Dei. Vbi nota: Satis equi-
dem oſtenſa eſt virtus Dei in mundi creatione. Sed omnibus
ſanctis confeſſum eſt, multo magis eam oſtenſam, in pecca-
toris à peccato excitatione. At quia Chriſtus ſua excitatione
à mor-

à mortuis, effecit: non vt vnus peccator, aut alter: sed vt quotquot vellent, à mortuis resurgerent, ideo summa Dei virtus in Christi resurrectione monstrata est. Vt enim in Adam omnes moriuntur: ita in Christo omnes viuificabuntur. Paulus inquit: Deus, qui diues est in misericordia, cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo, & conresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus, an non summa hæc potentia & virtus Dei fuit? Vide catenam hanc. Quia Christus surrexit, eo surgente surreximus & nos tunc, id est, data est surgendi facultas tunc. Inde fit, vt resurgamus à peccato nunc: surgente anima à peccato nunc: surget in iudicio corpus. Hæc fecit virtus Dei in Christi resurrectione: quam si negãt Sadducæi, negant & Dei magnã illam virtutem. Quã admiratur Paulus dicẽs: Vt sciatis quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credidimus secundum energiam potentiæ virtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans eũ a mortuis. Vbi vides, eâdem potẽtia Deum, Christum suscitasse, & fecisse, vt nos crederemus, & per charitatem à mortuis liberaremur. Summa Dei fuit potentia, carnem Christi mortuam excitare. Eam in cœlum extollere, ad dexteram suam collocare, omnia illi subijcere, nosque simul cum Christo excitare (vt Paulus docuit) & in cœlestibus dare consessum. Recte ergo Dominus: *Erratis nescientes virtutem* Dei, per quã declaratur Christus esse Filius Dei, Paulo dicente: Qui prædestinatus est: (Greci habent, qui declaratus est Filius Dei) *in virtute*, ex resurrectione mortuorum.

1. Cor. 15. Ephes. 2. Leo, & Caius PP. in Epist. suis. Ephes. 1. Daniel. 7. 1. Cor. 15. Ephes. 2. Rom. 8.

Si non nihil rimari libet huius egregiæ virtutis, expende quod sequitur: *In resurrectione*, inquit, *neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli Dei*. Magna certè virtus, quæ mortalia corpora immortalia reddit, imò cœlestia, imò velut angelos Dei. Vt igitur angeli sunt subtilissimi, agilissimi, impassibiles, in cœlo regnãtes: ita erunt & corpora nostra. An non grandis hæc virtus, & digna, quæ emphaticωs, virtus Dei, hoc loco dicatur? expende angelorum cõditiones, & illas resurgentibus tribue. Imò & tibi Virginem sacram exhibemus: quæ non sicut angeli Dei, sed maior sit omnibus angelis Dei. O verè beato: qui resurgent: vt in quos Deus benefaciendo, potentiam suam sit ostensurus. Ostendet enim illis diuitias gloriæ suæ, vt ait Paulus. & Ioannes inquit: Charissimi, nunc filij Dei sumus: sed nondum apparuit quid erimus.

Rom. 9.

1. Ioan. 3. Scimus, quia cùm apparuerit, similes ei erimus. Non ergo
Psal. 81. solum filij Dei, sed dij quidam erimus.

Lucæ 20. Vltimò, Dominus Sadducæorum errorem confutat, quod Lucas copiosius disseruit, dicens: Quòd resurgant mortui, Moses ostendit, cùm dicit: Dominum Deum Abraham, Deum Isaac, Deum Iacob. Deus autem non est mortuorum, sed viuorum: omnes enim illi viuunt. Hic locus hactenus de animabus Sanctorum expositus est: nescio tamē, an sit de corporibus sermo. Tunc vrges, quomodo corpora Sanctorum mortua non sunt? Ita sane, quia non est
Matth. 9. mortua puella, sed dormit: mortua erat profectò, an non mortua, sed dormiēs dicta est, quæ erat surrectura. Similiter
Ioan. 11. Lazarus dormit: licet esset mortuus, quia tamen erat surrecturus, dormire dicitur. Ita Abraham, Isaac, Iacob, nō mor-
Iob 7. tui dicuntur, sed dormientes, vtpotè surrecturi. Ergo ex vsu sacrarum Literarum, non dicuntur pij mortui, qui sunt victuri. Ergo resurrectio corporum erit.

Vide obsecro, licet corpus Christi in sepulcro mortuum esset, vita humana mortuum tamen non erat Deo. Nam vita Verbi diuini, erat illi corpori substantialiter vnita: ita & ego existimo corpora piorum licet defuncta, Deo tamen viuere: quia sicut animabus Sanctorum Deus vnitur per gratiam: ita & eorum corporibus adest per specialem assistentiam, quam miracula a corporibus piorum edita satis testantur. Habet enim Deus specialem & amorem, & curam corporum piorum: qua ratione viuere dicuntur.

Adde & illud: Deus dicitur Abraham, quia Abraham coluit Deum. Nec ob id solum: sed quia Abraham habet spe-
Genes. 15. ciale ius in Deum, vt Deus sit eius. Ita enim dicit ipse ad
Leuit. 26. Abraham: Ego protector tuus, & merces tua magna nimis. Et sæpe dicit: Si seruieritis mihi, ero vester Deus. Vt igitur operans habet ius in mercedem suam: ita & pij in Deum. viuunt igitur pij, possidebuntque eorum corpora Deum.

Actor. 2. Adde etiam: Petrus dicit Christum surrexisse à mortuis, solutis doloribus inferni: iuxta quod erat impossibile, teneri eum ab eis. Nec enim infernus vim habet eos tenendi, qui Deo iuncti sunt. Si ergo Abraham, & Isaac, Deum habuere sibi coniunctum, non potuit eos infernus tenere. Igitur eos Deus excitabit, vt fruantur æternitate, qui Deo se copularunt in tempore. Recte igitur dicit Domi-
Osee 13. nus: ô mors ego ero mors tua, & morsus tuus inferne. Li-

berat

berat enim à morte, & inferno eos, qui se pietati addixerunt.
Adde quarto: Cum dicitur Deus Abrahā, non ita intelligas, vt cū dicitur: Deus terræ, aut cœli. Sed ita Deū esse Abrahæ, vt est Pater filij, sponsus sponsa, vir vxoris: & ferè vt est anima corporis. Nam Moses dicit: Ipse Deus est vita tua, & Deut. 30.
lōgitudo dierum. Si ergo ipse est vita nostra: & ipse est vita æterna æternitatem suis præstabit. Id enim orauit Dominus. Oro Pater, vt vnum sint, sicut ego & tu vnum sumus: Ioan. 17.
vt igitur filius à Patre non diuellitur, ita nec pij à Deo suo.
Adde quinto, Dicitur in Genesi: Ambulauit Enoch cum Genes. 5.
Deo, & nō apparuit, quia tulit eum Deus. Igitur ferre secum Deus pios potest, vt Enoch tulit. Ratio vero quare illum tulit, erat: quia ambulauit cum Deo. Signum igitur habent, qui cum Deo ambulauerint, quòd eorum animas & corpora secum olim ferret Deus.

Pharisæi audiētes, &c. Pulcherrimo fine suas cū Pharisæis Dominus disputationes absoluit. Nam priori disputatione docuerat futuram hominum resurrectionem, & Angelicam eorū in cœlo conuersationem. Ista vero disceptatione docet, quā vnica via, hæc conuersatio, & vita beata comparari possit. Videlicet duobus, hisq; maximis mādatis, Dei scilicet & proximi dilectione. Ita par erat: vt qui de cœlo descenderat, vitam cœlorū ostēderet, & qui in terris cum hominibus Ioan. 3.
conuersabatur, modū doceret: quo terrestribus via pateret Baruch 3.
ad cœlum. Ex his iam agnoscis pondus, magnitudinemque dubitationis, quam Christo Pharisæus proponit. Fuit enim dubitatio hæc: Quódnam est mandatum quod si impleuero, Deo placeam, facitmóque satis: adeò vt si in aliis negligentior fuero, minus mihi sit crimini dandum: quodq; si non impleuero, etiam si reliqua exequar, Deo nō sim placiturus: vt qui minora consectatus, maiora negligam. Qui excolens culicē, camelum deglutiam: folia habens, fructibus caream. O vos igitur appello, monachi, clerici, laici, qui circa exteriora opera versamini: vestra hic agitur causa. Dubitatio Pharisæi ad Matt. 21.
vos spectat. Videte etiam atque etiam, an responsio pertineat. Videte an diligatis. Si non diligitis, legite caput sequens, & vitam vestram acu pictam inuenietis.
Responder Dominus. *Diliges Dominum Deum.* Hoc mandatum maximum est: maxime a Deo requisitum, maxime à nobis curandum, maximam quietem & pacem afferens, maxime in cœlo coronandum, si impleatur: maxime in inferno

puniendum, si negligatur. Maximus Deus: maxima affectio amor. Et maximorum duorum connubio, maximus est partus. Maximum mandatum, sine quo reliqua, parua: imò sine quo, secundum Apostolū, ipsa maxima nihil sunt. Nam si dedero facultates pauperibus: tradidero corpus vt ardeat,
1. Cor. 13. an non hæc maxima? at sine maximo mandato, adeò non sunt illa maxima vt nihil sint. Cōtra verò quæ minima sunt,
Matth 10 cum maximo mandato, maxima redduntur. Calix aquæ frigidæ, ex dilectione, res maxima est. Siquidē ipsum meretur cœlum. O verè alchimicum aurum: quod quicquid tangit efficit aurum. O verè vita virtutum, sine qua nulla virtus viuit. O verè quasi Deus virtutum, bonorum operum, & totius orbis vitæ Christianæ: auertente te faciem, omnia in
Psal. 103. nihilum rediguntur, sed flāte te, & spiritum tuum mittente omnia recreantur, & facies terræ renouatur. Tu ad inferos ducis si deseris, reducis si adsis, mortificas omnia si abfis, vi-
1. Reg. 2. uificas si venis: si fugis, homo iacet, cadit, moritur, in inferno sepelitur, si redis, hominem viuificas, ditas, Deū fere efficis. Res omni admiratione mirabilis, tua præsentia nihil fœlicius, tua absentia nihil miserius: quia tua præsentia Deum adfert, absentia aufert.

Diliges igitur Deum toto corde. Cur verò? cur ita hominem liberum grauas? cur ita liberum in compedes conijcis? vt se totū tibi tradat, nihil ex se sibi reseruans: Dura exactio
Psalm. 8. est, dedisti homini omnia & statim repetis omnia? Denum quid durius, quàm ex toto corde amorem requirere? At ita se lex habet, imò & ita tota exigit ratio.

Primùm: Deus totū quoddā meum est, cuius ego velut pars quædam sum. At ita pars suum diligit totum, vt morti se pro suo toto obijciat: obijcit enim se brachium, caput vulnerare volenti. Diligit igitur brachium suum totū ex toto.

Secundo: Dilectio est quidam omnium affectionū Deus, quò enim ille impendit, totus homo contendit. Amor enim
August. meus, pondus meum, inquit August. Deo igitur omnium, da Deum tuarum affectionum. Quem si non dedisti, nullam affectionem te dedisse cēse.

Isaia 40. Tertiò, oculos tuos attolle. Finge, mundum aut non esse, aut guttulam esse respectu Dei. Conijce tunc in Deū oculos, videbis lucis immensitatem, pulchritudinis infinitatem, bonitatis interminabilitatem: an non hæc, tuum à te extorquebit amorem? an non raperis, non inflammaris? dignus est

tuo maximo amore. Indignissimum est, si illum ames amore minore.

Quartò: Iam si oculos ab illa luminis abysso, ad creaturas conuertis, videbis infinitos penè Angelos: pulcherrimos, optimos, nobilissimos, fulgentissimos, quorum cuiuis totus hic visibilis orbis subijcitur: corporalis enim creatura, spirituali subiecta est. Tum videbis micantes cœlos, fulgentissimum solē, pulcherrimam lunā, splendentia sydera: adeò hæc pulchra, vt pleriq; mortalium, ea vt deos coluerint. Descēde hinc: videbis rerum pulcherrimarum, & nobilissimarum quandam infinitatem. Si quæris, quid hæc omnia faciant? Certè id vnum cōtendunt, super eo vno decertant, vt vnum illum celsissimum, atque infinitum Deum colant, adorent, depereant: Non est culex, non est pulex, qui id pro viribus non nitatur. Quid igitur? Num vbi omnia super diuino certant amore, solus cessabit homo? vbi omnia sudant, vt Deo seruiant, solus desidebit homo? Prouocant nos cuncta, vellicant: vrgēt, vt amemus. Quis aures nostras plumbo sopiuit? *Daniel. 7.* *D. Thom. in part.* *Ierem. 8.* *Psal. 18.* *Psal. 148.*

Quintò: Et profectò si aduertas, intelliges: quòd omnia Deum, etiam cum dispendio suo dil gūt. Nam quòd Angeli Deo ministrent: hoc seruire, regnare est. Sed quòd homini ministrent, idq; ex iussu Dei, an non hoc eorum dispendium est. Voluntantur orbes cœli perpetuò, quia Deus iubet: id compendium est, propter eum, scilicet, qui eos subiecit in spe. Sed hominis causa perpetuò rotari, an non id dispendiū est? Ideo enim omnis creatura ingemiscit, & parturit, huic vanitati subiecta. Corrumpuntur creaturę inferiores: dignus profectò in obsequium creatoris interitus: sed num dignus, in obsequium hominis? Si igitur ex toto corde (etiam cum proprio interitu) cuncta Deum amant, an non indignissimum est, solum in ea re hominem marcescere, propter quem ad amorem instimulandum, suum omnia dispendium patiuntur? *Hebr. 1.* *Rom. 8.* *Ibidem.*

Sextò: Quòd si solus in seculo diligat homo Deum, diligunt etiam omnia Deum. Cùm enim homo omnis creatura dicatur: vbi homo diligit, omnis creatura diligit. Vbi homo non diligit, velut omnia suo fine frustrantur. Si rex alicui seruiat, illi seruit & regnū. Ergo si huius visibilis orbis homo rex est: cui hic seruit, cuncta cum eo seruiunt. Quæ verò maior erit orbis cōtumelia, quam cum ipse Deo seruiat ex toto corde, homo qui rex eius est, alij cogatur inseruire. *Gregorius super Marcum.* *Psalm. 8.*

Septimò.

Septimò, Quid? quòd si alij seruis, perdis te, mille peccatis macularis, mille curis torqueris, mille miserijs affligeris. Videlicet, quia amorem tuum, in loco non suo locasti. Solùm igitur tūc summa space frueris, si summum tuum amorem, in re summa collocaueris.

Psal. 45. Octauò, Durúmne tibi videtur, si pręcipiat tibi Dominus, vt corpori necessaria quæras? Si id durum nō est, cur durum videtur, quòd præcipiat Dominus, vt amorē Dei, animæ tuę necessarium, & quo anima victura est, quæras? Viuit corpus cibo, viuit anima amore: qui Deum non amat, non viuit.

Nonò, Et equidē etiam si amor Dei ad vitam necessarius non esset, nitendum erat tibi, qua ratione posses, vt Dei amicus esses. Quis enim non vehementer ambiat, regis amicus fieri? quis nō optet à rege vehementer amari? Cur igitur nō magis Dei amicitiam ambiat? at si vis à Deo vehementer amari, vna ea ratio est: Tu Deum vehementer amato. Deus te ad certamen amoris prouocat. Angeli sunt huius certaminis spectatores: an non scelus est, nihil ista curare?

Isaia 5. Decimò, Vel eo maximè, quòd nihil Deus debuit facere, vt nostrum à nobis extorqueret amorem, quod non fecerit. Si Deus esset quiuis nostrum. Et quiuis nostrū, Deus esset: quid tunc facere poterat, quod nunc nō fecerit? omnes sanè artes, omnem industriam, omnes machinationes adhibuit, quibus duritiam cordis nostri expugnaret. Expende beneficia, incarnationem, passionem, Eucharistiam: tot sunt hæc & tanta, vt in cor hominis non ascendant. Nihil Deus ferè facit, quo non amorē meum venari contendat. Quid igitur, ardet Deus amore meo: ardet totus orbis amore Dei: & in medio ardentis fornacis frigeo? totus orbis ardet, solus ego non accendor? & quænam maior esse malitia potest?

Vndecimò, Age quantum amat lapis centrum? quantum pisces suum mare? aues suum aër? Si igitur Deus centrum mihi est, vbi quiescam? si mare, vbi viuam? si aer, vbi respirem? (in eo enim viuimus, mouemur, & sumus) *Actor. 17.* quis meæ mihi quietis, & vitæ sensum ademit? Contendunt omnia in quietem suam, in pacem, & felicitatem. Cur non ego item? auulsus lapis a centro, rabiem habet redeundi. Cur non item & ego reuulsus à Deo? Conuertere anima mea in *Psal. 114.* requiem tuam.

Eccles. 1. Duodecimò, Vides flumina magno impetu in mare procurrere. Cur ita? certe quia ex mari prodierunt, & omnia corrupi.

repi.

ruptibilia infatigabiliter, in corruptionem properant: quia ex corruptione ortum habuerunt (generatio enim ex corruptione est.) Si igitur res brutæ toto nisu eò labuntur, vnde venerunt: ô mortales attendite ad cauernam laci vnde pro dijstis. Ex solo Deo anima vestra prodiuit, ex solo illo immenso pelago, riuulus animæ vestræ profluxit: cur igitur nõ præceps in Deum illa ruit? *Isaiæ 51.* *Genes. 1.*

Decimotertiò, Reddit imago ad id cuius est imago: totum me, mea reddit imago. At anima mea Dei est imago: (ad imaginem Dei facta est) reddat igitur Deum, cuius est imago. Si ergo Deum reddit immortalem, intelligentem, cur non etiam reddit amantem? Cur non amat, sicut Deus amat? cur contenta est Deum in parte, non in toto reddere, quod potest?

Decimoquartò, Quòd si hæc ratio vim in naturalibus habet, certè in spiritualibus, multo habet maiorem. Per baptismum enim, Dei in anima imago reparata est, noue ad amandum vires additæ. Quid enim aliud sunt fides, spes, charitas, quàm flammantes titiones, quàm ignis in terram missus, quibus vel ferrea pectora accendantur? *Luc. 12.*

Decimoquintò, Accedunt his & aliæ flammæ: quid enim est Ecclesia, Eucharistia, Sacramenta, Cantus, Prædicatio, Crux, Christi & Sanctorum imagines, quàm ardētes fasces? quàm mons Æthna, vbique ignes euomens?

Decimosextò, Conquereris forsan, quod laboribus, & ærumnis victus, Deum mente lugubri (vt Aaron) amare non possis. Vide verò, ne fortè isti labores ictus sint ferri, vt extorqueant ex tuo silice, flammam. Deus enim videns te beneficijs non emolliri, sed in modum silicis indurari, silicem percutit, vt scintillas proferat. *Levit. 10.*

Decimoseptimò, Quòd si, nec hi ictus te mouent, moueat æterna, quæ te pœna manet. Moueant illæ frigentissimæ niues, vt frigentem nunc à te niuem, excutias. Moueant illæ ardentissimæ, nõ amoris, sed furoris flammæ: vt nunc dulci amoris igne inardescas. Sin minus, scito, quòd quem Deum habuisti nihil non facientē, quo te ad amorē prouocaret: habebis nihil non facientem, vt de te hostilē sumat vindictam. *Iob 24.* *Matt. 4.*

Decimooctauo, Contra verò parauit diligentibus se, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis ascenderunt. Parauit, vt inebrientur ab vbertate domus Dei. Vt torrens voluptatis in eorum os influat: parauit in monte æternal- *1. Cor. 2.* *Psal. 35.* *Isaiæ 19.*

Matth. 25. æternitatis, cõuiuium pinguium medullatorum. Parauit, vt intrent in gaudiũ Domini sui, qua re, quid par, nedum maius cogitari potest?

Decimonono, Et equidem licet amor ex toto, principio durus videri possit: at vbi cœperis, durius videbitur ab eo recedere, quàm primum videbatur accedere. Est enim suauis spiritus tuus Domine, super mel dulcis.

Eccl. 24. Vigesimò, Sed quid moror rationes congerens, cùm omnes rationes breuissime Christus adduxerit: *Diliges Dominũ Deum tuum.* Si Dominus est, & se amari iubet, parendum illi

Malac. 1. est. Si Deus est, omnium bonorum thesaurus est. Si igitur amamus guttulas ex hoc pelago prodeũtes, amemus ipsum omnium bonorum mare largissimum. Si tuus est, ama quod tuum est. quod esse poterat maius amoris irritamentum, quàm Deus tuus. Amat Pater filium suum, Sponsa sponsum suum, Aricola agrum suum. Adeo auarus est homo, vt alia nõ possit, nisi cum pronomine, suus. ama ergo Deum tuum. Finge omnes dulcedines, diuitias, honores, suauitates, blanditias: (deficit animus) eas omnes vno verbo comprehẽsas habes, cùm dicitur: Deus tuus quid te prouocare ad amandũ potest, quod non in eo verbo habeas comprehensum?

Sed forsan quæris, quid sit: *Ex toto corde, anima, mente?* Ego dicerem, hos esse gradus amoris. Primus est incipientium, Secundus proficientium, Tertius perfectorũ: nam si è corde tuo nulla exeat mala cogitatio, nec furtũ, homicidium, &c.

Matt. 15. tunc diligis ex toto corde: totum cor Deo, nullam eius partem vitio concedens. At vbi contendis nihil aliud cogitare, memorari, cupere, nisi Deũ, tunc diligis ex tota anima. Animam Deo, non alio plenam habere laborans. Sed vbi ascen-

Psal. 72. disti ad perfectionem spiritualem, vbi cor & caro defecerũt in salutare Dei, tunc purus diligit spiritus. Tunc diligis ex tota mente, fortitudine, viribus Tunc fastidio sunt omnia

Psal. 76. temporalia, renuit anima in alio consolari, quàm in Deo.

Psal. 74. Omnia ossa dicunt: Domine quis similis tibi. Sed canant experti.

Attende. Non satis est si Deũ diligas, diligit enim Maurus &

Ierem. 17. Indus. Diliges ergo ex toto corde: at prauum est cor hominis, & inscrutabile. Plenum est ambagibus mille, latebris mille, adeo vt Dauid se non intelligat, cùm dicit: Ab occultis

Psal. 18. meis munda me. latent in his latebris vitia multa, adeò vt

Ibidem. ipse dicat. Delicta quis intelligit? Quis igitur gloriabitur mundum

mundum se habere cor, & quòd Deum toto corde diligat? Prou. 20.
Quantumuis ergo ames, time ne non ex toto corde ames.
Vt simul & amans sis, & humilis. Eodem ergo præcepto &
amari se voluit, & nos humiliari docuit.

Adiecit secundum præceptum. *Diliges proximum sicut te.*
Vbi iam sunt quærelæ maiores. Cur amem proximum sicut
me? num alā omnes sicut me? vestiā sicut me? num omnium
curam capiti meo imponam? quis queat grauissimū implere
præceptum? At ne graueris. Tua res agitur. Omnibus proxi-
mis tuis, tui cura mandatur: tu etiā omnium curā suscipito.
Nō esse liber, vbi vis omnes esse subiectos. Si quē offendisti,
exoratum eum vis, vt tibi condonet. Igitur si ab aliquo of-
fensus es, exorari te permitte, vt etiam remittas. Si pauper
es, velles tibi donari, dona & tu pauperibus. Si æqualanx,
Alijs da, quod ab alijs cupis. Alioqui vsurarius es, qui plus
requiras, quàm dederis. Nihil igitur grauius hæc lex impo-
nit, quàm illud, quod tibi ab alijs vis: id tu alijs velis.

Sunt tamen vt in dilectione Dei, ita & proximi quidam
gradus. Primus est infimus. Vt nihil proximo contrarium
velis, velisque ei, quæ necessaria sunt. Est hic gradus velut
naturalis. Secundus gradus est altior, cùm animam tuam tra-
didisti proximorū negotijs curandis. vt cùm totū te tradis
curādis firmis, docendis inscijs, &c. Tertius est multo etiam
altior: vbi tota mente eos amas, eorum salutem spiritualem
toto affectu quærens, ardesque, & optas illis salutē æternam.
Et adeò hoc vreris igne, vt anathema esse cupias pro fratri- Rom. 9.
bus, vt deleri postules de libro vitæ, vt eis vita tribuatur, vt
animā ponas pro amicis tuis. Hac charitate nulla maior est. Exod. 32.

Et certè, sicut non datur perfectio amoris Diuini in Via Ioan. 15.
(licet sit quædā eius perfectio vt viæ) ita nō datur perfectio
integra amoris proximi in Via: sed erit in Patria. Quod ita
intelligo: Iussit Dominus, hoc mandatum meum, vt diligatis
inuicē, sicut dilexi vos. Quis verò est, qui ita se, ex summo in
imū deijciat, proximorū causa, sicut se Christus deiecit. Con- Ioan. 15.
tendendū ergo nobis voluit in via, vt assequamur in patria.

Quàm verò gloriosum esset regnū, vbi omnes ita inuicem
amare contenderent, sicut nos Christus amauit? Sumus
omnes vnum corpus in Christo: vnico spiritu velut anima
viuificamur. Vnus Deus nobis est, vna fides, vnum baptis- Rom. 12.
ma: cur igitur non quærat quisque alij, quod sibi? Siqui-
dem ipse cum alijs non diuersa sunt, sed vnum in spiritu. 1. Cor. 2.
Ephes. 4.

Sed

Ioan. 16. Sed his mundus est, ex diametro contrarius. Intellige verò maxima hæc esse mandata, ad quæ implenda, non satis sint omnes omnium vires, nisi Dei maximi auxilium adsit supernaturale.

Sed tractemus Christi interrogationem: *Cuius filius est Christus?* Potuitne grauior quæstio hominibus proponi? Si enim dicas: Solius Dauid, en tibi æterna damnatio. Si dicas: Solius Dei: æterna item damnatio. Si dicas: Dei & Dauid, beatus eris, si id cum Simone Bar-Iona confitearis. An non

Matt. 16. super hac quæstione totus orbis dimicat? Mauri, Iudæi, Indi super hoc vnico verbo digladiantur. Et equidem iure duobus maximis mandatis quæstio hæc adiuncta est: vt intelligamus, Christum Filium esse Dei & hominis, & hoc vnicum nos ad Dei, & hominis dilectionem accendat. Quis enim

1. Tim. 6. non amet Deum propter hominem, hominem factum: &

1. Tim. 1. hominem, qui ex Dei vnione sit ipse Deus? Si quia Deus lucem habitabat inuisibilem, amare eum negligebas, en inuisibilis visibilis factus est. Si hominem (vt vel timuimus) amare

Ioan. 1. dedignabaris: en Deo homo vnitus est. Est igitur filius Dei Christus, & filius Dauidis, vt Dei & hominis amorem à nobis extorqueat.

Respondent illi: *Est filius Dauid*. Si id intelligunt Christiani, flectant statim genua sua. Nec enim continere se potuit hoc loco Paulus: quin gratias Christo ageret magnificas, cùm Deum filium esse hominis prædicabat. Quorum

Rom. 9. patres, inquit, ex quibus est Christus, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Vix simile de Christo confessionem prodit Paulus, quam vbi mentionē fecit, quòd Christus esset filius Dauid & aliorum Patrum. Quidni in ea verba prorumperet, videns quòd ex illo filio Dauid nos omnes

Ioan. 1. accepimus gratiam pro gratia? Quia enim Verbum Dei habitauit in nobis, ideo vidimus gloriā eius. Et quia Verbum

Eodem. caro factum est, ideo dedit potestatem, vt homines, filii Dei esse possent. De eo Dauid dicit: *Dixit Dominus Domino meo:* quo locum tam vtilum, quam rem seculis inauditam: *Dixit.* Certè, sede mihi dextra, mihi æqualis. Meritò Dauid rem narrat stupendam. Quod caro, quòd sanguis, quod terra cælos

Ephes. 1. ascendat, cœlos penetret, Angelos supergrediatur, & in Dei sedeat æqualitate quod simili filio hominis, vsque ad antiquum

Daniel. 7. dierum peruenerit. Iure & à Dauide dictum, & à Christo repetitur. Huic tota Philosophia repugnat, natura reclamat sed

Sed fecit in hac re Pater potentiã in brachio suo. Nec enim
gradius aliud efficere potuit. Vere exaltauit in care humilẽ. 1. Reg. 2.
Sede, inquit, *donec ponam inimicos*. Nostra tunc caro, Deo
inimica: reconciliati [illegible] sumus, cũ inimici essemus. Hanc
carnem inimicam, iam reconciliatam, Deus subuexit in cœ- Rom. 5.
lum, vt esset sub pedibus Dei. Non enim vult scabellũ suum
perire, sed seruari: obedientiam scabelli vult, non mortem.
Et hic etiam Deus fecit potentiam in brachio suo, vt scabel-
lum inferno dignum, in cœlestibus collocaret.

Hæc sunt verba Patris ad Filium: quæ oportet nos ei etiã
dicere. Dicamus ei: Sede in dextera nostra, donec ponamus
inimicos tuos, &c. Certe appetitus noster, caro, & voluntas
carnis [illegible], sunt Christo rebelles. Sede igitur in dextera
nostra, id est, in nostro loco meliore: in nostris melioribus
bonis. [illegible] [illegible] credit, [illegible] qua verò malus est, Christum
habet sedentem in bono sane loco, id est, in suo intellectu, in
fide. At non habet sedentem in meliori loco, id est, in volun-
tate, & charitate. Quod fortasse innuitur, cum dicit, sede à
dextris, & non [illegible] ad dexteram. Vult enim Christus col-
locari, non in vno tantum bono, sed in melioribus bonis.
Rursum, qui [illegible] [illegible] in vitio, & frequenter inde re-
surgit, non habet Christum sedentem, sed discurrentem. Non
fixum, sed [illegible]. Dicamus ergo ei, sede fixus in melior-
bus bonis nostris.

At non sedet in nobis Christus, vt nos interim dormia-
mus, aut marcescamus. Sed vt ponamus inimicos eius sub pe-
dibus suis. An nescis appetentias tuas esse Christo inimicas?
an non inimici hominis, domestici eius? [illegible] non prudentia Mich. 7.
carnis inimica est Deo? An non [illegible] carni repugnat legi Dei? Rom. 8.
Tu [illegible] contra [illegible], vt hi inimici sub pedibus Christi [illegible] Rom. 7.
dibus fiunt. O [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] Christi, [illegible]
Christo subiecta. Vbi solus Christus imperat, & regnat. Vbi Luc. 1.
nos, [illegible] liberati de manu inimicorum nostrorum, serui- Prou. 1.
amus Deo in sanctitate & iustitia. Vbi quiescimus omnium
[illegible] [illegible]. Vbi in pace in idipsum dormire Psal. 4.
licet. [illegible]
At sicut [illegible] Dominus [illegible]
ctes. Christo [illegible] non [illegible], sed merito Christi [illegible] Psal. 95.
rum Christi [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] merito-
[illegible] est [illegible], [illegible] [illegible]. Vt enim
ria: vt qui [illegible] [illegible] factus est nobis [illegible] 1. Cor. 1.
[illegible] in Domino glorietur. [illegible]
Paul. de Pal. [illegible] 10.

Iam, quale supplicium merebitur, qui cùm Christum in dextera collocare debuisset (vt quem Pater ad suā dexteram collocauit) ille non ad dexteram, sed sub pedibus suorum inimicorum deijcit? ô facinus, ô scelus. At tu qui peccas, quique iniquus es, Christum statuis sub pedibus luxurię tuæ,
Isaiæ 43. auaritiæ tuæ. An non hæc Christi querela est. Seruire, inquit, me fecistis in peccatis vestris, satis igitur Christum seruum
Trenor. 1. iniquitatum tuarum. Flebat Ieremias, quòd hostes animæ facti essent in capite. Si hostes in capite, vbi nam Christum
Trenor. 5. collocasti? cecidit corona, inquit, capitis nostri: Igitur ad
Psal. 55. pedes lapsa est: Christus verò corona capitis est. Per Dauidē queritur coram Patre Christus: Miserere mei, quia conculcauit me homo: conculcauerunt me inimici mei. Et Paulus
Hebr. 10. inquit: Quanto putatis deteriora mereri supplicia qui filium Dei conculcauerit? vides igitur quòd iniqui Christum pedi-
Ephes. 1. bus calcant. Quem Pater posuit ad dexteram suam, super omne nomen quod nominatur in hoc seculo & futuro, cum iniquus sub pedibus dæmonum, & vitiorum statuit.

CAPVT XXIII.

Tunc locutus est Iesus.



Rbitror Christum sub nomine Scribarum & Pharisęorum, nostri tēporis religiosos & literatos designasse. Cū enim Scribę illi & Pharisei, solum essent quadraginta annis post Christum duraturi, non erat opus, tam lōga admonitione, in tam quà nos Euangelium admonet, in tam exiguum tempus contexere. Præmonuit ergo Christus literatos & religiosos, tum eorum auditores & discipulos. Iudicio meo, est Euangelium hoc speculum, vbi & hi, & illi se conspiciant. Maxime verò pars hæc Euangelij prior ad auditores pertinet, quibus dicitur: *Super cathedram Moysi.* Vbi primum se offert dubium. Cur non dixit, super cathedra Christi, sederunt prędicatores & doctores. Respondeo forsè hæc prior erit ratio. Quia non videbatur futurum, vt super cathedra Christi malus aliquis sederet. In cathedra hominis iniquum sedere, tolerabile est. Cum enim omnis homo ab
Genes. 5. adolescētia ad malum pronus sit, quid mirum si in cathedra eius qui ad malum pronus est, iniquos vnquam sedeat? At iniquum

iniquum in cathedra bonitatis Dei ipsius sedere: res est in-
tolerabilis. Est Christus agnus, in id mortuus, vt tollat pec- *Ioan. 1.*
cata mundi: est salus, quæ seruit infirmitatem, vt infirmitates *Isaiæ 53.*
nostras sanaret: est lux obtenebrata, vt tenebras nostras de- *Ioan. 8. 9.*
pelleret. Vide iam quale sit statuere peccatum, languorem,
tenebras, imò & dæmonē ipsum in eius cathedra, qui mor- *1. Ioan. 3.*
tuus est, vt hæc omnia dæmonis opera destrueret, ipsumque
mundi principem, diabolum, foras eijceret. *Ioan. 12.*

Altera ratio est. Quia ipsa Christi, ex se, cathedra peccato
repugnat. Certum est dari gratiam Episcopo ad prędicandū.
Ergo cathedra Christi formaliter (vt Theologi loquuntur)
gratiā suo ministro largitur. Vt enim gratia datur sacerdoti,
ad sacerdotium exercendum: ita & Episcopalis cathedra de
se gratiam dat Episcopo, ad sanctè prædicandum. Vt ergo
ex se, Christianus, vt qui ex Deo natus est, non peccat. Quia
Christianitas, ex se peccato repugnat: ita qui in Christi ca-
thedra sedet, ex se, non peccat: sed quæ dicit facit. Quia id *1. Ioan. 3.*
ipsa cathedra prębet: saltem Episcopis quorū illud proprium
munus est. Hac ergo ratione non dixit, In cathedra Christi
sedet malus. vt nec conueniebat dici: In igne, sedet frigus. In
sole, tenebræ. In iustitia, peccatum.

Vnde tertia ratio colligitur: Non dixit, In cathedra Christi
sedet, qui non facit. Quia malus vir quantum de se est, ca-
thedram Christi in cathedram vertit Moysi. Cathedra enim
Christi, est amoris, gratiæ, filiorum. Cathedra Moysi est ti-
moris, literæ, seruorum. Si igitur in cathedram Christi malus
ascendat, cathedram filiorum, ex se, in cathedram vertit ser-
uorum. Vt igitur Christianus, qui spiritum adoptionis non
habet, sed timoris potius, is spiritum Moysi repræsentat: ita
prædicator malus scribam agit potius & Pharisæum, quàm
Christianum prædicatorem.

Dubium alterū est. Cur meminit cathedræ? cur non sim-
pliciter dixit, quæ scribæ dixerint vobis, hæc facite? Respon-
deo, Admonuit prædicatores officij sui, ne dum prędicant, se
priuatos homines esse putent: sed personam, & autoritatem
se habere Moysi, id est, Dei. Vt enim cum Papa quę [illegible] præ-
cipit, & ipse & nos præcepta illa putare debemus esse diuina.
(vt frequentissime pontifices dicunt in decretalibus suis) ita
& predicator cathedram illam putet esse Dei. Et quod qui in
cathedra illa est, Deum agit, & velut Deus quidam est. Vti-
nam id & prædicatores spectarent, & etiam auditores.

Dubium tertium est: Cur dixit, *Sederunt Scribæ, & Pharisæi?* siquidem Scribæ, sonat literatos. At cum nullus nisi literatus in cathedram ascendere debeat, sat erat dicere, super cathedram Moysi ascenderunt literati. Nisi forsan Pharisæis illiteratis esset concessa docendi facultas. Respondeo: Quantũ mea fert opinio, hîc per Pharisæos repræsentantur religiosi: qui monachatui addicti sunt. his conceditur prædicãdi autoritas, etiam si minus sint literati. Tanta enim est illis cum Deo familiaritas, vt ex illo ad Deum accessu, fiant illuminatissimi: & velut Moses, radijs fulgentibus cornuti.

Exod. 34. Illum igitur fulgorem in recessu conceptum, in cathedra spargent. Quòd si secus prædicauerint: faciendum est tamen quod dicunt. Personam enim Dei ex loco, ex habitu, ex professione, ex functione repræsentant. At scribæ, Theologos significant: qui labore, & industria, literas sibi compararunt. Aduerte igitur nemini esse in cathedram ascendendum, nisi literatus sit. Aut certè monachus: cui prædicatio vitæ merito conceditur.

Quartũ dubiũ: Cur dixit, *Super cathedram sederunt*, nõ verò ascenderũt, aut steterũt: etenim prædicatoribus nostris mos est, stando prædicare. Respondeo: Duo videntur hîc indicari. Alterũ, quòd non omnibus prędicatoribus obediẽdum esse dicitur, sed his, qui prædicant ex officio, & munere sibi cõmisso. Ijs enim qui nondum prædicant ex functione cõmissa, sed dum se ad prædicandũ exerceant, nondũ parere tenemur. Hi enim nondum in cathedra sedent, licet sedere contendant. Alterũ est, quod ijs maximè parendũ est, qui iam diu sedent in sa-

Iob 32. pientia legis: quibus non est eruditio noua, & velut in ventre Heliu, ad modum musti feruẽns: sed qui habent res veluti excoctas, maturas, non præcoques, aut præcipites. Indicatur etiam, quòd potissimè parẽdum sit Episcopis, quorum est in cathedra sedere.

Quòd verò sequitur: *Quod dixerint vobis seruate, & facite* duo subindicat: alterũ quanta cura, & veneratione verba illa

Psal. 118. seruanda sint. Rectè Dauid: In toto corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. [illegible] habent eloquia Dei, seruare ne peccemus, an nõ dignissima sunt [illegible]

Eccles. 15. tur? Profectò verũ illud est: Si seruaueris ea, conseruabunt te.

Matth. 13. & verũ illud, quod semen est Verbu Dei. [illegible] non [illegible] re diabolus [illegible] corde nostro [illegible] [illegible] seris, & repagulis esset seruandũ, ne euelleretur [illegible] quod

quod cœlū profert, merito seruandum est. Alterum est: quid seruare Dei oracula prodest, nisi ea faciamus? *Seruate*, inquit, *& facite*. Certè literati homines, Scribæ, & Pharisæi verba diuina seruant: sed non omnes seruant, vt faciant: at non est ille beatus qui seruat, vt doceat, sed vt faciat. Misericordia *Psal. 102.* enim & bonitas in eos, qui sunt memores mandatorum Dei, ad faciendum ea.

Porro facienda sunt, quæ prædicator dicit, quia in cathedra Dei sedet, & verba Dei docet. Dices: quid si errores doceat? Planè dum nescitur, in erret: facientes quæ dicit, meremur. Meretur enim vetula errans ex mandato prædicatoris, quem vera dicere credit. vbi non operis iustitia vetulam commendat, sed obedientia prædicatoris.

Iuxta opera eorum nolite facere. Profectò hoc audito sermone, erat cur contristarentur Iudæi: qui si suos Pharisæos non imitarentur, vix habebant, quem possent imitari. Sed ô gens Christiana, non est vobis propositus, hic aut ille prædicator, quē sequamini. Propositus est vobis Christus: exemplar fulgentissimum, in quem transformemini, cuius vestigia sequamini. *1. Petri 2.* Audite prædicatorem, sed aspicite Christum autorem fidei, & consummatorem. *Hebr. 12.* Prædicat prædicator voce: prædicat propositus Christus opere. Sapienter Petrus: Proposuit Pater Christū, vt sequamini vestigia eius. *1. Petri 2.* quare? quia peccatum non fecit, nec est inuentus dolus in ore eius. Prius fuit, peccatum non facere: mox dolum non loqui.

Ergo, inquit, quæ faciunt non facite, sed quæ dicunt: quia illi magistri sunt non dicendi, sed faciendi. Magistros dicēdi eloquentia facit. Magistros Christianitatis facit Spiritus sanctus, qui fecit alios Doctores, alios Prophetas. *Ephes. 4.* Mendacissima persona, seu larua, est prædicator dicens, non faciens. *Matth. 10.* Si enim magister Christianus es, Spiritus sanctus te fecit: & non es tu qui loqueris, sed Spiritus in te: si non facis quæ dicis, iam non in te loquitur Spiritus, aut certe te spiritui tubam, seu organum spurcū offers, per quam Deus insonet, gladium ferruginosum manui diuinæ tribuis, quo scindat, diabolum ei offers, per quem diuina opera faciat. ô vos prædicatores, qui gloriam in excelsis Deo canitis, pacemque terræ affertis, contendite, vt Angeli sitis. *Luc. 1.* ô qui desponsare Deo animas curatis, videte, vt famuli sitis Abrahæ fideles. *Gen. 24.* Qui tubæ estis, quibus sunt congreganda Israelis agmina, videte vt argenteæ tubæ sitis, non terrenæ. *Num. 7.*

Sed quænam sunt mala Pharisæorum vt illa nostri caueant prædicatores? Primũ est: *Alligant onera importabilia, quæ ipsi nec digito mouere volunt.* Quidnam hoc est, o Christe seruator?
Exod. 7. An nõ tu per manus Moysi graues, legem dedisti, & eam im-
Actor. 16. portabilẽ? dicẽte Petro onus eã fuisse, quod neq; nos, inquit, neque patres nostri portare potuimus. Cur ergo alijs crimẽ impingis cuius tu videris autor fuisse? Rursum: quomodo verũ est, Pharisæos neque digito onus contingere: cum ieiu-
Luc. 18. nent bis in Sabbato, decimas dent eorum quæ possident. nec iniusti sint, neque auari. Et Paulus Pharisæus viuebat sine
Philip. 3. querela. Quod si per onera traditiones intelligas: sanè in
Marci 7. illis, nimij potius sunt ferendo, quàm morosi non cõtingendo. Demum: quid vis cum dicis digito, non contingunt? Si pede aut manu dixisses erat id facile: sed digito, obscurum? Ad hæc videri responsum poterat, si de tempore nostro intelligamus. Onera hæc importabilia esse excommunicationes, suspensiones, interdicta, irregularitates. & cætera onera Ecclesiastica: quæ prælati Christianis imposuerunt, cum tamen eorum plerique ab excommunicationibus, & alijs censuris liberi sint: plerique non ieiunẽt, aut carnibus abstineant.

Sed libet rem hanc introrium aspicere: Onus quod ceruicque nostrum imponitur, non est hæc aut illa legis particula, sed lex tota. Hæc enim est colligata fascis, & manipulus collo impositus. Non ergo queritur Dominus, quòd Pharisæi non contingant vnum, aut alterum preceptũ, sed quòd totum onus digito non tangant. Quid enim si Pharisæus decimas hinc det: illinc verò odiat, inuideat, superbiat? Profectò partẽ legis fert, non totam. hi ergo sugillantur, quòd eam totam legem alligent, non totam mouere contendant.

Sed audi: Non eos Dominus accusat, quòd onera alligent: sed quòd alligẽt importabilia, quæ ipsi non moueant. Aperuit Dominus sensum nostrũ, vt hec penetremus. Plane lex Christi sine amore, sine spiritu, vix portabilis est. At nõ accusatur Deus eam legem ferens. Si enim tulit, dedit etiam spiritũ, &
Matth. 1. vires, quibus portetur lex: imò quib⁹ iugũ fiat suaue. & onus leue. Quòd si etiam prædicatores digitis legem mouerẽt & perficerent, darent & ipsi (suo modo) spiritum, seu gratiæ vi-
Rom. 1. res. (Ita Paulus dicit: Cupio videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis) id est, daret per ipsos Deus. Fieretque ista ratione lex portabilis, quæ ex defectu amoris & spiritus importabilis videtur. At defectus amoris sæpè ex defectu

fectu venit prædicatoris, dicentis non facientis, alligantis onera, non ea mouentis. Profectò qui legem mouit, & perfecit, nouit etiā quomodo sit illa ferenda: & quomodo ad orationem sit recurrendum: vt viuendum, vt vires ad ferendum ipsa præstet. Videntes verò auditores legum a prædicatore ferri, & modū quo sit ferenda, inspicientes: concipiunt & ipsi vigorem. animantur, accenduntur, inflammantur, arripiunt onus. At vbi humeros prędicatorum liberos ab onere vidēt, recusant & ipsi onus. putantes ferri non posse, quod illi doctores ferre recusant.

Interim nescio an aliquid mysterij in illo verbo lateat: ***Nec digito contingere volunt***. Res spirituales licet manus non habeāt. digitos tamen tres dicuntur habere, quibus res moueant. Ita Isaias: qui tribus digitis appendit orbē terræ. tres illi digiti sunt potentia, sapientia, bonitas, ijs tribus digitis contingi, moueri, & portari lex Dei debet. Et ijs perfectè portat, qui omnibus portat. Qui animose fert legem, non adeò tamen prudenter, is vno fert digito: qui vero animose, prudenterque sed non amanter fert, duobus eam digitis portat. At qui legem non amat, imò abominatur, vt Pharisæi illi, is neque vno digito contingere vult. Id est, quod in Pharisæis Christus accusat. Intelligāt Episcopi, quid in ijs quos ad prædicandum accersunt, requirere debeant. *Isaiæ 40.*

Attende nunc: illi imponunt onus ore, non manibus: non portant, non mouent, imò nec cōtingunt, ille portat, qui legem impleuit, is non portat, sed mouet, qui cupiens perficere legem, eam aggreditur, victus tamen carnis fragilitate sub onere ruit: is non portat, nec mouet, sed contingit, qui optat quidem à peccatis egredi & legem incipere, non aggreditur tamen, nec tentat, an armatus incedere possit. Is verò nec digito contingit qui legem odit, quique nihil legem curat. *1. Reg. 17.*

Secundum peccatum, cujus Dominus Pharisæos accusat, est: ***Quia omnia faciunt, vt videantur***. Dices: An non necesse est Episcopis, vt videant homines opera eorū bona, & ita glorificent Deum? Adde, quòd Theologi fatentur, gloriam esse inter bona humana præcipuum. Cur ergo Pharisæi traducuntur, quærētes quòd adeò bonū est? Equidē, quòd ex bonis humanis humana gloria quæratur, forsan non esset scelus horrendū. At quòd omnia & diuina, & humana, sacra & prophana, ad venandam gloriolam [illegible], non potest non esse *Matth. 5.*

piaculum. Quod enim Dominus instituit in gloriam suam, & cultum suum: ideò referendum est: at si tu horum adulterator, hæc tibi velis desponsare, proprio marito viduata, an non est facinus? Lege Caietanum in fine Secundæ Secundæ.

Sed profundius penetra. Vita Christiana tota consistit ab
Psal. 44. intus, tota est in homine interiore renouando. Si igitur tu
2. Cor. 5. totam vitam extra consumis, nihil curans interiora, hoc est, cùm vita Christiana ex diametro pugnare.

Scito vitam Christianã Deum semper præ oculis habere: vt quem vnicè diligat, & depereat: vt cui vni totam se consecret, cui vni contendat sua facta probari. Iam si omnia facias, vt hominibus placeas, Christi seruus non es, (vt inquit
Galat. 1. Paulus) ergo directissimè pugnas cum vita Christiana. Charitatis, vt igneæ, ascensus sursum est. Cupiditatis, vt terrenæ est descensus deorsum. de hoc statum.

Tertium Pharisæorum peccatum est superbia, & celsitudinis appetentia, non quouis loco, nec inter quosuis, sed excellentiæ in conuiuijs, in Ecclesia, in foro. Itaque æstimabant se Pharisæi meliores iis omnibus, qui in Ecclesia, & in foro conueniebãt. O Luciferinã superbiã, quæ sicut Lucifer cathe-
Isaiæ 14. dram in cœlo, vt esset similis altissimo, quæsiuit & Pharisæus in Ecclesia, (quæ cœlũ quoddã est,) cathedrã meliorẽ, similé altissimo: quærere enim cathedram super omnes, est Dei cathedram quærere. Vtinam non hac labe essent nunc infecti, qui literatorum & religiosorum nomen sibi vendicant, qui ex professione locum inferiorem essent potius venaturi.

Quartum peccatum, ex tertio nascens est: velle vocari ab hominibus Rabbi, Pater, Magister. Id nobis explicat Paulus, dum dicit: Corinthijs fuisse dissidia, alijs dicentibus: Ego
1. Cor. 1. sum Pauli, ego Cephæ, vt & nũc mos est deuotis hominibus, maximè fœminis dicere: Pater meus ille, Confessor meus iste. Iactabant ergo primi illi ad fidem conuersi: alij quòd à Paulo essent conuersi, alij quod à Cepha, & à ceteris Apostolis. Vt Apostolus meminit, dicens: Existimo me nihil minus fecisse, à magnis Apostolis. Nascebatur his [illegible]
2. Cor. 11. illis Christianis, ex Pharisaismo, vt hi honoris causa [illegible] & se cumulum dicebant esse magistri: quia etiam ratione magistri circuibant mare, & aridam, vt multos haberent discipulos, non in Dei, sed in suam gloriam. Circuibant
Matt. 23. terram, vt vnum facerent proselytum, a quo Patres, Magistri, & Rabbi vocarentur.

Hoc

Hoc præmisso: Cùm Dominus vetat vocari magistros, nõ vetat pietatem, & reuerentiam: sed idipsum quod Paulus, dicens: Cùm sit inter vos zelus, & contentio, super patribus & magistris: nónne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis? Igitur carnalem illum affectum, vnde dissidia nascuntur in vita Christiana, hunc prohibet Dominus. Vult te, patrem tuum diligere, & plenis buccis patrem nũcupare: sed quòd, eum qui te Christi pietatem docuit, ita carnaliter ames, vt inde aut tu, aut ille in superbiam incidatis, id verò prohibet Dominus. Voca magistros, & rabbinos, quantum velis, sed ita magistros facito, & nuncupare, vt [illegible] aliorũ discipulos contemnas, vtque ex tui amore magistri, Deum obliuiscaris, id Dominus vetat. Videant religiosi si quid horum illis conueniat. 1. Cor. 3.

Sed vt hæc tibi sint perspectiora, vitam Christianam ob oculos præscribo. Vita est hominis, ex mundo ad veritatem, per Christi lumen conuersi: hominis vnum Deum amantis, Deum ex intimis, ex præcordijs diligentis: reliqua, quæ Deo minora sunt, paruipendentis. Vbi enim [illegible], quis Deus sit: nouit, quàm nihil [illegible] non sit. Est vita hominis cupientis Deo hærere, iungi, vnúmque cum eo fieri: ac proinde [illegible] omnis affectus (si excessiuus sit) ad creaturas, [illegible] est impedimento: ideo hunc vult resecare, & mortificare. At quia per sui despectũ, & [illegible] intell[illegible] [illegible] se Deo [illegible]: ideo tantum [illegible] vt se [illegible], [illegible] gloriam suam quærat, vt maxime hanc timeat. Id verò [illegible] Christus, ex [illegible] Christiane esse despectum: & Crucis, non honoris [illegible]. Norunt hæc experti. Lucæ 14. Galat. 6.

Addit Dominus epiphonema *Qui se exaltat, humiliabitur.* Ego quidem rem hanc [illegible] expendens, admiror: Cur Dominus superbiam, & celsitudinis appetentiam tantopere odit? Cur [illegible] vitiis tantopere [illegible], cùm multa [illegible], multo maiora. Rem hanc tractanti quædam [illegible] causæ, quas [illegible] libuit.

Prima est: Deus est purissima veritas: non potest igitur non summe odisse [illegible]. At [illegible] est, putare te esse aliquid, cum nihil sis, [illegible] Apostolum. [illegible] summopere odit Dominus. Ioan. 15. Galat. 6.

Dices eadem ratione, summe odit Dominus omnem iniustitiam, cum ipse sit [illegible] summa? Respondeo. [illegible]

est corruptio, & magis horrenda, quæ in fundamento latet: quam quæ in tecto, aut pariete. At putare te aliquid esse, corruptio est, in ipso esse: quod omnium quæ in nobis sunt, fundamentum est: ac ideo magis odio habetur. Spiritus est
Ioan. 4. Deus, ideo vult in spiritu & veritate adorari. Recte igitur
Psal. 118. Psalmus: In veritate tua humiliasti me. Humiliat enim se, is
Psal. 50. cui veritas illuxit. Hanc veritatem diligit Dominus, & ei in-
Psal. 30. certa & occulta manifestat. Vnde David: Ego dixi, proiectus sum à facie oculorum tuorum, (id est, vilis sum in oculis tuis) quâ causa, inquit, exaudisti orationem meam. Diligite eum omnes sancti, quia veritatem requirit. quam? Hanc, ne credes te aliquid esse, cùm proiectus sis à facie oculorum Dei: aliòqui retribuet, abundanter facientibus superbiam.

Secunda: Aut Deus est in te, aut non est. Si non est in te.
1. Cor. 5. Cur non magis luctum habuisti? Si in te: facit agnoscere te: & ita humilias te. Inquit Ieremias. Postquã ostendisti mihi,
Ierem. 31. percussi femur meum. Solent enim qui se errasse cõperiunt, femur palma percutere.

Tertia: Si peccator es, cur te exaltes? Si inimicus es, cõtra
Rom. 9. quem, (vt contra Pharaonem) suã Deus demonstrabit iram: cur te exaltes? Si Deũ quantum est ex te, peccando occidis, cur exaltes? Si peccata tua Christum morti addixerunt, cur superbis? Si tui basti vniuersum: Deum sub diabolo statuis;
Titum 1. si Deum licet verbis fateris, factis tamen negas, si exul à cœlo es, si ciuis es inferni: quæ te superbia excæcat, vt altum te esse credas, quem tam vilem peccata reddiderunt?

Quarta: Dum se exaltat superbus, alios contemnit, quod cum charitate ex diametro pugnat, quo non solum æquales
Philip. 2. sibi proximos facit: sed eos se superiores existimat. Ait Pau-
1. Ioan 4. lus: Et Deus cùm charitas esset, & cùm altus esset, formam
Matt. 20. serui accepit, in qua non solùm vnus ex nobis factus est: sed
1. Cor. 13. omnium nostrum minister esse voluit. Rectè Paulus, charitas non inflatur.

Quinta: Si vexillum charitatis est humilitas, vexillum
Iob 41. diaboli est superbia. Ideo enim rex dicitur, super omnes filios superbię. Odit igitur Dominus eos, qui charactere bestię
Apoc. 19. sunt insigniti, id est, qui vexillum portant superbiæ.

Sexta: Tu ô superbe in teipsum, intra tua fundamenta, perscrutare. Genus, opes, fortunæ fundãtur in corpore. Virtutes, eruditio: fundantur in anima. Perge porrò. Vbi eum fundam-

fundantur corpus, & anima? An non sunt ex nihilo nata? Egregiũ plane tuæ celsitudinis fundamentum? Firmissimæ vero arrogantiæ tuæ columnæ. Rideátne nunc Deus, an odiat eum, qui cum nihilo nitatur excelsa de se putat?

Septima: Vis videre quis sis ex te? Expende, quo descenderit Christus ad subleuandum te: & intelliges, vbi malorum tua celsitudo iacebat. Descendit ille in altitudinem maris, (omnium scilicet malorum pœnæ.) Descendit in profundum, vbi non est substantia. Quo redemptor pergis? quæro in altitudine veneris inferi, iacentem illic hominem, vt inde eum eripiam. Et qui tam iacet profundus, excelsum se credit? *Psal. 68.* *Eodem.* *Eccles. 15.* *Matth. 12.*

Octaua: ne conijcias oculos in hanc vitã, vbi bona malis permiscentur. conijce oculos in vitam futuram: vbi quisque pro dignitate proprium locum sortitur. Iam quæso te, si Deus non tui misereatur, quis erit locus tuus? An non erit infernus? Cur ergo extollis te, cui dignus locus infernus est? an non merito odiat Deus hominem, cui tam corruptum iudicium est, vt se aliquid esse credat, cùm tamen sit dignus inferno?

Nona: Datur tibi sacra Eucharistia in cibum, & Christi passio in remedium. An non agnoscis magnitudinem morbi, & miseriæ tuæ: cui tam pretiosa fuerit necessaria medicina? Alioqui stultum est, facili morbo sumptuosissimam impendere medicinam?

Decima: Illud etiam magno mihi argumento est, quàm simus miseri. Quod cùm Deus nihil non fecerit, cum omnia sua artificia, & adinuentiones, ad prouocandos homines in sui gratiam, & cultum insumpserit: nos adeo stupemus, & lapidescimus: ac si nihil ille fecisset. eximia illa vinea vere est, quæ summa cura exculta, labruscas profert, nõ vuas. Mortui sunt, quos tanti amoris stimuli, nihil excitant. Cur igitur nos exaltemus? Qui se exaltat humiliabitur. *Isaiæ 5.*

Sed qui se humiliat, exaltabitur. Magni artifices, quo sibi maiorem gloriam parent, viliorem materiam pulcherrimo operi subijciunt. Vt quo vilior materia est, eo artificiosius resplendeat manus. Si vis igitur, vt Deus pulcherrimum in te opus perficiat, humilia te: quo te videris in oculis tuis viliorem, hoc præclarius absoluet opus.

Et nescio quid causæ sit, quod cùm res exiguæ, sunt nobis gratiores, exiguus puer, exiguus vitulus, catellus. Emanu-

uitne

uítne hoc nobis ingenium, ex diuino? Cui exigua & humilia
Matth. 19. placent, adeò vt nisi efficiamur paruuli, non intrabimus in
1. Reg. 15. regnum cœlorũ. Cùm Saul paruulus esset, rex inauguratus
1. Reg. 16. est. David omnium fratrum minor vngitur in regem. Et
profecto nemo est qui non humiles amet, & exhorreat superbos. Quis enim superbo conuiuet? Et quis non cum humili conuersabitur.

Psal. 38. Dictũ mihi hactenus est: quòd homo sit vniuersa vanitas, imo omnium malorum pelagus. quomodo igitur in eum intrabit omnium bonorum pelagus Deus: nisi se homo euacuet, horretq; se per gratiam Dei omnium malorũ abysso?
Psalm. 41. Ad me ipsum, inquit, anima mea turbata est, propterea memor ero tui. Ita planè: Tunc dignum est memoriam habere Dei, cum anima turbatur ex intima inspectione sui. Vis igi-
4. Reg. 4. tur Deum, vis oleũ exultationis, pete vasa, sed vacua, & non pauca, id est, vt te non in paucis, sed in multis euacues. Vis animam tuam sanari? gustato eam: & vbi eius amaritorem
Eodem. gustaueris, clama: Mors in olla. Si noueris mortem ollæ tuæ, inuenies vitam [illegible] tuæ. Ideo enim Deus exaltat humiliatum, quia generosus est Deus. Nihil vero tam natiuum generosis, quam parcere subiectis. Remittit enim leo quas conceperat iras, vbi subiectum conspicit inimicum.

Et [illegible] naturalissimum [illegible] est, afflictis commiserer[i]. [illegible] enim ratione Rhetores docent, in causa [illegible] dicendum humiliter: Hac enim vi [illegible] animos conciliabit. Cum ergo [illegible] misereri
Vide D. quærit, quorum [illegible] in nullo in Deo [illegible]
Thomam, virtus, quàm misericordia: ita nihil magis amat, quàm hu-
2.2. quæst. miles, in quos se [illegible], & nihil magis [illegible], quàm
33. art. 4. superbos, qui [illegible] non se credunt [illegible].

Finge Deum [illegible] esse flumen [illegible] fontem [illegible] omnium fons est [illegible]
Isaiæ 40. [illegible] per [illegible]: omnis [illegible] vallis [illegible] implebitur. omnis mons & collis [illegible]. Iacobus
Iacobi 1. dicit: Omne datum optimum, de [illegible] descendens.
Ioan. 4. Descendens, inquit, si descendit, igitur in humiles descendit, non in elatos.

Adde illud Domini: Si quis sitierit ex aqua, quam ego da-
Ioan 7. bo [illegible] in eo fons aquæ salientis [illegible] ad [illegible], flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Cur non dixit: fluent flumina ex capite, ex pectore, ex corde? Et cur non dixit?

dixit: Aquæ currentis, sed salientis? Certè, quia per ventrem locum vilem, infimum, & abiectum intelligimus. quocirca, si ex te, aquæ emanaturæ sunt, ex tua vilitate, & abiectione, ab imo tuæ cognitionis sunt emanaturę. Iam si aquę salienti, ex imo loco salient. Nec enim salit aqua nisi ex infimo loco.

Item, stultus es: si alia ratione exaltare te vis, nisi ea, quâ Christus exaltatus est. at hic per Crucem exaltatur. humiliauit enim se vsque ad mortem, & mortem Crucis. Ergo vel membra nos non esse Christi fateamur: vel sicut ille ambulauit, ambulemus. Consilium fuit Deo viam ad cœlum nobis aperire. sed nulla nisi humilitatis, aperta est. *Ioan. 12.* *Philip. 2.* *Ioan. 2.*

Iam quid credis in cœlo esse? Certè est humilitas. Omnis illa beatorũ curia, humilium curia est. Quid enim aliud est, quod Ioãnes videt: seniores in facies suas procidere, nisi humilitas, ex Dei & sui cognitione dimanans? Sicut in inferno non sunt nisi superbi. Dictum enim est: Superbia eorum, qui te oderunt ascendit. amabit ergo Dominus humiles similes in terra, illis quos amat in cœlo. *Apoc. 4.* *Psal. 73.*

Demum: vt arbitror, nulla in terris beata esse anima potest, nisi humilis: etiam secundum rationem naturalem. Cum enim vita hæc sit plena malis, quasi sagittis: & plena laqueis, & retibus: quis euadere poterit volantes sagittas, expansos laqueos, nisi qui se contrahit, & paruulus efficitur?

Væh autem vobis Scribæ. Hic mirari libet Dei largitatem, hominum verò ex Deo dignitatem, ex se indignitatem. Profecto si homines claudunt regnũ Dei, iidem aperire possunt. An non miraris diuinam magnificentiam, qui regnum suum, (imò seipsum) in manibus hominum statuit: & clauem eis dedit, quâ fœlicem illam cœli ianuam aperiant, & claudant? Rursum, non miraris claniger[illegible] ho[illegible] qui in sua ditione, regnum ex manu Dei habent? Quod si id miraculum erat tempore legis veteris: quanto maius est tempore legis nouæ: in qua Christus aperuit Petro, & eius vicarius, claues tradidit regni cœlorum? quanta vero [illegible], tantum negligere aperiendũ? [illegible] cœlum occludere. cum esset illud aperuit. Voluit Deus regnum suum aperire, & Christus clauem [illegible] sumpta aperuit, de [illegible] tibi tum [illegible]. Tu verò [illegible] Christi: quod si [illegible] claudas, [illegible] tantum malum efficeres: at cum alijs [illegible] est acta. *Væh vobis qui clauditis regnum cœlorum ante vos. vos enim non intratis, nec sinitis intrare.* *Mat. 16.*

Non

Non negligenter audiendum est verbum illud: *Non finitis*
intrare volentes. Nam insitus à natura nobis est ignis hic, &
impetus quærendi semper beatitudinem. Nihil enim faci-
mus, quo non eam quæramus. Contendunt quippe etiam
mali, intrare in beatitudinem: licet decipiantur, in terra
quærentes quod in cœlo quærere debuissent: sed tandem illa
terrenorum inquisitio ex naturali, ad quærendam fœlicita-
tem propensione descendit. Quærunt igitur eam omnes,
licèt male quærant multi. Si ergo mali doctores auxilio sunt
ad male quærendum, & vt quæratur in inferno quod erat è
cœlo quærendum: an nõ recte illis Dominus inclamat væh?
Iam sunt multi qui melius nati veram fœlicitatem inuenire
contendunt, atque ita volunt intrare. His si mali doctores
pro fœlicitate offerant infœlicitatem, an non hoc summum
piaculum est, æterno væh dignum? At miseri illi quibus re-
gnum clauditur, decimas & redditus dant doctoribus suis,
vt aperiant: & ipsorum doctorum professio est aperire: &
ipse Deus in populis est, cupiẽs vt sibi aperiatur: & in docto-
ribus cupiens, vt aperiant. Quale verò est hominem è ianua
cœli eijcere, & in infernum conijcere? ò Episcopi, ò prædica-
Matth. 3. tores, quis docebit vos fugere, à iudicio gehẽnæ? Id certum
vobis sit: Si nõ sinitis intrare, hæc vna causa est, quia vos ipsi
non intratis: at si intratis, causa est, vt intrent alij. Quàm
multis votis erat à Deo efflagitandum, vt non sineret vica-
rios suos viam cœli obstruere: vtque in locum suum eos ef-
ficeret, qui id facerent, quod ipse fecit. erat quidem ianua
Genes. 3. cœli occlusa, & Angelus in porta Paradisi, distinctũ, & flam-
mantem habens gladium, ne quis intraret. At Christus suum
fudit sanguinem, quo gladij flamma extingueretur, & An-
gelus statione pelleretur. Hoc exemplum vobis, ò doctores
accipite. Quod si non placet, Christo placeat: vt vobis sum-
motis, nos intrare compellat.

Luce 24. Secundũ væh, est cõtra eos, qui oratione prolixa armati,
Væh vobis imbecillium domos inuadũt. Verè indignissimum erat, tan-
qui come- tam orationi iniuriam irrogari: vt ipsa tanti mali esset instru-
ditis domos mentum. Sane anima ab oratione digna exit diues, amoris
viduarum. plena, Dei desiderio languida, æternorum cupiditate fer-
orationes uens, bonorum suorum oblita, diuitiarum suarum prodiga,
longas oran- proximorum nexu ligata, imbecillium miseriis compatiens.
tes. Exit tandem vel diuina, vel deifica. Qui ergo fieri potest:
vt longa oratio, diuinas surripiat, quæ propria despiciat? Qui
fieri

fieri potest, vt oratio Dei, in eos sæuiat, qui sunt Deo relicti? At certum est, Deo relictos esse pauperes: qui pater est orphanorum, & iudex viduarũ. Quanto igitur væh, digni sunt, qui Deo contra Deũ armantur: quique Deum faciunt, contra Deum insurgere? Igitur existima cum oratione abuteris, te Deo ipso abuti. Et cum oratione viduã lædis: te, Deo, Deum læsisse. Cuius verba sunt. quod vni ex minimis fecistis, mihi fecistis. Et quidem ferri poterat, si viduæ domum per orationem in aliquo lesisses: at quòd orãdo, totam eius domum deuores, id quis ferat? Age nunc vide an plerique, qui in Deo glorianrur, lites contra viduas, & orphanos intentent? Et si in omnibus ferè vincant, & prætextu religionis pauperum facultates deuorent? *Psal. 9.* *Psalm. 67.* *Matt. 25.*

Ex dictis multa colligere est. Primum: Caue ne abutaris oratione. Secundò: ne rebus diuinis armeris contra pauperes. Tertium: Attende, Deum curam habere viduarũ, & orphanorum. Quartò, mirare, qui fieri possit, vt longa oratione orans malus sit. Sed credo longam illam, nõ adeò veram orationem fuisse. Alioqui dictum est, Qui conseruat legem, multiplicat orationem. *Ecclesi. 35.*

In tertio væh, illud mirandum occurrit: quòd legis zelus, adeò Iudæos accenderit: vt quo vnum facerent proselytum, mare circuirent & aridam: Cur non ergo Christianos idem zelus inflammat? Illos instimulabat zelus legis, non gratiæ: Moysi non Christi, timoris non amoris sanguinis pecudum, non sanguinis Christi. Cur ergo nos ita desidemus ignaui? Illi peccatores habebant zelum Dei, non secundũ scientiam: nos verò, zelus domus Dei non comedit. *Væh vobis qui circuitis mare, & aridam, vt faciatis vnum proselytum.* *Rom 10.* *Psal. 68.*

Quòd si non zelus Dei, sed auaritiæ potius ignis, illos ad orbem circumeundum animabat: an non hoc magis facies confundit nostras: quod malitia fuerit, quàm bonitas potentior? Reuera stupendum est, quòd nostri homines, ad aurum comparandum tot subeant pericula, ad æternitatem vero adipiscendam sint adeò segnes. Cum Paulus dicat: Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ, sicut exhibuistis membra vestra, ad circumeundum vestris cupiditatibus orbem: ita exhibete, ad dignum Deo cultum offerendum. *Rom. 6.*

Porrò, quàm est maior virtus, quàm quærere, parta tueri! Imò quàm est summa crudelitas, quem summo nisu filium peperisti, magna rabie necare? Circumisti orbem, vt Deo *Ieremi. 16.*

filium

filium dares. Et in terra Dei, coram oculis Dei, à Deo cus[illegible] diabolo tribuis. an non id summũ flagitium est? Flagitium verò par, illud etiam erit, te interficere filios Dei, quos Deo summis laboribus, alij pepererunt. ó si exercerentur hoc verbo, qui Christiano nomine gloriantur, ne nouiter ad fidem conuersos, male tractarent! Sunt exempla morum nostrorum, adeò corrupta: illosq́ue adeò exasperamus, vt se potius vellent iugo infidelium premi, quàm nostra societate participare.

At graue dubium: Quomodo nouiter conuersi, malo nostro exemplo, fiant duplo filij gehennæ, quam nos? Cum potius, nos digni hac duplici pœna essemus, vt autores duplicis culpæ? Credo id esse dicendum: Culpa hominis, semel à Deo illustrati, quique bonum Dei gustauit Verbum, dupla est, ad culpam eius, qui nunquam illustratus fuerat, qui et nunquam virtutes expertus erat seculi venturi: vt habet A-
Hebr. 6. postolus. Porro Pharisei isti, vtpote à malis parentibus orti,
Matth 3. & qui ipsi genimina essent viperarum: nunquam diuino fue-
1. Petri 2. rant lumine perfusi. At proselyti, vt diuina luce conuersi, postea conuertebantur à sancto mandato, duplici & culpa, & pœna digni erant. Igitur peccata eorũ, qui semel diuinam gratiam hauserunt, sunt multo maiora.

Iam nouimus, quod duplũ in sanctis Literis, nota sit non taxati numeri, sed maioris, vt illud, fiat in me spiritus tuus
4. Reg. 2. duplex, id est, magnus. & illud: de quinque panibus & duobus piscibus, de quo suprà. Igitur duplo filius gehennæ, id est, maximè puniendus in gehenna.

Hinc collige multa. Primum: Per malos ministros aliquando infideles conuerti, & diuina veritate illustrari. Secundò, cum conuersi peccent, grauissimè peccare. Tertium: Dignum esse, vel vnum conuertendum, propter quem, mare & & aridam circuiremus: sicut Pharisæi circuibant. Nam &
1. Cor. 13. Christus pro vno etiam animam suam fudisset, adeò charitas non quærit quæ sua sunt. Quartum: Infideles minus peccare (alijs paribus) quàm si conuersi, postea peruertantur. Quintum: O labores cassos, & male collocatos, eius qui circuiuit mare, & aridam, qui noctes diesque laborat, vt proficeret: si sua conuersatione, eum quem comparauerat doctrina, & ipse, & quem conuerterat, sunt ambo in gehenna.

Væ, qui quem [illegible] In quarto, [illegible] sunt quæ mihi annotanda. Pri[illegible]
dicitis, qui Reprehendit Dominus Pharisæos, quòd magis [illegible]

& donis altaris afficiebantur, quam ipsi templo & altari; videlicet magis amãtes sua, quam Dei. An non illud væh, quibusdam clericis quadrabit? qui cupientes beneficia, non de Dei cultu, sed de donis altaris curant: nihil aliud quærentes, quàm quantum dona & redditus valeant. Item ad canonici quidam, cum sermo est, de templo vel altari, nihil curant, at si mentio sit de opimis distributionibus: currunt ad horas. *iurauerit in templo, nihil est qui in auro, debitor est.* *Philip. 2.*

Nota quod in tribus prioribus væh nunquam Dominus in Pharisæos excanduerat, at in hoc quarto væh: duces eos vocat cæcos, & stultos. Vt notaret in clericis grande esse auaritiæ malum. Cuius argumentum, non aliud quæras, quàm quod auaritiæ causa, Pharisæi, & Iudas Christum morti tradiderint. Reuera magna cæcitas est, donum aspicere: non curantes eam manum quæ donum largitur. Oculos erige, & si amas censum: eum ama, cuius causa centum lucraris. Cur porcus es, soli glandi attentus, nunquam glandiferam quercum aspiciens? Certè habes, quod cupiditas cæcos efficiat. An non cæci sunt, qui non vident ea quæ perpetuò in manibus versant? Quid verò aliud versamus clerici, quàm Deum quem quotidie in altari tractamus? Si ergo semper donaria templi, nunquam verò Deum videmus, an non cæci sumus? *Matt. 26.*

At non solum cupiditas facit cæcos, sed etiam stultos: & in fide errantes. Quid enim aliud est, quàm error in fide, id quod Pharisæi dicebant, quod iurare in templo & in altari, nihil sit. Agnoscis verum esse, quod Paulus dicebat: Cupiditas est radix omnium malorum: quam quidam appetentes errauerunt à fide. *1. Tim. 6.* *Eodem.*

Secundò, notandum illud: *Qui iurat per altare, iurat & in eo, & in omnibus quæ in eo sunt.* Pari ergo lege, qui habet altare, habet omnia donaria quæ in eo offeruntur. Cur igitur, qui curam habet animarum, cum ius in altare habeat, non itera lus habet in omnia altaris donaria? Iniquum videtur: te altare possidere, & alterum ex toto inseruire: alterum verò ab altari omnia sibi dona corradere.

Tertiò, notandum quod templum sanctificat omnia, quę templi sunt. Vt iam non liceat, res templi, in profanos vsus, (nisi sacrilege) conuertere. Quanto igitur verius, altare sanctificabit, omnia donaria & redditus, qui altaris causa clericis offeruntur? Quod si census ex altari sanctificantur: iam videant illi, an in profano, conuertere vsus. Valeant, an

ſacrilegum ſit altaris donaria meretricibus conferre. Euangelium enim eſt, quòd altare ſanctificat donum. Ne ergo ſancta proijciantur canibus, neque margaritæ offerantur porcis.

Matt. 7. *Hebr. 10.* Quartò ſi templum illud, & altare antiquum, in quo ſola erat vmbra futurorum, (id eſt, in quo nondum Christi aderat præſentia) ſanctificabat dona adeò, vt crimini daretur Phariſæis, quod nihil ipſum æſtimarent: quanto magis ſanctificabit nos noſtrum altare: & criminis arguemur, ſi non ſummo ipſum pretio æſtimauerimus? Et quia in altari, aqua vino commiſcetur, populi cũ Chriſto vnionem ſignificans, ſit planè vt in altari populus Chriſto vnitus Deo offeratur. Sanctus igitur populus eſt, quem ipſum altare Deo, & ſanctificauit & obtulit. Cur ergo populus ſanctus, rebus ſe prophanis immiſcet?

Væh, qui decimatis mentham & relinquitis grauiora, iudicium, miſericordiã & fidem. In quinto væh, illud mihi dubium occurrit, quid ſibi velit, iudicium, miſericordia & fides. Quæ cum ſint grauiora legis, eſſent nobis apertius ſcienda, & obnixius obſeruanda. Sat ſcio Dominus Hierony. in capit. Malach. 6. & Iſai 16. explicaſſe hoc vocabulum Iudicium. Vt facere iudicium ſit, quæ agas, cum ratione & iudicio agere. Sed neſcio, an ſit apertius: Iudicium ſignificare æquitatem, & frequentius iuris ſonare rigorem, quomodo ſi in cunctis fere locis accipias, omnia iure quadrabunt. Vt illud: In iudicium ego veni in mundum, id eſt, in æquitatem, & rigorem. Et illud: Pater omne iudicium dedit Filio, id eſt, omnem æquitatem, & iuſtitiæ rigorem. *Ioan. 6.* *Ioan. 5.*

Porrò apertum eſt: quid miſericordia ſignificet. Fides verò licet Caietano ſignificet veracitatem, at qui arbitror, fidem viuam ſignificare. Ad id credendum adducor ex teſtimonio Michææ. Vbi cùm Dominus, idem quod nunc argumentum tractaret, contemneretque oblationes, quæ ſibi offerebantur: ita dicit, Indicabo tibi ô homo, quid ſit bonũ, & quid Dominus à te requirat. Vtique facere iudicium, diligere miſericordiam, & ſolicitum ambulare cum Deo tuo. Quæ ego verba, nunc à Chriſto adducta exiſtimo, vt idem ſit Chriſto fides, quod Michææ, ſolicitum ambulare cum Deo. At ſolicitum ambulare cum Deo: eſt ipſum vehementius amare: eiuſque offenſam, diligentius cauere. Id verò, fides viua eſt. Porrò hæc ſunt grauiſſima legis. Deo fidem viuam ſeruare, proximo indigenti, miſericordiam largiri: peccanti verò iuſtitiæ *Mich. 6.*

iustitiæ æquitatem seruare. Hæc enim tria, in duobus illis, de Dei & proximi dilectione mandatis concluduntur. Idem enim est fides viua & amor Dei. Idem verò misericordia, & iudicium, quod amor proximi. *Matth. 9. & 22.*

Iam quia in lege veteri, multo vehementius quærebatur rigor, quam benignitas: ideo primo loco requirebatur iudicium. At quia in lege noua potius inquiritur amor, quam seueritas: idcirco tertio tacetur iudicium, & proximi præcipitur amor, vt quando is puniendus erit, ex amore puniatur.

Et arbitror, hæc tria esse, quæ Dominus dixit: de quibus Paracletus arguet mundum. De peccato quidem, quia non credunt, inquit, in me. En tibi fides. De iustitia quia ego, inquit, ad Patrem vado: id est, arguet mundum de iustitia seu probitate, & misericordia: quia Christum occiderunt, & ad Patrem ire fecerunt. De iudicio demum, quia omnis iustitiæ rigor, in mundi principem seruatus est. *Ioan. 16.*

Sed alterum, occurrit subtilius dubium. Cur de mentha, anetho, & cymino: potius quàm de alijs rebus, mentio facta est. Et cur de horum decimatione. Et planè si Galeno & experientiæ credimus, mentha amarorē quendam habet, quo lumbricos interficit. Habet etiā acerbitatem, qua sanguinis eiectiones reprimit. Quod profectò quadrātissimè conuenit rigori iudicij: quo nocentes, & sanguinarij opprimuntur & occiduntur. Anethū, multo est mitius. Sedandis enim doloribus apponitur. Quod quadrat misericordiæ, paupertatis dolores sedanti. Cyminū flatus tollit: Id quod viuæ congruit fidei. Hæc enim est quæ flatus, & superbias hominum tollit, dans gloriam Deo, vt Paulus habet.

Porro, non vult Deus, ex his tribus, solas sibi decimas dari, Imò verò vult integram fidem, plenam misericordiā, syncerúmque iudicium. Contrà, Pharisæi contenti nonnihil fecisse misericordiæ, nonnihilque mortuæ habere fidei, iam putabant se sanctos esse. At Dominus ex his legis grauissimus, non quærit quæ parua sunt, sed quæ integra. O vos igitur Christiani, qui forsan, ex his non decimam, sed neque centesimam Deo datis, cauete hoc vah. *Rom. 4.*

Væh sextum, illis admonet: quòd nos simus vasa, quorum extimum, corpus sit: intimum anima. Intra vasa hæc liquor est, cibus est. Amor videlicet, & cor nostrum. Quem cibum cupit sibi dæmon, cupit mundus, cupit homo, cupit & Deus. Nescio quis sit huius cibi sapor: quem tibi tantopere *Væh, em mundatis, quod de foris est calicis, sed intus pleni estis rapina.*

cuncta desiderāt. At si esurus, & bibiturus est Deus ex corde, & amore nostro: potius comedet & bibet, ex eo quē nobis ille dat, quàm ex quo nos illi damus: at quia vasa animata sumus, nonnihil ex vase, hæret cibo, quem dat Deus. Ne Lutherus putet, hic iam contrà nos triumphasse. Vasa nos sanè
Psalm. 80. sumus, sed quæ aperire ora possimus, aut claudere: dictum enim est: Aperi os tuum, & implebo illud. quasi dicat: O vas, tuum os aperi, vt impleam te eo cibo & potu, quem ego esurus & bibiturus sum. qua ratione & illud intelligitur. Qui
Apoc. 3. aperuerit mihi, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo. Quid
Psalm. 46. cœnaturus es? Num manducabis carnem taurorum, aut hircorum sanguinem portabis? Minimè. non igitur, cœnabis nisi quæ diuina sunt. Tu ergo afferes cibi cœnam? vasis, (id est, nostri) erit os aperire aut claudere: & in domo nostra cibus cōdietur & parabitur, qui ex Deo veniet, & ex quo Deus cœnabit.

Iam vbi anima plena est liquore, quem Deus bibet & fru-
Cantic. 4. ctu, quem edet, adeo Deus ea anima gaudet: vt eam, fontem hortorum: & puteum aquarum viuentium esse asserat. Videlicet, quia in horto, cibi: & in puteo, aquæ inueniuntur. vis videre Deum sitientem audi quid fœminæ dicat: Mulier da
Iosn. 4. mihi bibere. Vis videre Deum cibi suauitate gaudentem,
Cantic. 4. audi quid dicat: Fauus distillās labia tua, mel, & lac sub lin-
Cantic. 7. gua tua, & demum meliora sunt vbera tua vino.

Quis hic non clamet! ô Deum vnice humanissimum, num tibi cibus in domo tua deest, vt cibum hominum cupias? An
Psal. 49. non tu dixisti: Si esurio non dicam tibi. Meus enim est orbis terræ. cur ergo, nos nunc, vasa tua nominasti, quæ mundari cupis, vt tuos in nobis cibos māduces? Sed quis potius grandi clamore, eos qui ad Deum conuersi sunt, admoneat: vt qui vasa Domini sunt, & cibum Domini portant: perspiciāt, quid portēt. Si fas dicere est, ex vberibus animæ lactatur Deus. Dices num Deus, ab vberibus animæ pendet? Respōdeat sponsa
Cantic. 8. dicens: Quis det mihi te fratrē meum, sugentē vbera matris meæ? Quod desiderium sponsæ, Christus ex vberibus matris dependens, corporaliter impleuit, & spiritualiter implet, cū ad sponsam dicit: Erunt vbera tua sicut botri vineæ & guttur
Cantic. 7. tuum sicut vinum optimū. & sponsa respondet: Dignū dilecto meo ad potandū labiisque & dentibus illius ad ruminan-
Eodem. dum. & infra: Surge mane, (inquit) ad vineas, ibi dabo tibi vbera mea. Dedit nobis sponsus hanc dicendi facultatem, cum

cùm dixit, qui fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater, soror & mater est. Si anima patri obediēs Christi mater est: quid mirū si cum illa lactet, siquè ille ab eius vbere pendeat? Imò verò, cùm fratrem cibas, & potas, cumque illi viscera miserationis effundis: tunc existima Deo sitienti, vbera lacte plena admouisse. *Matt. 18.* *Matt. 25.*

Vbera igitur, seu vasa quę Deum cibant & potāt, magnopere oportet munda seruari, ita planè. Sed caue, ne munditiā quæras, in extimo vasis, id est, in corpore. Anima est, quæ munda seruari debet. Quod vbi feceris, mundum te crede corpus habere. Mūda, inquit Dominus, quod intus est vasis, vt fiat, quod & foris est, mundū. Cur igitur Lutherus dicit: nihil nos in nostra iustificatione operari: cùm dicat Dominus: Munda, quod intus est vasis? Si mundaturi sumus: aliquid, & multum facturi sumus.

Ne verò vageris, quærens quo cibo, & potu Deus, in vase tuo mundo alatur. Scito amore Dei, & proximi, ipsum velle vas tuum, atque vbera repleri. *Matt. 22.*

In septimò væh, Dominus dicit: Pharisæos esse sepulchra, ossibus mortuorum plena. Ego verò sub eius facultate adijcerem: eum, qui in peccato mortali est, nō solū sepulchrum, sed paruum quendam infernū esse. Eum, maximè qui in profundum peccatorū venit. Profectò Philosophi concesserunt, hominem quendā mundum esse minorē. Abbreuiatus enim mundus, quiuis homo est. Et sicut gloria cœli abbreuiata est in quouis iusto: ita horror inferni abbreuiatus est, in quouis iniquo. Vnde & sanctæ Literæ, animam iniquam dicunt, cubilia esse, vbi habitent dracones: desertum esse, vbi habitent bestiæ: locū esse, vbi sint tenebræ, & vmbra mortis: & demū sepulchra esse, ossibus & omni spurcitia plena. Sane, ossa vires sunt, & potētiæ animę. Vt enim super colūnis ædificatur domus: & super ossibus consistit corpus: ita potentijs suis anima nititur. Nec enim anima sine potentijs suis erit. Hæc ossa, si Deus in anima est, irrigata sunt: & si sancta deuotio adest, ossa sunt medullata. Id verò præcipuè, cùm omnia ossa dicunt: Domine quis similis tibi? Gustantes enim potentiæ animæ, quam suauis est Dominus, dulcedinē in Deo sentiūt: quam cùm in creaturis non inueniāt, in ea verba prorūpunt: Domine, quis similis tibi? Contra si Deus ab anima abest: ossa sicut cremiū aruerunt. Putredo in ossa ingreditur, & vermes subter eis, scatent: vt cecinit Abacuc. Tunc confringuntur *Væh qui similes estis sepulchris dealbatis, de foris speciosis, intus immundis.* *Prou. 18.* *Isaiæ 35.* *Deut. 32.* *Isaiæ 9.* *Psalm. 65.* *Psal. 34.* *Psal. 33.* *Psal. 34.* *Psal. 101.* *Abacuc vlt.*

ossa, & dissipantur secus infernum, parum est confringi, & dissipari: imò verò moriuntur, vt hic Dominus asseuerat.

At si ossa hæc: Dei vita destituta, ad cœlum interim suspirent, suspiciant, clament, spes vitę est. Nam apud Ezechielem

Ezech. 38. dicitur, quòd erant multa mortua ossa in campo: quæ cum non sepulta iacebant, sed cœlum discooperta videbant, reuixerunt. Quid verò est? Ossa discooperta, & non abdita esse, nisi adhuc inter ossa & cœlum respectum esse, suspirium, & clamorem? Quòd si iam ossa, sub profunda consuetudine sepulta latent, id est, si vires animæ, sub habitibus vitiorum

Tren. 3. diu iacuerunt, hæc Ieremiæ, mortui sempiterni vocantur, cùm dicit: in tenebrosis collocauit me, quasi mortuos sem-

Ioan. 11. piternos. Hæc vocātur propriè, ossa mortuorum, sub sepulchri lapide clausa. Quod malum a se Dauid optabat auerti,

Psal. 68. dicens: Non me demergat tempestas aquæ, nec vrgeat super me, puteus os suum. Vrgeri enim os, est lapide claudi. Et

Trenor. 3. Ieremias fles dicit: Lapsa est, in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me. Videlicet, quia peccatum Iudææ, vsu erat firmatum, & velut sepulchri lapide clausum. Hic est, infelicissimus hominis status vbi nullum ossibus cum cœlo commercium est, in quo statu Dominus Pharisæos esse dicit.

Ioan. 11. Verum, siquis sua sic ossa sepulta intelligit: ne desperet. Lazarum enim Dominus excitauit, sub lapide sepultura iacentē. In qua excitatione, licet Dominus lachrymas funderet,

Matt. 27. sed tandem defunctum excitat. Ideo enim sub lapide monumenti, abdi voluit, ipse defunctus: vt hos defunctos lapide

Ionæ 2. conclusos, secum ad vitam reuocaret. Et ideo ipse, cum Iona ad profundum descēdit aquarum, (a morte, vt à ceto, voratus:) vt nemo quāuis peccato voratus, desperet. se è morte, & peccati faucibus, eripi posse. Id enim significauit Ioseph, à

Gen. 37. fratribus in cisternam veterem demissus, & postea eductus, fratrum factus saluator. Quia videlicet Dominus, ad pœnam peccato veteri debitam, descendit: vt inde fratrum suorum commodo eductus, eorum posset esse seruator.

Væh, qui ædificatis sepulchra prophetarum, estis planè filij eorum qui eos occiderunt.

In octauò væh, illis doctoribus est: quid peccauerint Pharisæi: iustorum monumenta facientes, vt Dominus contra eum væh, illis interminet? Quantum conijcio, duplex peccatum peccauerunt. Primū, quod viri iniqui, ac prorsus prophani, ossa prophetarum auderent contrectare. Si enim Sobnæ volenti in loco religioso sibi sepulchrum excidere, (cum tamen iniquus esset) dictum est, Quis tu hic? Et quasi quis

hic? quia excidisti tibi sepulchrum. quasi diceret: Quid pro- *Isaiæ 22.*
phano, cum sacris? quid Belial cum Christo? Si igitur Sobnæ
iniquo, fas non erat, in religioso loco sepeliri, quanto fortius
dicetur his væ, qui cùm iniqui essent, religiosa sanctorum
corpora tangebant? Nouimus etiam: quòd sacrificia, incen-
sum & reliqui cultus, à sanguineis manibus exhibiti, abomi-
nabiles Domino sunt, vt ait Isaias; ergo & sepulchrales ho- *Isaiæ 1.*
nores, vitis sanctis à peruersis exhibiti, abominabiles Domi-
no erant.

Alterum peccatum erat quòd dicerent: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine. Quæ sunt verba peruersorum, & in viribus suis confidentium. At profectò nullum non malum audet animus iniquus, si à Deo relinquatur. Cuius rei argumentũ est Iudas
Christum prodens: imò & argumentum est, pius Petrus *Matt. 26.*
Dominum tam fœdè abiurans. Cõtra vir pius dicit: nisi quia *Matt. 26.*
Dominus adiuuit me, paulominus habitasset in inferno ani- *Psal. 93.*
ma mea. ac si diceret: nisi me Dominus adiuuisset, quid minus quàm dæmon, efficerem? Et quid non fecissent Pharisæi in prophetas: qui ita faciebant in Dominum prophetarum?

Porrò, huius literæ sensus planus est: Vos dicitis quod patres vestri occiderũt prophetas. Testificamini igitur verbo quod estis filij eorum. Implete ergo mensuram patrum vestrorum, vt idem & facto testificemini: quod facietis, me & meos occidentes.

Dicam nunc quædam mortalia puncta. Primum: Hi qui in peccatis sunt, & Sanctorum reliquias serico, & auro concludunt, sibi eas ad collum suspendentes: an non isti ædificãt monumenta iustorum? Ex alia parte, Christum Dominum in suo corde occidentes & fratrum suorum, (fortasse innocentium,) sanguini insidiantes.

Secundum: Multò patentius idem reperies, in his qui basilicas ædificant, in honorem iustorum, cùm sint ipsi peruersi.

Tertium. Occultius idem faciũt mali prædicatores. Cùm enim exornant Sanctorum dicta, & facta, (quæ horum sunt monumenta,) an non tibi videntur exornasse monumenta Prophetarum? Idem mali faciunt scriptores: qui cùm sint iniqui, audent explicare sensa sanctorum. Multò verò peius, qui proximum odit, sepulchrum illi, in corde suo parat. Si igitur proximus iustus, & sanctus est, certè, qui eũ odit sanctorum ædificat sepulchra. Imò & ille qui mortale peccatũ

patat committere, non prophetæ, aut iusto: sed Deo ipsi ædificat sepulchrum. Vt enim qui iustus esse cupit, in anima sua, Christo parat templum, & sedem, vbi sedeat: ita qui peccatum adornat, sepulchrum adornat, vt Christũ in obliuione sepeliat. Idque maximè, si peccatum diutinum fuerit.

Demum corpora nostra, monumenta esse debent iustorum, in quibus iusti non viuunt. Viuunt enim, non in carne. Psal. 141. Sed illic, vbi est terra viuentium, Præcipitur ergo nobis, vt potius iustorum, quàm monumentorum rationem habeamus.

Ideo ecce ego mitto, &c. Tria mihi hoc loco, annotatione digna videntur. Summa, scilicet, Dei benignitas in homines, summa hominũ malitia in Deũ, summa Dei animaduersio in peccatum. Primùm facilè cognoscimus, cum Deus dicit: Ecce ego mitto ad vos, occidendos à vobis. Ego Deus, summo amore, & charitate, qua vos diligo, summa prouidentia, quâ cõmodis vestris consulo. Ego creator vester. Ego Pater vester. Mitto nomine meo, loco meo, vt videlicet putetis illos esse me. Nec tamen mittentis, vel amor vos continet, Ioan. 20. vel autoritas terret. Inquit Dominus: Sicut me misit Pater, & ego mitto vos, illa videlicet autoritate, sapientia & charitate: quâ me Pater Filium naturâ misit: & ego vos filios, per Psal. 81. gratiam mitto. Itaque cùm Apostolos videas, & Christos, & deos, videre existimes. Quòd si magno probro datũ est regi Ioas, quòd Zachariam filium Ioiadæ, (à quo tot susceperat 2. Paralip. 24. beneficia) interemerit: quanto probro dabitur Iudæis, qui occiderint Apostolos, & alios discipulos: ab eo missos, à quo tãta bona susceperant? & certè, legatos principũ omni securitate gaudere ipsa natura iubet. Cur igitur legatos Dei, in salutem hominum missos, homines interimũt? Maximè, cum hi Dei legati, nõ vacui ad homines venerint. Nam cùm Dominus dicit: *Ecce ego mitto ad vos*, intellige, mitto in vestrum commodum, cœlestes naues, cœlestibus bonis oneratas. Cur igitur, parricidis manibus in profundum eas mortis demergitis? & quidem, omnium hominum approbatione, Rom. 8. sapientes & literati, hi maximè, qui spiritu Dei aguntur, in omni veneratione suscipiuntur. Cur igitur vos occidistis sapientes & literatos: quorum sapientiæ, Salomonis collata sapientia, non erat æqualis. Sapientia enim Apostolorũ non erat huius seculi, neque eam aliquis principum huius seculi 1. Cor. 2. cognouit. Sunt mihi hoc loco nõnulla aduertẽda. Primum

Non

Non est hic sermo de prophetis, sapientibus, aut scribis, qui Christum præcesserunt. Sed sermo est de Apostolis, qui eum secuti sunt. Id probatur ex textu dicente: *Ex eis alios occidetis, alios lapidabitis*. Est igitur sermo, de occidēdis, & non de occisis. Item dicit: *Ex eis crucifigetis*: at non legimus ante Christi aduentum aliquem prophetam crucifixum.

Secundo, Prophetæ videntur dici, qui vaticinentur de futuris. Sapientes qui consulant de præsentibus. Scribæ qui referant præterita.

Tertiò, Non sunt diuersi prophetæ à sapientibus. Sed iidē Apostoli, vt erant sapiētes, & scribæ: ita erant prophetæ. In quos enim insilijt spiritus Domini olim prophetæ dicebantur: Vt Samuelis, & Saulis historia docet. At in die Pentecostes Spiritus sanctus in Apostolos venit. 1. Reg. 9. Actor. 2.

Quarto, Habent Episcopi exemplum in Christo, quos prædicatores mittere debeant: debent enim esse viri, in quibus sit sanctus spiritus, viri prudentes, & in sanctis Literis docti, vt simul sint prophetæ, sapientes, & scribæ.

Quintò, Quod Iudæi cū Domino tunc fecerunt, quotidie in Ecclesia fieri existima. Cum enim prædicatores idoneos, aut persequimur, aut non recipimus, locum gerimus Pharisæorum. Habes igitur pectus Domini, summæ in nos charitate refertum. Qui adeo noster amās est: vt dilectos suos, imo illum dilectum Filium suum: persequendos, imò occidendos, vt vel vnum proselytum faciat, mittere non cessat. Sed de hoc supra, in parabola de vinea, explicuimus.

Iam accipe hominis impietatem. Ex illis inquit, *alios occidetis & crucifigetis*. Deum immortalem, & quale est hominis ingenium? Cur attollitur & superbit homo, qui tantum flagitium audet? Cur miser adeo furis, vt in legatos Dei, in Deū ipsum insurgas? Cur adeo insanis, vt in tuam vtilitatē, in teipsum sæuias? Quis vidit vnquam tale? Si hi Dei legati, ad vos venissent, vos aut vestra raperent, non erat adeò in eos sæuiendum. Nunc verò, quid mali fecerūt? Legatione funguntur pro Deo, obsecrant pro Christo, vt reconciliemini Deo. 2. Cor. 5. Et vos in eos & in Christū peccatis? & sanguinē testamenti pollutum ducitis? Agnoscis igitur, quis sit homo: agnoscis perpetuum carnis cum spiritu odium, Hebr. 10. perpetuas mūdi cum Christo inimicitias: Galat. 5. agnoscis diaboli cum Deo irreconciliabile bellum. Cum igitur homo, sine Deo, caro sit, mūdus sit, Ioan. 15. membrum diaboli sit: quid non committet flagitij? Nemo

ergo dicat, Si in diebus patrum fuissem, scelus eorum non
Genes. 5. admisissem. Homo enim ad malum est ab adolescentia pronus: & ad malũ à diabolo instigatur: imò profectò, quædam mala intentat homo, quæ vix dæmonem intentasse credas.

Nunc accipe summam impietatis pœnam: *Vt veniat*, inquit, *super vos, omnis sanguis iustus*. Vbi grauia mihi occurrunt dubia. Primũ, Cur in occisores, & crucifixores Apostolorũ, omnis sanguis iustus veniet? Secundum, Cur mentio est, de
2. Paral. 33. sanguine Abel, & Zachariæ: non verò de sanguine tot prophetarum, qui in diebus Manasses regis fuerunt occisi. Tertium, Quis fuerit ille Zacharias? Quartum, Cur non dixit, in Iudæos venturum suum sanguinem: sed solum venturam crucem, & lapides Apostolorum, & aliorum Christi discipulorũ? Ad hæc, vt clarius respondeã, libet à tertio inchoare.
Hec fuit sententia D. Basilij, homil. 25. Et quidem si constaret Zachariam Ioannis patrem, fuisse occisum inter templum & altare: nulla erat difficultas in toto textu. At quia id non constat, & maiores nostri ferè huc propendunt omnes, vt Zacharias hic sit filius Ioiadæ, ita & ego profiteor: ille enim occisus est inter templum & altare, scilicet, in atrio templi, & occisus est à populo publica autoritate Regis, vt hic Dominus dicit (quem occidistis) sicut 2. Paralip. 24. habetur.

Iam nunc, ad secundum dubium est nobis gradus, & quidem ego optarem dicere: mentionem fieri de Abel & Zacharia exclusiuè. Vbi nota: sanguinem Abel vindicatum,
Genes. 4. Quia eius occisor Cain à Lamech interfectus est. Rursus sanguis Zachariæ vindicatus est: Ioas rege occiso, & populo nulle calamitatibus affecto, vt citato loco textus habet. At omnis sanguis iustus, inter Abel & Zachariam, inultus fuit.
3.Reg. 21. Nec enim dabis iustum, in eo interuallo occisum, de quo vltio scripta legatur, Nisi forsan Naboth, sed Naboth non à Iudæis, sed ab Israelitis, id est, à Samaritanis occisus est. Achab enim non erat Rex Iuda. Quia igitur omnis ille sanguis iustus, fusus fuerat, sine sumpta vindicta, quæ legatur, ideò dicit Dominus: Illam vindictam nondum sumptam, effundet in vos Deus: illam sumet à vobis.

Quòd si hæc plana solutio, quia noua, reijcitur, dicendum erit: non hic esse mentionem de Abele, aut Zacharia, vt de personis quibusdam: sed de eorum statibus. Abel pastor fuit ouium, Zacharias summus pontifex, est igitur sensus: Veniet in vos omnis sanguis ab infimo statu, ad summum hominum

mum gradum: vt solet à nobis dici. Omnes mors proripit: à
Papa, ad eum qui non habet capam. Rursum Abel, priuato
odio occisus, Zacharias publico cōsensu. Abel in agro, id est,
loco prophano: Zacharias in atrio templi, loco sacro. Igitur
sensus est. Veniet in vos omnis sanguis publicè, & priuatim
effusus: in loco sacro, & prophano dispersus: infimæ &
summæ conditionis hominum.

Etsi hæc placet expositio, nonnulla colligere ex ea licet.
Primum: Si sanguis Abel, & Zachariæ, non semel, sed bis
vindicatur, quanto magis vindicabitur sanguis iustus, qui ad-
huc videtur inultus? Magna est ergo Dei ratio sanguinis iu-
sti. Et profectò durus sermo videbatur ille: Ego Deus zelo- Exod. 20.
tes vindicans in tertiam, & quartam generationem: at hic & 34.
vides vindicari in tricesimam, & quadragesimam generatio-
nem. Nam Abel præcessit annis multis Pharisæos hos, cum
quibus controuersia est. Nemo igitur viros pios, eosque maxi-
me qui prædicant persequatur: nemo eis molestus sit, nemo Zacher. 2.
tangit pupillam oculi Dei, Christos meos (vt ipse inquit,) Psal. 104.
nemo in prophetis eius malignetur. Quòd si malignari con-
tigerit: vindicanda iniuria est, aut in ipso qui fecerit, aut in
successoribus eius. Fit ergo ex dictis facile: nos labores no-
stros omnes adscribere debere nostræ culpæ: si vnquam per-
secuti sumus prædicantes.

Ad primum iam dubium venio: Cur in Pharisæos illos,
omnis sanguis iustus veniet? primum, quia occidentes Apo-
stolum, occidebant Christum. Occidentium enim Apostolo-
lum hæc erat mens, is animus: si possent eradicare Christum Matt. 25.
è terra viuentium. Cui voluntati Dominus respondit, cum
Paulum persecutorem alloquitur: Cur me persequeris? Nec Act. 9.
enim Pauli nisus erat contra Stephanum, sed contra Chri- Actor. 7.
stum. Si igitur in Apostolis, Christus occidebatur (ex Phari-
sæorū animo:) sicut Christus excedit omnes iustos: & sicut
omnis iustorum iustitia, ex Iusto hoc (quem nubes pluerūt) Isaie 45.
dimanabat: ita qui hunc iustum occidit: omnes iustos cum
eo occidit. igitur meretur pœnā pro omnibus iustis. Agno-
uerunt Pharisæi, Christum esse suum Messiam, saluatorem,
& iustitiam cum eo simul ortam. Si igitur rabie feroci Apo- Matt. 21.
stolos occidebant (ne in illo nomine prædicarent) fit sane vt Isaie 4[illegible].
omnes iustos, ictu vnico obtruncare vellent. Ergo, rationis Actor. 5.
efficacia hęc est, in Christo sunt omnes iusti: At in Apostolis
Christus occidebatur, odio iustitiæ. Igitur qui Christum ex
illo

illo odio) occiderat, omnium iustorum debitor est. Interim clamo, ô vos qui mortaliter peccatis, perspicite quòd Christum occiditis, peccatum vestrum mortale est, quòd mortem affert vitæ. Sed heu non affert vitæ in vita: sed vitæ in peccatore.

Secundum: videntur mihi priora ante Christum secula, tenebris & veritatis caligine plena: at Christi & Apostolorũ secula, multò illustriora sole. Adeò enim Christi prædicatio erat aperta, adeò miraculis illustrata, adeò vitæ altitudine fulgida, vt reuera plena esset terra lumine, & sciẽtia Domini.

Isaiæ 11. Iam qui in tenebris manens, occidit: ferè meretur veniam.

1. *Tim.* 1. Quia Paulus dicit: Veniam consecutus sum, quia ignorans

Ioan. 9. feci in incredulitate. Porrò Pharisæi, non cæci, sed videntes, Christum: & suos occidẽtes, merentur totam eam pœnam, quàm priores ferè ignorantes meruerunt. Alligabat misericordes Domini manus, priorum seculorum ignorans incredulitas: effusa ergo est ira in videntes, quę ferè effundi in cæcos non debuit. Clamet igitur prædicator: Grauius est persequi prædicatores, & eis non acquiescere: quàm antiquorũ sanguinem effudisse. Omnis iustus sanguis veniet super eos, qui veritati iam fulgenti non obediunt. Nam nostrorum temporum mala, ex hoc fonte dimanant.

Expẽde, an locus ille Pauli hic quadret? Adimpleo ea quę

Colos. 1. desunt passionũ Christi, in carne mea. Passus sane fuit Christus in carne sua: reliquum est, vt patiatur in carne prædicatorum suorum. Quod licet cedat in commodum Ecclesiæ: at cedit in immensum vltionis pondus contra persecutores.

Ad quartum dubium respondeo, mitem Dominum noluisse mala minari, his qui crucifixerunt eum: sed minatus est persecutoribus discipulorum. Videlicet propriæ oblitus iniuriæ, memor iniuriæ suorũ. Et forsan condonata est hæc

Luc. 23. pœna crucifigẽtibus, cùm Dominus dixit: Ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Forsan hoc verbum patri æterno alligauit manus, tanti sceleris vltrices. Sed culpa sequentium, vsque ad mortem discipulorum, eas dissoluit.

Addit iam: *Amen dico vobis, venient hæc omnia*, quę omnia? Sanè non enim retulerat nisi sanguinem iustum effusum: Sanè quia illa quę Dominus cœperat, adeò erant horrenda, adeò crudelia, adeo multa, vt efferi vix possent. Ideo tacuit, sed in passione dixit, tanta futura hæc omnia mala: vt rogaturi

Lucæ 23. essent homines montes, vt se operirent, & c.

Ierusalem quæ occidis Prophetas, & lapidas, &c. Libet sensim gallinam hāc exponere: primum gallina exponit se frigori, niui, & pluuiæ: vt tegat pullos, si sub dio sint. Profectò cum Dominus in deserto iacebat: frigoribus & pluuijs patens, hanc gallinam referebat. Id est, quod Psalmus dicit: Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis. Sed hoc ex sequentibus erit lucidius. *Matt. 4.* *Psal. 90.*

Secundò, Exponit se gallina miluorum rapacitati: cum quibus vnguibus, & rostro cōtendit: adeò, vt nonnunquam gallina pennas amittat in pugna. Vidésne Christū crucifixū? agnosce gallinam sine pennis. Venerat Dei iustitia, rigorque famescens, peccantes pullor raptura: exponit se, nostra mitis & pugnatrix gallina, contra Dei iustitiā, pro peccantibus pullis, hæc potens, illa amans: hæc sanguinis cupida, illa pullorum mater. Contendit gallina contra Dei iustitiam: nunquam tam fuit atrox in seculo pugna. Tandem gallina sine pennis percussa, vulnerata, pullos defendit. Id significauit gallina, dicens: Si me quæritis, sinite hos abire, id est, ne tangatis pullos meos: Ego me pro illis obijcio: vidésne, quàm sit verum illud, quod gallina ad Deum dicebat: In me transierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbauerunt me? Certè quia hos excepit gallina, ne exciperent pulli. *Ioan. 19.* *Psal. 87.*

Tertiò, Cùm gallina tegit pullos suos sub alas: planè suum eis impartitur calorem: & subinde eorum in se recipit frigus. Agnoscis igitur Christum inopem: vt sua nos inopia ditaret. Agnoscis Christum factum hominem: vt nos efficeret deos. O quantùm frigoris, laboris, & doloris nos illi communicauimus. verè enim languores nostros ipse suscepit: & dolores ipse portauit. Vidésne crucis tormenta? frigora nostra illa sunt. At contrà, vides in Ecclesia Christi gratias & dona? Christi calor illa sunt. *2. Cor. 8.*

Quartò, Cùm gallinam ferè exhaustam vides, credere par est, pullos eius exhausisse vigorem. Pulli enim crassiusculi fiunt, fere matre consumpta. Cùm ergo audis Laurentium in prunis firmum: Andræam in cruce constantem, pingues Christi pullos audis. At contrà, cum Christum audis, in horto, & in cruce arescētem: intelligis pullos matris suxisse pinguedinem. Illamque matris maciem, in pullorum adipem conuersam. *Matt. 26.*

Quintò, Quàm verò gallina, cui pulli sunt, clamosa fit: nunquam non glocitat: ita tunc maximè, cum pullus quispiam

piam pipit derelictus. Porrò gallinam nostram clamosam
Prou. 1. esse, satis indicat locus ille Prouerbiorum, Sapientia foris
clamitat, in plateis dat vocem suam. Quam vero accurrat
Psal. 90. pipientibus pullis: ipse docet. cùm dicit: Clamabit ad me, &
Psal. 34. ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione. Docet
etiam Dauid, dicens: Clamaui, & Dominus saluabit me. &
Psal. 4. rursum: Ad Dominum cùm tribularer, clamaui, & exaudiuit
me: & rursum: In tribulatione mea inuocaui Dominum. Et
Psal. 17. pullus pipiens: iam nunc audi gallinam: intonuit, inquit, de
cœlo Dominus, & altissimus dedit vocem suam.

Sextò, illud vero neat quam prætereundum: Aperit gallina alas suas, sub quas pullos admittat: apertura, si liceret, & corpus: vt eos intro reciperet. Ita aperuit Dominus in cruce brachia sua, vt nos omnes susciperet. Et quia ei fas fuit corpus & cor aperire: idcirco, latus aperuit & cor, vt nos
Ioan. 19. intro ingrederemur. Nec eo cōtentus, sua nos membra esse
Rom. 12. voluit: vnumque sibi nos effecit. Ita enim ille habet: volo
Ioan. 17. Pater, vt vnū sint: sicut ego & tu vnum sumus. Adeo q; voluit, sui cordis penetralia, omnibus patere, vt pullis suis
Matt. 25. dicat, intra in gaudium Domini tui. At qui in gaudium pe planè nemo penetrare potest, nisi ad vltima & intima cordis admissus.

Septimò, Demum nihil gallina edit, quod aut non sit pullis, aut impartiatur. Ita planè nihil Dominus habuit, cuius
Ioan. 20. nos nō participes efficeret. Nam sic ait: Sicut me misit Pater & ego mitto vos. communicauit mihi Pater bona sua per naturam, communico vobis bona mea per gratiam. Ego Christus, Pastor, Doctor, Rex, Sacerdos, Pontifex, in dextera Dei sedens, Deus. Hæc omnia nobis, nostro modo, ille donauit: vt nulla esset buccella panis, quam Christus ederet: &
Iob 31. quam alij non communicaret.

Audisti gallinæ ingenium: iam audi pullorū, id est, hominum, debitum. Primò, Credere quilibet Christianus debet, ortū se ex fomento & calore gallinæ. Itaq; in Christo, id est, in vi, & efficacia sacramentorum Christi, nati sumus. Cum vides
4. Reg. 4. Elisæum expansum super puerū, & eius calore puerum rediuiuū: An non succurrit tibi, Christū esse gallinā, cuius complexu & calore, mortui pulli (qui sumus nos) reuiuiscamus.

Secundò, Æstimare quilibet Christianus debet: quòd si Dei gratiam habet, Christi calorem habet. Vt sicut habet ex gallina pullis calor. ita hæret ex Christo pijs gratia. Quid si calor,

calor, vita quædā est, vitam ouis impartiens: vt ex ouis, pulli gallinæ similes nascātur: vides Christiane, si pius es, te propè Deum esse. nam Christus gallina (quæ te exclusit) Deus est, & Deum te fere facit. gignit enim quiduis sibi simile. Quod & diuus Ioannes asseruit, cùm dixit: Potestatem dedit eis, filios Dei fieri. His scilicet qui ex Deo nati sunt. quasi diceret: pulli qui ex gallina nati sunt. Ioan. 1.

Tertiò, Intelligat Christianus dum pius est, se sub alis Christi esse, atque ideo se à Christo alendum. O igitur pulli, nolite soliciti esse, animæ vestræ quid manducetis: nec corpori quo induamini. Hæc enim omnia, vobis vestra præstabit gallina. Matt. 6.

Quartò, Aduertat Christianus, quòd sicut ipse Christi est: ita & alij, Christi sunt. Omnes enim pulli (cùm sub alis matris sunt) æquales ferè sunt, non odia gerunt, non corrixantur, non pugnant. Cur igitur nos Christiani sub alis Christi pugnamus? certè in ventre Thamar, fratres corrixentur, in ventre Rebeccæ, fratres pugnent, at sub alis gallinæ, id est, Christi, id minimè licet. Gen. 25.

Quintò, Vt pulli sub alis sunt, velut in abscōdito: ac ideo in silentio sunt: ita & Christiani sub alis Christi sileant, vnum illud presidium sibi esse putantes. Ita enim & Dominus ad Achaz dicebat: vide vt sileas, videlicet Dei præsidio tutus. Cur ergo Christiani, in laboribus remurmuramus? Si sub alis Christi sumus, sileamus. Sumus enim nos, de quibus Dauid dixit: Abscondes eos in abscondito faciei tuæ. Proteges eos, in abscondito tabernaculi tui. Isaia 7. Psalm. 26.

Sextò, Iam, sicut contra miluos, nullum remedium pullis est, nisi gallinæ. Ita nec nobis contra dæmones aliud præsidium est, nisi Christus. Nec enim aliud nomen sub cœlo datum est hominibus, in quo oporteat saluos fieri, nisi in nomine Iesu Christi. Actor. 5.

Septimò, Cùm pulli grandescunt, solet gallina velut læta pinguescere. Erat igitur nobis, vehementer conandum vt grandesceremus: si non ob aliud, certè, vt Christo gaudium & lætitiam exhiberemus.

Iam quoties hæc gallina vult, nos nunc illos tunc cōgregare: & nos noluimus: planè nullus est, nec barbarissimus hominum, quem Deus non illuminet, instimulet, & velut impellat, vt pullus gallinā sibi cibū afferentem agnoscat. Vnde enim nos alimur, nisi a Deo? Quid enim habes quod non accepi- 1. Cor. 4.

accepisti? Cùm ergo ex necessarijs, nihil Deus relinquat ad nos congregando, quis nō videat quam sæpe ille nos congregare velit? Ah nos nolumus. O homo quid est, quod non vis esse sub tegmine alarum diuinarum? fomentum non vis diuinum? protectionem fugis diuinitatis? beatitudinem renuis in cœlo & in terra? O hominis insaniam: at non infausta sola, sequitur enim in textu. Relinquetur domus vestra deserta: ac ideo vacans: vt intrantes in ea septem dæmones, fiant nouissima hominis peiora prioribus. Deserta, vt in ea habitent vlulæ, struthiones, & dracones. Deserta, vt nō inde Deus primitias colligat, sicut de montibus Gelboë. Deserta: ac ideo vidua, quæ erat Domina gentium. Expendisne verbum illud: Relinquetur vobis? Intelligisne verbi energiam? equidem summum bonum hominis est, hominem relinqui Deo. Quod Dauid explicauit, dicens: Tibi relictus est pauper, pullus videlicet matri suæ. Si igitur summum bonum est, hominem relinqui Deo: quale malum erit, hominem relinqui sibi? Si relinqueris tibi (cùm sine Deo, sis dæmone inferior) quid non in te faciet dæmon? Memor esto, quid fecerit in corpore iusti Iob. O quid fecisset in anima, si facultas ei data fuisset? Precor te, expende, quid sit, Deum hominem deserere (videlicet, non dando auxilia efficacia, quibus conuerti deberet.) Deserit tunc pastor ouem, medicus infirmum, vita languentem, lætitia tristem, anima corpus, Deus hominem.

Luca 11. — Isaiæ 13. — 2. Reg. 1. — Thren. 1. — Psal. 9. — Iob 1. — Luca 23.

Vltimus locus in textu est: *Non me videbitis donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini*. Qui locus intelligi nequit, de generatione Iudæorum, quæ eo tempore erat: illa enim in peccatis suis mortua est, ac ideo nunquam dixit: *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Rursum intelligi nequit de generatione Iudæorum in die iudicij damnata: haec enim nunquam in Christum bene afficientur. Debet igitur intelligi, de generatione Iudæorum, aliquanto ante Iudicium. De quibus Paulus ait: Cùm plenitudo gentium intrauerit, tunc Israël saluus fiet. Hi igitur corde fideli, Christo (quem oculis fidei videbunt) dicent: *Benedictus qui venit in nomine Domini*: vt sit sensus huius loci, generatio Iudæorum, haec est vester maritus suus: haec tenus vos in humeris meis portaui, & hactenùs salutem vestram quæsiui: Prophetas, Scribas, & sapientes mandaui. Iam amodo libellum repudij vobis trado, iam amodo vos desero. Non maiorem vestri, quam aliarum iudico

Rom. 11.

Infidelium curam habens: ad generationē quippe meliorem me confero, nec licebit iam me in vestra generatione videre: donec proxime ad Iudicium ad me conuertamini, & videatis me, in spiritu per fidem, & in Eucharistia, per panis speciem: & forsan aliquis vestrum me in carne videat per reuelationem. Et equidē Dauid videns arcam Dei dicebat, Sic in sancto apparui tibi: vt viderē virtutē tuam & gloriam tuam. *Psalm. 62.* Quanto igitur vehementius, qui Eucharistiā videt, Christum videre dicetur. Sit illi gloria & imperium in secula, Amen.

CAPVT XXIIII.

Et egressus Iesus de templo, &c.



PRIMA huius Euangelij pars, non est adeo difficilis, vt terribilis. Locus ille tēpli, Deo sacer, Dei laudibus sonorus, domus Dei, domus orationis, Christi vestigijs sacratus diuę Mariæ, Sanctorū, & Angelorum præsentia insignis, ita corruit: vt in eo lapis super lapidē non maneat. Videlicet, quia Christus inde egressus est. Nulla ergo regia dignitas, nulla sublimis eruditio, nullum illustre genus, nullæ aggestæ diuitiæ durant: si inde Christus egrediatur. Stupeant licet, & admirentur mortales, humanas ædificationes, auro, genere, literis, & dignitate fulgētes, vanum tamen est, vbi Christus non est.

Videtis hæc omnia: Non relinquetur lapis super lapidē, qui non destruatur.

Et quod mirere magis: ipsa anima, prius Dei præsentia, eius amicitia, eius diuitijs gaudens: ipsa anima cælum facta, vbi ergo inde Christus non iam cælum est, nō iam pulchras habet ædificationes: sed misera fit, in qua nec relinquitur lapis. Quis non admiretur, animæ sanctæ ædificationes? Quis non attonitus spectet animam Christi sanguine redemptam, Dei munitam, [illegible] Ecclesiæ diuitem, eximijs auxilijs [illegible] donatam! At hæc omnia, si Christum habitatorem non habent, penitus corruunt. Et, ô rem, omni consideratione dignissimam! non relinquitur lapis, omnia merita, omnia opera, quæ prius feceras, corruunt: si peccasti, nihil tibi florum valet. Perdidisti omnia dona, [illegible] donata erat, pereunt: vbi enim

gratia non est, nulla plena virtus est, manet sanè fides, sed mortua. Et tibi manet, non ad ædificium, & profectum: sed ad perditionem & damnationem.

Profundius intremus. Vbi anima in infernum corruit, nullus in ea lapis super lapidem manet, perit acumen intellectus ad verum, voluntatis propensio ad bonum, dignitatis celsitudo ad dominiū, perit animæ libertas, diuinitatis consortiū, imò & ipsa animæ immortalitas, ita viuēdo moritur: vt miraculū sit, quòd viuat. Tandem, si in inferno, nullus est

Iob 10. ordo: nulla ergo relinquitur ædificatio. Adeò enim & ipsa animæ cum corpore coniunctio, mille tormentis quassatur, vt & aliud miraculum sit: quòd tam diu perseueret.

Huius animæ specimen est, anima illa, quæ in profundum malorum, per contemptum, & peccandi assuetudinem descendit.

Digna planè, est in inferno, delinquentis animæ pœna. Ipsa peccando, nullum lapidem in suo ordine reliquit: nullus igitur in ea ordinatus lapis relinquatur. Ordo enim erat, vt creatori suo cuncta subderentur: hunc ordinem anima peccans destruit, cùm Deum celsissimum dæmoni vilissimo subiecit. Certè ædificium orbis ita habet, vt Deus sit in tecto domus, tū angeli, deinde homo: sub quo omnia corporalia, sub quibus mors, infernus, peccatum. Porrò anima peccando, hunc ordinem inuertit, nihil in suo loco relinquens. Facit enim vt omnia diabolo seruiant, iusta ergo pœna percutitur, si omnia quæ anima habet, (etiam naturalia) peruertantur: anima siquidem in inferno, est sub omnibus rebus collocata.

Secunda huius Euangelij pars sequitur: *Accesserunt discipuli, dicentis: Dic nobis, quando hæc erunt, & quod signum aduentus tui*. Quæ quam sit difficilis, tanta super ea autorum diuersitas declarat. Alij enim signa per eam destructionis Hierosolymæ, explicari dicunt, Alij signa destructionis mundi explicari defendunt. Ego verò affirmatissimè contenderim, hic ordinem tradi, & cathenam, eorum quæ à Christi passione, ad diem iudicij futura sunt.

Credebant Apostoli à morte Christi, restituendum re-

Actor. 1. gnum Israël, non amplius futuram famem, pestem, bellum: sed futurum, vt populus sederet, in pulchritudine

Isaiæ 32. pacis, in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta, sicut & nunc Iudæi credunt. Ab hac persuasione eos, & nos Dominus

Dominus diuellit: Docens quem sit mundus habiturus statum, ab eius recessu, vsque ad suum secundum aduentum.

Quàm verò sit hæc nostra sententia vera, facilè quiuis colliget, qui Marcum Matthæi abbreuiatorem, attentius legerit, iisdem enim ferè verbis Marcus loquitur, quibus Matthæus. At qui apud Marcum, ita habetur: In diebus illis post tribulationem illam, sol cōtenebrabitur: Matthæus ita: *Statim post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur* Porrò dies illos Marcus dicit, futuros tantæ tribulationis quales nunquam fuerunt. Iam argumentum est euidens, si post dies summæ tribulationis, statim sol obscurabitur: at nondum plenè sol obscuratus est: ergo tribulatio illa summa, nondum facta est. Perge porrò. Si in diebus summæ illius tribulationis, erit væh pregnantibus. Ergo si tribulatio illa nondū fuit: væh etiam prægnantium nondum fuit. Et eadem ratione, nec tempus illud præcessit, in quo fideles admonentur, vt ad montes fugiant.

Idem ergo tempus est, in quo abominatio futura prænūtiatur: & in quo summa tribulatio erit: & in quo væh prægnantibus erit: & fuga fidelibus indicitur. Et post quod statim sol obscurabitur: & Christus ad iudicandum veniet. Futura sunt hæc, non præterita.

Rursum, Matthæus dicit: *Prædicabitur Euangelium in vniuerso orbe, & tunc erit consummatio.* Cùm igitur cōsummatio nondum sit, neque prædicatio in toto orbe facta est, licet diebus nostris, parum absit, vt in toto orbe Euangeliū effulserit. Apertus ergo literæ ordo est, vt omnia referantur ad temporū successiones: vt sit hic sensus: Quæritis à me, ô discipuli, quādo mundus cōsummabitur: admoneo vos, multa prius futura. Primùm, *Venient multi in nomine meo.* Id est, qui dicent se Christos esse: vt Simon, Menander, Ben Cozba, Mahumetus. Secundò, erunt prælia, & opiniones præliorū, id est, prælia, & præliorum seminaria. Erunt item pestilentiæ, fames: neque enim aduentus Christi, hæc generalia seculi abstulit mala, & in his nondum sumus. Tertiò, tradentur Christiani in tribulationem, occidentur: quod factum est, vsque ad tempora Constantini, & Theodosii. Quartò, erunt Christiani odio omnibus gentibus: cuius veritas diebus nostris testatissima est. Neque enim est natio, quæ nomē Christianum non odio habeat, Iudæi, Persæ, Turcæ, Tartari, Indi.

Quintò, erunt multi pseudoprophetæ: quos ex Lutheranis, plures videmus quàm vellemus. Sextò, abundabit iniquitas & refrigesset charitas. quia à prædicatoribus frigidis, frigidus populus instituitur. Id verò malum, à diebus multis patimur. Septimò, Prædicabitur in toto orbe Euangelium. Cui rei ab annis 60. opera nauatur strenua: diebus enim nostris, ignoræ omnibus seculis nationes, audierunt Euangelium Christi. Octauò, erit abominatio desolationis in loco sancto. quod signum nondum venit: cùm venerit, summa erit orbis tribulatio. Tunc væh prægnantibus, tunc aderunt Antichristi, qui inducent electos, si fieri posset, in errorem. Inde erit nonum signum, scilicet, Solis obscuritas. Et decimum apparebit signum crucis, & veniet Christus. Hic est rerum omnium cursus, & cathena: cuius cum maiorem partem cernamus completam: certum est & reliquam complendam.

Ex his, tandem habes, quid sit mundus: est enim thesaurus errorum, seminarium bellorum, locus pestilentiæ, tortor famescentium, afflictio fidelium, odium Christianorum, iniquitatis abundantia, charitatis gelu, pseudoprophetarum fons, Antichristi pater. Quantū hic locus ab inferno distat? At libenter in his malis habitamus, inexperti meliora.

Habes secundò, quàm nulla Christiano promittitur in hoc mundo requies. Vndique te vallant, ò Christiane miseriæ: tu tibi fugam in montibus colloca: non terrenis, sed cœlestibus, tibi Christi professio non mundi gratiam, sed odiū conciliauit. Non vnius aut alterius, sed omnium gentium. Sed age singula attingamus.

In primo signo, nos Christus admonet dicens: *Quia venient multi in nomine meo, videte, ne seducamini.* Vbi primum nota quanta sit hominum impudentia, qui Christi nomen sibi arrogare audent. Quis fore crederet hominem tot miseriis obnoxium, qui sibi nomen Deitatis vendicaret, & munus? Ego, inquit, *sum Christus*. ò summa hominum temeritas! ô etiam diuinitatis, summa celsitudo, quæ tanta est: vt nemo sit, qui eam non appetat. Est planè angelis, & hominibus diuinitatis insitus appetitus. At diuinitatem, non cōparatur arrogātia nominis diuini: sed abiectione animæ, & vitæ puritate.

Secundò, Nota quòd dicitur. *Et multos seducent.* O nostrā stultitiam, & stoliditatem: qui in re tanti momenti seducimur. Vix credimus Christo, tot miracula facienti, venturo

certò

certò prædicenti, nos ad Deum conuertenti, totum orbem per exiguos homines illustranti. Et credimus, & seducimur à falsarijs? Planè video, naturale esse homini, summum bonum amare, & desideratum gentibus expectare: sed quæ non cæcitas est, cuiuis se summum bonum vendicanti, victas manus porrigere? Christus, expectatio gentium est, desideratus earum: quem etiam irrationalia ingemiscunt, & parturiunt. Cur ergo credas ei, qui Christus non est? Gen. 49. Rom. 8.

Tertiò, Illud verbum: *Videte ne seducamini*: ingentis fiduciæ est. quasi dicat: Ea feci, quæ nemo alius fecit. Opera à me facta testimonium perhibent de me. Ideo etiam si Angelus de cœlo, aliud Euangelium attulerit: videte, ne seducamini. Ioan. 15. Ioan. 10.

Quartò. Aptè verò Dominus, principium suarum admonitionum id statuit, ne seducamur: sciens fundamentum, & radicem vitæ Christianæ esse fidem rectam, non fictam: in Christum genuinũ, non factitium. Vtinam, verum nõ factitium Christum, sibi multi depinxerint. Credentes, si totam vitam peccent, in morte fore saluandos. Cum tamen verus Christus dicat, Contendite intrare per angustam portam, multi enim quærent, nec poterunt. Galat. 1. Concilium Trident. 1. Tim. 1. Matth. 7. Luc. 13.

In secundo signo, secunda admonitio est. *Audituri estis prælia, videte ne turbemini*. Non turbetur cor vestrum, neque formidet: si in Deum, & in Christum creditis. Per fidem habetis accessum in gratiam Christi: state ergo, & gloriamini in tribulationibus: scientes quòd tribulatio patientiam, operatur Hic sunt, quædam annotanda. Primum, prælia ponuntur in capite malorum: vtpote à quibus, omnes fere soleant oriri miseriæ. Ioan. 13. Rom. 5.

Secundum, si prælia, pestis, fames, terræmotus, initia sunt dolorum: quanti erunt ipsi dolores? si talia initia, qualis erit & finis? O verè dictum, Totus mundus in maligno positus est, qualis igitur radix malorum est mundus: vnde tales prodeunt rami? 1. Ioan. 5.

Tertium, Cùm mala quæ Christus hic recenset sint summa, quæ homini contingere possunt: cur in tantis malis, Christus suos non turbari iubet? Quid marmoréne sumus? pectusne nobis est æneum? aut cor ferreum? Num meliores sumus, quàm patres nostri, qui hæc mala timuerunt? Timuit Ieremias bellum, doluit famem. Fugit Elias Iezabelem: & Ierem. 14. 3. Reg. 19.

Eodem. præ molestia fastidiuit vitam: cur Christus nos iubet esse securos? Certè, quia hæc mala naturalia sunt. At fides in Christum viua, supra naturam est. Si supra dæmones infernum,
Marc. vlt. & mortem, viua fides imperium habet: imperet. Si gladium distringat. Nolite, inquit, timere, qui occidunt corpus: imò
Lucæ 12. eo ipso ne timete: quia occidunt corpus. Si sola ea timenda sunt, quæ animam a Christo diuellunt: reliqua non sunt ti-
Rom. 8. menda. Dicit enim Paulus, neque mors, neque vita, neque vlla creatura, poterit nos separare à charitate Dei, nulla igitur creatura timenda. Si Christiani accesserunt ad montem
Hebr. 10. Sion, ad ciuitatem Dei viuentis, ad Ierusalem cœlestem: qui ad cœlestia accesserunt, quid timeant terrena? Profectò,
Rom. 5. qui gloriatur in tribulationibus, non facilè turbatur ab eis.
Iacobi 1. Qui omne gaudium existimat, cùm in varias tentationes incidit: facilè permanet firmus. Cum talibus igitur Christus loquitur.

Admonitio tertia est. *Tunc tradent vos in tribulationem.* Prius admonuerat, de malis generalibus, non timẽdis. Nunc de malis, quæ speciatim propter confessionem Christiani nominis, eueniẽt. Sũt vero mala hæc, tribulatio, mors, odiũ. Scandalizabũtur in nobis multi: trademur à falsis fratribus: odio habebimur à veris: surgent pseudoprophetę, ex nostris, & seducentur multi: erunt plerique frigidi, & iniqui: & qui charitatem habebunt, tepescentem habebunt.

Horum sensus, planus ex Marco habetur. Ex quo colligere licet, quòd vt sensim prædicabitur Euangelium, per diuersas mundi ætates, & regiones: ita sensim per easdem regiones, & ætates, Christiani odio habebuntur. Non est igitur sensus, quòd totus mundus, vno aliquo tempore, Christianos osurus sit. Sed quòd, vt sensim prædicabitur Euangelium: ita sensim habebitur & odium.

Cur verò Christus, Euangelium suum cum suorum tribulatione, & morte, prædicari voluit? Nulla enim ciuitas erit, non Christiano sanguine tincta. Resp. Cœlum est rotundum & in quauis eius parte, est Dei gloria à beatis videnda: voluit ergo Deus ex singulis orbis partibus, ad singulas cœli plagas martyres euolare. Vt nullus esset in cœlo locus, qui nõ martyrum sanguine fulgeret. Emisit ergo orientalis terra martyres, ad orientalem cœli plagam: ita & occidentalis, australis, & Borealis. Et quod de martyribus diximus, de reliquis sanctis dicendum videtur. Iam sicut, à qualibet mundi parte

volu-

voluit Deus sanctos in cœlis habere. Ita à 4. angulis terræ, voluit malos in infernum descendere. Rotatur ergo per orbem Euangelium (sicut sol in gyros suos reuolutus) ad cœli rotam sanctos, ad inferni pœnam malos, emittens.

Secundò, Sicut in Iudæa, Euangelij prædicatio, in Christi tribulatione, & sanguine fundata est: ita & eiusdem in orbe promulgatio, in prædicatorum tribulatione, & sanguine fundari debet. Tu igitur qui prædicatorium munus affectas, vide an prædicationem, tuo tingi sanguine cupias. Qui enim filij generandi sunt, prædicatorum cupita morte gignentur.

Tertiò, Prædictio Christi: qua prædixit suum nomen in toto orbe diffundendum, suæ diuinitatis argumentum clarissimum est. Quis enim nisi Deus rem tam longè futuram (quam nostra experiẽtia comprobauit) prę[di]cere potuisset? Certè, tempore Christi, nulla Antipodũ notitia erat: at nũc, etiam illis Euangelium prædicatum est.

Quartò, Quo tempore, abundat iniquitas, friget charitas: abundans enim iniquitas, Deo manus ligat, ne charitatem multis largiatur. Et si largitur, non feruescentem largitur. Vt enim abundantia bonorum operum Deum mouet, vt larga manu opes effundat suas: ita & abundantia iniquitatis, eum veluti cogit, vt manus contrahat suas. Hoc loco, id dicitur: *Quia abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Fieri tamen nequit, quin aliqui sint charitate feruentes: vel decem, vel quinque, alioqui cum Gomorra periremus. Aliqui igitur, sunt qui feruent, multi tamen sunt, qui frigent. Sunt enim pauci qui seruantur, scilicet, qui perseuerauerit vsque in finem saluus erit. *Genes. 17.* *Luc. 13.*

Quintò, Quo loco videtur indicari, quod sicut ordinariè, & ex communi cursu, qui male viuit, malè etiam moritur: ita qui benè vixit, & perseuerauit, hic benè moritur & saluatur. Qui enim fiat, vt diues Deus tunc se à seruo suo subtrahat: cum eius est remuneraturus labores? Qui fiat vt bonus Deus, quem per totam vitam seruauit, in morte relinquat? Qui fiat vt adiutor, in opportunitatibus, in tribulatione, in illa mortis tribulatione deserat? ergo qui exultant in malis, consenescũt in malo: vt in Ecclesiastico habetur. Et nationis iniquę, diræ sunt cõsummationes, vt Sapiens ait: & peccatorũ mors pessima. Cõtra pretiosa in cõspectu Domini, mors Sanctorũ eius. Plãtati enim in domo Domini in senecta erũt *Psal. 9.* *Eccles. 11.* *Sapien. 3.* *Psal. 33.* *Psal. 115.*

Psalm. 91. vberi, & benè patientes: vt laudes Domini annuntient.

1. Petri 2. Sextò, *Prædicabitur Euangelium regni*. Igitur Euangelium facit reges: facit enim regale sacerdotium, vocat ad regnum
1. Ioan. 3. Dei, aperit regnum Dei: ius dat ad regnum Dei. Quando si similes Deo facit, faciet, & reges. Regia membra sunt filij Christi regis. Iniuriam ergo irrogat Euangelio, qui peccato seruit.

Rom. 12. Actor. 1. Septimò, *Prædicabitur Euangelium, in testimonium omnibus gentibus*, vt, scilicet, Apostoli, omnibus gentibus testes essent Christi. Vita enim eorum, prædicatio, & miracula, testimonium præbent cunctis, quis Christus fuerit. Rursum Euangelij prædicatio, bonis testimonium est ad gloriam, malis ad pœnam. Octauò, prædicato Euãgelio per orbem, erit cõsummatio. Quæ enim in orbe fiunt, gratia Christi fiunt. Quia omnia in ipso condita sunt, siue quę in cœlis, siue quæ in ter-
Coloss. 1. ris. Et ipse primogenitus est omnis creaturæ. Tandiu ergo mundus durabit: quandiu per orbem, Christi nomen annuntiabitur. Cùm verò per omnes prouincias, exierit prædicatio Euangelij, finietur orbis, qui hoc vnum expectabat.

Admonitio quarta est: *Cùm Christiani viderint abominationem desolationis dictam à Daniele*, (quæ acute intelligenda est) *tunc, qui in Iudæa sunt fugiant*.

Hoc loco multa mihi sunt dicenda, licet nihil interim de hebdomadibus Danielis attingam. Non quòd earum difficultate victus succumbam: sed quòd in alio nostro libello, rei difficillimæ, clarissimam lucem inuexerim: qua causa nolui locum hunc re non necessaria grauare. In calce igitur
Daniel. 9. noni capitis, ex Daniele, ita legitur: Erit in tẽplo abominatio desolationis, &c. At Hebraice aliquanto differenter: sic enim habet, Et super templum abominationes desolationis. Scio Munsterum & Xanctem, pro templo legisse, expansionem hoc modo propter expãsionem abominationem, erit desolatio. At cùm, 70. interpretes, & Christus Dominus legerint, Templum, non est, cur nos, Expansionem legamus. Stat ergo textus Hebreus ita, Super templum erunt abominationes desolationis. Vbi, nõ vnica abominatio futura, indicatur in templo: sed multæ. Et ita planè a tempore Christi passi, multæ abominationes fuerunt in templo. Prima, quam Pilatus induxit. Secunda, quam Adrianus Cæsar. Tertia, quam Mauri inuexerunt. In templo enim Salomonis hi nunc colunt Machumetum. Quarta verò est quam expectamus: re-

liquis

liquis maiorem. De qua Paulus hæc verba prædixit: Filius 2. Thess. 2.
perditionis, qui extollitur super omne quod dicitur Deus: ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se, tanquam sit Deus. Hic qui in templo Salomonis (hoc enim templum per emphasim, eo tempore, templum Dei dicebatur) sedebit omnium sententia Antichristus est. Cum igitur inter abominationes templi, hæc maxima erit, iure Dominus eam expressit, dicens: *Cùm videritis abominationē desolationis* (id est, Antichristum) tunc qui in Iudæa sunt, *fugiant*. Meritò quidem dicit, *Qui in Iudæa sunt*: cum enim eo tempore, Antichristus in Iudæa versaturus sit, eo etiam loco, eius tribulatio maximè grassabitur. Licet enim in alia loca, tribulatio fundenda sit: at maximè in Iudæa, vbi Iudæi, cum suo Antichristo, Christianis persecutionem parabunt. Admonentur igitur, vt fugiant, nullam de rebus, solam de vitæ, rationem habentes. Et quia tribulatio per aliquot annos est seuitura, orare nos iubet, ne in sabbato, aut hyeme fugiendum nobis sit: pij enim Christiani maximè afflicti, piaculum videbuntur in sabbato, id est, in festo fugam adornare.

Nota secundò, *Erit tribulatio: qualis non fuit neque fiet*. Deus bone, cur tuos adeo vrges? Cur hostibus tuis tantum virium concedis? Cur mundum adeò malo fine consummas? Prima responsio est: Res spirituales, non nisi naturalibus proportionantur, at in corporalibus, mulier in tristitia & dolore filium parit. Et quo maior est edendus puer, maiorem dolo- Ioan. 16.
rem incutit matri. Doloréque ille acerrimus esse debet, qui matrem parientem occidit. Iam mundus hic noster (omnis, scilicet, hæc creatura) nunc parturit, & ingemiscit partum Rom. 9.
æternitatis. Cùm ergo, his partus edendus erit, mundus necessario dolebit. Et quia summa res est quam parit, acerrimus dolor erit in partu: tantusque erit, vt eo dolore sit mundus moriturus. Moritur Rachel, cùm filium dextræ parit, Gen. 35.
qui filius æternitas est. nam in dextera Dei longitudo die- Prov. 3.
rum. Et moritur Christus, cum partum Ecclesiæ Christianæ editurus est. & quia partus rei eximiæ erat edendus, eximius dolor Christum parientem oppressit. Illa planè maledictio, quâ maledixit Dominus Euæ, dicens: In dolore paries Genes. 3.
filios: non Euam solam parientem implicauit. Christum in cruce, implicabit mundum in fine: sicut & Paulum implicabat, Cum partus doloribus affligeretur, dicebat: Filioli mei, quos Galat. 4.
iterum parturio, donec formetur in vobis Christus. Sola

Virgo sacerrima summum paritura filium, summos dolores euasit. At certè quos euasit ad præsepe: sustinuit ad crucem. Vbi doloris acerrimus, gladius eius tenerrimum cor transuerberauit.

Altera responsio est: Acerrimus dolor, & terribilium maximus, dolor mortis est: quem hæ partes corporis maximè
Aristot. sentiunt, quæ in homine sunt nobiliores. Cùm igitur morietur mundus: nobilissimas eius partes, (pios scilicet,) maxima quassabit tribulatio. quia in eas, mali corporis humores, maximè grassabuntur.

Tertia responsio: quia cùm dæmoni, iam iam neganda erit lædendi licentia, tunc concedetur ei: vt liceat maximè lædere.

Quartò: Erit maxima tribulatio piorum: vt maxima Dei mansuetudo prouocetur, vt ad iudicium exeat, & vindictam de malis hominibus sumat. Alioqui pius Deus, nisi tam ve-
Genes. 18. hementi iniquitatum clamore (sicut in Gomorra) non erat ad vltionem irritandus.

Quinto: Deus, non eijcit malos, ex sua hæreditate: nisi cùm est illorum completa malitia, vt de Cananæis, sacra
Genes. 15. habet historia. Cùm igitur mali sint mundi hæreditate pellendi, necesse est: vt per summas iniquitates eorum malitia compleatur.

Sextò: Nemo in cœlum iturus est, non plenè purgatus. voluit igitur Deus hoc breui compendio, pios in hoc seculo purgare: siquidem post diem iudicij, iam nullum purgatorium erit. Instituitur ergo purgatorium præsens, iis qui purgatorium posteà non erunt habituri.

Quo: contra Lutheranos purgatorium esse conuincitur, Et quanta sit purgatorij pœna, fideles colligere possunt.

Vltimò, Nota illud: *Nisi breuiati fuissent*. Intellige, mūdum hunc nostrum, naturali Dei ordinatione caducum (contra quam Philosophi arbitrati sunt) id indicat eius quotidiana diminutio, & velut aperta senectus. Priora secula fuere viri-
Hebr. 8. dia, iam nūc natura marcescit. Quod verò antiquatur, prope interitū est. Scit ergo Deus, quot sint dies quibus duraturus erat mundus, naturali ordine seruato. Hos igitur seculi dies Deus abbreuiabit ne in errorem inducantur electi. Vt enim mali homines, qui naturali ordine, erant longum victuri,
Psal. 54. propter scelera sua, non dimidiāt dies suos: sed sicut fœnum
Psal. 36. velocius arescunt, imò sicut fœnum tectorum, quod prius quam

quàm euellatur à natura, exiccatur à Deo: ita & malus mundus non implebit dies suos, sed eius dies exiccabuntur & abbreuiabuntur. Hinc est iudicio meo, quòd cùm Angeli omnia naturalia norint, diem iudicij tamen nesciunt, quia eum diem Pater posuit in sua potestate.

Admonitio quinta est: ne Christiani exeant è locis tutis, (in quo se receperant,) vt Christum videant. Si enim exierint, præsens impendit periculum. Adeò enim Antichristus, & sui, prodigijs editis fulgebunt, vt qui conspexerint homines, facile in errorem abducantur. Vbi primùm aduerte, Dæmonis potentiam adeo magnam, vt signa faciat magna. Aduerte item: quā sit electionis potētia maior, quæ electos non sinet abduci. Aduerte tertiò, fieri non posse, vt electi, actu cadant: quod Theologi sensum compositum dicunt. Licet enim cadere possint: sed actus cadendi, est cum electione repugnās. Dixit ergo Dominus: ó Christiani, qui partim tribulationū pondere, partim charitatis feruore, meum optabitis aduentum, cauete ne, ex locis vestris, ad videndum me exeatis: non erit opus vestro exitu. Ego enim cum venero, non in terram, sed in aera veniam, ad quem locum, ego vos congregabo. Vbi enim fuerit corpus meum, eo vos ego aducam aquilas meas. Actor. 2.

Sunt hic multa dignissima. Primum, illud: ***Fulgur exit ab oriente***. Non dicit sicut fulmen, quod exiguæ lucis est: sed sicut fulgur, quod vnico ictu totum aërem illustrat. Ita igitur Christus veniet, totum aërem ab oriente in occidentem illustraturus. Eam lucem videbunt, & qui in oriente, & qui in occidēte fuerint. Planè vallis Iosaphat erit præcipuus iudicij locus. At mortales, per terrarum spatia diffundentur, Iudicis lumen videntes.

Secundò dicit: *Sicut fulgur exit ab oriente*. Vnde Dominus videtur ab oriente exiturus. Cui applaudit cōmunis Christianorum sensus, credentium, quod in oriente humanitas Christi sedeat. Ab eo ergo loco veniet, vbi nūc est. Vt enim ascendit Dominus super cœlum cœli ad orientem: ita descendet è cœlo cœlorum, sicut fulgur ab oriente. Psal. 67.

Tertiò, sicut fulgur exit. Fulgura è tenebrosis nubibus rutilant, quo indicatur, aduētum Christi, tempore tenebroso, & cœlo nubilo futurum: nam quod nocte veniet Dominus, testatur Euangelista, dicens: Media nocte clamor factus est: Matth. 25.

1. Thess. 5. ecce sponsus venit. & illud: Dies Domini sicut fur de nocte
Lucæ 17. veniet: & in illa nocte erunt duo in lecto vno. & item: Dies
2. Petri 3. Domini sicut fur in nocte. Igitur vt Dominus media nocte natus est omnibus: ita media nocte, velut nascetur pijs, quæ erit nox hominibus, sed dies Christo. Ideoque dies Domini dicitur.

Quartò, *Sicut fulgor*, dicit: non sicut fulgura, vt intelligas, breuissimo tempore iudicium cōplendum: atq; etiā subitò
Marci 13. & inopinatè. Ergo, vigilate, quia nescitis diem neq; horam.

Quintò: Sicut fulgur illuminans omnia. Illa enim clarissima lux, adeò splēdebit, vt sufficiat illuminare, etiam occulta
1. Cor. 4. cordium. Licet enim corporea erit lux illa: erit tamē instrumentum deitatis: quo illuminabit Deus cordium secreta.

Porrò quod dicit: *Vbi fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ*. Indicat primò illud Pauli: Rapiemur in nubibus,
1. Thess. 4. obuiam Christo. Itaque corpus Christi rapiet ad se corpora nostra, non quidem violenter: sed eo modo, quo aquilæ sublevantur in cœlum.

Secundò, indicatur, quòd virtute humanitatis Christi, illa aquilarum congregatio fiet. Ideo enim non dixit: Vbi ego fuero: sed vbi corpus meum fuerit. Igitur, sicut humanitas Christi, fuit instrumentum meritorum Christi: ita & erit instrumētum eleuationis corporum beatorum. Et sicut virtus odoris allicit aues in locum, vbi earum cibus est: ita & virtus odoris suauissimi à corpore Christi prodeūtis, alliciet ad se corpora nostra. Et licet potuisset dicere: vbi fuerit corpus, congregabuntur membra eius: maluit tamen indicare, quod sicut diuinitas Christi est cibus animarum, quò rapiuntur animæ beatæ: ita & corpus Christi est cibus corporum Sanctorum, quò beata corpora rapientur.

Tertiò: Indicatur etiam nobilitas corporum beatorum, sicut enim aquilæ sunt reginæ auium: & solet dici, eas esse diuinas: ita & corpora beata erunt excellentissima corpora:
1. Cor. 15. imò, ferè diuina. Erunt enim iuxta Apostolum, corpora spiritualia, forsan cœlis nobiliora: seminata quidem in ignobilitate, surgentia in gloria.

Quartò: Indicantur etiam dotes corporum beatorum, in primis agilitas & leuitas: par, & maior leuitate aquilarum. Indicatur etiam Christum solem esse, in quem aquilæ ii os figunt oculos. O, rem stupendam, corpora adeo grauia, leuia fieri, sicut aquilarum.

Statim autem post tribulationem, &c. Non sum adeò lippientibus oculis, quin huius loci difficultatem videam. Sed age, aggrediamur. In primis statuere cupio historiam iudicij ad literam. Historia hæc est. Primò: Sine interuallo notabili, post persecutionem Antichristi, sol obscurabitur: itaq; non interuenient dies illi quadraginta quos Lyra commeminit: sed statim post tribulationem illorum, sol obtenebrabitur. Neque post illam tribulationem, intercedet fidelibus pax: sed statim peracta tribulatione, tenebræ aderunt Solis. Vt manifeste conuincit verbum illud: *Statim post tribulationem sol obscurabitur.* Secundò: Sol obscurabitur, nō per interiectū nubium, vel ad apparētiam hominum: sed per miraculosam luminis perditionem. Erit dies illa iudicij, dies veritatis, non apparentiæ. Tertiò: Qua etiam ratione, & Luna miraculosè lumen suum amittet. Quartò, cadent item reuera stellæ. Deo aliquot illarum vibrante deorsum, quò sic expaueant hominum animi. Neque maioris id miraculi est, quam quod sol aut luna luce priuentur. Neque rursum necesse fuerit, illas cadentes stellas in terram ruere: sed sat erit, si in elemento ignis permaneant, aut aeris: donec in locum suum remeare iubeantur. Quintò: Tunc cœlorum virtutes commouebuntur, id est, cœli ipsi trement: vt solet tremere terra, iuxta di-
ctum Iob: Columnæ cœli tremiscent. & Petri: Cœli magno Iob 26
impetu transient. Erit verò ille tremor, & cōmotio aperta. 2. Petri
Sextò: Quo etiam tempore, magno mugitu sonabit mare, vltimo.
& flumina: vt Lucæ 21 habetur.

Fient hęc omnia ita: quia mūdus tunc moritur. Vt igitur, Eccl. vlt.
cùm quis moritur, oculi amittunt suam lucem, concutiuntur membra, effluit aluus: ita oculi mundi, (qui sunt sol & luna, & stellæ) lumen sensim perdent. Quatientur eius ossa: quæ sunt cœli. Effluet magno mugitu mare: qui aluus mundi est.

Porro, cùm hæc fieri incipient, homines nihil tale metuentes, sed in agro suo laborantes, ad molā suam molentes, in lecto suo iacentes, euigilabunt: egredientur aliqui è domibus suis, current ad publicas vias: suspicabunt sursum in cœlum: arescent præ timore, & expectatione aduenientis iudicii. Sentient enim cum clamore in sponsi esse ad iudicium
venientis, exsurgent, infremiscent, expauescent, labentur in terram. Matth. 25.

Hominibus ita pauidis: Erit ibi Crux Christi descendens, cunctis astris splendidior, medium mundi noctem, suo splendorem

splendore, in meridianā lucem conuertens. Hoc est signum filij hominis. Descendet, inquam, non ad aërem. In cœlo
Matt. 24. enim consistet. *Apparebit*, inquit, *signum Filij hominis in cælo.* Vt intelligatur: futuram lucem, nō iam huic Soli deberi: sed meliori multo luminari, scilicet Cruci. Nouæ verò rei miraculo homines attoniti: cùm lucentem Crucem vident, nigredinem, & tenebras propriæ conscientiæ cognoscent. Plangent se omnes tribus terræ. Quidni plangent inimici
Philip. 3. Crucis Christi: cùm ipsa splendentis Crucis lux, impietatis impios condemnabit?

Veniente verò Cruce, & fixa in cœlo: ecce sonitus, & clangor immensus tubarum & buccinarum intonat, altius perstrepit, totum implet orbem. Nō erit fictitius, sed verissimus sonus: ipsissimus quem tubæ præliorum edere solent. O, Christe, prælīū inis? Contra quem sunt hi sonitus? contra quem belli apparatus? Num contra hominem? Vermis est, multo minori apparatu in nihilū redigetur. Sed ita par est: vt suam ille ostendat magnificentiam: vt vel hac ratione qui hæc agnoscimus, caueamus à tanta ira, quam tanta bellica pompa demonstrat.

1. Cor. 15. Dicit Apostolus: In ictu oculi, in nouissima tuba. Vbi expende, si nouissima tuba, igitur multæ erunt tunc tubæ. Et si nouissima: clangent prius aliquæ, & demum aliæ. Fuerit igitur ita, Christo descendente, totus mundus intonabit immenso belli sonitu.

Psalm. 96. Et quia Psalmus dicit: Ignis ante ipsum præcedet: certum mihi est, ex pedibus Domini, rotandum ignem, qui omnes tunc viuos absumet, quique purgabit terram. Vt impleat, quod à Petro dictum est: Elementa calore soluentur. Nec ta-
2. Petri 3. men ascendet ignis ille, nisi quò aquæ diluuij ascenderent.
Eodem. Nam supra eum locum Christus omnibus spectandus consistet. perstrepent igitur tunc omnia sonitu: sed peracto mundi incendio, clangent nouissima tuba. Et Archangelus
1. Thes. voce magna (vt Apostolus ad Thessalonicenses est autor) clamabit, vocans mortuos ad iudicium. Aderunt omnes, nullo excepto.

Matth. 13. Tunc mittet Dominus Angelos: *Qui è medio malorum congregent pios.* Hi in aëra rapientur, expectantes vltima iudicis verba. Hæc historia.

Primum se offert: Cur Dominus vult solem, lunam, & stellas obtenebrari? Cur vult hunc mundum emori? Primò quidem

quidem: vt vel tunc impij cōpuncti, ad pœnitentiā redeant: & pij, si quid dignum pœna fecerunt, defleant erratum. Secundò: Ita necesse erat: vt senio confectus mundus, cùm moritur, mortis edat signa. Tertiò: Ita manifestat iram suam iudex: vt intelligamus iam nunc: Si cœlum iram descendētis iudicis ferre nequit, sed obtenebratur: & defluxum patitur stellarum, quid peccator ferre poterit? Quartò: Ita implet, quod in Sapientia dicitur: Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum. Intelligent *Sapien. 5.* ergo impij totum orbem contra se iratum, tenebris armari: vt tenebris, & morte obruant Christi inimicos. O, miserum me qui videbo creatorem, & creaturas omnes contra me armari: me videlicet imbecillem, fragilem, & infirmum. Addit locus citatus: Acuet diram iram in lanceam: & pugnabit *Eodem.* cum illo orbis terrarum contra insensatos. Quintò: Sicut moriente Christo, sol & luna tenebris obtecta sunt, & terra *Matt. 27.* tremuit: ita moriente genere humano in impijs: multò magis obscurabitur orbis, hinc dolore morientis heri, hinc rabie offensi Dei accensus. Sextò: Necesse est vt moriatur Christus, si resurrecturus est: moriatur granum frumenti, si renouandum est: ita si futurus est nouus mundus, si sol fulturus *Isaie 30.* est septies, moriatur igitur. Vt doceat nos: si victuri sumus, prius moriamur oportet. Septimò: Si tantis tenebris mundus tegitur, vbi iudex venit iratus: non id igitur opus est iudicis: non est opus suum irasci, condemnare, punire: alienum opus eius, peregrinum opus eius, vt apud Isaiam habetur: Peccata nostra velut eradicant Deum à sua natiua pietate: *Isaie 28.* Aliôqui, si lubens & gaudens venisset ad pœnam, rideret orbis, plenaque cuncta gaudio essent.

Secūdò illud offertur, Cur Christi Crux in cœlo fulgebit? Et quidem iudicio meo, non apparebit solùm, sed & fixa in cœlo manebit. Quid enim? Si cicatrices in Christi carne perseuerabunt: Crux non erit in cœlo perseueratura? Quidni, Crux Christi erit in cœlo, si caro nostra erit in cœlo? Sed agè cur in cœlo Crux?

Primò: Si Deus gladium flammeum ante Paradisum collocauit, vt homines ab eius ingressu arceret: quid mirum, si *Genes. 3.* Crucem in cœlo, (id est, meliori Paradiso) collocat: in qua est flamma gladij extincta, & acies hebetata?

Si duces cùm triumphant: vrbe aliqua capta, victoriæ vexillum in summa arce constituunt: quid mirum si Christus

cœli

cœli arce capta per Crucem, Crucem in cœli collocet loco?
Matth. 11. Certè regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud: rapiunt verò per Crucem. Collocetur igitur, in regno cœlorum.

Profectò conuenit clauis ianuæ: Si igitur cœlum tunc toti piorum multitudini aperitur, (qui tunc in carne cœlum conscendet,) an non quadrat Crux cœlo: per quam, vt clauem, cœli ianua aperta est? Nam, fortasse Crux est cla-
Apoc. 3. uis illa Dauid: quæ vbi aperit, nemo claudit, & vbi claudit
4. Reg. 2. nemo aperit.

Crux, currus igneus est, qui Eliam è terra in cœlū sustulit. Quid mirum igitur, si vero Elia super cœlum eleuato, eius
Lucæ 12. Crux ad valuas cœli remaneat? Profectò Baptismo Christus baptizari voluit, in Crucis torculari: & coarctabatur spiritus eius, donec perficeretur. Optabat igitur Christus Crucis signi optabatq; cœlum illud nobile & spirituale, (suum scilicet corpus) Cruce insigniri. Quid igitur mirum, si cœlum hoc materiale, eadem Cruce velit exornari?

Insculpitur ergo Crux cœlo: quia non erat fas beatos Crucis aspectu in æternum priuari, regnantes: quam ita co-
Galat. 6. luerunt, & dilexerunt, in terra militantes. Paulus enim: Absit mihi gloriari, nisi in Cruce. Dignum ergo est, vt Crucem, quam coluit in terra, videat in cœlo. Arbitror enim quod tam exhilarabit oculos beatos Crux in cœlo, post iudicium visa: quàm exhilarat cœlum, vt Sol, in suo orbe refulgens.

Et quidem: venter qui beatos genuit, Crux est: mater quæ peperit, Crux est: pectus quod lactauit, Crux est. Erat verò indignum: matrem, quæ filios cœlo donasset, extra cœlum collocari.

Sapien. 5. Ponitur in cœlo Crux: vt sciāt impii, quòd sicut pios, ipsi insensati, habuerunt in derisum: vitam illorum, æstimantes insaniam, & finem sine honore: at postea videbunt eos inter sanctos computari, & inter filios Dei eorum sortem esse: ita
1. Cor. 2. Crucem, (quam existimauerunt stultitiam, ignominiam, & scandalum,) videbunt inter stellas lucentem, sole & luna multo splendidiorē. Restituit ergo Cruci Christus honorē, quem ei mūdus abstulerat. O rerum omnium mutationem! & ô noua omnia facta! Quis credidisset vnquam, furcam, & suspendium cœlo donanda? Certè, rerum omnium dedecus & horror Crux erat: at eadem decorem cœli superabit. Vult ergo Dominus, se potentē ostendere, qui mundi horrorem

facit

facit beatorum lætitiam. Quid in homine faciet rationali: qui hoc in Cruce fecit irrationali?

Demum sicuti fuit arca Noë, super montes Armeniæ collocata: postea quam homines ab aquis diluuij seruauit: ita & Crux, vbi homines ab aquis huius seculi, seruauerit, in cœli montibus collocabitur. Genes. 9.

Curx in cœlo est arcus fœderis in nubibus, de quo dixit Deus: Videbo arcum, & non amplius nocebo hominum generi: ita Cruce cœlis suffixa, non amplius pij damnum sentient. Gen. 9.

Demum Crux apparebit in cœlo, vt notetur cœlum Cruci deberi.

Tertium illud occurrit: *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus, cum virtute multa, & maiestate.* Ego credo rem ita futuram, vt toto orbe, per Crucem in cœlo fulgentem illustrato, impiisque plangentibus, ex parte mundi orientali, nubium maximus turbo apparebit. Nubes illæ parte ima caligabunt, sed parte supera, vehementissimè lucebunt. Ex parte infera, fulgura & fulmina vibrabuntur. Vnde, ignis forsan ille exardescet, qui terram comburet. Ex parte supera, apparebit Christus cum sanctis suis veniens. Cogit me ad id dicendum Psaltes, qui dicit: Nubes & caligo in circuitu eius, iustitia & iudicium correctio sedis eius. Ignis ante ipsum præcedet, qui inflammabit in circuitu inimicos eius. Alluxerunt fulgura eius orbi terræ: vidit, & commota est terra. Cogit me item Sapientia, quæ cùm agit de iudicio, ita dicit: Ibunt directè emissiones fulgurũ, & tanquam à benè curuato arcu nubiũ, exterminabuntur. A petrosa ira plenæ mittentur grandines. Vult igitur Dominus, nubes, fulgura, grandines, iudicio adesse: quibus exterreat impios, illis rebus tam male vsos. Omnia ergo cœlestia, contra miseros terrenos depugnabũt. Psal. 96. Sap. 5.

Porro quod dicit: *Veniet, cum virtute multa.* Ita sanè ad excitandos mortuos, ad glorificandos pios, ad exterminandos iniquos: ita sanè vult ostendere gloriam suam, & diuitias misericordiæ suæ, in vasa misericordiæ. Ita vult ostendere irã, & notam facere potentiam suam, in vasa iræ apta in interitum. Quis verò & magnitudinè gloriæ à Dei multa virtute profectam intelligere: aut magnitudinẽ pœnæ à multo Dei furore profectam sustinere poterit? Rectè Paulus: Scientes terrorem Domini, hominibus suademus. Quòd vero dicit: Veniet cum maiestate, id est, veniet tota Angelorũ curia Rom. 9. Ibidem. 2. Cor. 5.

comitatus: toto sanctorum agmine stipatus: veniet, cum luce immensa: & (vt supra dixi,) cum incredibili tubarum fragore. Vt videant impij, hæretici, & infideles, quem contempserunt. Vt perpetuò hæreat impijs pauor ille, à iudicis visione conceptus: & dolor ab eius amissa gloria procedens. Vt rursum pij aueant, cupiant, & gestiant gloriæ illius infinitatem.

Quartum illud est: *A quatuor ventis, & à summis cælorum.*
Psal. 134. Et quidem ventos producit Deus à thesauris suis, id est, ab intimis & recōditissimis terræ visceribus. Congregari ergo à quatuor ventis est: congregari ex abditissimis terræ locis.

Quod verò dicit: *à summis cælorum*, aperiri ex Philosophia potest. Cùm enim multorum sanctorum corpora in ventum & aërem versa sint, (corpora enim combusta in aërem conuertuntur) fit: vt Angeli piorum corpora, reposcant ab aëre, qui in sanctis literis cœlum dicitur. Sed Ieremias hunc locum
Ierem. 49. amplius exponit, dicens: Inducam super Elam quatuor ventos, à quatuor plagis terræ, & vētilabo eos, in omnes ventos istos, non erit gens, ad quam non perueniant profugi Elam. Colligi igitur à quatuor ventis: nihil est aliud quam colligi ex omni dispersione terræ. Et colligi è cœlis: quàm colligi, ex omni dispersione aëris, in quem multa sanctornm corpora fuerunt conuersa.

Quintum & difficile est: *Ab arbore fici discite*. Cur ficus electa est in parabolam? Maximè cùm ficus, etiam Februario mense folia mittat? Cur ergo dicit Dominus: *Cùm videtis fici folia nata, dicitis: Propè est æstas*. Ad hoc dico, non habere textum: cum ficus protulerit foliola seu gemmas, tum propè esse æstatem. Sed habet, cùm ficus teneros habuerit ramos, & folia grandiora: tunc propè est æstas. Nam folia illa non habet nisi mense Maio, aut propè, tum verò propè est æstas.

Sed iam age parabolam explicemus. Cùm Ecclesia nostra, prælatos suos, & principes teneros habuerit, & delicatos: cum plena habuerit folia, id est, verba multa, & eruditionem multam, sed sine fructu: propè est æstas iudicij. In primitiua Ecclesia, erant Episcopi ad labores durati, minimeque teneri: non admodum valebat tunc Theologorum Scholastica eruditio: erant verba pauca, opera multa. Longè erat tunc æstas, nunc verò habes, quid velim.

Sed

Sed intimius penetra: In Paradiso duæ fuerũt arbores Altera vitæ, altera scientiæ boni & mali: ita in Ecclesia duplex est arbor. Altera est Crux, vita scilicet spiritualis, arcta & angusta. lectulum scilicet in quo sponsa spõsum quærit. Altera est caro nostra, vita scilicet animalis, & terrena. Cum verò nata fuit Ecclesia, Crux dura protulit ramos suos, Apostolos scilicet, Martyres, Monachos, Virgines. Erat tunc ficus carnis nostræ in hyeme, tota fœda, & deformis. At vbi processit hyems: cœpit sensim caro nostra mollescere, & in gemmas erũpere. Diebus vero nostris, tota ramis plena est: tota frondosa & decora est. Propè igitur est æstas. Gen. 2.3. Matth 7. Cantic. 3

Et nota quòd caro nostra arbor est boni & mali: Crux cõtrà, arbor est mali & boni, id est. Qui è fructu carnis edit: nunc quidem bonum edit. Dictum enim est. Recepisti bona in vita tua: sed posteà, qui bonum comedit malum sentiet. Est igitur arbor primò boni, posteà mali. At Crux nunc quidem mali, sed postea boni: ac ideo, caro nostra arbor sciẽtiæ, Crux verò arbor stultitiæ dicitur. Genes. 3. Lucæ 16. 1. Cor. 1.

Cur verò caro nostra: & eius animalis vita, ficus vocetur, audi: Vix, credo, est arbor, ficu fragilior, adeò, vt proverbio locum dederit: ficulneo baculo fragilior. Nulli ædificio ficus arbor est apta. Vmbram habet pessimam, adeò, vt qui sub ea dormiat, stupidus ferè surgat. Ocissimè senescit. Et a pediculos gignit. At à cœlo non tangitur. Quàm commodè hæc carnali vitæ conueniunt? Ea enim nihil fragilius. Non est ædificio cœlesti idonea. Vmbram mortis habet pessimam. quia mors peccatorum pessima. Ocissimè omnis carnalis voluptas finitur. Vermem cõsciẽtiæ gignit. Et à cœlo non tangitur: Carnales enim homines in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur. Psal. 33. Psal. 72.

Hæc verò carnalis vita est: quæ Antichristũ profert: pseudoprophetas gignit: in errorem Christianos abducit, vide quos pariat fructus hæc arbor infœlix. Cum verò ficus hæc, ramos protulerit suos, tunc quidem teneros, folijs verò diuitiarum, verborum, eruditionis fulgentes: sed sine fructu, tunc propè est æstas.

Vbi nota. Non hic dici æstatem regnum Dei: sed eam summam tribulationem quam sunt pij passuri: quando triticum electorum, ardoribus torrebitur, flabris metetur, tribulis atteretur: Sed reiectis zizanijs, in horrea Dei congregabitur. Matt. 13.

Sextum est: *Non præteribit generatio hæc.* Nota, apud Dauidem, & Isaiam de duplici generatione mētionem fieri. Prior fuit generatio vetus: literæ, & timoris. Altera est generatio gratiæ, spiritus, & charitatis. De hac dictum est: Ne derelinquas me, donec potentiam tuam annūtiem generationi, quæ ventura est. Et item: Annuntiabitur Domino generatio ventura. Et annuntiabunt cœli iustitiam eius, populo qui nascetur. Et item: Scribantur hæc in generatione altera, & populus qui creabitur laudabit Dominum. Et forsan, de hac verificatur dictum Isaiæ: Generationem eius quis enarrabit? De hac Dominus dicit: quòd non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Licebit etiam, de Iudæorum generatione intelligere. Neque enim contemnendum est, quod eorum generatio, per tot secula duret, gens omnibus gentibus exosa, sine rege, sine lege, sine vrbe, sine prouincia, sine Cheraphin.

Psal. 70. *Psalm. 21.* *Psal. 77.* *Isaiæ 53.*

Septimum, idque difficillimum, *De die illa nemo nouit nisi Pater.* Vbi duo certa statuo. Primum: nouit Christus secundum diuinitatem diem iudicij. Hanc nemo nisi Arrianus negabit. Alterum est, nouit etiam secundum humanitatem diem iudicij. Hanc nemo negabit qui Christum iudicem fateatur. Agè igitur, qui fieri potest, vt ipse Christus de se dicat, quod neque Filius nouit?

Ad hoc primum respondeo: Quòd dies illa dicitur dies iræ, furoris: vltionis, zeli, vindictæ: vt ergo non nouit Dominus operarios iniquitatis, ipse æquus: & vt non nouit virgines fatuas, ipse sapiens, neque peccatum nouit ipse bonus: ita neque nouit diem iræ, ipse clemens: neque diem furoris, ipse patiens. Nouit sanè diem illum: sed non nosse dicitur, quia refugit, exhorret, dolet. Planè cùm Christus primùm venit, nō venit, vt iudicet: sed vt saluet. Saluator igitur nescit iram, non nouit furorem. Veniet posteà in secundo aduentu: non iam pius, sed zelator, & tunc diem furoris sciet. Interim verò quòd ad saluandum misericors venit, iram, & furorem dicitur ignorare. At Pater æternus, apud quem, sicut est misericordia, ita & ira, diem iræ planè cognoscit.

Sophon. 1. *Matth. 7.* *Matt. 25.* *2. Cor. 5.* *Ioan. 3.* *Ecclesi. 16.*

Secundò, respondeo: Christus (vt homo,) dicitur vir dolorum, & sciens infirmitatem: quia omnem dolorem, & infirmitatem cognouit, proprio eas gustu degustans. Nouit ergo eas proprio experimento. At iram illam iudicij, dolorem illum, terrorem, calamitatem, miseriam, Christus non gustauit

Isaiæ 53.

gustauit. Solis enim damnandis relinquuntur illa gustanda. Nullus interim viatorum, neque homo, neque Angelus, nec ipse Christus, (vt homo:) illius doloris acerbitatē gustauit: & ideo non nouit. Pater vero, infinitate suæ scientiæ, nihil non comprehendit. Ideo dicitur cognosse, & æstimare, quòd Christus (vt homo) non nouit: quia non gustauit.

Tertiò, respondeo: Anima Christi finita est: ac ideo infinitum comprehendere nequit. Autor est Thomas. Porrò, quia ira Dei, (qua in impios sæuiturus est,) infinita erit: ideò Christus (vt homo) eam nescit: Sed solus Pater eam cōprehendere omnino potest, Filius vt homo cōprehendere non potest. qui videtur germanus literæ sensus. Tanta enim erit Dei Patris ira in die illa, vt mens finita, eam comprehendere omnino nequeat. 3. *Part. quæst.* 10.

Quartò, respondeo: Anima Christi nescit diem illam, neque horam. quia tunc neque dies est, neque hora. Cùm enim cœli cessarūt à motu, dies naturalis non est, neq; hora. Hora enim & dies fiunt à regulato cœli motu. Est ergo sensus: Ne quæratis discipuli, quo die, hora, aut mense, iudicium erit. Non erit tūc horarum, aut dierum ordo, quæ ab hominibus cognosci solent. Incipiet tunc æternitas, quæ soli Deo à natura sua nota est.

Quintò, respōdeo: Animam Christi, & Angelos, considerari posse in naturalibus suis: aut etiam cùm diuina reuelatione. Dies ergo iudicij: vtpotè omnem naturam superans, nulli menti creatæ naturaliter nota est. Igitur mens Christi, secundum suam naturam, eum diem dicitur ignorare: quem Pater æternus, ex sua natura cognoscit.

Sextò, respondeo: sacram Scripturā non abhorrere à formalibus locutionibus. Nam Ioannes dicit: Qui natus est ex Deo, non peccat: sed neque peccare potest. Intelligens quatenus ex Deo natus est. Rursum dicit: qui in Deo manet, non peccat, id est, quatenus manet: ita etiam Filius Dei diem iudicij non nouit, id est, quatenus magister Ecclesiæ est, Pastor, Rex, Dux, Saluator: nouit tamen quatenus iudex futurus est. Si enim quatenus magister, & pastor nouisset: id Ecclesiæ reuelasset. Quæ enim audiui a Patre, (inquit) nota feci vobis. Et, verba quæ dedisti mihi dedi eis: & ipsi, acceperunt. Et item: spiritus suggeret vobis, quæcunque dixi vobis. quod ergo non docuit Ecclesiam, dicitur non nouisse, vt Ecclesiæ magister. 1. *Ioan.* 5. *Eodem.* *Ioan.* 15. *Ioan.* 17. *Ioan.* 14.

Sed agè, quæ erat necessitas, quòd Christus hæc verba diceret; quæ fuerunt multis errandi occasio: & quæ Christo videntur dedecus impingere? Primum, vt nemo fidelium, precibus in ęternum pulsaret, aut homines, aut Angelos, aut Christum: vt diem iudicij reuelet. Desperent igitur homines se hanc rem posse cognoscere. Secundò: Nullam Christus sui honoris habet rationem, vbi agitur de nostra salute.
Matt. 24. Vult potius, vt vigiles habeamus animos, Expectantes Dominum nostrum: quàm quòd sciamus eum scire, quod nos voluit nescire. Tertiò, Si dixisset se scire, nec reuelaret, notam suæ charitati inureret, potius ergo voluit, firmam nos de sua charitate habere opinionē: quàm de eius omni scientia, certum habere cōceptum. Dixit enim: Vos dixi amicos:
Ioan. 15. quia quæ audiui à Patre, nota feci vobis. Quarto: Ne quis per Epistolam, aut Prophetiam, aut reuelationem, se diem iudicij nosse iactaret.

Octauò, Explicandum est illud: *Erant edentes & bibentes.* Quæ verba emphasin habent, id est, toti id curantes. Et certè nostra humanitas has duas habet cupiditates: alterā edendi, vt seruetur indiuiduum, alteram nubēdi, vt seruetur species. Si igitur qui toti se huic curæ (quā Dominus inseuit nostræ naturæ) subiecerunt, damnantur: quantò potius damnabuntur, qui se totos dederunt superbiæ, auaritię, & alijs quæ non
Matth. 13. Deus, sed diabolus zizania dispersit.

His verbis voluit Dominus admonere, quòd prius iam
Matt. 6. admonuerat: scilicet ne soliciti simus animæ, quid manducet, &c. sed quæreremus prius regnum Dei, & reliqua omnia essent nobis ad manum futura. Neve grauarentur corda no-
Luc. 21. stra, crapula, & ebrietate: sed diei iudicatoriæ incertitudo, præmiorum, & pœnarum infinitas animos nostros haberet erectos, atq; suspensos in cœlestia desideria. Præcipit id Paulus dicens: Reliquum est, vt qui habēt vxores, tanquam non
1. Cor. 7. habentes sint, & qui flent, tanquam non flētes, & qui emūt, tanquam non possidentes, & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur: præterit enim figura huius mundi. Et,
Eodem. volo vos sine solicitudine terrena esse: sed infinitatis illius curam habere. Quod si præstaremus: quadraret in nos illud Apostoli: Vos non estis in tenebris: vt dies ille vos sicut fur
1. Thess. 5. comprehendat.

Vltimò explicandum est: Cur Dominus speciatim meminit, de molentibus in mola, de recumbentibus in lecto, de

laborantibus in agro?

Primò: His verbis circuiuit omne hominum genus: Viros, fœminas, pauperes, diuites, nobiles, seruos, vigilantes, dormientes, vrbanos, rusticos. Secundò: Hoc explicatur ex Exodo, vbi habetur: Morietur omne primogenitum in terra Ægypti: à filio Pharaonis, vsque ad primogenitum ancillæ, quæ est ad molam, id est, à summo ad imum. Sic ergo cùm assumit Deus, ex sedentibus in lecto, vsque ad molentes in mola, intelligimus eum assumere ex summis vsque ad imos. Exod. 11.

Et nota, primam hoc loco haberi rationem eorum qui in agris sunt: quia rusticationem creauit altissimus. Postea primus ciuitatum structor fuit Cain. Vltima verò ratio habetur de otiosis. Eccles. 7. Genes. 4.

Nota etiam: *Vnus assumetur, & vnus relinquetur.* O vtinam media pars hominum saluetur: optandum illud esset. Et non tantopere formidaremus tremendum illud, quod ex quatuor seminis partibus, sola quarta profecit. Vigilandum ergo nobis erit, si ex duobus vnus est relinquendus. *Assumetur*, inquit, *& relinquetur*. tacetur interim quò assumetur, & vbi relinquetur: neutrum enim humanus animus capere poterat. Matt. 13.

Si sciret Paterfamiliàs, qua hora fur veniret. Hoc loco, nomine furis, nō diabolus, neq; aliquis alius: sed solus Christus significatur. Id ita esse ipse contextus arguit, qui sic habet: *Si sciret Paterfamiliàs, qua hora fur veniret vigilaret, ita & vos vigilate: quia nescitis, qua hora filius hominis veniet*. Manifestè se comparat furi. Idem in Apocal. 3. Si nō vigilaueris, veniam ad te, sicut fur. quod repetitur Apocal. 16.

Cur verò Dominus sic se nominauerit, nō est facilè dictu: sed, prima ratio sit, quia malis hominibus non de die, sed noctu veniet, (vt fures solent) Pijs non venit Christus vt fur. Nam iuxta Apostolum. Vos non estis in tenebris: vt dies illa tanquam fur vos comprehendat. At quia mali in tenebris sunt peccatorum: Christum vt furem, sentient, de quo dictum est, quòd cùm peruerso peruersus eris. Videbitur igitur impijs peruersus Christus. 1. Thess. 5. Psal. 17.

Secundò: Et sicut fur nō expectat, vt furetur: quo tempore vigilantior est Paterfamiliàs, sed quando est somnicolosior: ita Christus non abducet ex vita impium, cùm aptior ille cœlo est: sed aliquando cùm est ineptior: & inferno habilior. Falluntur ergo, qui credunt: tunc Christum homines

vocate, cum sunt illi meliores, imò si impij sunt, aliquando
*Matth.*27. vocantur, quando peiores sunt, vt Iudas apertè monstrauit.

Tertia: quia fur non venit, nisi vt furetur, & mactet, & perdat. Ita Christus contra impios venit: vt eos donis quæ habent spoliet, occidatque: ea morte de qua dicitur: cum timete, qui animam mittere potest in gehēnam. Neque tam erit Christo impium, expoliasse, & mactasse: nisi & eum omnino perdat: vt bonum ei esset, si natus non fuisset. O miserum, is qui in furem hunc incidit: non solum expoliatur, nec semiuiuus relinquitur, sed ita mactatur, ac si nihil vitæ haberet: & id quod habet melius esset, si non habuisset. Iure flebat Ieremias dicens Factus est mihi quasi inimicus, & quasi hostis. At misero qui spoliatur, nō fit Dominus, quasi hostis: sed fit acerrimus hostis. non quasi inimicus: sed fit acerbissimus inimicus, vt verè Propheta dixerit: Vrsus insidiās factus est mihi, leo in absconditis. Ergo cum aufert Dominus à viro pio temporalia bona, fur fortè dici potest: sed fur est meridianus, non nocet, aut parum nocet, sed væh cum ab impio bona abstulerit æterna, fur tunc est nocturnus.

Ioan. 10. *Matth* 10. *Matt.* 26. *Luc.* 10. *Thren.* 2. *Thren.* 3.

Dices, Si fur est, quid furatur? Certè, quicquid bonum tibi esse potest: relinquens quicquid noxium esse potest.

Non lineret perfodi domum suam. Num potest homo diuinæ resistere voluntati? Si ille vult domum fodere, quis homo est, vt non sinat? Ad hoc primum respondeo: Quod viri sanguinum, & dolosi non dimidiant dies suos. quod Ezechias dolebat dicens: Dixi in dimidio dierum meorum, Vadam ad portas inferri, id est, ex impijs esse videbar, quorum Deus dies dimidiat. Cum ergo peccator, à peccatis suis cessat: tunc nō sinit quod Deus illi dies dimidiet. Neque ergo sinit, quod sui corporis domum perfodiat, iubet igitur Dominus, vt vel certè à peccatis cessemus: sicque non sinamus, vt domus nostras ille perfodiat.

Rom. 9. *Psalm.* 54. *Isaiæ* 38.

2.Cor. 5. Secunda responsio est: Apostolus dicit: Licet terrena hæc habitatio corrumpatur, illa tamen quæ in cœlis est, non manufacta, in æternum est duratura: hæc verò habitatio cœlestis cùm nos peccamus, destruitur. Deus enim illam perfodit, quàm nostra merita prius construxerant. Iubet ergo Dominus vigilare: nec cōmittere, vt perfodiat Deus cœlestem illā mansionem: quam à baptismo in cœlis cœpimus ædificare.

Tertia responsio est: Anima quæ vigilat, quæque diligit aduentum Domini cum Paulo: statim vt ad mortem peruenit,

sic vo-

se vocari, & Christum pulsare intelligit, confestim illi aperit: Cupiens dissolui & esse cum Christo: cupiensque transire in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domū Dei. Non ergo sinit se perfodi: quæ venienti statim aperit. Porrò peccatrix anima, quæ adulterum, id est, peccatum habet in lecto, id est, conscientia: cum mortem pulsantem, & Christum sentit venientem, voluntatis ostium occludit. Neque enim vult mori. At Deus languore corpus perforante, animam è domo educit. Sinit igitur peccator corpus perfodi, nolens Christo voluntatis portas aperire. 2. Tim. 4. Apoc. 3. Philip. 1. Psal. 41.

Quarto: Cauti viri, cum mensis Martius adest, ipsi sibi venas secant, sanguinem minuunt: malos humores potionibus euacuant: atque ita non sinunt medicum, venas corporis scindere aut aperire. Contra verum se indulgentiores, corruptos in corpore fouēt humores, atque ita medicis corpora sua perfodienda concedunt. Ita planè pij homines carnem mortificant, vt ita eam effodiendi occasionem nō præbeāt. Sed Christianos negligentes perforat Dominus. Aliquando sicut medicus, vt sanet: in morte verò, sicut hostis, vt perdat. Vigilate itaque, ne vos Dominus sicut hostis perfodiat. Rom. 8.

Quinto: Qui domum habet egregiè ædificatam, murisque fortibus cinctam, nihil furem, aut hostem timet. Porrò cui domus est exesa, & debilis: is vigilet, curetque, vt si quis in pariete infirmior est locus, is instauretur & reparetur. Alioqui ansam furi dederit (si locum nouerit) vt fodiat & furetur. Ita planè si virtutibus plenus, morbusque integer fueris, minime sines animam tuam diuinæ vltionis gladio feriri: At si maculam dedisti in gloriam tuam, si culpam admisisti: lethalem: Christus veniens in morte, per illam culpæ rimam, intrat: vt te expoliet. Egregiè Isaias: inter reliquas felicitates, quas viro pio promittit, vnam illam dicit: Vocaberis (inquit,) ædificator sepium: quod Hebræis sonat, vocaberis reparator ruinarum: indicans pij hominis vigilantiam, qui in id vigilet semper: vt nulla suæ conscientiæ pars ruinas habeat: quas non reparare contendat. Ecclesi. 47. Isaiæ 58.

Sextò. ô Christiane, si intra Christū es, si te in petra abscōdis, non sinis te perfodi. Objicis Christum tibi murum, & antemurale: ne timeas, iam pro te Christus in Cruce perfossus est, fecit tui esto, nō veniet ad te calix. At si extra Christū es, te para. Angelus venit percutiens: percutiet te, percutiet primogenitū tuum nisi te Christi sanguine linitum viderit. Exod. 33. Isaiæ 26. Thren. 4. Exod. 12.

Septima respōsio: Peccasti & langues: vult Dominus tunc rumpere parietem corporis tui: antequàm id fiat, tu illi obijce lachrymas, gemitus, & pœnitentiam, hac ratione sines quidem perfodi domum, sed patri, non furi, amico, nō hosti, illi, qui ad te ditandum, non expoliandum venit.

Ideo & vos estote parati. Qua ratione parabimur, egregiè explicauit Lucas. Sint lumbi vestri præcincti, & candelæ ardentes in manibus vestris. Tria igitur exigit Dominus: castitatem in lumbis, misericordiæ oleum in vasis, charitatis cœlestem lucem in operibus. Castitas mortificat carnem. Misericordia exornat animam. Sed lux charitatis illustrat vtrumque. Amor igitur Dei, amor proximi, & carnis castigatio paratum hominem reddit. Et id fortasse est, quod infrà requirit Dominus ab ijs, quos in cœlum subuecturus est. Videlicet, vt virgines sint, lampades habeant, cum oleo accensas. In virginitate, castimoniam intellige. In oelo, misericordiæ opera. In luce, gratiam. Et sanè res digna consideratione, cur adeò amet Dominus corporis castigationem. Dicit enim Ieremias: Postquam conuertisti me, percussi femur meum, videlicet, quia castigabat se, abstinendo etiam ab iis, quæ coniugati sibi concedunt. Quod fortasse significabat, quod post luctam Iacob cum Angelo, emarcuit femur. Vt enim nobis cum Angelo luctatum est, incipimus confestim, naturali quadam inclinatione carnem affligere. Profectò, quia Angelus hic cum quo luctamur, habet gladium, sed super femur: ideo percutit femur antagonistę. Memento Patriarcharum: videbis eos suam carnem cohibuisse. Iob fœdus cum oculis pangit, ne virginem videat. Abraham vix acquiescit Saræ roganti, vt cum Agar congrediatur. Isaac, vna Rebecca contentus viuit Qui verò ex maioribus illis, paulò fuerunt in libidinem effrænatiores, pœnam culpæ suę, non exiguam retulerunt. Satis id Samson, Dauid, & Salomon, ostenderūt.

Quis putas est fidelis. Refert Lucas, postquam Dominus præcedentia verba dixisset Petrum, à Domino quæsisse: Ad nos dicis hæc, an ad omnes? Tunc Dominus cùm docuisset, quæ ad salutem generalem erāt necessaria: videlicet lumbos habere præcinctos, & lucernas in manibus ardentes: subintulit, quæ prælatis essent necessaria. Dicit ergo: *Quis putas est fidelis seruus, &c*. Vbi primum verbum est, *Fidelis*: equidem, cùm Petrus Christum Filium Dei confessus est, se fidelem exhibuit. Qua causa Dominus ei prælationis promisit digni-

Margin notes: Lucæ 12. | Matt. 25. | Eodem. | Ierem. 31. | Gen. 32. | Psal. 44. | Iob 31. | Genes. 16. | Gen. 24. | Lucæ 22. | Matt. 16.

dignitatem. Et licet promissionem, Dominus Petro non impleuerit, nisi ter interrogato, an Christum amaret: atqui hoc loco nulla de amore mentio est, sed solum de fidelitate. Vt taceant heretici, qui dicebant, statim non esse prælatum, qui amare desierit. Ioan. vlt.

Secundum verbum est: *Seruus*. vbi multa egregia sunt. Primùm, est humilitas. Seruus es: non dominus. teipsum agnosce. Secundò: Inter Christianos, nomen serui, dignitatis est nomen. Paulus epithetum illud, nunquam non vsurpat, dicens: Paulus seruus IESV Christi. Et quid mirum, si Paulus id sibi asserat, cùm Dominus dicat: Non veni ministrari, sed ministrare. Tertio, aduertat Prælatus, eo nomine non solum, seruum Dei & Christi se fateri: sed eorum etiam, quibus prælatus est. An non id satis esset: vt prælatus in suo contineretur officio? Rom. 1. Matt. 20.

Verbum tertium est: *Prudens*. de quo diximus suprà, cùm de serpentum prudentia ageremus.

Quartum verbū est: *Quem constituit Dominus*. Facessat iam Luther, dicens: Pontifices nō esse superiores iure diuino: sed solo hominum delectu sublectos. Mentitur. Imò constituit Dominus super familiam suam. Sed heus, tu attende: familia hæc, Domini familia est, filiorum Dei, hæredum cœli: quam si recte alueris, tanta dignitate dignos effeceris: sin minus, heu in infernum, è tanto rerum protrudes fastigio. Vide obsecro, quid sit prælatum esse familię Dei. Principum pedagogum: filiorum Dei magistrum. O, rem omnium summam. Rom. 8.

Quintum verbum est: *Vt det illis cibum in tempore*. Vbi video sanctos Doctores cōsentienter locum exponere de predicatione. Ego verò, vt ita esse, sed non maximum id esse credo. Cibus enim Christianorum caro Christi est, dicente ipso: Caro mea verè est cibus. Igitur munus prælati est: dignam reddere Dei familiam cibo diuino. Ad quam functionem, cùm sit necessaria verbi prædicatio, ea Prælatis incumbit. Quid igitur Episcopi contenti sunt, vicarios causidicos habere, qui lites tantum definiant. Minime hoc prælati officium est: aut certè officium minimū est. Pastor pascere gregem habet: minimum eius munus fuerit, si oues contendere contigerit, baculo eas auellere. Pascere igitur est proprium munus pastoris. Audi Ezechielem de pastorali munere loquentem: Inducam eas (Pastor verus loquitur) in terram suam, pascā eas, in montibus Israel, in riuis, & in cunctis sedibus Ezec. 34.

bus terræ: in pascuis vberrimis, in montibus excelsis erunt eorum pascua: ibi requiescent in herbis virentibus. Et in pascuis pinguibus pascentur, super montes Israël. Parabolicè hæc omnia dicta sunt: quin vno verbo audi: Prælatus es, & pastor, da hominibus Deum in cibum, fac eos Deum suum gustare, Deo ali, Deo pasci. Hoc erit dare tritici mensuram. Deum nosse, amare, & gustare, & videre, quàm suauis est. Ea sunt demum pascua vberrima: herbæ virentes: montes excelsi, riui lucentes: Tu gusta, & me non senties esse mentitum. Hinc igitur habes, quod si pastorum officium, quod ex eorum dissuetudine pene in obliuionem abijt. Prædica, lege, castiga, obsecra, increpa, ô pastor. At hæc omnia eò dirige, vt familia tua carnem Christi sumat in Eucharistia: Deumque & eius saporem gustet in anima. Nec te credas, tuo munere functum, nisi hoc egregiè peregeris.

Psal. 33.

2. Tim. 4.

Ioan. 6.

Porrò quod dicit: *Vt det illis cibũ in tempore*, elegantissimũ est. Det Prælatus Deum hominibus in tempore. vt Deus se illis det, in æternitate. Det pastor in tempore, ne illo careat in inferno. Det pastor in tempore, cuique oui: illud de Deo insinuãs, quod illi sit pro tempore necessarium. Det in tempore, quando eo cibo anima idonea est.

1. Cor. 11.

Beatus ille seruus, quem inuenerit ita facientem. Non dixit: quem inuenerit ita fecisse. Sed quid sibi vult quod sequitur: *Amen dico vobis?* (ne sine iuramento res tanta dici videatur) *super omnia bona sua constituet eum.* Num prædicator, qui prælatus est, erit super omnes Angelorum ordines? Num in cœlo erunt Prælati super omnes Martyres? Num facient chorum ipsi soli, sicut fecit virgo beata? Quid est super omnia bona constituet eum? Primò quidem in hac vita, dum Prælatus bonus munere suo dignè fungitur, super omnia bona, id est, super omnia dona Domini constituitur. Nam & Corinthios laudat Paulus, quòd in omnibus diuites facti essent: Nec illis quicquam deesset, in vlla gratia. Et 1 Corint. 3. dicit: Siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura: omnia vestra sunt, vos Christi, Christus Dei. Sed speciatim Prelati habent Deum, velut sibi obedientem. Sicut de Iosue dicitur, quòd eo iubente, obediuit Dominus voci hominis: habent item donum, (si necesse foret,) faciendi miracula, habent donum prophetiæ, datur eis potestas calcandi supra serpentes, habẽt igitur potestatem super totam naturam,

1. Cor. 1.

Iosue 10.

Matt. 10.

Marci vlt.

naturam, adeò vt super ægros manus imponant: imò super ægros eorum vmbra cadat, & sanentur. An nō id est habere super omnia ius? Quid? In iudicio iudicabunt orbem, super ipsum constituti. Dices: Id conuenit viris Apostolicis. Fateor: sed tales vult Christus suos esse Prælatos. Demum in gloria, super omnia bona constituuntur. Vt sicut in terra status prælatorum est summus: ita & in cœlo. Nam sicut eo ipso, quòd Christus saluandi homines munus accepit, meruit sibi locum super omnem principatum, & potestatem: ita & Prælati, qui functionem saluandi homines habent, constituuntur super omnem principatum. Nec horreas vocem hanc, quòd Prælati habeant munus saluandi homines. Nam Apostolus 1. ad Corinth. 9. dicit: Omnibus omnia factus sum: vt omnes facerem saluos. Et ad Roman. 11. dicitur: Si quomodo ad æmulationem prouocem carnem meam: & saluos faciam aliquos ex illis. Hoc igitur munus generandi filios Christo, nutriendi, & saluandi, nec Angelis datum, ideo super Angelos est. Et quid mirum si super omnia bona constituitur, qui de bonis suorum subiectorum, quos ipse saluauit, ita gaudet, vt de suis. Statum hic prælatorum intellige, qui Apostolicus est: licet quidam Prælati Apostolici non sint. De statu igitur Apostolorum quæ diximus, sunt intelligenda.

Act. 19.
Matt. 19.
Ephes. 1.

Si ille seruus cœperit percutere conseruos: & bibat cum ebriosis. Vbi nota quod cum Prælati mucronem alium non habeant, quo feriant: nisi excommunicationes, deberent illo gladio parcissimè ferire. Alioqui malus seruus dicitur, qui percutit conseruos. Secundò nota: quam sit damnatum in prælatis, conuiuijs & compotationibus indulgere. Sane peccatum in illis mortale est. Tertiò nota: *Partem cum infidelibus ponet*: at infideles, nullum in morte remedium nouerunt. O miseros iniquos prælatos, quibus tantam Dominus pœnam minatur, vt scilicet in morte ipsi sibi salutis remedium, velut infideles non requirant. Cur verò cum infidelibus mali collocantur prælati? Certè, quia qui domesticorum curam non habuerunt, sunt infidelibus deteriores.

1. Tim. 5.

CAPVT XXV.

Tunc simile erit regnum, &c.



PRimum hoc statuo, Parabolam hanc de iudicio extremo intelligi: adducor ad id asseuerandum. Primò, quia hæc duo capita Christus voluit de hoc iudicio insitruere. Secundò, quia si de iudicio particulari esset mentio, dixisset rex: Simile est regnum. at non dicit: Simile est: sed tunc simile erit. Tertiò, quia vsque ad iudicium vltimum nó dormierunt omnes virgines. Quarto, quia clamor mediæ noctis, & ianuæ clausura non aptantur nisi finali iudicio.

Secúdò, Et hoc statuo: Per virgines, solos hic fideles intelligi: imò verò forsan solos Christianos: hîc enim Dominus, more propheticis trito, loquutus est. Illi verò suam Iudæam virginem appellitabant, vt Isaiæ 4. Reg. 19. Subsannauit te virgo filia Sion, & Isaiæ 47. Sede in puluere virgo filia Sion. & Ierem. 18. Quis audiuit talia horribilia nimis: quæ fecit virgo Israël, & cap. 31. Rursum ædificabo te, & ædificaberis virgo Israël. Sic igitur Dominus suã Christianitatem, suos, scilicet Christianos vocauit virgines. Idque multis rationi-
Matt. 16. bus. Prior est, Virgo dicitur ea vrbs quæ nunquã expugnata
Matth. 7. est: At contra Christianitatẽ, non præualebunt portæ inferi. Impugnari potest, & ventis agitari: sed excitabitur qui in ea
Matth. 8. dormit Christus: ne naufragium patiatur. Altera est, quia ceterorum coniugium polluit fœminas: at amplexus Dei non conspurcat, sed sanctificat animam. Ideo Ierem. 3. dicitur: Tu fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, voca me: Pater meus, dux virginitatis meæ tu es. Vt enim Deus est ipsa puritas: ita cui coniungitur, purum facit: vnde & meritò Zach. 9 dicitur: Quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines? Eucharistia enim vbi Christus est, & animæ copulatur, virgines germinat. Igitur sicut monachorum professio dicitur hominum perfectorũ, licet sint multi imperfecti: ita & Christiana professio, est professio mente virginum, nescientium pec-
1. Ioan. 3. care: licet multi peccent. Dictum enim est, quòd vbi semen Dei est, peccatum non est.

Tertia ratio, quia cum omnis alia lex, immunditiam carnis pro mundicia teneat: sola vita Christiana est, quæ carni

frænum adhibuit: & in ipsis etiā coniugatis puritas est. Vnus enim vnam agnoscit solùm: rursumque à coniunctione se segregant pij, vt orationi vacent. Igitur si vitam Christianam sectis alijs conferas, virginem inuenies. reliquas videbis prostitutas. *1. Cor. 7.*

Quarta ratio, quia cœlum virgineum est. Nihil enim inquinatum eò intrat, vt còstuprare illud possit. ita & Ecclesia cœlum est, aut certè regnum cœlorum. Ex se igitur ex virginibus est, sicut & eadem Ecclesia regale sacerdotium est: ita & virgineum consortium. *Apoc. 28.* *Matth. 13.* *1. Petri 2.*

Quinta ratio. Deus cùm te sibi seruum facit, hoc vnicum instituit, vt virginē te à peccatis habeat, vt procul te ab amplexibus dæmonis submoueat, Horsum sunt sacramēta Ecclesiæ instituta. Horsum Christi sanguis effusus. Horsum & ipse mortuus est, vt videlicet mundaret sibi populum acceptabilem, sine macula, sine ruga. Igitur, cùm Christianum te profiteris, noueris te virginitatem mentis professum, & à te eam virginitatē Deū exigere, & quòd omnia quæ in Ecclesia sunt, ad illam te inuitant, & vrgent. Nec te tamen prætereat: quòd si virginem castam animam tuam exhibes Christo, exhibes sanè ad fœlix, & faustissimum matrimonium, fœlicissimas nuptias: quibus tu possideas, quę illius sunt. Quis ad hęc non exclamet, & Dei munificentiam, & nostram stupiditatem. Cæsaris vxor es ò anima, quid Cæsaris? imò Dei ipsius. Quódnam maius miraculum? *Ephes. 1.* *1. Cor. 11.*

Sexta ratio est: vt hac similitudine indicaret, tum ingenium tum amorē, quem à nobis Dominus exposcat. Illum videlicet amorem, eam solicitudinem, & anxietatem, atque desiderium, erga sponsum videndum, quem habet sponsa, pudica virgo: cum nobili regi desponsata est, & ille quotidie dicit se citò venturum.

Requires forsan, cur Christianæ animæ dicantur 10. virgines, non vero 20. aut alio quouis numero? & quidem cùm requireret Abraham à Deo minimum numerum fidelium, quorum gratia Sodomitis parceret. Responsum est, quòd propter decem parceret. Christiani sunt planè, quorum gratia toti mundo parcitur. Alioqui totus mundus Deum ad iracundiā omnino prouocat. Hac igitur ratione sunt Christiani, illi 10. Secundò: quia in Psalterio dicitur: Deo canendum in decachordo Psalterio. & rursum: In Psalterio decem chordarū. Cùm igitur in sola vita Christiana Deo canatur: *Genes. 18.* *Deut. 12.* *Psal. 32.*

sit vt

fit vt vita Christiana sit decachordum. & ita Christiani sunt 10. Tertiò: Habetur, Amos c. 5. Vrbs de qua egrediebantur mille: egredientur ex ea 100. Et de qua egrediebantur 100. relinquentur in ea 10. in domo Israel. Vrbs in qua magnus est hominum numerus, mūdus est. Ex quo in Christianitate relinquuntur pauci, id est, 100. Ex quibus qui ad sanctimoniam vocantur (vt statim dicam) decem relinquuntur. ex quibus postea præmio afficiendi tantum sunt quinque. vide hominū miseriam. Quartò: Christiani sunt, qui ad denarium
Matt. 20. æternæ beatitudinis vocantur: si legitime in vinea foderint. Vocati igitur ad denarium, decem ex fine vocatur. Quintò: Christiani vocantur ad implendas ruinas, ex nouem Ange-
Psal. 109. lorum choris, & ad constituendū chorum Angelis superiorem (nam beata Virgo Chorum per se facit) vocātur igitur ad decem choros. Et ideo decem dicuntur. Sextò. Denarius est numerus perfectionis, id est, vltra quem non ascenditur. Nulla enim natio habet numerum vltra denariū: sed statim dicimus vltra 10. sunt 10. & vnum, aut 10. & duo. Intellige igitur professionem Christianam esse, vltra quam, nihil aliud expectes. Lex naturę expectabat legē veterem: hęc nouam: noua non habet ascensum, nisi in cœlum. Vnde Græci denarium, vocant, decada. quasi dechada, id est, continentem & suscipientem omnem numerum: ita Christianitas omnem numerum virtutū continet: quem Deus in Baptismo, cuius Christiano infundit. Et nota Hebræis esse vocem, ASAR, cuius literæ mediæ, punctum capitale læuum, significat decem: si verò ad dextram punctum addas, significat beatum & diuitem. Significatur igitur nihil interesse, inter Christianum & beatum, id est, inter decem & diuitias, seu gloriam: nisi solam collocationem in dextera agni, nam dextri beati
Matt. 25. sunt. O, igitur Christiane, nunc ex denarijs es: contende curam tuam ad dextram reuocare vt beatus efficiaris.

Iam vehemēter torquet, quid sibi velit, quod hæ virgines acceperunt lampadas suas? & quidē difficile est nosse quodnam vas sit: quod oleum, quod etiam lumen: sunt enim hæc tria in lampade lucēte. Arbitror vas esse, quemuis nostrum.
Gen. 49. Certè Iacob cùm moreretur dicit de Leui, & Simeon, quod
Iudic. 7. essent vasa iniquitatis, id est, homines iniqui. Et cùm Gedeō vasis fractis vicit, significabat, quòd cum quis vas sepius frāgit, & mortificat (si lumē interius est) tunc vincit Ephraimnè cùm terrena respicimus, os vasis ad terram vertimus. At cùm

cùm noſcimus temporalium vilitatem, & cœleſtia cupere incipimus, os vaſis ad ſupera reuocamus. Sed interim oleum non eſt neque lumen. Oleum, nihil aliud eſt, quàm viſcera miſericordiæ: opera pietatis in proximos. Si igitur pertæſus temporalium, meliora concupiſcis, vas ad cœlum erectum eſt. Si pius es, & miſericors ex animo, oleum vaſi indidiſti. Sed necdum lumen eſt. Quod igitur eſt lumen hoc? num fides? num charitas in Deum? Ego arbitror eſſe charitatem, & lucem quandam: quam Deus cui vult tribuit, cognitionem, ſcilicet viuam, efficacem Dei, quà animus videt ſe, Deum, religionem, mundum, infernum, peccata, quæ non viderat prius, etiam ſi doctiſſimus, & ſapientiſſimus eſſet. Dicit Apoſtolus cũ Iſaia. Surge, illuminare: ſurge à mortuis. & illuminabit te Chriſtus. O tu, qui tibi viuere videbaris: erige te, erige vas tuum, vt Deus te illuminet. Et 2. ad Corint. 4. Deus qui dixit de tenebris lumen ſplendeſcere: ipſe illuxit in cordibus noſtris: per quod clariſſima reddita eſt ſcientia Chriſti: habemus porrò lumen hoc in nobis, vaſis fictilibus, (imò verò vitreis, quæ ad cuiuſuis tactum confringuntur.)

Iſaiæ 60. *Ephes. 5.*

Habes ne, ô Lector nos eſſe vaſa fictilia: ſumus igitur lampadum vaſa, in quibus lumen habemus, non dico lumen fidei: habent enim & peccatores habitum fidei. Solùm mihi ſermo eſt de luce, & claritate ſpeciali, quam Dominus communicat quibus vult. De qua claritate dicit Apoſtolus. Nos autem reuelata facie, gloriam Domini, velut in ſpeculo recipientes: in eandam imaginem, & eandem Chriſti gloriam transformamur. At infideles, & hi qui pereunt, opertam habent faciem: ſic enim inquit Apoſtolus: Euangelium noſtrũ, in iis qui pereunt opertum eſt. Qui verò vocati ſunt ad pietatem, ſicut Paulus, circumfulſi radio diuini ſplendoris, norunt, quod ſit hoc lumen. De quo meritiſſimè Dominus dicebat: Vide ne lumen quod in te eſt tenebræ ſint. quaſi dicat, Vide ne te lumen habere putes: nec habeas tamen.

2. Cor. 3. *2. Cor. 4.* *Actor. 6.* *Luc. 11.*

Iam meum expende: hoc lumen accenſum, & quadantenus viuum duraſſe, & in fatuis, & in prudentibus, vſque ad clamorem ſponſi, media nocte venientis. Nam fatuæ non dixerunt: Accendite lampades noſtras: ſed date de oleo: quia lampades noſtræ propè extinguuntur. Tunc igitur viuæ adhuc erant. Fingitur, vt fatuitas fatuarum, non hæc fuerit, quòd lumen haberent extinctum: ſed quia non ſecum ſum-

pserunt oleum, non in lampade, sed in lecytho, seu gutto. Prudentes verò, in gutto seruarunt oleum: quo lumen fouerent, si languere contingeret.

Ex qua consideratione multa notanda se offerũt. Primum est, accipiunt omnes virgines lampades suas. Igitur si vasa sumus nos, quiuis se accipit. Certe Dei sumus: sed ille relinquit
Ecclef. 15. nos in manu consilij nostri: & perinde permittit agere: ac si non sui, sed nostri iuris essemus. Alioqui quomodo tot regnarent peccata? Secundum est: Licet nos nobis relinquat: ea tamen ratione relinquit, vt lampades simus, & luceamus:
Philip. 2. sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continetes, vt Paulus dicit. Tertium est: Nos nobis Deus donat, vt lampades simus: & cum eis accensis exeamus obuiam sponso. Tota igitur, viri Christiani vita est, expectatio venientis sponsi: & exitus quidam à se ad sponsum: imò exitus est ab hoc mũdo, ab hac vita ad cœlestem patriam. Est igitur vir Christianus
Tobiæ 11. Anna illa, Tobiæ iunioris mater: quotidie ad montes per-
Tobiæ 10. gens, expectans si veniret filius, in quo vno illa dicebat, se omnia habere, illa igitur quotidiè exibat, & nos debemus
Lucæ 12. quotidiè expectare: dicit enim nos similes hominibus expectantibus Dominum suum. Quartum, Miseria nostra est quę nos dormire facit, & negligere, ex quo tardat Dominus: itaque nemo est, qui non dormitet, & aliquando dormiat, ab ea, scilicet instantia, & feruore, quà prius incepit declinans.

Hactenus hæc omnia conueniunt virginibus, id est, Christianis, qui propè diem iudicij erunt, & nobis etiam, qui longè ab eo esse videmur, reliquarijs solum conueniunt, quos dies ille vltimus viuos inueniet. Ex quibus cum alii pij futuri sint, & misericordiæ cultores. reliqui, quamuis à Deo vocati & illuminati: operum piorum erunt desertores: prudentes illi, fatuæ hi, erunt virgines. Reperiuntur ergo & hi, & illi in vltimo orbis die. Repentè omnibus obscuratur sol, amittit suum luna lumen: cadunt stellæ, media nox fit. En tibi Christi crux, omnia illuminans. Intelligunt omnes sponsum venire, excitantur à torpore, & neglegentia priori. Intelligũt se statim iudicandos. Quiuis conscientiam suam excutit. Pij memores sunt operum suorum, quibus pauerũt inopes,
Matt. 25. quibus vestierũt nudos, &c. His operibus velut refocillantur, confidunt, lumen illud (quod prius acceperant) quo Deum agnoscebant, velut somẽto adhibito, exhilarant. At contrà qui

qui hæc neglexerunt opera, cùm se lumen videant accepisse, nec tamen pia opera fecisse, grauissimè dolent: eò potissimū, quia lumen habent, sed prope extinctum habent. Accurrunt ad pios reliquos (erunt enim omnes tunc simul commisti: egressi videlicet ad crucis spectaculum,) petunt vt orent pro eis sponsum venientem, illi vix responsum dare volunt. Id tamen dicūt. Quid à nobis nunc ista quæritis? Non sat temporis habemus, vt pro nobis oremus, vt nos sponso, imò & iudici venienti appareamus. Properate ad Prælatos Ecclesiæ, ad Confessores: illi exhibēt gratiam Dei, suamq; pro hominibus intercessionem. Festinant miseri ad Prælatos sicubi inueniāt, ad Confessores: hos dum quærūt, ecce exit sponsus (ante quem ignis omnia consumen-) quo puncto moriūtur illi, & hi. Resurgunt illi, & hi. Optant fatui, ad Dominum ire. Dicunt enim: Domine quando te vidimus esurientem? Vt ergo iudicem dicunt Dominum: ita & ab eo admitti cupiūt, sed frustra. hæc videtur germana huius parabolæ intelligentia, quia nihil torquet in ea, nihil absurdi concedit, sed planè omnia declarat. *Matt. 25.*

Dices: Quid igitur ad nos (si hæc parabola de his qui proximi iudicio erunt) est intelligenda? Respondet Dominus, Vigilate, nescitis enim an vos futuri sitis illi, quos extrema mundi dies reperiet. Igitur tria tempora distingue. Primus ante diem rerum extremum. Secundus est, extremus ille dies. Tertius, est post aduentum iudicis, post raptos in aëra pios, post eos, ad gloriam & corporum, & animarum admissos: dum tamen in aëre sunt cum iudice.

In primo tempore accipiunt omnes virgines lampades suas, exeunt obuiam, dormiunt. In secundo tempore clamor sponsi venientis fit, id est, obscuratur sol, apparet crux, anguntur excitatę virgines, parant se orationibus: sed maximè operibus antea factis: petunt fatuæ oleum, mittuntur ad Confessarios, illæ eunt, & fortasse ibunt daturæ eleemosynas, (vt Chrysostomus annotauit.) In tertio tempore venit sponsus, rapiuntur in aëra pij, clauditur ingressus impijs. Clamant isti. Aperi nobis. At sponso nesciuntur. Distingue igitur tempora: & intelligentia sana, & plana patebit toti parabolæ.

Redeamus nunc, vt racemationem faciamus, ex vbere hac vinea, eò præsertim, quia quæ in die iudicij contingent, similia ijs sunt, quæ in cuiuluis morte accidere solēt. Primò,

Simile est regnum cœlorum, decem virginibus: Igitur regnum Christianorum est regnũ virginum, id est, eorum in quibus est castitas, pudor, pulchritudo. Eorum etiam qui ab oculis multorum, à frequentia & publico abstinẽt. Eorum demum qui ita pudorem zelantur, ac si diues esset thesaurus. Et planè
Lucæ 20. regnum Christianorum, regnum cœlorum est: at in cœlis sunt, sicut angeli Dei: ita Christiani in terra sunt (aut esse debent) virgines in omnibus, sicut angeli Dei. Quòd si nubendum
Hebr. 13. est: sit thorus immaculatus.

Secundò, Porrò Christiani nunc dicuntur decem, quia sicut denarius omnes numeros claudit: ita & Christiana Ecclesia omnes etiam claudit, professione quidem virgines, licet reuera habeant animas adulteras. O igitur, si Ecclesia nunc, tantum contineret bonos: non item malos. O si non
Matt. 13. esset sagena ex omni genere piscium. O si campus non esset,
Matt. 13. in quo sunt tribuli, spinæ, & lapides.

Tertiò, *Quæ accipientes lampades*. Igitur tempus illud, noctis tempus erat: alioqui non fuisset necesse accipere lampades, vt occurrerẽt sponso. Tempus ergo vitæ nostræ noctis tempus est, & tenebrarũ. Dies est, si tempus gratiæ, tempori legis conferas. At nox est, si idem gratiæ tempus, æternitati
Rom. 13 beatitudinis compares. Si igitur nox est, sumenda tibi est lampas, quâ videas: alioqui in via hac multa sunt præcipitia, tibi summopere cauenda.

Quartò, Iam si virgines hæ acceperunt lampades, & exierunt obuiam sponso: igitur è peccatis suis exierunt: id enim est, *exierunt obuiam*. Planè cùm Deus per gratiam suam illuminat peccatorem: ideo illuminat, vt exeat à peccatis, exeat à se, exeat à mundo, exeat ab omni creatura, & soli sponso se iungat. O mirabilem illuminationis, lampadisque virtutem ardentis! ideo illuminat, vt reliqua videantur obscura, videantur plena periculis, videantur noxia, aut certè indigna quę amentur, solus verò Christus sit, in quẽ totum, & oculi, & cor sint conijcienda. Vis igitur videre si illuminaris: vide si te lumen agit, mouet, & vrget, vt soli sponso occurras, iungaris, & vniaris.

Quintò. Ex qua aduersione intelligis parabolam hac non de his intelligi, qui semper in peccato mortali iacuerunt, qui nunquam ex se, ex mundo exierunt: qui nũquam sponsi, aut desponsationis cum anima, sensum experti sunt. Quo terror grãdis incutitur: videmus enim horum vocatorũ, & illuminatorum

natorum tantam perijsse multitudinem: quinque enim periérunt ex decem. Quàm igitur sanctè, Paulus ad Hebræos scribit, vt licet illuminati fuerint, ne collectionem suam deserant, vtque patientiam habeant. Hebr. 12.

Sextò, Porrò, cùm dicitur, *Exierunt obuiam sponso.* docemur in quo consistat vita Christiana. Videlicet: si exeamus occurrentes sponso. Quod Apostolus ad Hebræ. 13. docuit: Extra portam Christus passus est. Exeamus igitur ad illum, extra castra, improperium eius portantes: non enim habemus hic ciuitatem manentem, sed futuram inquirimus. Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo. Beneficentiæ autem, & communicationis nolite obliuisci. Quibus verbis totius parabolæ sensum cōplexus est: nā cùm dixit: Exeamus ad eum extra castra: notauit exeundum nobis, ab vniuersis quæ vidētur: conijciendosq; esse oculos in solum sponsum. Cùm verò dicit: Improperium eius portātes: castigationem carnis nostræ indicat, quod parabola in verbo, virgines docet. Porrò cùm addit offeramus hostiam laudis, accensam lampadem coram Deo semper esse voluit. Demum cùm adijcit. Nolite obliuisci beneficentiæ, oleum voluit recondi in gutto. Age igitur, Christus exiuit à Patre, & venit in mūdum: & postea reliquit mundum, & redijt ad Patrem: tu igitur relinque mundum, & ito vbi est Christus, in gloria Dei sedēs. Exiuit ipse seminator, vt se in te seminaret: exi tu à te, vt te in illo semines. Exiuit ille, vt gigneretur à Virgine, tu exi à te, vt ille gignatur in te. Demum exeamus à mundo, quæ retro sunt obliuiscentes, & ad anteriora, id est, ad Christum respicientes. Exeamus à terra nostra, inquirentes æternam patriam, sicut maiores nostri exierunt, quærentes æternam hæreditatem, à longè eam aspicientes & salutantes. Ioan. 16. Coloss. 3. Matt. 13. Matt. 12. Philip. 3. Hebr. 12.

Septimò. *Exierunt igitur virgines obuiam sponso, cum accensis lampadibus.* O si tam fuissent fœlices: vt tunc clamor factus esset, & sponsus venisset. Intrassent omnes ad nuptias: quia omnes paratæ erant. O, si omnes ij, qui à Domino vocantur, per intimam illuminationem, tunc vocarentur, per animæ e carne exitum: multò essent plures in cœlo. At distulit Dominus venire, cum omnes illæ paratę erāt, expectauit vsque ad tempus, quo oleum deficeret in lampadibus fatuarum. Vbi igitur sunt fatui dicentes, eo tempore quemque mori, cùm ad cœlū est paratior: imò verò aliquando vocatur cum

non est adeò paratus, vt ex hoc loco manifestè conuincitur.

Octauò, *Quinque erant prudentes*. Id est, pars dimidia vocatorum, illuminatorũ: eorum qui exierunt fuit prudens. Sicut
Matt. 24. cap. superiori dictum est, quòd è duobus in agro, alter eligitur, prudens scilicet, alter relinquitur, videlicet fatuus. & ex duabus molẽtibus, &c. Hoc verò numero quinario dele-
Matt. 14. ctatus est Dominus: nam 5. millia pauit in deserto, & 5. pani-
Actor. 2. bus pauit, & 5. plagas habet in corpore, & denique 50. die infundit paracletum, & 50. anno olim erat magnus Iobilæus, Leuit. 25. & Num. 36. Rectè igitur 5. sunt prudentes, quæ Iobilæi remissionem assequuntur, quæ panibus 5. satiantur: quæ plagis Christi sanantur. Porrò 5. fatuæ sunt, quia contra malum, bonum est. Sic contra vitam: mors. sic contra iustum: peccator. duo contra duo, & vnum contra vnum: vt habetur Eccle. 33. vt non solùm sanctitas haberet aduersarios, eos qui peccatores sunt: sed etiam ipsos illuminatos: ipsos exeuntes obuiam: ipsas animas desponsatas. O Rex æterne, & quis saluus erit?

Nonò, *Prudentes sumpserunt oleum*. Intelligis hac vna ratione prudentes fuisse, quia sumpserunt oleum: fatuas verò miseras, non quia malæ fuerunt: virgines enim fuerunt, lumen habuerunt, obuiam exierunt, sponsum inquisierunt, sed quia non sumpserunt oleum in lecythis suis: & reuera, si lampades sumebant, si ad expectandum sumebát, necessariò oleũ sumere debuissent. At quia oleũ non dabatur gratis, sed vendebatur, infœlices virgines forsan nummorum amore, & auaritia, oleũ nõ emerũt. Porrò ipsum est hoc loco, recõdere
Ecclef. 17. oleũ in vas, quod est, peregrinaturo recõdere nũmos in sacculo. Dicitur enim Eleemosyna viri, quasi sacculus cũ ipso. Ac si diceret. quasi oleum in lecytho: quod manifestius est ex
Ecclef. 25. sequẽtibus. Dicit enim textus, Cõclude eleemosynã in corde pauperis: & hæc pro te exorabit ab omni malo. Habes quod sit oleũ, & quod sit vas vbi recũdatur. Est enim cor pauperis in quo eleemosyna recõdatur. Neque verò terrearis, non inueniẽs, quam eleemosynam in cor pauperis eroges, cùm ipse sis pauper: minimè terrearis. Si illuminatus es, si membrum Christi factus es, datum tibi aliquod donum est, & ad vtilitatem (inquit Paulus.) Datum est tibi aliquod talentum iuxta tuam virtutem. Id si exercueris, in commodum eorum
1. Cor. 12. qui tuo ministerio indigent, planè oleum seruasti in lecytho,
Matt. 25. recondisti eleemosynam in corde pauperis.

Decimò,

Decimò, *Moram faciente sponso*. Igitur licet reuera Christus inopinatò veniet, moram autem facturus est: quòd si moram facturus est, non breui venturus est. Dices, Quid igitur tantopere Dominus minatur aduentum suum, dicens: Vigilate, quia qua hora, &c. Respondeo, id certè est, quia cuique mors sua, suum iudicium est.

Vndecimò, *Dormierunt omnes*. Non videtur id intelligi posse de morte corporali. Siquidem post mortem, non sibi alloquuntur virgines. nec fatuæ petent oleum, nec prudentes remittent ad venditores: qui iam non sunt. Videtur igitur dormitatio illa, tepor, & negligentiola in cultu Domini. Dormitio verò, aut peccatum mortale est, aut integra negligentia, & obliuio rerum diuinarum. Quod si ita est: miserum est hominem esse. Si enim omnes qui Deo seruiunt, dormitant, & dormiunt: magna est humana fragilitas: quæ etiam illuminatos ad negligentiam inflectit. Rectè igitur clamat Psaltes: Cùm defecerit virtus mea ne derelinquas me. & grauiter ille dixit: Quis est homo qui non peccet? *Psalm 70.*

Duodecimò, *Media nocte, cùm dormiunt illæ, clamor fit*. At hic clamor prudentibus valuit ad gloriam: fatuis ad miseriam. Vnicus est clamor: hic omnes excitat, hic omnes facit ornare lampades. Sed hæc omnia fatuis ad damnationem profecerunt. Primum igitur si semper peccator fuisti: cum mors tibi imminet, aut non excitaris: aut si excitaris, non est tibi tēpus ornandi lampadē: aut enim subitò moreris, aut sine Dei memoria moreris. Porrò si à Deo illuminatus fuisti, & exiisti è mundo obuiā sponso: non moreris nisi excitatus, nisi dato spatio lampadem exornandi. Habent igitur hoc priuilegium virgines, quæ exierunt obuiam sponso, ne moriantur sine clamore, nisi excitatæ, nisi dato pœnitendi spatio. Sed mirabilis res, dato spatio excitatæ: quia caruerunt oleo, pereunt miseræ virgines. Nō igitur valet quòd tempore mortis paras lampadem, quòd excitaris: nisi oleum pietatis tibi reconderis. O rem omnium auribus inclamandam! Quid igitur adeò fidis in pœnitentia, quæ morti vicina est? *Eccles. 7.*

Decimotertiò, *Date nobis de oleo vestro*. Cur non accurrebant illæ miseræ, ad sponsum venientem? cur non properabant emere, antequam sponsus veniret? cur non rapiebant à prudētibus? vel certè cur non etiā sine lampadibus ibant obuiam sponso: si sine proprio lumine, at certè ad lumen alienū

prudentium, scilicet, virginũ? Ego non dubito, quin misellæ virgines ad sponsum clamassent, ad eius opem confugissent, misericordiam inuenissent. Sed prior negligentia parit eo tempore confusionem: parit de Christo desperationem. Clament igitur hoc in auribus omniũ eorum, qui proximi morti sunt: Ne conijcito oculos in oleum, quod vobis deest: in illum conijcite, qui vere lumẽ est inextinguibile, in illum, qui oleum habet exultationis. Omnis enim qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Sed quid admoneo? ipsa tẽporis angustia, ipsa luminis extinctio, ipsa olei defectio, ad Christum attollere oculos non sinit.

Ioan. 1.
Psal. 44.
Rom. 10.

Porrò prudentes virgines (licet dormitarint & dormierint: pari, scilicet, cum fatuis negligentia.) At opera pietatis habuisse, (quibus illud lumen suum, id est, Dei cognitionem foueant, & exhilarent,) illud vnicum eas facit quiescere, & securè sponsum expectare. O, quam vere dictum est: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Et eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat: & non patietur animam in tenebras ire? & rursum: eleemosyna purgat peccata & facit vitam inuenire æternam. & : ignem ardentem extinguit aqua: ita & eleemosyna resistit peccatis Eccl. 3. & demum, Deus prospector est eius, qui reddit gratiam. eius meminit in posterũ. Et in tempore casus inueniet firmamentum. quo priuilegio nescio quod sit maius. Certè intelligis: quòd etiam si cadas, surges inuento firmamento: eleemosynę, scilicet, quam fecisti. Hoc summum est eleemosynæ priuilegium. At si intelligas quòd cum casui proximus es, eleemosyna facta firmat, ne cadas: is sensus parabolæ nostræ quadrabit, in qua virgines fatuæ cadunt, quia non inuenerunt oleum misericordiæ, quod eas sursum eueheret: sed aquam negligentiæ quæ eas suffocaret. At prudentes licet aquis negligentiæ obrutæ, per oleum tamen sursum elatæ sunt, vt iam intelligas illud: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Igitur si fecisti tibi amicum Deum, & pauperes, datis eleemosynis (licet aliquando deficias) recipieris tamen cum prudentibus virginibus. Quia vt inquit Paulus: Beneficentiæ & communicationis nolite obliuisci, talibus enim hostijs promeretur Deus. Et demum: Date eleemosynam, & ecce omnia vobis munda.

Matth. 5.
Tobiæ 4.
Tobiæ 12.
Luce 16.
Hebr. 13.f.
Luce 11.

Nec tamen intelligas eleemosynam eius qui in mortali est va-

est valere. Non id dixi: Sed si eleemosynam dedisti, cùm in gratia eras, hæc orat pro te: vt etiam si aliquando, nonnihil labaris, exciteris: vt ornes lampadem, vt intres ad nuptias cum sponso. Sed infœlices virgines, quia non sumpserunt oleum, vidēt lampades extingui. Certè sicut cupiditas facit errare a fide, vt Paulus docet, ita facit extingui cognitionem Dei. At vbi cognitio Dei auferetur à damnatis, omnia dona gratuita simul ab eis auferentur. Nihilque boni, sed omne malum in eis reliquum erit. Vt nihil illis solatio, sed omnia sint eis in tormentum. vt verè dictum sit, iudicium sine misericordia fiet ei, qui non fecit misericordiam.

Vide quæ dixi Matthæi 5 super illo. Beati misericordes.
1. *Tim.* 6.
Iacobi 2.

Decimoquarto, *Ne fortè non sufficiat nobis & vobis.* Potuit hinc sibi errandi ansam Lutherus arripere, Dicens: merita Sanctorum sibi, & nō alijs potuisse prodesse, quia prudentes virgines non præbent fatuis de oleo suo: verùm clarè patet primum: quòd merita Sanctorum nulli valent, qui est in peccato mortali. Secundum: etiam alijs non valent quantum ad meritum consequendi vitam æternam: quam suis quisque meritis, non verò alienis consequi potest, (meritis Christi exceptis.) At tertium merita Sanctorum, & labores quos sufferant quando illis superfluunt ad culparum satisfactionem; quando videlicet patiuntur illi multa, peccāt vero modica, tunc communicare alijs possunt. Quod si non communicarunt prudentes virgines, id ex humilitate fecerunt: cùm crederēt nihil sibi superesse satisfactionum, pro culpis proprijs: quod tribui posset ad satisfaciendum pro alienis. Ita igitur resplēdet in sanctis misericordia, vt nunquam non se exerat humilitas, ita etiam resplendet misericordia, vt nunquam obscuretur prudentia.

Decimoquintò, Sed qui sunt illi vendentes, ad quos fatuas ire iubent? Sanè in Ecclesi. 4. sunt genera eorum, qui vendere videntur gratiam, & spiritualia auxilia. Primi sunt prælati: qui indulgentias vendere, videri possunt: si quidem eis dant ijs, qui nummos suos in aliquod opus pium erogāt. Secundi, sunt sacerdotes Confessarij: qui cùm carnalia nostra metant, spiritualia seminant. Administrant igitur gratiam sacramentorum, & Christi satisfactiones populo, qui eos alit. Tertij sunt pauperes spiritu, quorum est regnum cœlorum. & cùm sit suum, vendunt illis, qui in eos eleemosynas collocant. Nam ex Apostolo, cum sanctis pauperibus damus eleemosynam, nostra temporalium copia, eorum temporalem subleuat

1. *Cor.* 9.
Matth. 5.
2. *Cor.* 8.

ſubleuat inopiam: & eorum ſpiritualis copia noſtram ſub-
2. Cor. 8. leuat ſpiritualem inopiam. Damus igitur illis vt nobis illi
dent. Quartò loco eſt Deus qui vēdit cœlum dāti nummum:
vt Auguſtinus dixit: imò vt ipſe Dominus dixit: Dato elee-
Matt. 19. moſynam, & habebis theſaurum in cœlis. Quinto loco, mali
homines, qui pios perſequuntur, licet cœlum non habeant,
vendunt tamen ijs qui eorum perſecutiones patiūtur, ſiqui-
dem tribulatio patientiam operatur, & patiētia ſpem. Inter
Rom. 5. hos qui maximè vendunt, ſunt tertiò loco dicti. Ad hos &
reliquos, prudentes fatuas remittunt.

Decimoſextò, *Dum autem irent emere, venit ſponſus.* O, in-
fœlices virgines, ſi vel tantulum expectaſſet Dominus, re-
diſſetis cum oleo empto, & lampades fouiſſetis veſtras.
Nunc verò ante reditum veſtrum, ante moram tam exi-
guam, clauſa vobis ianua eſt: vt ſignificaretur eo temporis
ſpatio, non admodum valere opera quæ fiunt, ſed valorem
habere, quæ facta fuerunt. Quis igitur non miretur, Deum
tunc eſſe velut furem, qui fatuas adortus eſt, quo illæ abe-
rant tempore. Sed ne mirere: imò agnoſce, quàm iuſta
ratione Dominus, dum viuimus vigilare iubet: quia cùm
morimur ſera pœnitentia eſt, nec pœnitemus tunc: licet
mortis metus nos angat, amoris tamen Dei nullum tunc
veſtigium eſt.

Pſal. 103. Decimoſeptimò, *Clauſa eſt ianua.* Profectò clauſa eſt ianua
Geneſ. 23. ſponſi, aperta verò eſt iudicis.

Decimooctauò, *Neſcio vos.* Quia facies quam ille agnoſcit,
eſt exhilaranda in oleo, quo fatuæ carent. Nec enim Domi-
nus per vocem agnoſcit: niſi tangat manus & collum, vt
Iſaac fecit: & niſi lampadem accenſam videat, quam illæ
afferebant extinctam.

Sicut enim homo, &c. Quid ſit hominem patremfamilias
peregrè profectum, dixi ſupra cap. 21. Rurſum, quid ſeruum
malum mitti in tenebras exteriores: dixi ſupra cap. 22. Iam
aduerte, maximum pondus, tum Græcis, tum Latinis ſuiſſe
talentum. Quod vocabulum Latini a Græcis mutuati ſunt.
Quo conſtituto, duplex huius parabolæ obſcuræ mihi de-
claratio ſuccurrit. Prior hunc habet ſcopum: Nullum fore
hominem Chriſtianum, qui cœlo potiatur, ſi fratribus inu-
tilis ſit.

Primò, Age igitur. *Vocauit Chriſtus ſeruos ſuos.* Verè enim
nos omnes eius ſerui ſumus: & iure incarnationis: &
creatio-

creationis: ac demum redemptionis. Dictum enim est: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & populum tuum terminos terræ. Et rursum: Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Deus. Si igitur serui eius sumus: seruus verò non sibi, sed domino quærit, fit vt iure merito Christus à nobis exigat, vt datis talentis negotiemur: vt eius sint vsuræ, cuius sunt talenta, & nos etiam. Ne ergo conqueraris, quòd Christus te negotiari, & lucro incumbere iubet. Si enim liber esses, aut otio indulgeres, aut negotio tuo. At seruus es: alteri igitur labora. Sed bona spes, tua erunt & talenta & lucra, quæ Domini tui benignitas est, ideo enim ait. Psal. 2. Isaiæ 8.

Secundò, *Tradidit illis bona sua*. Nullum siquidem bonum ille habuit, cuius nos non participes efficeret Rex ille, Sacerdos, Pater, Pastor, Doctor, Lux. Et reliqua: horum omnium partem hominibus tribuit: vt nullam ille buxellam comederet: quin etiam ex ea, nos pauperes comederemus.

Hic nota bona quintuplicia esse, scilicet bona externa: vt opes, honores, amici. Secundò, sunt bona corporis, vt nobilitas, valetudo, decor. Tertiò, sunt bona animi, vt virtus, sciẽtia. Quæ omnia naturalia bona sunt. Quartò, sunt gratiæ gratis datæ, quæ recensentur à Paulo. 1. Corint. 12. Quintò, sunt gratia iustificans cum omnibus virtutibus infusis: quas Theologi infusas vocant. Hæc duo bonorum genera, supernaturalia sunt. Iob 31.

Ex his quinque generibus bonorum, tria priora, non adeò propriè dicuntur bona Christi: ipse enim asseruit, Regnum suum, non esse de hoc mũdo. Quocirca, nec opes mundi, inter bona sua dignatur, & propterea pauper dicitur Christus, & inops. Propriè igitur talẽtorum nomine, non hic temporalia bona significantur, licet ad prædicandum populo, nihil erit incommodi si talenti nomine ea nuncupentur. Ioan. 19. Psal. 87.

Iam quintum genus gratiarum, non etiam dici talentum debet: vt enim Theologi dicunt, gratia iustificans, cum virtutibus infusis, non datur in aliorum vtilitatem: sed in illius solum qui accipit, commodum. Poteris tamen vti nomine talenti, etiam in his. Propriè igitur talentorum nomen, ad quartum genus donorum & bonorum arctandum est. Cùm ergo audis vocasse Dominum seruos suos, eisq; dedisse bona sua: facile intelligis, omnes seruos vocatos, omnibusque talentum aliquod datum. Nullus igitur est Christianorum, qui

qui non talentum habeat. Sicut nullus est qui seruus non sit. Age igitur, expende, quod accepisti, bonū est, & Domini tui bonum est, & talentum est. Si Domini bonū est, non potest non esse pretiosum. Dedignantur enim viri principes, vilia inter bona sua deputare. At si pretiosum est, idemq; talentū: intelligis rem esse diuitem & maximi pretij.

Tertiò, *Vni dedit quinque talenta.* Arbitror hos, quinque talentis donatos, esse Ecclesię Pontifices, cùm enim Ecclesia electorū sit ex quinque virginibus prudentibus aggregata, necessariò fit: vt qui quinq; virginū (sua habentium talenta) curam habeat, quinque etiam habeat talenta. Nemo enim regere talentum alienum potest, si idem ipse non habet. At dices, cum Ecclesia ex decem virginibus constet, Cur non etiam dicentur pontifices decem habere talenta. Responsio est, omnia fieri propter electos.

2. Tim. 6. Quartò, Alij dedit duo talenta. Hos credo esse seculares Ecclesiæ magistratus, hi enim talentum vnum habent, quia Christiani sunt: aliud rursum debent habere talentum, vt gubernent. Habent igitur duo talenta: Omnis potestas à Domino Deo est, est igitur potestas talentum. Dices: Si pręsides seculares duo habent talenta: alterum commune sibi & alijs, alterū præsidentiæ: cur non itē prælati Ecclesiæ dicentur ie. habere talenta: s. sibi & alijs cōmunia, s. rursum, quibus præsint? Respondeo: Non datur prælatis talentum præsidendi non quia nō verè superiores sint, sed quia non vult Dominus eos esse maiores: sed qui maior est inter vos, sit sicut minor. Reges igitur gentium dominantur & potestatem exercent: sed vos nō sic, reputate vos vt reliquos quibus pręfecti estis.

Rom. 13.

Matt. 20.

Eodem. Quintò, *Alij verò vnum*. Quo se gubernaret, quo sibi præficeretur.

His tribus generibus hominum tota Ecclesia comprehensa est, Pontificibus, magistratibus, subiectis.

Sextò, *Vnicuiq; secundùm propriam virtutē*. Nulla hic mētio de bonitate cuiq; propria: sed de viribus, nulli enim talentū dedit, cui vires nō dederit, ad eius talenti vsum. Vt enim naturæ prouidentia hæc est, si cui dat formā, dat etiam instrumenta, quibus ea forma suas functiones exequatur: ita eadē Dei prouidentia est: vt si cui dat talentū, det & vires, quibus talenti munus exequatur. Igitur, imprudenti viro, non dat munus pontificiū. Si verò imprudēs, Episcopus efficitur: nō

Hebr. 5. propterea talentum pontificium habet, nō enim vocatus est tanquam

tanquam Aaron. Similiter nec elingui datur talentum prædicatorium, quod est sub pontificio munere clausum.

Septimò, *Profectus est statim.* Ita enim se gerit Dominus cũ his qui talentũ accipiunt, ac si longissimè abesset: ita peccare sinit: ita silet & tacet, ac si non esset. At quod dicit: *Profectus est statim*: si ad ascensum in cœlum referatur, videbitur prius profectus, priùs ascendisse in cœlum, & secum duxisse captiuitatem captiuã, quàm dederit dona hominibus. Quid igitur est, quòd dato talẽto statim proficiscitur: nisi quòd dato talẽto statim vult, vt exerceatur: & vt qui accepit ministret: nec requiẽ det sibi vllam? Vide Paulum, vt accepit talentum, continuò ingressum synagogas, & prædicãtem Iesum. Vide Apostolos, vt acceperunt Spiritum, scilicet continuò prędicantes. statim igitur proficiscitur: ne qui accepit, Domino præsenti cupiens adesse, talenti curã omittat. Sunt enim qui accepta gratia, toti vellent cõtemplationis dulcedini intendere: & nullatenùs à Christi præsentia dimoueri. Hi intelligant Christũ nolle vt assistant præsentiæ Christi in Christo: sed Christo in Christianis assistant. Ephes. 4. Actor. 9. Marci vltimo.

Octauò, *Abijt igitur, qui quinque talenta, & qui duo, & lucrati sunt. At, qui vnum, defodit, &c.* Dices, igitur omnes prælati, & magistratus seruãtur: & omnes populares & subiecti damnantur? Minime id quidẽ: Nam iuxta Lucam ex his qui acceperunt singulis minas, alius fecit 10. alius verò 5. Igitur multi ex his qui vnicã minam acceperunt, lucrati sunt. Sicut contra, multi ex prælatis perdiderunt. Dices: Cur igitur hic nulla de perdẽte Prælato fit mentio: tota verò mẽtio est de non lucrante subiecto? Planè nisi hæc spes hic daretur, nullus ex prudentibus viris esset, qui acceptaret pontificatum, rem tantopere & onerosam, & periculosam, & operosam. Additur igitur illis calor, additur animus, spes illis promittitur, fore, vt si laborarint, edant de fructu manuũ suarum. Porrò ne subiecti crederent, nihil à se exigi, & ideo otio torperent, idcirco multos hac ratione perire indicatur, Nec igitur omnes prælati pereũt, neq; omnes seruãtur subiecti. Et secundò monstratur, non esse impossibile, si quis 5. talenta acceperit: etiam 5. talenta posse duplare: non esse impossibile, vt quis quinque talentorum vsui sufficere possit. Rursumque ostenditur facile esse, in vnius etiam talenti vsu, hominem posse dormire. Tertiò etiam monstratur: ex natura talentorũ potius esse periculum torporis, & otij: si vnicum, quàm si plura Lucæ 19. Prou. 1.

talenta receperis. nam cum talenta nõ ſint res emortuæ, ſed
viuæ: quæ animam ad operãdum excitant, & impellunt: mi-
nus te incitabit vnum, quàm quinque talẽta. magis caleſces,
ſi quinque titionibus incendaris, quàm ſi vnico, difficiliuſq;
quinque talenta defodies, quàm vnum. Quartò, etiam non
videbatur poſſe fieri, hominem quinque, aut duobus talen-
tis ditatum, Domini ſui curam, & obſequium negligere. non
id ferebat tantarum diuitiarum in vnum ſeruum facta col-
Lucæ 7. latio. At facilius multò cui minus dimittitur, minus diligit:
& ita cui minus donatur, magis obliuiſcitur. Fateor cui mul-
tum donatur, poſſe non etiam diligere. ſed minus id dona-
tionis & donorũ natura fert, aut ratio ſinit. Quintò, intelli-
ligunt facilius qui multis donati ſunt, quàm multũ debeant:
at qui exiguo donantur, putant in ſuum, non in aliorũ com-
modum fuiſſe donatum. Sextò, Intelligant maiores, ſi adeò
dura ratio ponitur, cum eo qui nõ duplicauit, quòd vnicum
acceperat: quanto durior cum eis, qui non duplicauerant
quinque? Rurſum intelligãt minores: ſi fieri poteſt, vt quinq;
duplicentur, quanta erit culpa vnum non duplicaſſe? Nota
verò, non requiri, aut plus, aut minus: quàm vt talentum do-
natum duplices. videlicet, vt tecum alium (vel vnum) in cœ-
lum adducas: à Põtifice requiritur vt quinque, id eſt, vt om-
nes electos in cœlum adducat: à Magiſtratu, vt cõtendat &
ipſe quoſdam in cœlum adducere. Certè ſi re ipſa adducere
nequiuerit: orationibus, exẽplo, & quibus id viribus poſſit,
contendat. Nam in textu conqueritur Dominus, quòd ta-
lentum non expoſuerit: non queritur, quòd lucratus non
ſit. Videtur enim ſubintelligi, nullum exponere talentum
ſuum, quin aliquid lucretur.

Defodit ille talentum in terram, quia cõuerſatio piorum
in cœlis eſt. Ibi theſaurizant theſauros ſuos. At tota ſecula-
Philip. 3. rium & terrenorum conuerſatio, intentio, conatus, & pru-
Matth. 6. dentia in terra cõſiſtit, in terra enim ſcribuntur impii, ciues
Ierem. 17. ſunt terræ, terræ habitatores. Hi ergo talentum cum magna
Apoc. 8. talenti iniuria, in terram defodiunt, illi negotiantur. Hi ve-
Rom. 1. ritatem Dei, in iuſtitia detinent, & ligant: illi currunt, ad an-
Philip. 3. teriora, ad æternæ ſcilicet vocationis brauium.

Patet igitur, quid ſit defodere talentum: eſt enim detinere
talenti vim in iniquitate. qui enim iniquus eſt, lapidẽ plumbi
1. Ioan. 3. ſuper talenti energiam impoſuit. Talentum ignis eſt, ſemen
eſt, ebulliẽs aqua eſt, & ſaliens in vitam æternam: ſed noſtra

inqui-

iniquitate, tum etiam & curis huius seculi obruitur: ne proferat, & exerat vires suas. O rem indignam! Spiritus sancti vires & efficaciam, terræ viribus, imò dæmonis, & inferni, reprimi, & in imum detrudi. Palestini ebullientes aquarum puteos, terra obsepiunt. Pharao cōtendit, vt Israëlitæ terram defodiant, facturi lateres quibus talentum opprimatur. Et si aduertere libet, inuenies eos omnes qui secularibus rebus inhiant, nihil aliud facere quàm ligone cogitationis & operationis terram effodere: vt aurum, vt honores, vt delitias, sibi comparent. Terram ergo e terra eruunt, cumque ipsi in eam quam fecerunt foueam descendant, necesse est, vt secum talentum abducant: cumq; se in terram sepeliant, talentum etiam sepeliunt.

Ioan. 4.
Luc. 21.
Gen. 26.
Exod. 2.
Psal. 7.

Nonò, *Post multum verò temporis* (erit enim grande interstitium ab ascensione ad iudicium,) *venit Dominus & posuit rationem*. Habet Dominus librum in quo scribat cuncta, quæ largitur hominibus: habet memoriam tenacissimam, quâ nullius dati obliuiscatur. Et quà ratione talenti in aliorum vtilitatem concessi rationem exiget: pari & omnium talentorum, in propriam vtilitatem acceptorū rationem ponet. Æstimat ille sua dona nimis: largitur & multa nimis: nos eorum nimis obliuiscimur. Quis verò intrare cum illo in iudicium poterit? quis ante illum iustificabitur? quis poterit stare in conspectu Dei sancti huius? O quam verè dictum est: Oblatus est illi qui decem millia talenta debebat. Nos tantum debemus: ille tantum exiget, quis iustificabitur?

Psal. 142.
1. Reg. 6.
Matt. 18.

Decimò, *Accedit qui quinque accepit, & qui duo*, & offerunt duplum: at qui vnum, non offert lucrum. Excitor ad huius loci explicationem, ex historia Iudæorum, qui ab Ægypto egressi sunt: è quibus soli Iosue & Caleb ingrediuntur in terram promissam, reliquis omnibus in deserto prostratis. Planè Caleb canem significat, canis verò prædicatores figurat, qui gregem à lupis custodiunt. Iosue dux ille inclytus, principum secularium locum gerit. Prædicatores igitur & magistratus cœlum intrant, reliqui prostrātur. Vides igitur, qui quinque & qui duo talenta acceperūt seruatos: qui verò vnum prostratos. Sed nota: Sicut nemo ascendit in cœlum, nisi Christus qui descendit de cœlo (nam qui intrant reliqui, in Christo intrante intrant.) ita & nemo inferiorum intrat in cœlum, nisi superiores: qui de cœlo, (id est, cœlesti

Num. 14.
Ioan. 3.

conuer-

conuersatione) descendunt. Nam qui ex inferioribus cœlum intrant, in humeris superiorum intrantium intrant. Intrant igitur, qui vnum talentum accipiunt, sed non soli intrāt, sed in superioribus: vt agnoscas quam requirat Dominus charitatem, & obedientiam inferiorum ad superiores.

Vndecimò, Illud, *Super multa te constituam*, explicatū mihi est in fine capitis superioris, cum enarrabam locum illum: Super omnia bona sua constituet eum. Quòd verò sequitur:
Ioan. 11. Intra in gaudium Domini tui, videtur mihi eum habere sensum: tanta est dignitas, tantus est honor, filios dispersos in
Ioan. 10. vnum adducere, filios qui perierant seruare, pro omnibus ani-
Eodem. mam ponere, omnibusq; vitam æternam largiri vt eius dignitatis Christus factus amator, & carnem assumeret, & vitam pro ea comparāda, facilè exponeret, atque comparata, dicit:
Luc. 15. Congratulamini mihi, quia inueni ouem, quæ mihi perierat, drachmam quam amiseram. Vt igitur lætatur Dominus in operibus suis corporalibus: ita & Christus in spiritualibus.
Psal. 103. Nullū gaudiū huic gaudio est par. In hoc gaudiū Pontifex & magistratus iubentur intrare. Postquā enim gaudet seruus in visione domini sui, iubetur etiā gaudere de dignitate domini sui, vt sicut fuit in labore particeps, sit etiā in fructu laboris.

Duodecimò, Iam accedit miser ille, qui vnum accepit dicens: *Scio quia durus es.* Quòd ex D. Bernardo hunc habet sensum: Sciebam quod exactissimè coli velis. Sciebā, quod nullū
Luc. 9. peccatū nec mortale, nec veniale, nec verbulū etiā otio sum pateris: hominē terrenū totum vis esse cœlestē: durus es, non sum ausus aratrū tecum ducere, non sum ausus vitā spiritualem, adeo difficilē inchoare. Tu metis & non seminas: metis tibi gaudiū & gloriam, ex hominū spiritualium obsequijs: at
Ierem. 8. nec gaudiū illis das, nec gloriam dum viuunt. Demum congregas quod non sparsisti: dum viri pii viuunt, tu ipse excitas
Psal. 104. impios, qui eos persequātur, cumq; non spargas amorē inter
Matt. 5. homines: vis vt pij amore cum persequentibus iungātur, vt ita omnes in cœlo à te cōgregentur. Hoc tuū est ingenium,
Psal. 118. hæc cōsuetudo, vis mandata tua custodiri nimis. Nunquam
Lucæ 15. vel hœdum seruis tuis pra bes, vt cum suis amicis epulentur. Percutienti in vnam maxillam, alteram iubes obuerti, res dura est cultus tuus, deterruit me. Id quod facilius videba-
Matt. 5. tur peregi, neminem læsi: nō me conspurcaui, in grauioribus peccatis. Habes igitur quod tuum est integrum, & impollutum. Quis enim optasset esse Iudæus, tempore Pharaonis quem,

quem tu ipse excitasti, aduersus cultores tuos, quis optasset esse Christianus, cùm nascebatur Ecclesia, siquidem tu permittebas totum orbem illis aduersari? Exod. 1.

Hinc Lector habes, miserum hunc illæsum & purum obtulisse talentum: sicut & infœlices virgines se puras seruauerunt, at nihil illis profecit: forsan facilius tulisset Dominus conspurcari talentum in vsu, sordidari etiam virgines oleo, quàm aut oleo caruisse aut vsu talenti. Matt. 25.

Decimotertiò, *De ore tuo te iudico*, reuera nemo damnabitur, qui se iniustè damnatum videat, adeò enim conspicua erit damnatis iustitia, vt & ipse damnatus iustè se damnatum iudicet. *Oportuit igitur te commisisse pecuniā meā nummulariis*. Nūmularius est Christianorum quiuis: imo quicūque verbum Dei audit, sed ij præcipuè nūmularij sunt, qui audituri prędicationes in Ecclesiam conueniunt: & qui audiunt, vt proficiant. Certè Dominus Basilius habet, se Alexandriæ vidisse homines, paratos recipere nūmos in mēsa, ab eo, qui dare volebat, hac lege vt datori certum fœnus vltra sortem largirentur. Hi nūmularij erant. Iam ergo oportet, quemuis Christianum ita se gerere, vt verbo, aut exēplo: aut oratione, vitam Christianam alijs exhibeat. Illi vero quibus exhibuerit nummularij sunt: velint, nolint, recipiunt enim Christianismum, recipiunt Christum prædicatum, vt sibi habeāt, in vsumque suum conuertant: tum vero vltra vsum, in alios eundem Christum effundant. Et hoc est reddere fœnus vltra sortem. Non est ergo leuiculum, verbum Dei audire, aut exemplum Christianitatis conspicere. Reddenda huius rei exacta ratio erit.

Sed te precor attende. Si audis prędicatum Christum, hic prædicatus Christus, Domini pecunia est. Si suscipis in te Christum, & in te formas Christum, reddis Christum Christo cum fœnore: quia cum Christum nudum acceperis, teipsum Christum quadantenus effeceris, reddis Christo Christum, non nudum vt accepisti, sed Christum in te.

Decimoquartò, *Tollite ab eo talentum*. Expoliate eum, omnibus donis, & omnibus bonis. Nec enim dignum est eum aliquod bonum habere de cœlo: qui totus versabatur in terra, ligate illi manus & pedes, extinguite in eo lucernam, qui oleum non habuit. Matth. 19.

Decimo quinto. *Date ei qui habet decem talenta*. Non intelligas dari prædicti [illegible] talentum hominis mali; sed dari

eam gloriam, quàm malus ex talento debuisset habere. Itaq; non solum pius Prælatus coronam habet, ex ijs talẽtis quæ Deo reddidit: sed ex eo etiã, quod non reddit, id est, non solũ habet gloriam ex ijs hominibus, quos Deo obtulit sanctos, ac pios: sed etiam ex ijs, quos Deo non obtulit, quia ipsi noluerunt. Cùm enim prælatus pius nõ solum contẽderit pios ad Deum adducere, sed etiã impios: ideo nõ solum gloriam habet ex pijs quos cõuertit, & adduxit: sed etiam ex impijs, quos cõuertere nequiuit, cùm tamẽ conuertere nisus fuerit.

Cur verò data est hęc gloria Prælatis & nõ magistratibus? Primum, quia conuersio eorum, qui ad Deum conuertũtur, non est tribuenda potestati seculari, sed Ecclesiasticæ. Secundò, Quia secularis dignitas videtur iam hic suam recepisse mercedem: honor enim ille secularis, quem illi ambiunt merces est secularium. At Prelati cùm debeant esse minores, Matt. 20. cumq; nihil minus debeant amare, quàm honorem honore coronãtur in cœlo, quem noluerunt in terra. Habes Lector, priorem expositionem.

Iam & alteram accipe: Ex Apostolo 1. Corint. 12. habemus nouem donorum genera, scilicet Sermo scientiæ, sermo sapientiæ, fides, gratia sanitatum, operatio virtutũ, prophetia, discretio spirituum, genera linguarum, interpretatio sermonum. At ex eodem, ad Roman. 12. habemus solum septem donorum genera, Prophetiam, ministerium, doctrinam, exhortationem, tribuere, præesse, misereri. Porrò ex eodem, ad Ephes. 4. habemus quinque dona duntaxat. Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Pastores, Doctores. Hæc verò arbitror sola esse Ecclesiastica dona, sub quibus comprehẽduntur, & quibus seruiunt omnia illa nouem, & septem iam enarrata. Notum præterea esse credo: Apostolorum locum habere Prælatos: Prophetarum, Prædicatores: Euãgelistarum, Scriptores Ecclesiasticos: Pastorum Curatos: Doctorũ, eos qui sacra docent in cathedra.

Ex his facile cognoscis, qui sint illi, quibus talenta quinque data sunt, & cur sola quinque. Accipe Augustinum, Basilium, Bernardũ, quilibet horum prælatus fuit, prædicator, scriptor, curator etiam in proprio monasterio, & denique Doctor. Acceperunt igitur, quinque dona. Et quia quinque sola sunt dona Ecclesiæ, (sub quibus reliqua veniunt,) ideo omnia talenta Ecclesiastica acceperunt.

Consequens addicta est, vt quidam sola duo habeant talenta

talenta. Vt qui nec prædicator fuit, nec Doctor, aut scriptor.
At ex eodem Paulo, aperit se mihi alia vena dicendi, ipse
enim dicit ad Philippen. 2. Deus est, qui operatur in vobis
velle, & perficere, pro bona voluntate. Habes igitur duo ta-
lenta: donum volendi, donum etiam perficiẽdi. Cùm verò
Apostolus dicat, ad Roman. 7. Velle adiacet mihi, perficere
autem non inuenio: manifestum est, quod quibusdam Deus
vnicum dat talentum, scilicet volendi: imò contrà, quidam
habent talentum perficiendi, & non volendi. Vt qui possunt
benefacere, nolunt tamen: imò & nonnulli bona faciunt
nolentes, & nonnunquam volẽtes: sed non propter Deum.
Ex quibus facilè intelligis, cur qui quinque, & qui duo ta-
lenta accepit, ferè sine periculo est. Accipit enim vt velit, &
vt etiam perficiat: sed qui accipit tantum vnicum talentum,
aut volendi tantum, aut perficiendi tantum, hic in summo
est periculo: hic vix saluatur. Meritò igitur gratulatur Apo-
stolus Corinthiis, quod diuites facti essent in Christo: ita vt 1. Cor. 1.
eis nihil deesset in vlla gratia. Quod & in virginibus pruden-
tibus fuit monstratum: illæ non vasa sola, sed vasa cum oleo
sumpserunt. Væh igitur illis, qui aut sola sine oleo vasa: aut
solum sine vasis oleum, receperunt.
Iam verò attende, quàm fideliter, quàm integrè, & quàm
sponte, qui lucrati sunt, & talenta & lucra Deo consignent:
Ecce alia duo, inquiunt, *ecce alia quinque*. Vir bone, cur omnia
offers, cur nihil tibi reseruas? Certe quia non modo ea, quæ
habent Sancti, Deo donare cupiunt, sed se & omnia viscera.
Id enim timent, ne quid sibi maneat, quod Deo non offerãt,
intelligit quæ dico, is cui datum est, vt intelligat. Quid ni
verò omnia talenta, & lucra donent Deo, cum agnoscant &
talenta, & lucra Dei dona esse? Apostolus ait: Plus omnibus
laboraui non ego: sed gratia Dei mecum: ego instrumentum 1. Cor. 15.
gratiæ operantis fui. Si igitur Deus cum merita sanctorum
præmiat, munera sua coronat: Cur non quiuis sanctus Deo Concilium
reddat, quæ a Deo accepit? Dedit enim ipse & velle, & perfi- Trident.
cere, pro bona sua voluntate, non pro merito nostro. sess. 6. c. 16.
Quod si Sancti integre se Deo offerunt, & sua: non tardat Philip. 2.
Dominus, non differt par pari referre: tu mihi te & tua ob-
tulisti, ego tibi me & mea offero. Suprà multa te constituo,
en tibi mea trado. Superest, vt & me tibi tradã, intra in gau-
dium meum. Parumne est cœli Dominum constitui? Hæ-
redem Dei fieri? Et cohæredem Christi? Si hæc pauca tibi Rom. 8.
videntur,

1. Ioan. 3. videntur, adijciam multò maiora: *Intra in gaudium*. Nunc filij
. Thomas 1. Dei sumus, tunc similes ei erimus, dij quidam. Vnietur enim
part. q. 12. diuina essentia, intellectui beato, sicut Theologi referunt.
artic. 2. Et sicut diuinitas vnitur intellectui diuino in modum speciei: vt sic habeat intellectus cognitionem beatam diuinitatis: ita & vnitur intellectui creato per modū speciei, vt talis intellectus producat beatam visionem. & sit beatus, quomodo est ipse Deus: & in eo, in quo est beatus ipse Deus, quam dignitatem nemo æstimare: imò nec agnoscere in hac vita ad plenum potest.

Venit & malus seruus dicens, Scio quòd homo durus sis. Malè tractas tuos simul ac incipiunt tibi seruire, in fornacem ten-
Ecclesi. 2. tationum eos conijcis: statim Cruce affligis: & quotidie eos
Lucæ 9. se negare, & Crucem ferre præcipis. Iam si mihi non dedisti velle, cur à me exigis, vt velim? Si non dedisti perficere, cur
Rom. 8. exigis, vt perficiam? Cur metere vis, quod non seminasti?
Rom. 9. Certè quos voluisti vocasti, iustificasti, & glorificasti. Cui mi-
Rom. 4. sericordiam præstitisti, eius misertus es. Cur igitur amplius quæris, quam dederis: non ego prior poteram te diligere, sed tu prior eras amaturus, excitaturus & perfecturus. id cum non feceris, cur quereris, cur à me exigis, quod à te accipere debueram?

Dominus non diffitetur se metere velle, vbi non seminauit. Vbi campus se aperit tractandi de diuina prædestina-
Rom. 9. tione. Etenim si cuius vult miseretur, dans ei auxilium efficax, vt bonus sit: quem verò vult durat, nō dans auxilium efficax (dat certè auxilium, sed non efficax) si efficacem gratiam non dedisti, cur effectum efficacis gratiæ postulas? Cur metis vbi nō seminasti? En, me, quò ad potui seruaui incorruptum, & nulli noxium: tunc requiras à me maiora, quam dederis? hæc sunt verba mali serui.

At Dominus, si adeò doctus eras (inquit) vt scires me requirere ab hominibus effectus gratiæ, quam non dederam: cur tu non contendisti, eleemosynas erogando pauperibus, orationes petendo à viris pijs, improbè petendo à sanctis
Genes. 33. desiderijs sicut Iacob pugnando cum Deo: vt ego qui tibi dederam velle, vsuram reciperem, accipiens, & velle tuum, & perficere? Fateor non dedi tibi efficacem vocationem quâ gratiam iustificantem acciperes: dedi tamen auxilium, quo peteres, quo contenderes. Si pauperibus pijs succurrisses, ipsi pro te rogassent, & ego maiora dedissem, & tu cum ad

ad cœlum venisses, lucra eleemosynæ tuæ & orationum tuarum inuenisses. Tu igitur lucra reciperes & ego. At pigritia & vecordia tua opinionem tibi fecerunt, quod ego durus essem. Malus enim affectus, mali etiam iudicij causa est.

Tollite igitur ab eo talentum gratiæ, quam ei dederam, & date ei qui decem habet. ô pulcherrimè dictum! Quia enim Sancti multa voluerunt: quæ quia non poterant, non perfecerunt: multa etiam perfecerunt, suprà quam voluerãt: ideò datur eis corona, quam erant accepturi ij, qui acceperunt talentum volendi solum, aut etiam perficiendi, vt impleatur dictum illud: Mensuram bonam, confertam & coagitatam dabunt in sinum vestrum. *Luc. 6.*

Hic aduerte quanti Deus dona sua æstimet, licet nos non ita æstimemus: siquidem ex eis, nullum vult perire. Sed quod prius male collocatum fuerat, aufertur: & datur ei, in quo collocatum benè sit. Vbi mirari non desino, attendens summam Dei dispensationem. In Apocalypsi iubet, quemuis nostrum seruare, quod ab eo recepimus. Tene, inquit, quod habes: ne forte alius accipiat coronam tuam. *Apoc. 3.* Quid? Pauper est Deus vt non possit donare, nisi quod alius amittit? Et quidem Paulus docet misericordiã consequutos Iudæos, quia gentes erant excæcatæ. Posteà verò Iudeos excæcatos, vt gẽtes illuminari possent. Quid? tam est tibi Domine angusta suppellex: tam est curta luminis, & misericordiæ tuæ copia: vt non possis cunctos illuminare? Sed sol tuus debet amoueri ab his, vt illuminet illos? Certè rerum experientia ita docet. nunquam totus mundus simul Deum coluit. sed a Iudæis in Græcos, à Græcis ad Romanos, ab his nũc ad Indos fides deuoluitur: sicut & imperiũ, nũquam eodem constitit loco. fuit primò apud Babylonios: inde transijt ad Persas, inde ad Græcos, inde ad Romanos. Nunc orbis summã, Mauri vidẽtur habere. Ita & hoc quẽ tractamus loco, vt abũdet pius, expoliatur impius: de cuius exuuijs ille ditescit. *Rom. 11.*

In tenebras exteriores. Vt tenebræ, lepra, & culpa, quæ in anima occultabantur, ad faciem, id est, ad corpus prodeant, & erumpant.

Cùm autem venerit filius hominis, &c. Primum Dominus dicit: *Cùm venerit Filius hominis in maiestate.* Videlicet Cruce præcedente, fulguribus, & tonitruis deterrentibus: igne depopulante, immensitate lucis comitante, cunctis anima-

 bus

bus sanctorum astantibus, Apostolis, & Apostolicis viris astantibus.

Secundò, *Venient etiam omnes sancti Angeli.* Hæc enim erit vnica illa dies, quà cœlum vacuabitur ciuibus suis: aer verò, & locus superior, gloria Domini fiet, nullus certè Angelorum deerit huic tam solenni, tanquam aspiciẽdo spectaculo. Imò si Pater æternus, si etiam Spiritus sanctus locum mutare possent, ad conspiciendum hoc iudicium descenderent.
Genes. 18. rent. Descenderunt viri tres, (ait historia) ad spectandum Sodomorum incendium, ad eorum causam iudicandam: quantò pótius in hoc iudicium descenderent? Veniet igitur Christus Deus homo, & vt homo, sedebit in nubibus cœli. Si enim regula Augustini est. Scripturam intelligendã, vt iacet, vbi nullus est absurditati locus: cur hic non agnoscemus corporalem sessionem, cùm ex illa nihil sequatur absurdum? Fiet igitur thronus regius, explendidissimis nubibus, videlicet, quas Christi lux penetrabit immensa. Et ita ad literam implebitur: videbitis Filium hominis sedentem, a dextris virtutis Dei, venientem in nubibus cœli.

Matt. 29. Quartò, Coram sedente Christo, *Congregabuntur locali&ter omnes gentes.* Vt allata Augustini regula probat. Congregabuntur, videlicet, vt omnes vocẽ Christi audiant: vt omnes recitã sua, & aliorum cognoscãt peccata: vt omnes videant rectũ in se, & in alijs Iudicis fuisse iudicium. Nec nos moueat gẽtiũ infinitas, quas nullus locus videtur capere posse. Siquidem electi in aëre consistent suspensi: impijs sese cõsultatibus. Omnes igitur erunt coram Christo, quæ quidem erit pulchra diuinitatis repræsentatio. Vt enim omnia sunt nuda, & aperta oculis diuinitatis: ita & omnes illi homines erunt nudi & conspicui oculis humanitatis Christi. Tũc implebitur verè, quod coram rege tanto, omne genu se flectet, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Tunc implebitur: Pater omne iudicium dedit Filio: vt omnes honorificẽt filiũ, sicut honorificant Patrem. Tunc verum erit: Omnia subiecit sub pedibus eius. Tunc gloria & honore coronat Pater Filium: & item Filius Patrẽ: quia tunc Filius tradet regnum Deo & Patri: euacuatis, & subactis morte, & mortis satellitibus. Tũc implebitur illud: Vidit & cõmota est terra, mõtes sicut cera fluxerũt. Annũtiauerunt cœli iustitiã eius, & viderũt omnes populi gloriã eius. Vt igitur omnes ferè nationes cõuenerũt ad Christum in crucis patibulo suspẽ-

Hebr. 4. Philip. 2. Ioan. 5. 1. Cor. 15. Psalm. 8. 1. Cor. 15. Psal. 96. Matt. 27.

congregabuntur ad Christū, in potestate iudicij sedentem.

Quintò, Omnibus igitur coram Christo congregatis, ad literam: *Statuet Christus pios sibi dextros: impios, sinistros*: Eo enim loco habebit Christus suos: quo ipse à Patre suo est habitus: Pater collocauit filium ad dextram suam, dicit enim Pater filio: Sede à dextris meis. Dextros igitur Filius sibi faciet pios. Elegantissimè quidem Iacob iam moriens commutat manus: facitque sibi dextrum, qui sinister erat, sinistrumque eum, qui erat dexter: ita & Christus, non ipse moriens, sed in mundi morte, manus in iudicio commutat, & iustos facit dextros, quos mundus habuerat sinistros: & cōtrà, impios statuit ad leuam, qui mūdo dextri erant. Explanè Christus dicturus est pijs, eam nobilem benedictionem, scilicet: *Venite benedicti*. credibileque est, quod manu dextera, signo Crucis facto, eos benedicet: sicut fecerat cùm cœlos ascēdit. Si igitur dextra benedicet, dextros eos habebit, vt dextera illa nobilis suaui motu, eis benedicat: quos antea eâdem dextera amplexabatur. Ephes. 1. Psal. 109. Gen. 48. Luc. vlt. Cant. 2.

Sexto, Sed ambigua iam se offert quæstio, Cur impios hœdos nominarit: Certè si hircos nominasset, nulla esset difficultas. Quia animal hoc, luxuria, fœtore, & præcipitijs notari solet: at hœdus recens adhuc, his nō est maculatus criminibus. Cur igitur rem tenerā, innocentem comparat impijs? Et augetur quæstio: Cur non iustos agnos dixit, sed oues? Obsecro te, qui legis id aduerte.

Cōparantur iusti fœminis, scilicet, ouibus. Oues enim fœminæ sunt, sed perfectæ: at mali cōparātur maribus, scilicet hœdis, iis tamē imperfectis. Quibus multa significantur. Primum, illud. Si malus es, etiā si non diu malus fueris, etiam si grandis in peccato nō sis, licet sis hœdus & nō caper, adhuc dānaberis: id vt notetur, non hircos grādes, sed hœdos recētes Dominus attulit. Porrò hæc est gratiæ cō[dit]io, vt codē puncto, quo animæ infunditur, donis eam Dei perficiat, Dei enim perfecta sunt opera: non igitur agnum recentem eam reddit, sed quantū est ex parte gratiæ, perfectam efficit ouē, fœminam videlicet viro Christo despōsatam. At si Christi sponsa est, & fœmina, & Christi donis perfecta est. Iā igitur si recentes peccatores, ita damnātur, quid de veteranis fiet? 2. Cor. 11.

Secundò, nota peccator etiam si 100. annorū sit, paruulus est minor est, nondum ad perfectionē venit. Porrò si iustus quis est (etiā si vnius anni sit cum Saul) bella tamē Domini, 1. Reg. 13.

 ?? per-

& mane dies vnus. Sanè prodit vespere è mane, rursumque in mane redit: ac ideò ex vespere & mane fit dies vnus: ita sanctitas hominum, atque benedictio, ex sanctitate Dei Patris egressa: in die iudicij in eundem Patrem regressa, vnum
Psal. 17. ex Patre & pijs patris filijs efficiet. Agnoscent igitur tunc
1. Cor. 15. Sancti quòd pater est omnia in omnibus, & quod omnes benedictiones à patre susceperunt.

Nonò, Addit Dominus *Possidete regnum paratum vobis*. In vnum regnum omnes vocantur, nõ in diuersa: vt agnoscas
Actor. 5. summam regnantium concordiam. Sicut enim dum viuerent, habuerunt cor vnum, & animam vnam: ita & cum regnant, vnum habent regnum. Vt vnum sit regnum, quibus
Ephes. 4. vnus fuit Deus, vna fides, & vnum baptisma. Agnosce etiã, quòd regnum beatorum non est regnum temporale, nam si ita esset diceretur eis: Manete & possidete. Sed cum dicatur
Ioan. 19. eis: *Venite & possidete*, fit vt regnũ sit spirituale. Siquidè regnum eorum, erit regnum Christi, cuius regnum non est de hoc mundo. Demum agnosce dignitatem electorum, quos Christus, Angeli, mundus & infernus, vt reges habebit.

Decimò, Sed magnæ difficultatis locus est, quomodo dicitur: *Paratum vobis ab origine mundi*. Nunquid nõ etiam paratum fuit regnũ illud Angelis sanctis? Cur igitur infernus dicitur paratus diabolo, & Angelis eius, at cælum dicitur paratũ hominibus. Si de bonis mentio est, ex æquo paratur homini, & Angelo regnum, si de malis verò, ex æquo etiam paratur infernus vtrisque. Rursum 2. difficultas est, cur dicitur: *Paratum regnum, à mundi constitutione*, cum etiam ante mundi constitutionẽ, & homini, & Angelo æterna Dei prædestinatio præparauerit regnũ? Et 3. difficultas: cur non item dicit: Ignẽ æternũ, qui ab origine mũdi paratus est diabolo.

Ad primam illa prior plana responsio est. Deum parasse cælum, & item infernum, primò & maximè ducibus, &
Ephes. 1. principibus capitibusque bonorum & malorum. Planũ verò est Christum esse caput hominum, & Angelorũ: vt Paulus testis est. Rursum planum est diabolum esse regem, &
Iob 41. caput super omnes filios superbiæ, vt Iob asseruit. Sub capite Christo veniunt omnes fideles: qui sunt eius membra. Sub diabolo omnes impij. igitur homini paratum est cælũ: quia Christ' homo, est caput bonorũ. At nõ homini, sed diabolo paratur infernus, quia caput malorũ nõ est homo, sed demõ.

Iam mecum profundius penetra: Constat omnes fideles ab

ab origine mundi, à Christo capite gratiā recepisse. Verbum enim Dei quatenus erat futurus homo, & Messias, gratiam electis infundebat. de plenitudine siquidem eius nos omnes, (etiam in lege naturæ,) gratiam accepimus. Arbitror etiam ego Angelos, & omnes electos, gratiam suam ab hoc fonte cepisse. Igitur gloria & fœlicitas æterna, Primo Christo homini, & humanitati suæ debebatur: mox Angelis. non igitur ex æquo homini, & Angelo parata est gloria. Sed primo homini, vt capiti electorum omnium, postea Angelis. Sed hæc mihi sub censura dicta esse volo. D. enim Paulus me cogit. Cum dicit: Elegit nos in ipso, ante mūdi constitutionem. Igitur similiter electi sunt in ipso, & Angeli, quia in ipso, & per ipsum sunt omnia. non homines solum: sed & Angeli. At prior electa est humanitas, per quam & Angeli sunt etiam electi.

Ioan. 1. *Ephes. 1.* *Rom. 11.*

Ad secundum respondeo: Primum quidē, quòd licet visio Dei, in qua summa fœlicitas est, fuerit parata ante mundi constitutionem: sed quia ad gloriam etiam pertinet, aula illa nobilis (videlicet cœlū) vbi Deus videbitur: & cum pertinent illi nobiles ciues, (videlicet Angeli.) cœlum verò, & Angeli non fuerunt ante mundi constitutionem, ideo dictum est rectè: Percipite regnum, cuius regia, cuius ciues vobis parati sunt ab origine mundi. 2. Respondeo illud verbū, Paratum, posse hoc sensu intelligi: possidete regnū, quod præparatur, quod [illegible] præmunitur vobis, à mundi principio. quia à mundi primordiis, nihil aliud Deus agit, quàm regnum electis preparare. San[illegible] natura, lex, Christus, Apostoli, Euangeliū, miracula nihil aliud agūt, quàm electis munire viam, & ædificare gloriam: vt intelligas quantum erit ædificium illud æternæ gloriæ, quod Deus ædificat, iam ab annis sex millibus. Videlicet magnæ structiones, non nisi tempore longo ædificantur, vt non nos pudeat, si terrena hæc nostra habitatio corrumpatur. quibus tanto impendio, tanto tempore tantum ædificium, tantus ædificat artifex. 3. Cum dicit: *Paratum ab origine mundi*: Indicatur, non solos Christianos, aut Iudæos fideles, hoc regno potituros, sed etiā omnes pios, qui à mūdi [illegible] Deo seruierūt. 4. Indicat mūdi constitutione effectū, gratia electorū: seruiunt enim scilicet [illegible] omnes creaturā propter electos. Satis igitur est: Possidete regnū, quod vt assequeremini, mūdus corruptionib^9 & interitui est factus obnoxius: gratias agite Patri, qui Angelos, cœlos, & orbem in hoc

2. Cor. 5. *Rom. 8.*

in hoc disposuit: vt regnum hoc assequeremini. Quintò: Indicatur. totum mundũ nunc esse in doloribus partus: gemit enim creatura, & parturit vsque adhuc. cuius partus, regni assecutio erit, fœlices dolores qui talẽ sobolem pepererunt. Est igitur sensus: Percipite fructum, ob quem plantata arbor est, percipite sobolẽ, quam mundus prægnans edidit tandẽ.

Rom. 8.

Ad tertiũ respondeo, causam esse quia Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione malorũ. Sicut ergo nec fecit peccatum, ita neque voluisset facere carcerem. Ab origine igitur mundi non erat Deo animus, infernum parare: sed iniusti carcerem eum parare fecerunt. Agnosce igitur Dei charitatem & bonitatem. nollet ille punire, ideo non dixit: Paratum ignem ab origine mundi: sed intellige paratum, à tempore quo mali angeli è cœlo deciderunt.

Sapien. 1.

Eodem.

Vndecimò, adiungit Dominus causas: cur iubeat electos venire ad possidendum, causa est. *Quia esuriui & dedistis, &c.* Hìc grauissimæ sunt difficultates. Prior cur Christus cœlum concedat regnum largientibus eleemosynam: nõ verò concedat humilibus, patientibus, castis: imò, neque martyribus? Simul'que, cur neget cœlum ijs qui non dederunt eleemosynas, non verò blasphemis, libidinosis, & demum alijs infidelibus? Altera est: Num qui eleemosynas faciunt (etiam si alijs vitijs conspurcentur,) regnũ Dei obtinebunt? Et simul, num qui eleemosynas non faciunt, etiam si contemplatiui sint, etiam si religiosi, etiam si pauperes sint, regno priuabuntur? Tertia est: Cur nulla mentio, de operibus misericordiæ spiritualibus, sed de solis corporalibus? Quarta est: Cur nulla mentio, de alijs multis operibus misericordię corporalibus? vt putà, visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, vt Iacobus habet: Subuenire oppresso. Et (quod Isaias ait:) Dissoluere colligationes impietatis, soluere fasciculos deprimentes, dimittere eos qui confracti sunt liberos, &ç. Antequam aggrediar harum difficultatum decisionem, primum aduerte, quòd licet electis gloria ex æterna Dei prædestinatione, & præparatione dimanet, non tamen prouenit, nisi ex operibus suis. Simul enim dicitur: Possidete regnum paratum à Patre, & comparatum à vobis, quia dedistis cibum, potum, &ç. Vt verum sit dogma Theologicũ, quod æterna prædestinatio sine nobis est, quantum ad principium: quia Deus sine nobis elegit nos, sed non est sine nobis, quantum ad finẽ, quia sine nobis, non glorificamur. Secundo aduerte quàm

Iacobi 1.
Isaiæ 58.
Ioan. 15.

quàm vili vendatur regnum Dei, non à te hîc magna requiruntur: sed quod facile, & expositum est, quodq; ipsa natura à te requirit, quod etiam tu à te requiris. Nec enim sola miseria fratris, sed etiam misericordia nostrę humanitatis, ad subueniendum propendit. Quis verò non stupeat, tantum gloriæ, tam vili pretio venale constare? Tertiò aduerte: Nunquam defuturos pauperes, quibus subueniant electi: siquidem per hanc subuentionem acquisituri sunt regnum. *Matt. 26.* Arripiant igitur electi medium, quo finem sunt adepturi. Quartò aduerte, summum inter omnia mundi aduersa, esse famē, ideo primo loco ponitur hîc subuenienda. Quia iuxta verbum Ieremiæ, melius erat occidi gladio, quàm fame perire. *Thren. 4.* Et ideo Dominus dicit: Misereor super turbam, quia triduo sustinet me. non dicit: Quia nuda est, quia peregrina, sed quia famelica. Igitur reuera crudele flagellum est, cùm Dominus fame flagellat. *Matt. 15.*

At ne videamur difficultates oblatas fugere, ad primum respondeo. æquissimū esse, vt quiuis princeps, si leges æquas statuit, per leges suas iudicet. Cùm igitur Christus vnicam statuerit legem, (scilicet de dilectione proximorū,) per hanc debet iudicare. *Ioan. 13.* Lex alia de homicidio, de blasphemia, & si quæ sunt aliæ, sub hac vna cōprehendi, Paulus asseruit dicēs: Qui diligit proximum, vniuersam legem impleuit. Igitur cui videtur difficile, quòd Christus per legem misericordiæ iudicet, ei videatur difficile, quòd Christianitas vnica lege compleatur, de proximo diligēdo. *Rom. 13.* Tu expone quâ ratione, humilitas, castitas, patientia, sub vnica dilectionis proximi lege, comprehendantur: & habebis expositum, quomodo vnica dilectionis lege omnes iudicabuntur.

Ad secundum respondeo: quod omnis doctrina, sua propria habet vocabula, propriosq; intelligendi modos. Habet phrasem suam Plato, habet & Aristoteles: habet igitur multò maxime Christus. Sanè dicit Dominus: Quod petieritis Patrem, fiet vobis. *Ioan. 14.* Et quæcunque orantes petitis credite. & fiet vobis. &c. Horum locorū sensus est: Quod petieris Patrem, vt Christianus, vt instigatus spiritu Christi, ex motione & instinctu Spiritus sancti, id sine dubio fiet. *Marci 11.* Si petis ex instigatione carnis, ex tribulatione cordis, nō necesse est vt fiat. Non enim tunc petis vt Christianus, sed vt homo, non ex spiritu Dei, sed spiritu tuo. Ita plane & hoc loco non dicit: Si cibasti pauperem vtcunque, regnū, comparasti: sed si cibasti

ex spi-

ex ſpiritu charitatis, ex ſpiritu dilectionis. Sanè cibat Maurus eſurientem, operit nudũ Indus, colligit hoſpitem amicus, at nõ ideo digni cenſentur regno, quia nõ colligũt, nõ cibãt ex
Rom. 8. ſpiritu Chriſti. Qui enim ſpiritu Dei agũtur, hi ſunt filij Dei.
2. Cor. 7. At filij Dei cauẽt ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus.
Rom. 2. Ad tertium reſpõdeo ex Paulo. Non (inquit) qui in manifeſto, ille Iudæus eſt: nec quæ in carne circuncisio: ita planè non qui in manifeſto eleemoſynarius eſt, is eleemoſynarius reuera eſt. Et contra non is qui in manifeſto non dat, re vera
Ioan. 4. nõ dat. Sed cõtrà, qui in ſpiritu & veritate cor habet munificũ, is eſt certè miſericors. Qui donaret ſi haberet, is certè eſt qui dat, coram Deo: contrà qui ignauè, inuitè, aut ſuperbè dat, is ferè nõ dat. Ne igitur, queratur pauper, aut monachus: quod ei cœlũ ſit interclusum. minime. Si amas ex ſpiritu & veritate, iam dediſti: aut certè dabis, ſi habebis. Rurſum nec
Ierem. 9. glorietur diues in diuitijs ſuis, quod facile ei ſit regnum Dei nummis cõparare, nec id quidẽ: ſi enim feruore & charitate
1. Cor. 13. Chriſtiana pectus tuum Deus nõ impleuit: etiã ſi des omnẽ ſubſtantiam tuam in cibos pauperũ, ſine charitate nihil es.

Dices: Si id ita eſt, cur Dominus de operibus his meminit, & non potius de charitate: quæ ſola, aut hæredes, aut exhæredes regni facit? Reſpõdeo, ſi de charitate ſola meminiſſet, & non de operibus eius: eſſent multi, qui deciperentur, putantes ſe habere charitatẽ, licet nõ darent. Admonet igitur, tunc eos ſignum habere ſuæ charitatis, nõ ſi verbo diligant,
1. Ioan. 3. aut lingua, ſed ſi opere & veritate. Paulus dicit: Corde creditur
Rom. 9. tur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Igitur prima ſalus, ſeu prima iuſtificatio, viuæ tribuitur fidei, non ſimpliciter ei quæ eſt in corde: ſed cùm fieri poteſt ei, quæ ſe profert in ore. Sanè fides quæ in corde eſt iuſtificat, id eſt, radix iuſtificationis eſt. Sed nõ iuſtificat, niſi ore proferatur, cùm opus eſt, & cùm facultas adeſt: ita etiã radix glorificationis charitas eſt, in corde firmata. Corde igitur armatur ad gloriam, ſed opere miſeratio fit ad gloriæ aſſequutionem: ſi opus eſt, & facultas adeſt. Ergo ad principiũ iuſtitiæ prima virtus valet, ſcilicet fides: ſed ad complementum iuſtitiæ, id eſt, glorificationem, perfecta virtus neceſſaria eſt, ſcilicet charitas. Sed neq; illa, neque iſta iuſtificat, niſi exerceantur, cùm opus eſt: quia, vt dixi, non valet lampas accenſa, niſi oleum ſeruetur in lecytho. Nec valet talentum in terra defoſſum, ſi non exponatur ad menſam.

Ex qui

Ex quibus responsio est ad aliam quęstionem: An ad salutem requiratur, quòd omnia hæc sex opera misericordiæ quis compleat: An sat sit, quædam illorum exercuisse? Respondeo: necesse est, omnia exercuisse, si omnibus opus fuit. alioqui necesse est animum habuisse, omnia exercendi, vbi necesse fuisset: quòd si non occurrit necessitas implendi omnia, satis est quædam fecisse.

Ad quartam difficultatem, solutio est: Elegantissimum consolandi modum, docendi, leniendique esse, si tribuas, si opera illa misericordiæ corporalia exerceas, magnam partem spiritualium peregisti. Rursum in Ecclesia statuit Dominus præsules: qui ex iustitia iniuncti muneris, illa opera misericordiæ spiritualia pręstent. At in iudicio non sola illa, ad quæ ex iustitia obligaris, examinantur, sed illa quæ ex charitatis ingenio nascuntur: non ius solùm illic Dominus quæret, sed amorem. Item opera misericordiæ spiritualia non ad omnes spectant. Quid enim docebit plebeius, castigabit subiectus, consulet imprudens, solabitur tristis? At in generali omnium iudicio, generalis virtus amoris exigitur, quem exercere nemo fere est, qui non possit: quis enim vel potum aquæ exhibere nequeat, vel visitare infirmum non possit? communia igitur opera, à communitate, communis omnium Dominus requirit. Matt. 10. Iacobi 1.

Sed precor te: Ne rursum audire pigeat causam cur Dominus solā charitatem, & misericordiam delegit: cui possessionem regni tribueret. Causa igitur est, quia nemo ascendit in cœlū, nisi qui descendit de cœlo: at sola charitas deduxit Christum ad nos: igitur sola charitas efferet nos ad Christū. Currus Elisæi igneus est: currus item Eliæ, quo in cœlum subuehitur. Christus venit ad nos vt animam nostram cibaret esurientem, non alio cibo quam corpore suo: venit ad nos vt animam satiaret inanem, non alio potu, quàm spiritu suo. Spiritus enim suus est aqua, quam ille dat: vt iam nemo sitiat in æternum. Venit ad nos, vt nudam animam vestiret: non alia veste, quàm se. quia Paulus dicit: Induimini Dominum IESVM. Venit, vt animam nostram incarceratam educeret de ergastulo, vbi non erat aqua: non alia ratione, quàm ipse se clauis in Cruce ligando. Venit colligere animā hospitē & peregrinam nō in aliud hospitiū, quàm in gloriam suam, id est, in se. Si hæc factura, de cœlis ad terram ille descendit: eadem facturus est, qui e terris ad cœlum conscendere cupit. Ioan. 3. 4. Reg. 6. 4. Reg. 1. Ioan. 6. Ioan. 4. Rom. 13. Zachar. 9. Hebr. 11.

Planè

Galat. 5. Planè semina hîc, quod illîc metas. Illic cibaberis pane vitæ,
Psal. 102. & aqua sapientię potaberis. Illic sanabuntur omnes infirmitates tuæ. illic colligetur tua peregrinatio: soluentur q. vincula colli tui. Quæ igitur illic accipies, hic semina. Quæ enim
Isaiæ 52.
Galat. 6. seminauerit homo, hæc & metet. Sed arbitror, longa enarratione ingenium lassauimus tuum.

Duodecimò, Pergamus porrò: Cùm Dominus electorum suorum merita recensuerit, electi respondebunt: *Quando te Domine vidimus esurientem?* Vbi primò nota: ex hoc textu videri Christum non cogere nos, vt quæramus quibus eleemosynam præstemus: sat est, si cùm vidimus esurientem, cibauimus. Nec enim dicit textus: Domine, quando te esurientem requisiuimus: sed quando te esurientem vidimus.

Porro, grauis admodum quæstio succurrit: cur fideles dicant: Domine, quando te vidimus? Siquidem nihil aliud fideles faciebant, cùm dabant eleemosynam, quàm Christum in paupere videre: imò parũ eleemosyna prodesset, nisi pius cum dabat pauperi, Christo se dedisse putaret. Certe nihil aliud ferè clamant predicatores, aut scribunt libri, quàm hæc verba. Si pauperi datis: Christum in paupere attendite, cui detis. Ad hoc respondeo Christũ in die iudicij adeò futurum splendidum, adeò regio splendore fulgentem: vt vix Iosephum sui fratres agnoscant. Vix credi poterit, illum quem
Gen. 46.
Matt. 14. vident adeò summũ esurijsse, aut sitijsse. Profectò cùm discipuli viderũt Dominum ambulantem in fluctibus: cùm item
Matt. vlt. viderunt eum à mortuis surrectum, vix eum esse credebant, quem antea nouerant: quanto potius præ admiratione dicent tunc: Domine quando te vidimus?

Decimotertiò. Huic percontationi respondet Dominus: *Quod vni ex his fecistis*. Quod intellige iuxta dicta, sub hoc sensu: Quando ex spiritu charitatis, & ex spiritu diuino, vni ex his dedistis, mihi dedistis. Dedit igitur Deus, Dedit Deus Deo, & ideo munera Dei Deo data, remunerat ipse Deus nec alia re remunerare debet, quã ipso Deo. ó quam verè dictum
1. Cor. 12. est: Omnes in vno spiritu potati sumus. Ac si diceretur: Spiritus sanctus est mare quoddam. in hoc mare combibiti sunt omnes Christiani, nihil fere apparet aliud, quàm Deus. Et si omnia videntur Deus, ex Deo prodeunt, ad Deum vadunt.
1. Cor. 15. Vere ita est, in cœlo Deus est omnia omnibus: ita & suo modo est omnia in terra in omnibus suis. hæc non expẽdas ad nasum Peripateticum, sed Apostolicum.

Deci-

Decimoquartò, Conuertit Dominus ex pijs ad impios vultum, dicitq; illis: *Discedite à me*. Theologi nos docuerunt ex hominibus quosdam vniri Christo per gloriam. Secundò quosdam per gratiam. Tertiò, quosdam per fidē mortuam. Quartò, per naturam aptam illi cōiungi. Iam cùm dicit: *Discedite à me*. Omnino tertios & quartos expellit, vt nihil illi cum illo habeant commercij. Porrò cùm Christus sit omne bonum, pax, delitiæ, fit, vt discedentibus illis à Christo, incidant in omne malum, inquietudinem, & anxietatem.

Sed mecum te obsecro, expende, non solum Christus est omne bonum, sed est etiam omne esse. Nam ita dixit rogāti Moysi: Ego sum, qui sum. Est igitur Christus esse. Dices: Si Christus est esse, & iubet damnatos à se discedere: ergo iubet eos non esse, scilicet iubens eos discedere ab esse, planè iubet non esse? Respondeo, reuera iubet eos incidere, non solum in non esse, sed in aliquid minus quàm non esse. Esse enim damnationis minus est, peius est, quàm non esse. Melius, inquit Dominus, erat ei, si natus non fuisset. Vide igitur hominum miseriam: iubentur proruere in maius malum, quàm sit non esse. Et sicut esse supernaturale Deitatis, quod Deus pijs dat, exuperat omne esse naturale animalium, cœlorum, & Angelorum, bonumque illud (quò vocantur pij, cùm à Christo audient: *Venite benedicti*) omne bonum naturæ excedit: ita & non esse damnatorum, est non esse supernaturale: quod omne malum, & omne non esse transcendit. O reuera impij maledicti, sane si tantum essent dicti, ex dictione bonum aliquod haberent: at quia non dicti, sed maledicti sunt, ideo nihil bonum, sed omne malum habēt. Vidit Deus cuncta quæ dixerat, & dicendo fecerat: & erant valde bona. Sed miseri hi, non dicti, sed maledicti sunt, ideo erunt valdè mali. Vt igitur pijs dicitur: venite ad summum bonum, ita & impijs dicitur: Discedite in omne malum.

Exod. 3.

Matt. 26.

Psal. 78.

Genes. 1.

Decimoquintò, Sed grandis est difficultas, cur dicit: *In ignem æternum paratum diabolo?* Num ignis corporalis, qualem Theologi fatentur esse ignem inferni, torquere Angelos potest? Ad hoc ego nescio planiorē responsionem, quam si fateamur: ea ratione agere ignem in damnatos spiritus, quo agunt sacramenta in animas nostras. Et quo influit humanitas Christi in sanctos Angelos: ita & ignis ille corporalis influit dolorem acerrimum in angelos malos. Enimuerò, quia spiritus illi tam longe desciuerunt à sua dignitate:

ideo Dominus tam potenter eos abiecit, vt etiam à corporibus spiritus torquerentur. Reges illi erant, desciuerunt à rege regum, torquētur igitur infimo, & indignissimo tormento, scilicet corporalium rerum. Sed intellige tam esse violentum supplicium illud: vt cum summo dolore, facilè verteret Angelum in nihilum (sicut ignis facere solet eos quos vrit:) nisi Deus speciali ordine id non permitteret. Iam si spiritibus illis, si tam magnis peccatoribus, si gigantibus illis, paratus est ignis inferni: ô miseros homines qui eodem supplicio torquendi sunt, si magni illi non poterunt tantum ferre dolorem, quid poterunt homines debiles, ac delicati?

Decimo sextò, Respondent illi: ***Domine, quando te vidimus.*** Dicite mihi, ô miseri, an non fuistis Christiani? An non habuistis fidem, quæ vobis reuelabat, in paupere Christiano diuitē latere Christum? An non sæpè prædicatores audiistis, qui hæc vobis inculcabant? Cur igitur, quasi horum omnium obliti, dicitis, *Quando te vidimus?* Imò verò cùm tot sint in
Ioan. 12. mundo pauperes, vt nunquam non sint obuij, melius diceretis: Domine quando non te vidimus? Neq; enim Christus
Mar. vlt. solùm est nobiscum, vsque ad consummationem seculi, in sacramētis: sed etiam est nobiscum in pauperibus, in quibus esurit, & sitit. Cur dicitis: quādo te vidimus? Sed reuera, vera
Isaiæ 6. dicunt. Primum enim si illorum fides mortua erat oculos habens non videbat, & aures habens, prædicatores non audiebat. Tū si quid videbat eius oculos claudebat culpa, quos posteà aperiret pœna Et demum hic damnatorum gemitus illis est peculiaris. Dicunt enim ergo errauimus, & iustitiæ
Sapien. 5. lumen non illuxit nobis. Et sol intelligentiæ non est ortus
Ioan. 1. nobis. Verùm sane fuit, quòd Christus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: sed illa benigna illuminatione, quà suos illuminat, non illustrat peccatores: illuminat eos ad pœnā, non eos illuminat ad gloriam. Nota igitur, quòd licet fides sit obscura, at quātò magis pius quisq; est, tanto plus luminis habet: & ideo magis dicitur res sacras videre. quantò minus pius est, tantò minus videt, & ideò hi miseri dicunt: *Quando te vidimus?* Fides ergo lumen est: sed charitas est oleum: in quo lumen illud pulchrè resplendet, & sine quo facile languescit. Fides, oculi sunt: quibus fideles vident: sed quantū plus terræ in oculos deciderit, tantò minus
Reg. 3. vident. Heli præ senectute habet caligantes oculos: ita planè cupiditas

cupiditas terrenorũ, senium est: ex antiquo enim Adam illa descendit. sicut charitas est nouitas: ex Christo enim (qui nouus est Adam) emanat, quanto igitur plus cupiditatis, tanto plus senij: tanto igitur plus caligabunt oculi: & ita videre non poterunt templi lumen. Nec te prętereat leuiculum illud, *Quando te vidimus esurientem, & non ministrauimus tibi?* Pij nihil dicunt de ministerio: impij mentione de ministerio faciũt. Sanè quia impij serui sunt, & vt mali serui charitatis idioma non nouerunt: at pij, filij sunt, ideo vix verbũ seruitutis habent in ore. Quia non acceperũt spiritũ seruitutis in timore: sed spiritũ adoptionis clamãtem. Abba Pater. 2 Petri 2. Rom. 8.

Decimoseptimò, Respondet Dominus: *Quandiu non fecistis vni de minoribus*. Nota duplicem esse professionem, alteram Adam terreni, alteram Adam cœlestis. Adam terrenus profitetur cupiditatem: semper ambire, semper ditari, semper in honoribus crescere. Porro cœlestis Adam professio est: minuere ex honore: minuere ex opibus: ex delitijs: imò ex vita ipsa. Omnia enim hæc detrimenta esse existimat, propter eminentem Christi scientiam: rectè igitur illa professio minorum dicitur, quæ semper contendit terrena minuere. Rectè igitur & Christiani dicuntur minores. Vtinam, sicut minores sunt professione: ita sint & pectore. 1. Cor. 15. Philip. 3.

CAPVT XXVI.

Et factum est cùm consummasset, &c.



Dubitatio est Græcis & Latinis controuersa: An eadem mulier sit, quæ apud Lucam capit. 7. vngit pedes Domini, & quæ apud Matthæum, hoc loco, caput Domini vnguento liniuit? Nam Hieron. & Chrysost. duas esse volunt. Origenes verò & Euthimius tres esse asseuerant, Prior fuit peccatrix, apud Lucam. Altera soror Lazari, apud Ioãnem cap. 12. Tertia apud Matthæum, & Marcum: quæ ante duos dies paschæ vnxit Dominicũ caput. Augustinus verò, & reliqui Latini, vnã esse volut Mariã: & hãc Lazari sororẽ, quæ apud Lucam, Ioanne, & Mattheum vnxit Seruatorem. Lucæ 7. Marci 17.

In qua cõtrouersia illud certum est: varia tempora fuisse, quando Christus vnctus fuit: & varia item loca. Nam illa vnctio, cuius meminit Lucas facta est in medio cursu prædicationis

 tionis

tionis Christi: illa verò cuius meminit Ioannes, & illa cuius Matthæus, fuit passioni proxima. Iam illa Lucæ facta fuit in ciuitate. Ita enim Lucas: Venit mulier quæ erat in ciuitate peccatrix. At illa Matthæi, & Ioannis fuit in Bethania, vt expressè ipsi dicunt: Fuerunt igitur duæ vnctiones, diuersis temporibus celebratæ. Hic non est dubium.

Lucæ 7.

Dubium verò est an, illa vnctio apud Ioannem, fuerit eadem illi, quam tradit Matthæus, & primo aspectu diuersa videtur. Nam Ioannes dicit factam ante sex dies paschæ. Matthæus verò dicit: eam quam ipse tradit fuisse biduũ ante pascha: & Ioannes quòd facta fuerit in domo Marthæ & Lazari, nam ministrabat cœnæ Martha: at Matthæus dicit factam in domo Simonis leprosi. Sed controuersia ista, hac ratione conciliatur, quòd eadem vnctio fuerit celebrata in domo Simonis, quæ eadem erat domus Lazari, vt qui fortè erant cognati: ac ita in magna domo simul habitantes. Celebrata verò fuit ante sex dies Paschæ, licet Mattheus eius meminerit in alio tempore. Non enim Matthæus dicit factam biduo ante pascha: sed de ea loquitur, vt notaret occasionē quam Iudas habuit Christi vendendi.

Ioan. 12. *Ioan. 12.* *Eodem.*

Supposito igitur, quod solum bis fuerit Dominus vnctus: reliqua dubitatio est, an Maria soror Lazari vtramque perfecerit vnctionem, an diuersa Maria fuerit? Et equidem cùm Latinus sim, Latinorum opinionē sectari libet. Ea quidem ratione, quòd Ecclesia vnicam Mariam agnoscit, & celebrat: quæ Domini pedes inunxerit. Iam ad textum.

Cùm consummasset IESVS sermones omnes hos. Fateor hic magnum subesse mysterium, licet id ego non penetrē: Primum verò significatur Christum consummasse omnes sermones, omnem doctrinam, omnem sapientiam, quæ saluti hominũ necessaria erat. Itaque quantum ad eruditionem attinebat: Christus ita verbo erudierat populũ: vt si populus mandata quæ tradita erant, seruasset, sine dubio perfectissimè sanctimoniam, & cœlestem gloriam comparasset.

Sed illud adde: Consummauerat Christus doctrinam, miracula, viuendi modum, hominibus & Angelis admirāda, & stupenda. His consummatis venit ad passionē. Nec enim res tantæ præcedentes alium debuerant habere finem, quàm passionem. Tanta est celsitudo passionis Christi, vt esset necesse talem vitam, talem doctrinam eam præcessisse. Passio, Deo gloriam restituit, Angelorum ruinas reparauit, cœlum ciuibus

Psal. 109.

ciuibus repleuit, hominibus gratiam meruit, iustis gloriam cōparauit: peccatum & mortem dānauit, diabolum viribus attenuauit, infernum captiuis expoliauit. Tanta fuit passio Christi, vt eius celsitudinem sola Dei lingua posset explicare. Rem igitur tantā tanta vita, tanta miracula, tanti sermones præcedere debuerunt: quæ cū Christus cōsummasset, ad illam deuenit. Si teste Augustino: Laurentius martyrij gloriam non meruit, nisi vitæ illustrissimis meritis: an non sequens est, vt Christus ad celsitudinē passionis non venerit, nisi summa vita, summisq; sermonibus iam consummatis? *Zach. 11.* *August. in Ser. de D. Laurētio.*

Scitis quia post biduum Pascha fiet. Ita erat decantatum: Venite, reuertamur ad Dominum, quia ipse cœpit, & sanabit nos: percutiet & viuificabit nos. Viuificabit nos post duos dies. Et in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius. Scio hæc ad resurrectionis diē referri. Sed forsan quòd dicemus, videbitur accōmodū. Dies prima fuit legis naturæ, quæ ab ortu Adæ ad Mosen durauit. Dies secunda fuit legis veteris. Lex enim lux est, quâ oriēte, dies oritur. In his duobus diebus non est genus hominū viuificatū. Post duos hos successit tertius legis gratiæ, qui in Christi passione, deficiente veteri lege, splendere nimiū cœpit. Igitur Dominus inquit: Post biduum legis naturæ & scripturæ, verum pascha fiet per quod agnus verus immolatus, tenebris priori-bus dissolutis, nouum mundo lumen exhibuit. Scio quibusdam videri hoc improprium: vt qui credant legem gratiæ non in Christi passione, sed in Natiuitate, aut Conceptione cœpisse. Sed hi satis produnt suam in lectione Autorum tenuitatem. *Osee 6.* *Psalm. 18.* *Exod. 12.*

Sed & hoc accipe: Deus in prima mundi conditione lucem formauit. de qua dixit quòd esset bona. Cuius lucis reuolutio diem primum constituit. Fecit rursum diuisionem aquarum ab aquis, factusque est dies secundus, de quo non dixit Deus quod esset bonus. Addidit porrò, & congregauit aquas in vnum: apparuitq; arida, & produxit herbā, & omnem fructū. Fuit hic dies tertius, cui benedixit Deus. An nō hæc omnia planè nostrum mysterium significabant? Formauit Deus Adam luce gratiæ, iustitiæ originalis, sapientiæ infusæ splendētem: prodijt lux legis naturę, bona sanctaque fuit hic primus dies cui misera errorū ac tenebrarū vespera successit. Post hunc priorem diem, lex Mosis lata est. Velut quoddam firmamentum, inter Iudæos & gentiles. Ita enim *Genes. 1.* *Eodem.*

Ephes.2. Paulus legem Iudæorum medium parietem maceriæ nuncupauit. Quæ quidem lex, cum suos obseruatores ad perfectam iustitia adferre nō posset, non est à Deo adeò laudata. *Hebr. 7.9* *Exec. 20.* Imò verò Ezechiel Dei authoritate clamat: Dedi eis præcepta non bona, & iudicia in quibus non viuent, & pollui eos in muneribus suis. & Paulus eam legem vocat virtutē peccati, & ministrationem mortis & damnationis. *Rom.7.* *2. Cor.3.* Post hoc biduum, inquit Christus, pascha fiet: huic biduo succedet noua lux: quæ depulsis aquis vitæ carnalis, & terra Ecclesiæ ab his aquis iam libera, germinare fecit omne virtutū genus. Terra enim nostra dedit fructum suum. Id si non credis, cōijce oculos in primitiuam Ecclesiam, & vere dices, Ecclesiā terram esse germinantem, lætam, omni pulchritudine florum ornatam, omni copia fructuum diuitem.

Zach. 3. Est apud Zachariam verbum hoc: Erunt in omni terra dicit Dominus. Partes duæ in ea dispergentur & deficient, tertia pars relinquetur in ea. *Genes. 5.* Certè homines qui in lege naturæ fuerunt, fere defecerunt. *Ysaiæ 53.* Corrupit enim omnis caro viam suam. Homines in lege Scripturæ fere defecerunt: omnes enim declinauerūt. & abominabiles facti sunt, vt Paulus ad Romanos cap. 1. & 2. docet. Tertia igitur pars quæ post biduum est, fruens luce Christi, edens ex agno paschali, euadit gladium Angeli exterminatoris.

Exod.12. *Post biduum pascha*, id est, transitus fiet. Transibit enim populus qui Christo adhæserit, ex lege Mosi ad legem Christi: ex vmbra ad veritatem, ex tenebris ad lucē, ex figuris ad figuratum, ex timore ad amorem, ex peccatis ad gratiam, ex Ægypto ad desertum. Imò ex deserto, ad terram Promissionis. Imò ex exilio ad paradisum. & ex mundo ferè ad cœlū, *Philip. 3.* nostra enim conuersatio in cœlis est. Vbi consedere nos fecit Deus in Christo. *Ephes.2.* Certè per passionē suam Christus transiuit ex vita ad mortem, & per resurrectionem, ex morte in vitam, & per ascensionem, ex seculo in beatam fœlicitatem: ita & nos cum eo, ex vita carnali transimus ad mortem seculi. Et ex morte seculi ad vitam spiritualem: ex quâ vitam beatam expectamus. Vbi non iam pascha nec transitus vltrà erit. *1. Cor. 7.* Dum enim in seculo sumus, vita nostra transitus est. Eâ enim ratione Iudæi Hebræi vocati sunt, id est, transeuntes: transit enim vita, transimus, nos cum ea, præterit enim *Iacob.1.* figura huius mundi. At illa beata fœlicitas æterna est, in quâ non est trāsmutatio, neq; vicissitudinis obumbratio. id est, non

est, non est vel vmbra, vel vestigiū mutationis aut transitus.

Et Filius hominis tradetur. Hebræis idem est Filius hominis & homo. Ita enim frequēter Deus Ezechielem vocat filium hominis, id est, hominem. Christus igitur Filius hominis, id est, homo. Vt cùm audis Christum, non vnum singularē hominem solū intelligas: sed intelligas omnes in eo homines. Nostram in eo intelligas naturam: In Christo enim omnes viximus, crucifixi sumus, sepulti, & mortui: vt Caius Papa, & Leo etiā sanctissimus & doctissimus Pontifex decreuerunt. Quorum Pontificum hæc sunt verba: singulares in singulis mortes fuerunt: nec alterius quisquam debitum suo fine persoluit. Cùm Filius hominis, vnus solus, Dominus noster Iesus Christus (verè agnus immaculatus) extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes etiam sunt suscitati. Hęc Pontifices, quibus accinit Paulus: Sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes viuificantur Sicut enim Adam vnus erat: eramus tamē nos omnes in eo, ac ita peccante eo, peccauimus omnes. Ita & Christus vnus erat, eramus tamen omnes in eo, noua per fidem generatione. Ac ita eius merita omnibus (si ipsi volent) fidelibus applicantur.

Cuius Epist. decretali ad Fœlicē. Idem Leo. 1. Epist decretali.
1. Cor. 15.
Rom. 5.
Luc. 22.

Ergo cùm Pilatum audis: Ecce homo, intellige Ecce omnes homines (de quo posteà) ita & nunc, inquit Dominus: *Filius hominis*, id est, homo, id est, omnes homines, membra, scilicet, cum capite.

Hic igitur Filius hominis tradetur, dimittetur & permittetur. Quæris cui permittetur? Certe Iustitiæ diuinæ: mundo, hominibus, dæmonibus. Recte enim Christus ad ministros: Hæc est, inquit, hora vestra, & potestas tenebrarū. Id est: Data nunc vobis facultas est, permittitur vobis agere quod velitis, permittitur omnibus tenebris, id est, omni regno tenebrarū. vt rabiem, furias, & violentissimos impetus in me exerceant. Recte item Christus ad Pilatū: Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datū esset desuper. Nisi enim hæc fuisset facta permissio, tota natura insurgeret aduersus Iudæos accusatores, & Gētiles occisores. Imò & ii ipsi qui impio facinori animum linguas & manus admouebant, suum autorem reueriti cecidissent. Sicut retrorsum ceciderunt ministri illi qui animo rabiente, Christum volebāt cōprehēdere. Ab hoc igitur momēto, quo Dominus dicit: Filius hominis tradetur, permissi sunt Iudæorū

Ioan. 18.
Ioan. 19.
Ioan. 18.

principes congregare sua concilia, Iudas de pretio traditionis pacisci, mundus ac infernus contra Christum armari. Expende obsecro, eas quas Christo hominũ genus intulit iniurias non poteris, non credere, nisi quòd totus infernus contra Christum conspirarit.

Id igitur est quod dicit: *Filius hominis tradetur, vt crucifigatur*, id est, vt morte turpissima condemnetur. Vt omni genere, omni arte iniuriarum, afflictionum, & tormentorum affligatur. Vt verè Christus dicat: Circundederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me: tribulationem & dolorem tantum inueni, vt necesse fuerit, nomen Domini inuocare. Crucis igitur tormẽta, Christus vocat pericula inferni: quia nullus dolor in vita, sed solum in inferno maior inueniri potuit.

Sapien. 2.

Psal. 114.

Tunc congregati sunt principes sacerdotum, & seniores populi, in atrium principis sacerdotũ, & consilium fecerũt, vt Iesum dolo tenerent. In principibus sacerdotum summam religionis, quæ tunc erat intellige. In senioribus populi, summam prudentiam, populi grauitatem, & autoritatem vides. En regio humana, sapientia, & grauitas hominũ conuenit vt Iesum dolo teneat: Itaque simul ac permisit Deus Christũ suũ hominum volũtati, tota hominum maiestas contra Deum armatur. Si Deus non custodit ciuitatem frustra vigilat, qui custodit eam. Si Dominus non seruat cor humanũ, facile contra Deum insurgit. Rectè & sapiẽter Psaltes inquit. Filii hominum, vt quid graui corde? cur habetis cor graue? quòd sua spontè in malum ruit, quasi si lapis sursum teneatur, statim vt relinquitur, ruit, quia graue est: ita cor nostrum graue est, vt Deus relinquit ipsum agere quæ sua sunt, Deo suo bellum mouet. Nec enim mora fuit: sed vt Christus dixit, *Filius hominis tradetur*, congregantur principes contra Dominum. An non vides verum esse illud: Sensus & cogitatio humani cordis in malũ prona sunt, idque ab adolescentia. Si in malum sensus nostri inclinant: statim vt relinquuntur, in malum appetunt. Concludit ergo meritò Ieremias, Prauum est cor hominis præ omnibus. Et quidem ego non miror quòd relictum à Deo cor, in malum contendat. Scio enim verum esse, quòd iniquitas super talento plumbi sedeat. Vbi ergo iniquitas est: ibi sedem suam collocat. Si in corde iniquitas est, in corde talentum plumbi erit. Id talentum grauabit, deorsumque cor nostrum cadere faciet. Nec modò cor in malum

Psal. 126.

Psal. 4.

Genes. 8.

Ierem. 17.

Zach. 5.

malum propensum viri habent iniqui: audi quid Paulus iam Apostolus dicat: Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in legem peccati. Paulum etiam, lex membrorum suorum in legem peccati captiuum ducit. O verè captiui clamorem, ô iustam querelam! Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? O vere gemitum grauati pectoris: Factus sum mihi metipsi grauis. Rom. 6. Iob 7. Psal. 37.

Finiam locum hunc, si illud vnum adiecero. Ne auertas, inquit Psaltes, faciem tuam à me. quid vereris ô rex, si auerterit faciem suam Dominus à te? Respondet: Si auerterit, assimilabor descendentibus in lacum, id est: Ruam in peccatū, vnde gradus est, vt proruam in æternæ damnationis lacum. Ergo auertit Dominus faciem suam à Principibus, & à senioribus: & statim colligunt consilium contra Iesum, contra Deum, Messiham, vineæ hæredem, patris familiâs filium. & congregant consilium contra eum, vt eum dolo teneant: & tandem vt occidant. Itaque peccator ex vno præcipitio in aliud: & ex hoc in profundum malorū proruit. Primum, fuit consilium contra Iesum: Secundum malum fuit Iesum dolo tenere. Summum & vltimū, fuit occidere. Caue igitur ne cadere incipias. Matt. 25.

Dicebant autem: Non in die festo. Imò verò erit agnus immolandus, ô Pharisæi, in die festo, in die lætitiæ, & exultationis. Dictum quippe erat in Canticis: Egredimini & videte filiæ Sion, regem Salomonem, in diademate, quo coronauit eum mater sua: in die desponsationis illius: & in die lætitiæ cordis eius. At certum est Synagogam Christi matrem, Christum coronasse spineo diademate, in die passionis eius, quando Ecclesiam desponsauit. Eum diem dicit, esse diem desponsationis, ac proinde festum: vnde asserit, esse diem lætitiæ cordis eius. Repugnent igitur Iudæi, agnus tandē immolandus est, in festo, & in die lætitiæ, An non dies lætitiæ, & festi est, qui optatissimus adest? At diem passionis optauerat vehementissimè Christus. Dicebat enim: Ignem veni mittere in terrā, & quàm cupio vt accendatur? Baptismo habeo baptizari, quomodo coarctor donec fiat! Erat baptizandus in sanguine suo, & cum diē sibi summis votis optat venire. Est igitur agnus occidendus in die festo, in die læto. Cantic. 3. Luca 12.

Dices: An non lachrymosus dies ille fuit, quo fuit agnus occisus? cur diem, in quo sol, luna, terra, imò & lapides Matt. 27.

doluerunt, festũ & lętum vocas? Ita planè lachrymabilis dies est, si spectes vulnera, vibices, & tormenta Redemptoris. At si fructum qui in die nascebatur spectes, an non tibi dies videbitur lætissimus? quo Deo summa gloria, Christo summa victoria, homini copiosissima redemptio, cœlis optata reparatio, terræ à peccatis emundatio cõtigerunt? Et quidem diebus antiquis nõ meliori ratione dies festi agebãtur, quàm taurorum & aliorum pecudum immolatione. Ita enim cre-
3. Reg. 8. debant patres illi vetusti Deo se gloriam exhibere. Quantò
2. Par. 35. festiuior dies, quo in Dei gloriã, Christus summus Pontifex, se Patri sacrificauit, & priora illa sacrificia absoluit & consummauit? Igitur licet Pharisæi rumpantur, immolabitur agnus in die festo.

Quòd verò dicunt, *Ne fortè tumultus fiat in populo*: licet imprudenter, rectissimè tamen dixerunt. Et equidem quacunque die Christus immolaretur, tumultus erat futurus, non solùm in populo, sed & in cœlo, sed & in terra, sed & in inferno. Si enim Dominus creaturis laxasset habenas, an non Angeli de cœlo impetu facto, contra Iudæos, & Gentiles
Num. 13. irrupissent, ne sacrilegas in Christum manus admouerẽt? An non terra dehisceret vt (cùm Dathã & Abiron) nefarios illos
Ionæ 3. ministros absorberet? An nõ infernus sine numero suum os aperiret, vt sicut cetus Ionã, ita infernus funestissimos illos, sed non euomendos, deuoraret? Certè non erat opus rogare
Matt. 26. Patrẽ: vt exhiberet Angelorũ legiones: sat fuisset si Christus
Sapien. 5. eas venire voluisset, fuerẽt omnes in sui ministeriũ creatoris. Profectò armabũtur creaturę in die Iudicij cõtra insensatos: an non etiã, armarẽtur in die passionis? in qua sicut affectum
Matt. 27. quẽ Deo suo debebant, suo dolore monstrarunt: ita eundem affectum suo furore mõstrassent, si ita Christus voluisset. Sed qui se morti obtulit, tumultũ in orbe compescuit, ne mors tam desiderata impediretur.

Cùm autem esset Iesus in Bethania, in domo Symonis leprosi, accessit ad eum mulier, &c. Iudicio meo Christus in Bethania Filium Dei in nostra carne habitantem designat. Bethania significat domum obedientiæ, & auditionis Dei, & responsionis Dei. Quæ tria nulli nisi humanitati Christi integrè competere possunt. Quem dabis mihi ita obedientem, vt Christi humanitatem? Quid aliud intelliges, cùm audis: Pater
Lucæ 21. non quod ego volo, sed quod tu quàm Filium Dei in domo obedientiæ commorante? & illud: In capite libri scriptum est

est de me: vt faciam voluntatem tuam. Deus meus volui: & legem tuam in medio cordis mei? An non vides Filium Dei in domo obedientiæ? *Psal. 39.*

Porrò humanitas illa domus est exauditionis. Imò nullus à Patre auditur, nisi in hac domo precetur. Christus enim auditur pro sua reuerentia: & omne iudicium, omne negotiū, omnis denique causa, Christo Filio hominis commissa est: vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Neque enim vel ipse Moses exauditur: vt gloriam Domini videat, nisi steterit in Petra (Petra autem erat Christus.) ita enim habetur: Est locus apud me, stabis supra petram: cùm transibit gloria mea, ponam te in foramine Petræ, &c. Idem clarius in Canticis: Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua, in auribus meis. Tunc, inquit, sonet vox tua, tunc ostende faciem tuā: cùm steteris in foraminibus petræ, & in cauerna macerię. Est igitur Christi humanitas Oraculum, Sancta sanctorum, Propitiatorium, vbi Deus non exaudit. in cuius rei testimonium Ecclesia sancta orare & exaudiri se existimat, cùm per Iesum Christum Dominum orat. *Hebr. 5.* *Ioan. 5.* *Exod. 33.* *Cantic. 2.* *Rom. 3.*

Demum eadem humanitas, domus est responsionis. Dabant olim dæmones ex tripode responsa: respondebant in lauri foliis, in fœminarum ventribus. At Deus delegit sibi aliud oraculum multo diuinius: ex quo toti orbi loqueretur. Videlicet, Christi humanitatem. Dicit enim Deus de Christo suo: Ponam verba mea in ore eius, vt plantet cœlos, & fundet terram, vt dicat populus meus es tu. Quam rem Christus nobis reuelauit, dicens: Doctrina mea non est mea, sed eius qui misit me Patris. Et item: Verba quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor: sed Pater in me manens, ipse facit opera. Et item: Verba quæ dedisti mihi dedi eis. Igitur Filius Dei in humanitate, est Christus in Bethania. *Isaiæ 15.* *Ioan. 14.* *Ioan. 17.*

Et equidem Christus in humanitate, est in domo Simonis leprosi. Non quod lepram humanitas haberet ex se: sed quia humanitas illa nos omnes habebat, vt membra. & si nos eramus leprosi, meritò in domo leprosi Filius Dei habitare dictus est. Ipse enim languores nostros tulit, & dolores portauit. Vnde rectè dictum est: Vidimus eum despectum, nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem. Et profectò, si languores nostros ipse tulit: languores *Isaiæ 53.* *Isaiæ 53.*

vero

verò nostri lepra sunt, igitur lepram nostrã ipse tulit. Igitur leprosus est, non lepra culpæ: sed pœnæ, peccatis nostris de- bitæ. Vnde nos reputauimus eum leprosum, percussum à Deo, & humiliatum. Probatum mihi hac ratione sit, Filium Dei in sua humanitate, significari per Christum in Bethania, & in domo Simonis leprosi morantem.

Eodem.

Meritò igitur ad Christũ in humanitate mulier accedit, id est, accedit Ecclesia: accedit, & quilibet nostrum. Vbi enim (vt oleum) effusum est Dei nomen in terram, factum ilico est, vt adolescentulæ sponsum diligerent. Rogarentque, vt traheret eas post se, & currerent in odorem vnguenti, super terram effusi. Quis nesciat Filiũ Dei, nomen esse Dei? Et quis nesciat hoc nomen super terram effusum, cùm Filius Dei in terra visus, & cum hominibus conuersatus est? At nemo nescit, Ecclesiam huic Emmanueli adhesisse. Accessit igitur mulier ad Christum, sed nonnisi in Bethania, nonnisi in domo leprosi. Cùm enim Filius Dei cardines cœli perambulabat: tunc vix notus erat nisi in Iudæa Deus. At cùm idem tanquam sponsus processit de thalamo suo, exultauitq; vt curreret viam suam: tunc nemo fuit, qui se à calore eius absconderet. Calfacta verò eo calore anima, & eo lumine illustrata, ad ipsum Solem accessit. Accessit igitur mulier.

Cantic. 1. *Baruch 3.* *Isaiæ 7.* *Psal. 75.* *Psal. 18.*

Quæris porrò quod sit alabastrum, quod hæc mulier habet? quid etiam vnguentum in alabastro contentum? Certè alabastrum ex terra, corpus nostrum designat. Vnguentum pisticum pretiosum, animam fidelem, & Deo pretiosam ostendit. Vt enim iniquus homo alabastrinum sepulchrum est: non vnguento, sed ossibus mortuorum plenum: ita contra, vir pius alabastrinum vas est, pistico vnguento, & pretiosissimo plenum.

Matt. 23.

Iam quod mulier alabastrum frangat, sanctos martyres demonstrat, corpora sua fractioni exhibentes: vt animam sacram in corpore clausam, in Christi honorem effunderent. Quid enim sunt sancti lapidati, secti, in occisione gladij percussi, ludibria & verbera experti, quàm alabastra defracta, vt caput inde Christi, (eius videlicet Diuinitas) vnguento delibiatur, & totus hic mundus boni odoris fragrantia redoleat? Quid verò mirum est, si effundere mulier suum vnguentum, (id est, suum spiritũ) in Christi gloriam exoptet, quando videt Deum ipsum, oleum esse effusum, vt eo oleo vulnera nostra sanaret?

Hebr. 11.

Quòd

Quòd si multi ex nobis, qui Christo accessimus, alabastra nostra non frangimus, id quidem non est, quia non libet, sed quia non oportet, vasa nostra cõfringere. Nec enim sunt, qui ob Christi nomen occidãt tyranni. Veruntamen, voto præstamus, quod re non possumus. Lucæ 10.

Imò verò quotidie mortificantes mẽbra nostra quę sunt super terram, quotidie etiam alabastra nostra cõfringimus: vt inde vnguentum desideriorum, Christi caput perungat. Et memento, quod milites Gedeonis sua vasa frangentes, vt lucis splendore fulgente, Madianitæ fugentur: significarunt Christianos, corpora sua mortificantes: & sanctos martyres corpora sua fractioni exhibentes, vt Christi lux, in vnguẽto animæ refulgens, triumphum de dæmonibus reportaret. Coloss. 3. Iudic. 7.

Quadrat verò quod sequitur: *Domus impleta est ex odore vnguenti.* Nunquam enim ita mundus virtutis odore fragrauit: vt quando sancti martyres martyrio sua corpora exposuerunt. Nunquam fumus ex orationibus sanctorum ascendens gloriã Dei ita repleuit: quàm cùm sancti illi in tyrannorum ignibus ardebant. Apoc. 8.

Porrò martyribus corpora sua frangentibus, & viris pijs carnem suam mortificantibus: multi ex his qui pij iudicantur, insurgunt, indignatiq; & molestè ferẽtes, dicunt: *Vt quid perditio hæc?* Poterãt hi homines in mũdo manere: & vtilitatibus indigentium deseruire. etiam si eorum opera magno pretio redimeretur. Poterat sapiẽs manere in vsum insipiẽtium, diues in vsum pauperũ, maritus in vxoris & filiorum vsum. Vt quid ergo perditio hæc? cur se isti morti deuouẽt, quorum vita tam multis erat necessaria?

His respondet Dominus: *Quid molesti estis huic mulieri? Bonum opus operata est in me.* Maius enim opus, & maiorẽ charitatem nemo præstare potest, quam vt animam suam effundat pro Deo suo. Non deerunt indigentibus, qui illorum inopiam subleuent. Hi verò interim animam suam effundentes, ad sepeliendum me eam effuderunt. Fateor hæc verba esse difficillima: sed quæ lucem ex Paulo habere possint. Inquit ille: Qui baptizati sumus, in Christi mortẽ baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, vt quomodo Christus surrexit à mortuis: ita & nos in nouitate vitæ ambulemus, id est, cùm Christianus baptizatur, Christi sepulturam repræsentat. Christus ponitur sub terra: Christianus sub aqua: Christus triduo iacet: Ioan. 15. Rom. 6.

Christia-

Christianus ter sub aqua mergitur. Christus non sepelitur, vt mortuus maneat: sed vt resurgat ad vitæ nouitatem: Christianus non mergitur, vt sub aqua perseueret: sed vt resurrectus in vitæ ambulet nouitate. Renouat igitur Christianus Christi in se sepulturam. Et perinde est Christianum baptizari, ac si nunc cum Christo sepeliretur, & cum eodem de nouo resurgeret.

Rom. 6. Iam quod de baptismo fluminis Paulus dixit, id de baptismo sanguinis potiori ratione fas est intelligere. Ergo martyr qui in suo sanguine baptizatur, id ad sepeliendũ Christũ facit, id est, ad repræsentandam in se Christi sepulturam. Perinde faciens, ac si nunc cum Christo de nouo sepeliretur: vt cum eo nouitatẽ vitæ æternæ accipiat. Quid igitur martyribus molesti estis, animam suam pro me ponentibus? Si propter me moriuntur, putate eos mecum mori, & mecum sepeliri: vt mecum, in æternitatem vitæ resurgant.

Sed & illud adde: *Effundens*, inquit, *hæc vnguentum, ad sepeliendum me fecit*. Id est, quia sciebam, quod martyres essent animas suas propter me fusuri: & propter me sepeliendi, id me mouit: vt prius ego pro illis animam funderem: & sepulturæ me tradi permitterem. Et equidem, si nondum pro illis animam fudissem, si nondũ sepultus essem: illa martyrum charitas, morti me adigeret, & sepulturæ.

Demũ, illud verbum, *Ad sepeliendum me fecit*, ita intelligi potest, id est, in gloriam & memoriam sepulturæ meæ fecit. Videntes enim martyres Christum pro eis sepultum: volũt
Rom. 6. ipsi pro illo mori & sepeliri. Vt enim Paulus dicit, quòd qui baptizantur, in mortem Christi baptizantur, id est, in memoriam & repræsentationem mortis Christi baptizantur: Ita Christus dicit: Martyres qui sepeliuntur, in sepulturam eius sepeliri: id est, in memoriam & repræsentationem sepulturæ Christi.

Tunc abijt vnus de duodecim. Id est, tunc abire permissus est vnus de duodecim, ad summũ omnium seculorum facinus perpetrandum. Cur verò potius est Iudas, quàm Ioannes abire permissus, noli perscrutari, si non vis errare: inquit Augustinus in simili exemplo. Fateor loculos habuit Iudas: qui ei fuerunt criminis occasio. Vt nos etiam tanti sceleris occasionem pertimescamus. Sed tandem cur sit abire Iudas
Rom. 9. permissus, Paulus ostendat, cùm dicit: Cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Nos interim aduertamus, quò

malorum humana natura sibi permissa relabitur. Labitur enim vt triginta argẽteis Christum, dæmonibus verò suam animam tradat. Tradit verò Iudas Christum, quem sanctũ, quem Messiham, quem Filium Dei ante cognouerat. Imò quem Deum esse credebat: viderat enim Iudas, suum patrem à lepra, & suam matrem à paralysi, per Christum, miraculosè sanatos. An non id satis erat, vt eum Deum esse cognosceret? Expende igitur quis tradat quem, quibus, & in quem finem. *Ita Augustinus asserit.*

Porrò hæc me historia multum timere facit. Video enim in Christi collegio vndecim pios, qui pro viribus Christum seruare volebant. Video vnum solum iniquũ: à quo tandem Christus, suis hostibus proditus est. Itaque plus valuit vnius malitia ad prodendum, quàm vndecim bonitas ad seruandum. Quæ nunc spes mihi erit, siquidem in collegio membrorum meorum, vix vnum est, quòd me seruare cõtendat. Omnia verò sunt, quæ in meam proditionem conspirant. Nam Paulus in omnibus membris, dicit esse legem, in peccatum nos captiuantem. & Christus dicit, non vnum domesticum esse nostrum inimicum: sed quod inimici hominis domestici eius. Et quòd terribilius est, non solùm domestici nostri, sunt inimici nostri: sed vt Sapientia dicit: Creaturæ Dei in odiũ factæ sunt, & in tentationem animis hominũ, & in muscipulum pedibus insipientium. *Rom. 6.* *Matth. 7.* *Sap. 14.*

Libet hoc loco id aduertere, quòd in collegio suo, omne genus ferè peccati Dominus permisit, vna excepta luxuria. Permisit Thomam incredulum: ita enim illum admonet Christus: Mitte manum tuam huc, & noli esse incredulus. Quin & discipuli ferè omnes fuerũt infideles. Nam recumbentibus illis, apparuit illis Iesus, & exprobrauit incredulitatem, & duritiam cordis. Permisit eorum ambitionem, & superbiam. Nam Iacobus & Ioannes petunt dextram Christi & sinistram. Quin & omnes Apostoli contendunt, quis eorum videretur esse maior. Iam in passione omnes fugiunt, Petrus negat, & est Iudas auarus. Omnia permisit Christus: Sordes carnis non permisit. *Ioan. 20.* *Marc. vlt.* *Matt. 20.* *Luc. 21.* *Matt. 26.*

Id etiam aduerte. Primum inter Christianos simoniacum fuisse Iudam: Christum enim rem sacratissimam, pretio vendidit. Id verò crimen Deus suspendio & desperatione patitur. De triginta argenteis, capite sequenti erit commodius dicendum.

Prima autem die azymorum. Primum quod hoc loco tractandum occurrit, solennis illa disceptatio est: in qua Latini cum Græcis adeò contendunt. An scilicet Dominus cœnauerit decimatertia luna, cùm adhuc fermentatũ in domibus Iudæorum reperiebatur: an verò decimaquarta, cùm iam fermentatũ non apparebat? Græcorum enim pleriq; aiunt: Dominũ decimatertia luna cœnasse. Quá ratione & Græca Ecclesia, non azymo, sed in fermentato Eucharistiam conficit. Eam sententiam multis argumentis probant. Sed eorum maximum est, quòd Ioannes inquit: sexta feria Iudæos non introisse prætorium, ne contaminarentur: sed manducarent Pascha. Igitur sexta feria Iudæi manducabant pascha, sed lex iubebat manducari pascha luna 14. Ergo sexta feria erat luna 14. Quo fit vt feria quinta (quâ cœnauit Dominus: fuerit 13. luna. Porrò Latini (vt hoc & similia argumenta dissoluant) variè respondent. Paulus enim Burgensis, in Annotat. super caput hoc, rem nouã adfert. Videlicet, morem fuisse Iudæis, certis quibusdam causis, sua festa transferre, id est, ex vno die in alterum differre. Quo fit: vt quia causæ transferendi occurrerunt tempore passionis Domini: paschæ solennitas translata sit, ex feria quinta, (quando erat naturalis luna 14.) in feriam sextam: quam etiam vocabant decimamquartam, non naturalem, sed legitimam.

Ioan. 18.

Exod. 12.

Christus igitur vt verus legis obseruator, solennitatẽ paschalem in naturali luna 14. celebrauit. Plebs verò Iudæorũ, ex more suscepto eam celebrauit in sexta feria (quæ erat 14. legitima, non naturalis.) Quâ causa Iudæi non intrant sexta feria in prætorium, vt pascha manducent.

Hanc plausibilem sententiam sequuti sunt Paulus Midelburgẽsis, Episcopus Forosempronianus: lib. de celebratione Paschę: & Ioannes Hentenius Hieronymianus in Annotat. ad Euthymium.

Ex Latinis, alij putant hanc sententiam esse fabellam. Primùm, quia Marcus capite decimoquarto inquit: prima die azymorum (quando pascha immolabant,) dicunt ei discipuli: quo vis eamus, &c. Igitur in primo die azymorum, quando discipuli parauerunt, & Christus cœnauit: immolabant & reliqui pascha. Secundo, inquit Lucas: Venit dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha, & misit Petrum & Ioannem. Igitur in primo die azymorum, quando erat necesse occidi à Iudæis pascha, mittit Christus Petrum & Ioan-

Luca 22.

& Ioannem: vt parent solennitatem. Ipsi parant, & Christus cœnat. Simul ergo celebrant pascha, & Christus & Iudæi. Non igitur diuersis diebus.

Hæc duo argumenta necessario Græcos in hanc sententiam cogunt: vt eodem die celebrarit Christus pascha, quo celebrabant Iudæi. Non igitur iniuria eorũ sententiam Latini vnanimes refellunt.

Vnum illud argumentum quod ex Ioanne attulerũt nos vrget. Quomodo Ioannes dicat, Phariseos nõ introisse prętorium, ne contaminarentur, & manducarẽt eo die Pascha? Sed respondet Chrysost. Pharisæos occupatos in Christo compræhendendo, interrogando, condemnando. eam noctem (quà erant agnum immolaturi) cõsumpsisse, quà causa solennitatem in diem sequentem distulisse.



Nescio vero an aptè responderi possit. Pharisæos illos, & scribas (superstitiosissimos) non solùm incõtaminatos voluisse agnum manducare: sed etiam incontaminatos totam paschæ festiuitatem celebrare. Quà ratione volebant non introire prætorium: vt incõtaminati, dies illos septem paschæ transigerent. Non libet in hac re morari: Res enim est omnibus tractata.

Ad textum venio in quo discipuli Christum rogant: *Vbi vis paremus tibi comedere Pascha?*, & Dominus respondet: *Ite in ciuitatem & occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans. Sequimini eum in domum, quam ille intrat: ibi pascha fiet.*

Non potest hic non grande subesse mysterium. Nam & Abraham misit seruum suum: qui spõsale festum Isaac filio suo pararet. Seruo verò venienti, Rebecca occurrit lagenã aquæ portans: quę illi cœnaculum grande ostendit, vbi sunt festa parata. Eleganter enim textus inquit, Rebeccã dixisse, Est apud nos spatiosus locus ad manendum, quasi diceret: Est apud nos cœnaculũ grande stratum: vt festus in eo dies agatur. Ergo cum est desponsandus Isaac locum desponsationis, puella lagenam aquæ portans ostendit. *Gen. 34.*

Rursum: Cum est inaugurandus regno Saul, puellæ lagenam aquæ portantes, locum vbi Samuel cõmoretur, & vbi sit eo die solenne epulum celebraturus, demonstrant. Adde & illud quòd Samaritana lagenam aquæ baiulans, Christo in Samaria locum parat. Vbi Christus panem spiritualem, id est, animas Samaritanorũ dulcissimè comẽdit. Nunc verò Christo cœnaturo cum discipulis suis: & desponsationem *1. Reg. 9.* *Ioan. 4.*

cum Ecclesia celebraturo (vt Isaac cũ Rebecca:) & sui regni
Luce 22. spiritualis primordia inituro (vt alter Saul) homo lagenam aquæ portans, locum vbi hæc festa celebrentur, ostendit. An non tibi hic res aliqua grandis & grauis, notari videtur? Age si quid datur intelligi proferamus in medium.

Nihil apud mortales esse grauius potest, quam scire vbi Christus sua peragat festa. In ea enim re nos dicimus errare Iudęos, Mauros, Paganos. Quia videlicet, alibi credũt festum paschale peragi, quam reuera peragatur. Nec immeritò an-
Cantic. 1. gitur sponsa, à sponso requirens: Indica mihi vbi pascas, vbi cubes: ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.

Sunt certè omnes homines hominis Christi sodales: quorum multi (vt infideles) vagantur errantes: dum inquirunt, vbi Deus pascat, & cubet? vbi, scilicet sua celebret festa? Rogat propterea enixius sponsa? Indica tu mihi vbi pascas? ne errem cum alijs errantibus. An non grauissima res est, quam Apostolicum sponsa requirũt: vbi pascha celebret Christus? Igitur Lector tecum cogita: nihil potuisse maius à Christo requiri, quàm vbi parabitur tibi pascha: vbi es festum tuum celebraturus: vt te ibi reperiamus? vbi es Ecclesiæ desponsandus: regno inaugurãdus: & sunt homines ad tuam fidem conuertendi?

Huic quæstioni respondet Dominus: *Ite ad eum, qui lagenam aquæ portat: ille docebit, vbi erit pascha celebrandum.* Vbi fateor Mosen per lagenam aquæ portantẽ, posse significari. Siquidem Moses lagenam aquæ frigidæ portat: Christus
Ioan. 3. verò aquam hanc in vinum spiritus feruidum cõuertit. Lex
Actor. 2. enim vetus, per literã, aqua frigẽs est. Lex noua per spiritum mustum est feruens, de quo dictum fuit: quòd non debeat
Matt. 9. vinum nouum in vtres mitti veteres. Moses igitur lagenam aquæ portat, & ipse vbi Christus sit festa habiturus ostendit.
Ioan. 5. Ita enim dicit Dominus: Si crederetis Mosi, crederetis vtique & mihi. De me enim ille scripsit. Quâ causa, post resurrectionem suam volens Dominus discipulis ostendere, omnia
Luc. vlt. quæ ipse gesserat, fuisse à Mose monstrata: incipiens à Mose, interpretabatur illis omnes Scripturas, quæ de ipso erant.

Fateor etiam per lagenæ portitorem significari Prophetas. Hi enim Christi mysteria sub figuris (quasi aquam sub lagena,) portabant. Et hi vbi Christus esset cœnaturus, & pascha suũ celebraturus, prænũtiabant. Prædixit enim Isaias Christum facturum conuiuium pinguium medullatorum.

conuiuium vindemię defæcatæ: non in aliquo loco priuato: sed in monte. Videlicet, in monte Sion. Et forsan prædixit idipsum Dauid, dicens: Apud te laus mea in Ecclesia magna: vota mea reddam in conspectu timentium eum. Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum. Vocauit Ecclesiam magnam, cœnaculum illud grande: vbi cœnauerunt discipuli cum Christo. Nec enim poterat non esse magnum: quod Christū capiebat. Figurauit etiam cœnaculum istud grande, solatium illud, in quo Saul à Samuele conuiuio susceptus est. Significantur ergo Prophetæ per portitorem lagenæ. *Isaiæ 25.* *Psal. 12.* *1. Reg. 9.*

Sed iudicio meo, is qui lagenam aquæ portabat, maximè designauit prædicatores Euangelicos, qui thesaurum prædicationis portant in vasis fictilibus, vt sit virtus non eorū, sed Dei. Prædicatores illos, qui desunt vasa electionis, sicut Paulus. Prædicatores illos, qui de plenitudine Christi acceperūt, non aquam terrenam ex puteo Samariæ, sed qui hauserunt aquas de fontibus Saluatoris. Quorum venter non est, quasi mustum absque spiraculo, quod nouas lagūculas disrumpit: vt erat venter Heliu: sed potius ventrē habent vnde flumina fluunt aquæ viuæ. Vidésne homines lagenas aquæ portātes? An non lagenam aqua plenam portant, qui animam eruditione cœlesti, sanctitate diuina, potentia supernaturali (qua miracula faciant) habent repletam? *2. Cor. 4.* *Actor. 9.* *Ioan. 4.* *Isaiæ 12.* *Iob 32.* *Marc. vlt.* *Rom. 10.*

Igitur si quis requirit, vbi Christus sua festa, suumq; epulum instituat, hos prędicatores aqua diuina plenos sequatur. Hi docebunt, hi demonstrabunt, vbi Christus suum pascha manducet.

Planè demonstrabunt cœnaculum grande stratum, id est, sanctam Ecclesiam catholicam. Hæc cœnaculum est, grande est, stratum est. Grande quia per totum orbem diffusum: stratum, quia omnibus donis, omnibus gratijs, omnibus diuitijs spiritualibus refertissimum. Cœnaculum verò, quia in eo cœnamus ad vesperam (in obscuritate fidei, non in lumine gloriæ) quàm suauis est Dominus degustātes. Vesperi succedit nox: nocti, dies. Ita Ecclesiæ nostræ succedet iudicij nox. Post iudicium verò æternitas gloriæ. Ergo sancta Ecclesia cœnaculum est, grande, & stratum. *1. Cor. 1.* *Psalm. 33.* *Matth. 25.*

Porrò, quia Ecclesia ex hominibus cōstat: quiuis nostrum (cum verè pius est) cœnaculum est, & grande, & stratum: Planè cœnaculū. Nam, inquit, Si quis mihi aperuerit, intrabo *Apoc. 3.*

ad illum, & cœnabo cum illo. Si anima est, vbi Christus cœnat, igitur cœnaculũ est. Et si ipsum Christum ad se venientem, & in ea manentem recipit, profectò cœnaculum grāde est. Et si omni virtute exornatur, profectò cœnaculum grande, stratum est. Quis non videat stratam animam, cui nulla virtus deest? si enim vna desit tota perit. Qui enim offendit in vno fit, omnium reus. Quis non videat grande animum, qui Dei & proximi amplissima dilectione prorogatur? Dilatamini, inquit Paulus, & vos. Quis non videt grandem animum totius mundi contemptorem: cœlestium desideratorem? imò qui in cœlis iam habeat conuersationem.

Ioan. 14.
Iacobi 1.
2. Cor. 6.

Si igitur in alicuius animum incidit dubitatio: vbi nam veritas religionis sit? Vbi Deus cum suis delectetur, & gaudeat? en discipuli Christi, lagenam diuinæ virtutis portantes Ecclesiam demonstrant, & cuiusuis animum. Quod si dicant: Si vis nosse vbi Christus delectatur, si vis cum eodem delectari, Deo animum tuum aperi, vt in illud intret. Ita enim cœnaculum erit. Dei & proximi charitate, dilectione animũ extende, vt grande nō angustum cœnaculum habeas. Omnium demum virtutum lapidibus tuum animum sterne, vt cœnaculum grande & stratum fiat. Hæc si feceris, & non inueneris Christum tecum epulantem, cœnantem, & sua festa celebrantem, tunc te deceptum conquerere. Sed res firma est: Intrabit Dominus in cœnaculum tuum: gustabis & videbis: quàm suauis est Dominus. Mirabitur & dilatabitur cor tuum, dices: Meliora sunt vbera tua vino. Dices: Quàm suauis est spiritus tuus Domine, super mel dulcis. Dices: Testimonia tua desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum: dulciora super mel & fauum. Dices: Species sponsi est, vt Libani, electus vt Cedri. Guttur eius suauissimũ, & totus est desiderabilis. Tunc intelliges quam verè dixerit Euangelista: ita inuenerunt, vt constituit illis Iesus.

Psal. 33.
Cantic. 1.
Psalm. 18.
Cantic. 5.
Galat. 2.

Porrò, quia in Apostolis, in predicatoribus, & in quibuslibet sanctissimis viris, non est spectandũ: quales ipsi aliquando fuerint, vt inquit Paulus: sed quales eos virtus effecerit diuina: ideo Dominus dicit: *Ite ad quendam* non nomē, non personam, sed lagenam aquæ portantem explicasse contentus. Vt tu in prædicatore, non nomen, non genus, aut proauos requiras: in vase fictili diuinam virtutem portantem, inuenisse contentus.

Et edētibus illis dixit, Vnus vestrum me tradet. Quid est quòd inter

inter epulas; id est, in die bono, & tempore festo mētionem tam tristem immiscet de proditore? Nunquid in tempore conuiuij, luctus est permiscendus? Et equidem etiam post resurrectionem, in cœlum ascensurus, discumbentibus vndecim discipulis, eorum incredulitatem exprobrat. Itaque sicut in die malorum iubemur memores esse bonorum: vt horum memoria dulcis, illorum temperet acerbitatem: ita in die bonorum Christus facit nos memores esse malorum: vt horum recordatio dulcedinem temperet illorum. Sumus in seculo vbi nihil est purū: vult igitur Christus, nos memores esse quod in hoc seculo simus, nam & Paulo datur stimulus carnis, ne magnitudine bonorum extollatur. Mar. vlt. Eccles. 11. 2.Cor.12.

Sed illud maximopere Christus (de proditore loquens) nos admonere voluit, quòd ad sacram Eucharistiam accessuri, nos probemus & examinemus. Audientes enim discipuli verbum illud: *Vnus vestrum me traditurus est*: statim singuli mentis suæ latibula perquirunt, & velut accensa lucerna, domum animæ totam euertunt: vt videant, si proditionis vel micam in se reperiant. Quam est sapiens Christus: quàm scit, velut aliud faciens, quæ maxima sunt nobis infigere. Sciebat Christus necessarium esse sacram communionem manducaturo, vt seipsum probet: vt sic de pane illo edat: Eam probationem Ecclesiam nunc docet: non verbo, sed quod potius est, re ipsa, adeò graui. Lucæ 15. 1. Cor. 11.

Quod autem Dominus dixit: *Vnus vestrum me tradet*, præfiguratum erat: quando Abimelech parauit conuiuium ex panibus propositionis fugiēti Dauidi. Intus, inquit, historia, in tabernaculo erat Doëg, potentissimus pastorum Saulis. Prodidit ille Dauidem, prodidit & Abimelechem: quâ fuit ratione Abimelech vita priuatus. Ita in hoc sacro conuiuio adfuit Iudas potentissimus pastorū: erat enim qui inter pauperes Christi discipulos, ditior erat. Hic prodidit Christum: qui quatenus erat rex, significabatur in Dauide: quatenus verò erat sacerdos, præfigurabatur in Abimeleche. 1. Reg. 21. 1.Reg. 22. Ioan. 12.

Discipuli audientes Christi verba dicentis: *Vnus vestrum me traditurus est, contristati valdè cœperūt singuli dicere: Nūquid ego sum Domine?* Hic sunt aduertenda nōnulla. Primum: Nihil debet animum Christianum valdè contristare, præter id: quod prodit Iesum: sicut contra nihil debet lætificare gaudio magno valdè, nisi inuenisse Iesum. Hoc nos reges Magi docuerunt. Qui videntes stellam, gauisi sunt gaudio magno valdè, Matth. 2.

valdè,

valdè videntes se in stella reperta, Christum reperisse. Illud nos sancti Christi discipuli hoc lo o demonstrant, cõtristati valdè, quòd ex eis vnus esset in Christū peccaturus. Quid mirum si lætetur homo Deum inueniens, doleatque amittens: quando Deus ipse hominem amittens dolet, inueniēs gaudet? An nō Pater illi prodigo filio reperto lætatus est, &
Lucæ 15. lætitiæ suæ signa in tota domo monstrauit? An non pastor
Eodem. ille qui vnam ex cētum ouibus amiserat, cùm reperit, super
Eodem. humeros imposuit, dicens: Congratulamini mihi, inueni ouem, quæ perierat. Dolorem igitur de oue amissa, gaudium ostendit de inuenta. Sicut & dolorem Angelorum (si fas est ita loqui:) cùm perimus, demonstrat gaudium eorum: cùm pœnitemus, gaudium enim est coram Angelis Dei, super vno peccatore pœnitententiam agente, &c.

Eodem. Secundò aduertendum est. Quòd discipuli, non sua contenti conscientia, Christum interrogant. Nunquid ego sum Domine? Poterat planè quilibet illorum, nihil sibi conscius,
1. Cor. 4. credere se esse iustificatum. Et ideò securè ad Dominicam cœnam accedere. At non ita faciunt. Sed nihil sibi fidentes,
1. Cor. 11. Christo se probādos obijciunt, docentes nemi em in propria causa integrè se posse probare, sed necesse esse, in re tā graui, alterius stare iudicio. Suo igitur facto, Pauli explicant verbum dicentis, Probet, seipsum homo: & sic de pane illo edat. Probet inquit se: nō quòd sit probatio integra: seipsum examinare. Id enim est probationis initium, cuius integritas ex Confessoris probatione, & approbatione dependet. Igitur Apostoli probant se, non suo solo iudicio, sed Christi: docentes, nos etiam probare, non nostro solum examine: sed Confessoris, qui Christi in Ecclesia vicem gerit.

Tertiò aduerte, quanta esset Christus, apud discipulos authoritate. Sciebant in corde suo, se nihil contrà Christum peccasse: at in cordis secretissimis, potius credunt Christo,
Eccle. 23. quàm sibi. Potius scire Christū sciunt, quàm ipsi sciant. Credunt itaque oculos Christi esse sole lucidiores: quibus nota sint, quæ nobis in nostris secretis sint occultissima. Verè
Hebr. 4. Paulus. Sermo Dei viuus, penetrantior omni gladio ancipiti: pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus: compagum quoque & medullarum, & nulla creatura est inuisibilis in conspectu eius.

Illud etiam aduerte, quòd post mētionem de proditione, de flagellis, de cruce, de morte: adhuc Christū discipuli Dominum

minum vocant, docentes: verbũ crucis & proditionis, licet 1. Cor. 1.
pereuntibus sit scandalum, & stultitia: tamen his qui salui
fiũt, est virtus Dei. Ita & Christ' etiã proditus, licet prodito-
ri sit occasio ruinę: at veris discipulis est causa salutis ęternę. Hebr. 5.

Discipulis interrogantibus, *Nunquid ego sum? respondet Dominus. Qui intingit mecum manũ in catinum, hic me tradet.* Certum verò est, ideo nos offam in catinum intingere: vt offa quæ sicca esset insuauior, dulcior fiat intincta. Habes igitur hanc rem prænuntiatam in Psalmis, videlicet, quod non solum Iudas, qui cũ Christo erat, Christum proditurus esset: sed quòd etiam intingeret cum Christo panem. Nam Psalmus inquit: Tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus: qui simul mecum dulces capiebas cibos. Non dixit, qui simul mecum capiebas cibos. sed qui simul dulces, id est, intinctos capiebas cibos. Psal. 54.

Sed quid est, quod, cui intinctum panẽ Christus porrigit, hic Christum diuendit? vide obsecro: Deus aperit manum suam, & implet omne animal benedictione. Dat igitur cunctis Christus cibum: sed alijs cibum dat siccum, alijs intinctum. Pauperibus cibum præbet siccum: diuitibus intinctum. Pauperibus cibum præbet insuauem: diuitibus dulces porrigit cibos. At hi sunt, qui Christum frequẽtius produnt. Incrassatus enim est dilectus, & recalcitrauit incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem suũ, recessit à Deo salutari suo. Neque enim sine causa Doëg ille malus, dicitur potentissimus pastorum Saul. & item non sine causa dicitur Agag (ille rex iniquus) quod esset pinguissimus. Nec immerito Saul pauper, summus est inter Israëlitas: at cùm diues est, & velut intincto pane suscepto, fit malus. Imò & Dauid cum pauper est, Deo tenacius hæret: cùm ei intinctus panis porrigitur, à Deo per culpam diuellitur. Psal. 144. Deut. 32. 1. Reg. 12. 1. Reg. 15. 2. Reg. 12.

Video tamen hoc Christi verbum clericos pressius mordere. Nos enim sumus, qui nõ manum solùm, sed os ipsum in catinum, imò & in ipsum Christum inserimus, Quicunque panem cœlestem, cœlesti vino tinctũ accipimus: & nos sumus, qui maxime Christũ prodimus. Docet nos etiã Christus suo sermone aliud, quod aduertamus, scilicet Nemini etiã coniũctissimo, esse fidẽdũ omnino. Cauere oportet ab eo etiã, qui adeò est familiaris, vt in nostrũ catinum intingit. Sanctè igitur Deus per Michæam dicit: Nolite credere amico: nolite confidere in duce: ab ea quæ dormit in sinu Michea 7.

tuo custodi claustra oris tui. Quia filius contumeliam faciet patri,& filia cõsurget aduersus matrem, nurus aduersus socrum suam:& inimici hominis domestici eius. Et quasi respondens Propheta homini interroganti, cui erit fidendũ? addit:Ego autem ad Dominum aspiciam,expectabo Deum

Eodem. saluatorem meum:audiet me Deus meus.

Addit Dominus:*Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo*.Ego verò aueo scire, cur non dixit Christus, Filius quidem hominis crucifigitur, moritur: sed vadit: Primum indicauit eo verbo, se non cogi, non portari ad victimam: sed sua voluntate,& suis gressibus ire. Secundò, cùm dicit: *Vadit*, seu transit: alludit ad phase, id est, transitum. Quasi

Exod. 12. dicat:Filius hominis suum phase facit ex Ægypto huius seculi,in cœlestẽ hæreditatem (veram terram promissionis)

Eodem. idque festinanter, vt lex olim mandabat. Tertiò dicit *Vadit*, seu transit: vt verbum Sponsæ verificet. Illa dixerat: Ecce

Cantic. 2. iste venit saliens in mõtibus,transiliens colles. Et propterea, similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorũ. Profectò istis verbis Christi vitam explicauit: Descendit saltu vno è cœlo in virginis aluũ: alio saltu è virgineo vtero in seculum. Tertiò saltu in functionem prædicatoriam. Quartò in crucẽ. Quintò in limbum. Sextò iterum in mũdum. Septimò demum in gloriam æternitatis. An non verè caprea est. An non verè Psalmus vigesimus primus (qui de Christo) de cerua matutina inscribitur. Demum, hoc vita piorum ab impiorum vita differt: Illa enim vadit, ad anteriora se extendens: ad destinatum æternitatis brauium.

Philip. 3. Sed hæc non vadit, peccare enim non ire est, sed retrocedere, imò & cadere. Nam dictum est: Ideò non resurgunt im-

Psal. 1. pij in iudicio: si non resurgunt, ceciderant igitur.

Absoluit Dominus hanc periodum dicens: *Vah homini illi per quem tradetur: bonum erat ei, si natus non fuisset*. Iã est doloribus digladiatio: qui fieri possit, vt sit melius nõ esse, quã esse. Siquidem esse est quædam communicatio deitatis. Esse enim creatũ, est quædam participatio esse diuini. Quomodo ergo nõ esse, poterit esse melius quàm esse: quod vt minimum quædam est mica, quædam gutta, quidam radius diuinitatis. Ad hoc nõ alia ratione ego respondeo, quàm admirabundus: quòd tam sit miserum illud esse, quod in gehenna habẽt damnati, tam est illud esse infœlix & triste: vt non esse, quod alioqui nullam boni rationẽ habere potest, melius

melius sit, quàm illud esse tantopere ex Deo proficiscens. Non potest non esse pessimum, illud enim esse, quo melius est non esse, quod nullo modo bonum esse potest. Infinitè malum est, quo nihil est melius.

Sed pergamus. *Et cœnantibus illis, accepit Iesus panem.* Hic primum admonemur: nunquam nos ita conuiuijs debere indulgere, quin res in illis sacras nonnihil tractemus. Iure enim Episcopis mandatur, vt dum edunt, lectionem audiát sacram. Id quod religiosis obseruatur. Meritò igitur Paulus dicit: Qui gaudent tanquam non gaudentes, & qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtantur, præterit enim figura huius mundi. Similiter ergo qui edunt, tanquam non edentes: rebus sacris intendant. Ideo enim Christus cœnantibus sacra mysteria communicat. 1. Cor. 7.

Quod si excitaturus Lazarum gratias agit dicens: Pater, gratias ago tibi, quòd exaudisti me: quāto nunc potius gratias aget, per sacrā Eucharistiā nō vnū, sed multos mortuos excitaturus? Nā ad sumptionē Eucharistię, quot annis multi mortui excitantur. Et ipsa Eucharistia ab attrito sumpta, si is se credebat ad eā sumēdā idoneū, mortuū illū suscitat. Ioan. 11.

Sed nota: *Accepit inquit Iesus, panem.* Non hîc accepit aurum, aut argentū, non cœli massam, non manna: sed panem, & vinum ex veteri vino & pane, nouum panem, nouumq́; vinum efficiens. Mysterium hîc subest: Pane enim & vino hominum vita continetur. Panis siquidem cor hominis cōfirmat, & sustentat. Vinum cor lætificat. Igitur in pane & vino vita hominis est: Vbi ergo panis & vinū vetera sunt: vita vetus est. Vbi verò panis & vinum noua proponūtur, vita etiam noua proponitur. Vbi verò nouus panis, nouūq́ue vinum accipere iubemur, nouam etiam vitam: nouum cor, nouumq́ue hominem præstare præcipimur. Intelligamus ergo Christiani, quibus dictum est accipite, & comedite panem nouum, & vinum nouum: non iam nos iuxta Adam veterem victuros: sed quod, sicut portauimus imaginem veteris Adam, ita nunc portare oportet nouam noui Adæ vitam: vetera enim transierunt, ecce noua facta sunt omnia. Nolite ergo cōformari huic seculo. Vetus enim est. Sed reformamini in nouitate mentis vestræ. Psal. 103. 1. Cor. 15. Isaiæ 43. Rom. 12.

Nota etiam, quòd etsi Christus non conuerteret panem, & vinū, in corpus & sanguinē suum: sed simpliciter, ex suo nobis, & pane, & calice communicasset: id esset plenissi-

mum ſui amoris teſtimonium. Cùm enim Natham Dauidi indicare voluiſſet: quanto pauper ille ſuam ouem amore proſequeretur: non potuit eum amorem ampliori ratione
2.Reg.12. monſtrare, quam dicens: ouis illa erat, de pane illius (ſcilicet pauperis) comedens, & de calice eius bibens, & in ſinu illius dormiens. Ergo vehementiſſimum vehementiſſimi amoris argumentum, nobis Chriſtus monſtraſſet: ſuum ſi nobis panem & vinum dediſſet: quantò igitur vehementius, quod vltra id, etiam corpus ſuum, & ſanguinem præbuit?

Sed age grauiſſima proſequamur: *Accipite*, inquit, *& comedite. Hoc eſt corpus meum.* Eſt autem Deus verax: licet omnis
Rom. 3. ſit homo mendax, at profectò mendax Deus eſſet: ſi dicens hoc eſſe corpus ſuum: reuera id quod diſcipuli acceperunt, & comederunt, non eſſet corpus realiter, & verè ſuum. Dominus inquit: *Accipite & comedite.* quod enim vobis do, accipiendum & comedendũ: reuera corpus meũ eſt. Ergo quod illi acceperunt, & comederunt, reuera corpus Chriſti eſt. Rumpantur licet hæretici.

Dices. Quid monſtrat pronomen *Hoc*? ſi enim monſtret panem illum, qui eo momento nondum erat conſecratus: iam patet, eum non eſſe corpus Chriſti. non igitur verificamus quod, hoc ſit corpus Chriſti. Reſpondeo, à te viciſſim
Ioan. 11. requirens. Cùm Chriſtus dixit: Lazare veni foras. illud nomen Lazare, quem vocabat? vocabátne mortuum, an viuũ? Si dicas: Vocabat mortuũ: quia eo temporis inſtãti, nondum erat Lazarus viuus ſi ita dicas, fiet vt Lazarus non prodierit viuus, ſed mortuus. Vocatur enim mortuus, quomodo prodibit viuus? At certè ſi dicas vocatũ mortuũ, prodiiſſe viuũ, dicam & ego tibi, panem eſſe in primo inſtanti verborum, mortuum: ſed in vltimo inſtanti panem prodire viuum. Si verò dicas: nomen illud vocaſſe Lazarum viuum: licet illo puncto, quo verbũ proferri cœpit, mortuus eſſet: cur igitur non id ipſum de hoc pane exiſtimas, quòd licet eo temporis puncto ſit panis mortuus: vocari tamen, vt viuus ſit?

Matth. 9. Vrgeo te & alio exemplo. Cùm puellæ iacẽtis, & mortuę manum accepit Dominus, dixitq́ue: Puella tibi dico, Surge: illud pronomen Tibi, quid demõſtrabat? Mortuámne puellam, an viuam? Non quidem viuam, nec enim eo temporis puncto viuebat. Si mortuam monſtrat: mortua ergo ſurget. Quod ſi mõſtratur illa res, ſiue illa ſubſtantia iacens, cur non permittes nobis, vt idẽ nos dicamus de illo pronomine *Hoc*? Certè

Certè quà tu elaberis: viam nobis, quà elabamur, aperuisti. Nescio verò an planissimè, & vulgarissimè ita intelligere liceat. *Accipite & comedite*: hoc enim à vobis comedēdum, est corpus meum, vt demonstratio non referatur ad id quod in primo prolationis momēto existit: sed ad id quod in vltimo prolationis tempore aderit. Est apud Astures vinum, quod domi vile est, & asterum: sed vbi per maris vndas transuehitur, generosissimum fit, & suauissimum. Iam rogo te: Si tu ex Asturibus amico tuo Romæ consistenti, tuum mittas vinū: an non rectè ei scribes. Mitto tibi vinum generosissimum? Rectè profectò: at demonstratio non est vini pro tempore quo mittis: sed pro tempore quo est accipiendum: ita igitur & Christus dicit: *Accipite, hoc* quod à vobis suscipietur, cùm suscipietur, *corpus meum est*. Abraham vocat se puluerem, & cinerem, non quod puluis tunc esset, quando id dicebat, sed quia puluis erat futurus. Cur non etiam hoc dicetur corpus, quod in vltimo prolationis verborum articulo, corpus erit? Ieremias dicit: Terra, terra, terra, audi verbum Domini: homines vocat terram, quia erant in terram conuertendi. & tu non pateris: vt Christus hoc vocet corpus suum, quod tam breui in corpus conuertetur? In Exodo dicitur: Proiecerunt Magi Pharaonis virgas, quæ conuersæ sunt in dracones: sed deuorauit virga Aaron, virgas eorum. Cur vocat textus virgam Aaron, quæ reuera tunc, cùm deuorauit virgas Magorum, virga non erat, sed verus serpens erat? Alióqui nō deuorasset, si solùm virga fuisset. Si vocatur virga, quæ breui erat in draconem vertenda: cur non item hoc vocabitur corpus, quod breui corpus erit?

Genes. 17.
Ierem. 22.
Exod. 7.

Si Theologissimis hominibus hæc, vt minus acuta, non placuerint, habent quæ Sancti retrò dixerunt: habent etiam hæc in Scholis disputata. Et equidem conueniamus: quod accipimus, & manducamus corpus, & sanguinem Christi verissimè. quid verò demonstret illud hoc, etiam si nonintelligam, non ideo mysterio non credam.

Scilicet in altero huius Operis Tomo.

Grauis tamen se offert consideratio, Cur Dominus dicat: *Accipite, comedite. Hoc est enim corpus meū?* Causam accipiēdi, & comedendi sufficientissimā visus est Dominus adduxisse, hoc solo, quod illud esset corpus suum. At profectò, ea non integra comedendi causa videtur: imò fugiendi potius. quis enim corpus edat humanū? imò quis non vereatur & adoret potius corpus diuinū: quā accipiat aut māducet? Nā olim cū

cam

eam rē proposuisset discipulis Dominus, multi ex eis abie-
Ioan. 6. runt retrorsum: verentes Christi carnem māducare, & eius sanguinem bibere. At Christus nullam aliam, aut maiorē, aut vrgentiorem vt manducaremus, adducere causam voluit quam illam: quia suum corpus esset. Aggrediamur latentes in his verbis causas explicare.

Matt. 24. Et prima quidem illa est, quam suprà Dominus dixit: Vbicunque fuerit corpus congregabuntur & aquilæ. Nulla maior aquilis, vt veniant ad manducandum, causa est: quam si eis corpus obijciatur. Vbi enim corpus est, aquilæ adsunt manducaturæ. Si nos igitur aquilæ, (quarum est in arduis
Iob 39. nidus: quarum est in cœlis conuersatio.) nulla afferri maior ad accipiendum & manducandum ratio potest: quàm si offeratur nobis corpus. Accipite igitur aquilæ, manducate, en vobis corpus. Et si aquilæ estis diuinæ: en vobis corpus diuinum, quia est corpus meum. Si odorem corporis non sentitis, est forsan, quia aquilæ sacræ non estis.

Col. 2. Altera ratio est, quam Paulus habet in hæc verba: Nemo vos iudicet, in cibo & potu, in parte diei festi, næomeniæ aut sabbatorū, (quę sunt vmbra futurorū: corpus autē Christi,) certè cibi illi, potus illi antiqui: illud scilicet manna ille,
1. Cor. 10. agnus paschalis vmbra erant, figura erant. Omnia enim cōtingebant illis in figura. Figurarum porrò illarum veritas, vmbrarum illarū corpus, est corpus Christi. Si igitur Iudæi illi, qui nostri fuerunt figura, accipiebant manna, & comedebant: quod tamen erat vmbra corporis Christi necessariò infert Dominus Accipite vos Christiani, qui estis corpus vmbræ præcedētis, accipite & māducate corpus meū: quod est
Exod. 12. corpus illorū vmbrarū Iudaicarū. Si illi vmbratilem māducabāt agnum: & vos verum huius vmbræ accipite corpus.

Rom. 12. Tertia ratio habetur ex Paulo qui frequēter illa similitudine corporis & membrorum delectatus: Multi, inquit, vnū corpus sumus in Christo. Et item: Omnia mēbra corporis cum sint multa, vnū tamē corpus sunt: ita & Christus. Ergo
1. Cor. 12. omnes nos sumus mēbra vnius corporis Christi. Quòd verò mēbrū est, quod non vehementissimè cupiat corpori suo
Psalm. 72. hærere & cōiungi? Mihi enim (ait Psaltes) adhærere Deo bonum est. Si igitur qui accipit corpus Christi: velut membrū, corpori suo vnitur, an non merito Christus inquit: *Accipite & comedite, hoc est enim corpus meum*: ac proinde est totū, cui pars sua debet vniri, ne si in me non manseritis, mittamini foras

foras sicut palmes, & arescentes colligamini, & in ignem *Ioan. 15.*
mittamini.

Quarta ratio habetur ex Mose, qui ita præcipit: Omnis masculus de Sacerdotali genere, in loco sancto, vescetur his carnibus, quia sanctum sanctorũ est. Et loquebatur de hostia *Leuit. 7.* pro delicto, (quę victima, & holocaustũ erat. vt in principio *Eodem.* eius capitis Moses dicit:) Ergo qui de genere erant Sacerdotali præcipiebantur edere de carne, seu corpore victimæ, hostiæ, holocausti, quod pro peccato Deo offerebatur. Cum *1. Petri 2.* igitur nos simus regale Sacerdotium, ad nos hoc pertinet præceptum. Siquidem igitur Christus est hostia pro delicto, est item holocaustum, & victima Deo Patri oblata: iure meritissimo Dominus dicit: Vos qui de genere estis Sacerdotali, imo & diuino (nam & genus Dei sumus: vt Paulus dicit:) Accipite, & comedite corpus meum. quod victima vestra *Actor. 17.* & hostia vestra est.

Quinta ratio est: Mortales, corporales vos estis. non nisi corporalia quæritis. En offero vobis corpus, quod omnium corporum vim habet, & perfectionem. Accipite igitur & *Sapien. 8.* comedite. Si Manna habebat in se omne delectamentum, & omnis saporis suauitatem: & ideo magna ratione edebant ex illo Iudæi: non æquius est Christianos, ex illo corpore manducare, quod omnium corporum est eminentissimum? (Id enim Dominus dicit, cùm ait: Accipite, hoc enim est corpus meum.) Si meum, ergo Deificatum, ergo diuinum, ergo eminenter omnem continens perfectionem.

Sextã rationẽ habet Dominus, cùm dicit: Ego sum ostiũ. *Ioan. 10.* per me si quis introierit, saluabitur, ingredietur, & egredietur: & pascua inueniet. Quæ verba iuxta Sanctorum expositionẽ id nobis ostendũt: quod Christus secundum Deitatem est animarũ beatitudo: in quam ingredientes animæ, beata fœlicitate pascentur. At idem secundum corpus, est corporũ beatitudo. Videntes enim oculi nostri corpus sacerrimum Christi, beati erimus. Eia igitur Christiani accipite corpus meum: iam ex nunc beatitudinem vestram incipite, & quod videndo nõ potestis, comedẽdo exordimini. Viso corporis mei beatitudinẽ vestram perficiet in cœlo. Comestio igitur corporis mei beatitudinem vestram incipiat in terra. Certè *Psal. 48.* impii sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos. Pii ergo cõtrà sicut oues in Ecclesia positi sunt, vita depascet eos, & ipsi vitam depascent. At corpus Christi, caroq; illa est vitalis

vitalis & viuificatrix, vt Patres nostri in Cōcilio Ephesino, & Chalcedonio decreuerunt.

Demum, corpus Christi non solum est cibus Christianorum, sed est templum: est turris: est ciuitas refugij: est clipeus: est petra: & alia innumera. Est enim templū quod in tribus diebus solutum, reædificatum est. Est turris fortitudinis à facie inimici. Est ciuitas refugij, cui dicit Dauid: Esto mihi in Deum protectorem, & locum refugij, vt saluum me facias. Est clipeus omnibus sperantibus in se. Est petra refugium herinacijs. Ergo Christiani accipite: hoc est corpus meum, est templum in quod ingressi audiamini. Est turris in qua ab inimicis defendamini. Est ciuitas refugii, in qua à morte saluemini. Est clipeus, sub quo abscondamini. Est petra ad quam confugiatis.

Ioan. 13. *Psal. 60.* *Prou. 30.* *Psal. 103.*

Has rationes verecundè adduxi: intelligens multo maiores in illis Christi verbis latère. Eas illi adducant, qui maiori lumine illustrantur, & maiore ingenio pollent. Video enim Christum illam dictionem, enim, dixisse: qua causas afferret, nos ad manducandum impellentes.

Ita dicitur in cap. cùm Marthæ de celebr. Mis. §. distinguendū in fine.

Vbi verò Dominus de corpore suo dixit, de sanguine subdit: *Bibite ex hoc omnes. Hic est enim calix sanguinis mei: noui & æterni testamenti, mysteriū fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remißionem peccatorum.* Scio Matthæum nō hæc omnia verba retulisse: sed quia S. Ecclesia fatetur Christū in cœna hæc omnia dixisse, idcirco sine dubio credo, fusiè ab eo prolata, quà causa libuit, vt possem illa referare. Et in primis necesse non est, denuò contendere, an sub specie vini, verus Christi sanguis cōtineatur. Vt enim credimus, sub specie panis corpus Christi latere: ita credim' sub specie vini, Christi sanguinem cōtineri. Vt vetus Prophetia verificetur: quæ ita in laudem Ecclesiæ nostræ decantauerat. Quid enim bonū eius est, aut quid pulchrum eius: nisi frumentum electorū: & vinum germinans virgines? Quasi diceret: Nihil in Ecclesia melius, nihil in ea pulchrius, quàm panis ille sacer nō panis naturalis (qui brutorū est:) sed vera Christi caro, quæ est cibus electorum: & vinū, non naturale, (in quo est luxuria) Sed vinum sanguinis Christi, quod adeò alienum à luxuria est: vt potius virginitatē & faciat, & nutriat. Hoc igitur cōstituto: relictis ijs quæ Scholæ tractant Theologorū, in vna re immorari libet, scilicet cur Christus dicat: *Bibite ex hoc omnes, quia est calix sanguinis mei, &c.* id est, Properate mortales,

Vt habetur eodem capit. cum Marthæ citato.

Zach. 9.

les, bibite: causas bibendi vobis nunc explico. Bibite, quia est calix sanguinis mei, &c. Respondeo, meritissimè nos a Christo inuitari, ad sui sanguinis potū, causæ enim quas hoc loco Christus adduxit, nos ad bibendum vehementissimè cogūt.

Causa prior est: *Bibite quia est calix sanguinis mei.* Olim Deus Ieremiæ dixit: Sume calicē vini furoris huius, de manu mea: & propinabis de illo, cunctis gentibus: ad quas ego mittam te, bibent: turbabuntur, insanient, à facie gladij, quem ego mittam inter eos. Et accepi calicem de manu Domini & propinaui cunctis gentibus. & infrà. Hæc dicit Dominus exercituum: Bibite & inebriamini, & vomite: cadite, neque surgatis, &c. En furor Domini per calicem significatus vagabatur, & grassabatur per omnes homines. in omnes Dei ira sæuiebat. Omnes enim, peccauerūt. Nūc Christus inquit: Si bibistis ex calice furoris Domini, mortales: bibite ex calice benedictionis Domini, (ita enim calicem Christi Paulus vocat,) at benedicere Dei, benefacere est. Iam ergo offerens vobis hunc calicem Deus: non furorem qui malum inferat: sed sanguinem, qui vobis benefaciat, subministrat. — Ierem. 25. / Eodem. / 1. Cor. 10.

Quod si mulier quæ super bestiam sedet, habens poculum aureum, plenum abominatione, & immunditia, calicē suum gentibus propinat, & inebriati sunt, qui habitant terram de vino prostitutionis eius. Cur non etiam inebrientur fideles de calice, quem Christus illis amantissimè propinat? — Apoc. 17. / Eodem.

Iam si Lector rationis huius efficaciam non penetras, eam tibi Psaltes explicabit, dicens: Parasti in cōspectu meo mensum aduersum eos qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum: & calix meus inebrians, quam præclarus est: Silentio Psaltes calicis dignitatem, potius quàm verbis indicauit. Quam præclarus est! Non tamē tacuit, quòd calix esset inebrians, & quòd esset præclarus. Quod verbū alij transtulerunt. Calix meus, est ad summū vsque plenus. Quasi dicat nihil ei deesse potest, vt sit à nobis amandus & suscipiendus. — Psalm. 22. / *Si præclarus, igitur non est ebrietas vulgaris & turbulenta, sed vt diuina ita clarissima.*

Altera causa est, quia calix est sanguinis mei explicat hāc rationem Moses, cùm dicit: Anima carnis, in sanguine est: & ego dedi illum vobis: vt super altare meū expietis, pro animabus vestris, & sanguis pro animæ piaculo sit. Ideo enim dixi filijs Israel: Omnis anima ex vobis non comedet sanguinem. & infrà dicit: Anima omnis carnis in sanguine est. Et licet Sancti animam hoc loco accipiant pro vita: nobis tamen vtcunque accipiatur, mysterium aperit. Dicens enim — Leuit. 17.

Christus,

Christus, accipite, est enim calix sanguinis mei, dicere voluit accipite & bibite calicē animæ meæ, calicē vitæ meæ, id est: Vitam meā, animā meam accipite ô rem inauditam: sed quæ
Deut. 30. omnes impleat Scripturas. Nā Moses dixit: Dilige Dominū Deū tuū, illi obedias, illi adhæreas. Ipse enim est vita animæ tuæ. Est igitur Deus vita animæ nostræ. Quis verò est, qui vitā suam non quærat? En igitur vitā nostrā nobis in calice Christus largitur. Rectè ergo, bibite. Calix enim sanguinis mei est vitæ meæ. quæ vita mea, vita vestra est accipite ergo
Prou. 8. vitā vestrā. Salomon dicit: Qui me inuenerit, inueniet vitā. Est ergo Deus vita nostra. Quæ vita est in calice sita. Bibite
Philip. 1. ergo eam. Paulus dicit: Viuere mihi Christus. Si igitur cupis
Ioan. 15. viuere: en in calice vita. Dominus dicit: Ego sum via, veritas, & vita. Hæc vita in sanguine est. hic sanguis in calice. Acci-
Leuit. 17. pite ergo calicē, bibite, vt bibentes sanguinē, bibatis vitam.
Nec sine mysterio prohibentur Iudæi bibere sanguinem:
Hebr. 10. Christiani vero eum bibere iubentur. Primum, quia lex illa
Rom. 8. vetus, non erat lex vitæ gratiæ. Ergo qui sub lege erāt à vita arcentur, scilicet quantū ex lege est: quæ vitam non dabat. At lex Christiana est lex spiritus, & vitę. ideo vitam accipere monentur, qui sub lege Christiana viuere volunt. Secundò
Ioan. 6. iubentur Iudæi sanguinem non bibere, scilicet brutorum. Iubentur Christiani sanguinem bibere, scilicet diuinum. Vt intelligant omnes vitam suam Deum solum esse, nihil præterea aliud. bibant igitur vitam diuinam. non bibant aliam quamlibet vitam secularem.
Profectò Paulus dicit: Nolumus vestra, sed vos. Idem ferè
Cantic 2. Sponsa dicit sponso: Dilectus meus mihi. quasi dicat: Quid
Psal. 72. mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram: Quid igitur ô Sponsa cupis? Deus cordis mei, & pars mea Deus. Si igitur Deus est pars tua, id est, pars hæreditatis tuæ: idem erit pars
Psal. 15. calicis tui. Ita enim Psaltes: Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei. Deus igitur est in calice. En Spōsa quòd optas. Optas vnicè Deum: Is in calice tibi propinatur.
In altero Tertiam rationē adiecit Christus in illo verbo: *Noui testa-*
Tomo. *menti*. Quam rem licet omnes dixerint, non piget amplius
Hebr. 9. explicare. explicabo eam tamen ex Paulo, & ex Mose. Hi di-
Exod. 24. cunt, quòd lecta lege Dei corā Iudæis. quā Deus bona temporalia promittebat, si legē seruassent: mala temporalia minabatur, si violassent: ea promissio testamentū dicta est, quo Deus Iudæos bonorum temporalium hæredes instituebat.

Contra, Iudæi Deo suo obedietiam promiserunt. vocataq; promissio testamentum est: quo Iudæi Deum cultus & obedientię hęredem esse voluerunt. Porrò quia testamentū non est firmum, nisi mors intercesserit testatoris necesse erat (vt promissio & Dei, & Iudęorum firma esset,) Deum & Iudęos tunc mori. Quod quia fieri nō poterat, adductus est sanguis animaliū & effusus est super altare: significās Deum mortuū, vt cuius sanguis effunderetur. Effusus etiā super populū, eū iam mortuū repræsentans. Hac igitur repræsentatione Dei, & populi mortui, Testamentum vtrumque firmum euasit. Hæc fuit veteris Testamenti cæremonia. Simili ratione, (licet non figurata, sed vera) suum Testamentū Christus ordinauit. Nos si obedieremus, æternorum bonorū hæredes instituit. Contra Christiani, obedietiæ nostrę Christum hæredem facimus. En Testamentū. Id vt firmum sit, non sanguis vitulorum affertur, sed sanguis ipsius testatoris, quem ipse habens, se suo sanguine respersit, se mortuum repræsentans. Nos verò etiam eum sanguinem bibentes, eo sanguine respergimur, & sic mortui videmur. Testamentum est ergo vtrimque firmum. Sed quia reuera in lege veteri Deus non est mortuus, sed mortuus repræsentatus: idcirco priori Testamēto rescisso, aliud ordinauit. Iudæi etiam quia mortui vere nō fuerunt. Testamentū sæpe violarunt. At in lege nostra, quia reuera Christus mortuus est: idcirco aliud Testamentū non ordinabit. nos verò quia verè mortui nō sumus (licet per Baptismū & Eucharistiā mortui repræsentemur) idcirco sępissimè Testamentū violamus. Sensus ergo rationis Christi est: Bibite & respergimini hoc sanguine. quo ego vos æternitatis hęredes, vos me obedientię vestræ hęredem instituitis. Nos tamen, vt qui æterna despicimus, vt qui alijs obedientiam & amorem tribuimus, rationis huius efficaciā non sentimus. At si gaudet pauper, quòd præter spem, regni temporalis scribatur hæres: quam deberet gaudere Christianus, cum Christi sanguinem bibit, quia tunc regni cœlestis hæres decernitur? Hebr. 9. Rom. 6.

Porrò quia bona in hoc Testamēto promissa ęterna sunt: & qui promisit, reuera mortu' est, necessariò fit: vt sicut Testamentum nouum vocatur, quia priori successit: ita & ęternum dicatur, quia mors intercessit testatoris. Hebr. 9.

Quarta ratio docetur in eo verbo: *Mysterium fidei.* Et quia mysteriū secretum sacrū est, nescio an sit imprudentia secre-

tũ aperire: quod in ipſo vocabulo, Dominus videtur voluiſ-
ſe eſſe ſecretũ. Fieri verò poteſt: vt ego ſecretũ hoc nõ attin-
gam, & pro alio aliud dicã. Sicq; ſecretum ſecretò manebit.
Hebr. 9. Secretũ verò hoc videtur Paulus aperire dicens: Pontificem
ſummũ ſemel in anno, in Sancta ſanctorũ introire, idq; cum
ſanguine: quẽ Deo offerat, pro ſua populiq; ignorãtia. Quod
ego ſic intelligo. Pontifex ſanguinẽ illum offerẽs videbatur
hæc ſentire. Ego, inquit, & populus peccauimus: mortemq;
pro peccato meremur. O igitur Deus omnipotẽs, en ſanguis
brutorum, vice ſanguinis noſtri. placare igitur ſanguine iſto
ac ſi ſanguis noſter a te fuſus fuiſſet. En hæc eſt figura. Veri-
tatem eius nunc accipe: Chriſtus introiuit ſemel in cœlum:
Eodem. vera Sancta ſanctorũ. Introiuitq; non ſine ſanguine: nõ alie-
no, ſed ſuo, quem offerat pro noſtra (non pro ſua) ignorãtia.
Rom. 3. Ita dicens: Pater iuſte, peccauerunt omnes homines: hos ego
[illegible] 2. nunc in me, vt caput membra, contineo. merebantur illi pro
[illegible] 17. peccato mortem: En ipſi in me, & ego pro eis, ſanguinẽ fun-
dunt & vitã. Tu nunc eis eſto placatus. Si enim ſingulos tua
iuſtitia pro peccatis eorum occidiſſet, tu iam placatus fuiſ-
[illegible] ſes: at non ſinguli in ſe, ſed omnes in me ſunt occiſi: tuam
igitur propitiationem requiro.

Hoc eſt myſterium fidei noſtræ. Quod Chriſto moriente
omnes mortui ſumus, & Chriſtus ſanguinẽ ſecum in cœlum
abducens, Dei placationem & propitiationem nobis impe-
trauit, Accipite ergo calicem ſanguinis: quo myſteriũ illud
veſtræ placationis, & pacis peractum eſt. Cùm enim ſanguis
brutorũ minus valeat, quàm humanus: non potuit Deo ab
homine oblatus, Deum homini reconciliare. Ideo Chriſtus
Psal. 39. Patri dicit: Hoſtiã & oblationẽ noluiſti: corpus autẽ aptaſti
mihi. (in quo ſcilicet omnes homines eſſent: & quo occiſo,
Hebr. 10. omnes viderẽtur occiſi) holocauſta pro peccato nõ tibi pla-
cuerunt: tunc dixi, Ecce venio: vt faciam voluntatẽ tuam,
ſcilicet te hominibus placabilem reddam. Hoc igitur eſt
myſterium, quo vetus Teſtamentum ablatum eſt, nouum
eſt inſtitutum, iuſtitiæ diuinæ ſatiſfactum, homines Deo re-
Hebr. 9. conciliati, æterna redemptio inuenta.

Quinto, Ratio habetur in illo verbo quod ſubijcit Domi-
nus: *Qui pro vobis & pro multis effundetur.* Quod Petrus expli-
1 Petri 1. cauit, dicens: In timore conuerſamini, ſciẽtes, quòd non cor-
ruptibilibus auro, vel argento redempti eſtis de vana veſtra
conuerſatione: ſed precioſo ſanguine, quaſi agni immaculati

Chriſti.

Christi. Quæ verba sic intellige: Propter culpā, quam omnes cōmisimus, debebamus Deo pœnā, non aliā quàm æternam, non aliam quàm in inferno, non aliā quàm à dæmonibus infligendā, non aliam quàm carentiā diuinæ visionis, cum pœnis alijs infinitis. Posteà verò quàm Christus sanguinē nobis dedit, diuites sumus: vt pœnā quam debebamus in corpore, & anima, soluamus in ære, scilicet in sanguine Christi. Quē Patri offerētes, pretiū reddimus, quo à pœna nostris culpis debita redimimur, & liberamur. Vt enim qui non habet in ære: luit in corpore: ita qui in tam digna habet moneta: eam soluēdo liber euadit. Accipite igitur calicem sanguinis mei: pretium redemptionis vestræ, & thesaurum infinitarum diuitiarū: quo infinitas quas debetis pœnas soluatis. Ita planè cum baptismum accipimus, Christi sanguinem accipimus: quem pro omni pœna, quem debebamus, soluamus. Et cum sanguinem cōmunicamus in Eucharistia, licet non omnem pœnam soluamus peccatis nostris debitam, bonam tamen eius soluimus partem. Accipite igitur sanguinem, qui pro vobis, (id est, vt sit pretiū vestræ redēptionis, vtq; vos ipsum pro vestris debitis soluatis) effunditur.

Porrò, quia non solum Christi sanguinis effusio ad solutionem pœnæ peccatis nostris debitæ valet, sed etiā ad alia multa bona: ideò in illo verbo: *Pro vobis & pro multis effunditur*, alia ratio significatur.

Sexta ratio in dicto verbo talis docetur. Res est gloria infiniti valoris. Gloria enim est, Deum ipsum in æternum possidere, Regem in decore suo videre. Inebriari ab vbertate *Isaiæ 33.*
domus Dei, & eius torrēte voluptatis potari. Filios Dei esse, *Psal. 35.*
& similes esse Deo. Pretium hæc omnia valent infinitum: *1. Ioan. 3.*
Sunt enim infinita. Vnde igitur homini pecunia infinita, vt rem comparet infinitam? Pauper enim homo est, & in la- *Psalm. 87.*
boribus à iuuentute sua. Egenus, inquit rex quidam, & pau- *Psalm. 69.*
per sum ego. Vnde ergo pauperi thesaurus infinitus, vt gloriam emat infinitam? Huic anxietati respondet Dominus: Accipite sanguinē meum: quia enim meus est, infinitus est: Deitati scilicet infinitæ vnitus: hoc infinito pretio, quamlibet rem infinitam comparare poteritis.

Et vt infinita vno verbo cōplectamur: audi, quid sancta dicat Ecclesia: Supplices, inquit, te rogamus omnipotēs Deus, vt quotquot ex hac altaris participatione, corpus & sanguinē sumpserimus, omni benedictione cœlesti, & gratia replea-

mur. Quasi dicat: Damus tibi pecuniam, quæ omnem benedictionem valet, & gratiam: tu interim da quod emimus. Id vnicè rogamus: ne indignitas nostra impedimēto sit, ne non reportemus, quod tanto pretio comparauimus.

Septimam rationem adiecit Dominus dicens: *In remissionem peccatorum*. Quam Paulus ita declarat: Si sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ conspersus, coinquinatos sanctificat, ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi (qui semetipsum per Spiritū Sanctum obtulit immaculatum Deo) emundauit conscientiā nostram, ab operibus mortuis? Hinc habes, quod sicut sanguis brutorum, olim inquinatos sanctificabat, solum in carne: ita sanguis Christi à nobis susceptus, animam inquinatā sanctificabit, in spiritu. At sanctificatio esse nō potest, sine peccatorum, quo ad culpam, remissione. Igitur sanguis Christi à nobis acceptus nostra peccata remittit. Accipite igitur sanguinem meum, qui vobis vestras culpas remittat. Ergo vt Theologicè rem hanc definiamus: Finge, ad Eucharistiæ sacramentum hominem accedere, non contritum, sed attritum. (qualem Concilium Tridentinum definit.) Credit ille tamen, se probatum accedere: licet reuera culpa mortali inquinatus accedat. Accipit sanguinem Christi: hic sanguis efficit in illius hominis anima gratiam, & iustitiam, qua eius peccata remittuntur, delentur, & expiantur. Ita enim maiores nostri dixerunt, quod hoc Sacramētum viuificat mortuos. Attritos scilicet, nondum contritos. Aliôqui: si necdum attritus quisquam accedat, iudiciū sibi manducat, & bibit. Hoc igitur est quod Ioannes dicit: Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris, in sanguine suo. & Paulus: Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem, in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ: propter remissionem præcedentium delictorum. Vbi quod dicit, Ad ostensionem iustitiæ suæ: probat ea, quæ nos in quarta ratione suprà deduximus.

Hebr. 9. — *Sess. 3. sub Iulio c. 4.* — *Vide sanc. Thomā. 3. part. q. 79 artic. 3.* — *1. Cor. 11.* — *Apoc. 1.* — *Rom. 3.* — *Eodem.*

Vide verò rerum vicem cōuersam: Olim spurcitiæ, sordes, & peccata sanguines vocabantur. Ita enim Isaias dicit: Manus vestræ sanguine plenæ sunt, id est, peccatis. & Dauid inquit: Libera me de sanguinibus, id est, culpis. Si igitur sanguis olim erat culpa: sanguis nunc est remissio, purgatio, & deletio culpæ. Rectè quidē: quia cùm sanguis significet vitā & animam: omnis verò anima olim (quantùm erat ex lege) erat immunda: Omnes enim declinauerūt, non est qui faciat

Isaiæ 1. — *Psalm. 50.* — *Psalm. 13.*

bonum,

bonum, inquit Dauid. & Paulus addit: Omnes peccauerunt, Rom. 3.
& egent gloria Dei. Fit plane: vt olim sanguis significaret
sordes. At nunc cum anima, vita, & sanguis Christi sint pu-
rissima: rectè hic sanguis emundabit nostra delicta. Habes
Lector, quantum per exilitatem nostri ingenij licuit, expli-
catas rationes, quas Christus, vt nos ad suum sanguinem bi-
bendum prouocaret, adduxit.

Addit in fine institutionis huius Sacramenti: ***Amen dico vobis: Non bibam amodò de hoc genimine vitis, donec illud vobiscum bibam nouum.*** Vbi tria mihi se offerunt dicenda.

Primum, significasse Dominum: quòd hoc Sacramentum accipiant, qui sunt proximi morti: qui iam non bibent de hoc genimine vitis. Ideo enim dixit: ***Non bibam amodò de hoc genimine:*** vt doceret, quòd morti vicini, qui spe carent bibēdi de vite, hoc sacramentum accipiant. Videlicet accepturi remissionem peccatorum, redemptionem pœnarum, pretium cœli, & ç. Ergo sicut iter facturi, parant vtrem vbi vinum secum portent: ita facturi vltimum iter, in anima vinum cœleste secum abducant.

Secundum: significauit Dominus, quòd accipiens vinum hoc supernaturale, sub specie vini naturalis, in hoc seculo, bibet de eodem vino, (licet nouo,) cum Christo, in seculo futuro. Id enim dicit: ***Non bibam de hoc, donec vobiscum illud bibam nouum.*** Ergo qui piè communicant Christum per hoc Sacramentum in hoc seculo, communicabunt eidem (licet nouè) in æternitate. & meritò quidem, qui nunc per viuam fidem velatum recipit Christum, idem per speciem, eundem recipiet reuelatum.

Tertium: significauit Dominus ad hoc Sacramentum maximè necessariam esse charitatem: procul longissimè odium. Dicit enim: donec vobiscum illud bibam. Omnes sunt simul bibituri, vt inter amicos fieri solet, qui ad eandem mensam, ex eodem vino, eodem vase, eodem animo bibituri conueniunt. Ideo enim non combibium dictum est: sed conuiuiū. quasi notando, eos qui simul bibunt, ex eodem vino simul viuere eadē vita. Quibus verò non idem cor, eadem anima, eademq; vita est, hoc non debere ad conuiuium simul bibituri conuenire. Idque maximè, vbi vinum ipsum, vita est, quale est sacrum hoc vinum.

Aduerte, multò maiora Christum de sanguine, quam de corpore explicasse. De corpore enim simpliciter dixit: Acci-

pite, hoc est enim corpus meũ: quod pro vobis tradetur. De Sanguine verò longe plura: quod scilicet esset calix noui & Leuit. 17. æterni Testamenti, & reliqua. Huius causam esse arbitror, quia cum in sanguine anima sit: (vt Moses dixit) loquẽs Christus de sanguine suo, loquitur etiam de anima sua, déque vita sua. Quę quia multò pretiosior est corpore, idcirco multò sublimius de ea, quã de corpore, nos intelligere voluit. Ipse enim ferè semper cum de passione loquebatur: de anima sua Ioan. 15. loquebatur. Vt cùm dixit: Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam, ponat quis pro amicis suis. Et item: Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum Matth. 22 sumẽdi eam. Et item: Venit Filius hominis ministrare, Ioan. 10. & dare animam suam, redemptionem pro multis. & bonus 1. Cor. 13. pastor animam suam ponit pro ouibus suis. Vt enim quidquid Deo demus, nisi animam demus, nihil damus: etiam si tradamus corpus, ita vt ardeat. (Dicit enim Dominus: Qui Luc. 14. non odit patrẽ & matrẽ, & c. adhuc & animam suam, nõ est meus discipulus) ita quicquid nobis Christus det, nisi animam suã det, quæ in suo sanguine est, non videtur redemptio plena.

Dices: Ergo suadeo populos sub vtraque specie communicari: vt sit redemptio perfecta: Respondeo minimè id à me persuaderi. Ecclesiæ enim Romanæ filius sum: à qua nec latum vnguem discedere est animus. Et ad dubium satis respondet Lyranus, quòd etiam plebs sanguinem bibit, non in se, sed in Sacerdotibus. Respondent alij, quòd quandoquidem sub specie panis, adest Christi sanguis, anima & diuinitas, qui corpus nunc recipit, etiam sanguinem recipit. Immoratus sum plus nimio: in huius Sacramenti explicatione. Finiam si quædam adiecero.

Genes. 1. Primum est: In prima mundi institutione, dantur homini herbæ in escã. Ita enim Dominus inquit: Dedi vobis omnem herbam, & vniuersa ligna: vt sint vobis in escam. Mundo posteà per diluuium destructo, nouoque succedente, dat Genes. 9. Dominus carnes in cibum. Ita enim dicit: Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibũ: quasi olera virentia tradidi vobis. Mundo verò terreno per Christum velut abolito, & Ioan. 6. nouo spirituali renascenti: non iam vel herbæ, vel pecudes dantur in cibum: sed ipsemet Deus, videlicet: quanto magis mundus procedit, infirmior est: ac ideo maiora requirit fulcimẽta. Vetus domus fortiora exigit fulcra: periculosior infirmitas pretiosiora requirit medicamina.

Secun-

Secundum: Cùm Ioseph fratres suos inuitauit, nihil aliud dicitur eis apposuisse, quàm panem, ita enim lota facie egressus dixit: ponite panes, quibus positis seorsum Ioseph, seorsum fratribus, seorsum Ægyptijs, licet nihil nisi panem textus adferat,) addit tamen, quòd biberunt & inebriati sunt. Vbi significatur conuiuium hoc sacratissimæ Eucharistiæ. quod licet panis solum nominetur, omnem tamẽ in se continet cibum. Quare qui hunc panem dicit, omnem cibum dicit. Significatur etiam, ex hoc pane, Christum comedisse, & viros pios, & etiam malos: diuerso tamen effectu. Ideo dicitur: quod seorsum Ioseph, fratribus, & Ægyptijs, panis appositus est. Tertiò significatur: quòd hic panis vim habeat inebriandi. Nec enim textus dicit: appositũ esse vinum, sed solum panem appositum. Genes. 43.

Tertium: Pauit Deus Iudæos in deserto manna id vocabant panem Angelorum, & panem de cœlo. Erat igitur fere necessarium: vt Christianos factos Angelicos, spirituales, & fere diuinos pasceret Deus pane Angelorum: non iam figuratiuo, sed vero. & pane cœlesti, non iam vmbratili, sed reali. Et sicut nullum nomen quadrauit illi cibo Iudæorum, nisi manna: quid est hoc? ita Christus ei interrogationi, quærenti quid est hoc? respondit. Hoc est corpus meum. Quod licet nominetur nomine corporis, & sanguinis mei: tam verò est admirabile, vt verius ei, quam antiquo cibo, nomen conueniat admirationis. Quid est hoc? Et enim & hominum & Angelorum hoc corpus transcendit ingenium. Cumque & homines & Angeli hoc Sacramentum vidẽt, quo plus intelligunt plus admirantes dicunt, Quid est hoc? Ea verò omnia, quæ in illo manna spectabantur, multò sublimius spectantur in nostro: quæ ne prolixior sim prætereo. Num. 11. Psal. 77. Ioan. 6.

Quartum est: Quod Psalmus 110. totus agit de Eucharistia. Confitebor, inquit, tibi Domine in toto corde meo: coram omni Ecclesia sancta. quia video magna opera tua. exquisita, ad voluntatem tuam, non ad capacitatem nostram. Opus planè magnum cõfessio, qua Angeli tibi in cœlo confitentur. Magnum etiam, magnificentia, qua benefacis nobis in terra. Magnum item iustitia, qua malos punis in inferno. Sed verò vnũ opus tuũ est, quod est memoria summa, catalogusque mirabilium tuorum. Si quod opus sit nosse desideras, illud est: Escã dedit timentibus se, non escã naturalẽ quã dat bonis & malis: iustis, & iniustis: sed escã qua memor est Psal. 110. In consil. iust. & congregat. Confes. & magnif. opus. Memoriam fecit mirabiliũ suo. vox. Memor er. in æter. testamen.

virtu.operum suorũ annu. pop. vt det illis hæredit. Testamenti: non veteris, sed noui. quod in suo sanguine pepigit. Escam quæ sit virtus, & potentia maior omni opere suo. Escam quâ datur hæreditas cœli cunctis gentibus, si illa: volent, &c.

Zach.14. Quintum est: Habet hæc verba Zacharias. 1. Sanabo contritiones eorũ: diligã eos spontaneè. 2. Ero quas ros Israeli: germinabit sicut lilium: erumpet radix eius vt Libani. Ibunt rami eius, & erit quasi oliua gloria eius: & odor eius vt Libani. 3. Conuertẽtur sedentes in vmbra eius. Viuent tritico. & germinabunt, quasi vinea: & memoriale eius, sicut vinum Libani. Hactenus Zacharias. Vbi prima oratio, ad Christi incarnationem refertur: quâ voluit sanare nostras contritiones, diligens nos spontaneè. Quod sequitur, refertur ad rorẽ prædicationis Christi, per quem Apostoli germinarũt, & facti sunt, vt radix Ecclesiæ, quæ inde sicut oliua gloriosa processit: dans bonum odorem. Pars reliqua manifestè ad Eucharistiam refertur. Quam qui manducant in vmbra, non in luce Christi sedent, protecti ab eo, velut ab vmbraculo. Viuuntque tritico cœlesti (iuxta illud: Panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita) germinant etiam, velut palmites viti suæ adhærentes.) manet enim qui cõmunicat, velut palmes in vite.) Et demum, memoriale, testamentum, & memoria mirabilium, est vinum non Libani terrenæ, sed æternæ.

Rom. 11. *Isaia 4.* *Ioan. 15.*

Sextò, Est quod Psaltes dicit: Erit firmamentum in terra, in summis montium. Quod equidem non nobis solum, sed etiã ipsis Rabbinis testantibus de Eucharistia intelligi debet. Id enim illi ita verterunt. Erit placenta terræ, in capitibus montium. Placenta verò nõ est alia, quàm hostia sacerrima: quæ de terra sumpta est, de illa scilicet de qua dicitur: Erit fructus terræ sublimis. & item, veritas de terra orta est. Illa ergo placenta, cùm capitibus Sacerdotum imponitur, reuera est firmamentum terræ, in summis montium.

Psal. 71. *Isaia 4.*

Demum ego arbitror omnes locos veteris Testamenti, qui de conuiuijs solennibus tractant: sacrum Eucharistiæ conuiuium figurasse. Vt conuiuium illud Isaiæ pinguium medullatorum. Conuiuium quod rex Israel, iubente Elisæo Propheta, hostibus prius errantibus, posteà illuminatis, magna pompa preparauit. Conuiuiũ Dauidis, quod in solennitate Paschali, populo instruxit, & reliqua. Vereor enim ne de tanta re pauca dicens, minora quàm sentiam, sentire videar.

Isaia 25. *4. Reg. 6.* *2. Reg. 6.*

Et hym-

Et hymno dicto exierunt in montem oliuarum. Hymnus canitur Christo intranti in mundũ. Hymnus ei canitur exeunti de mundo. Sed intranti canunt hymnum Angeli: exeunti homines. Videlicet, quia intranti ad vitam, canere debebant illi, quibus est perpetua vita. Exeunti verò ad mortem, canere debent homines, quorum est continua mortalitas. Sed mirum non erat, quod intranti Angeli canerent. Intrabat enim ad vitam: Mirum verò est quod exeunti ad mortem, ipse sibi: & discipuli Magistro, hymnum canant. Morientes enim non canunt hymnum: sed potius deflent mortem. Sed Christus canit in vitæ fine: & vult, vt sibi canatur in morte. Vt cui mors, nõ erat ad mortẽ: sed ad vitam. Et cuius mors mortem nostram destruebat, & vitam amissam reparabat. Cuius mors erat mortis mors, & morsus inferni. Cuius mortem omnes præteriti mortui desiderauerãt: vt per eam omnibus ad vitam redire liceret. Canit igitur Christus in morte: vtpote quam per totam vitam ardentissimè desiderauerat, & coarctabatur, quia non veniebat. Canit in morte, vt ostendat canendum esse in ea morte: quæ mortis prioris est finis, & vitę sequentis initium. Nihil habet mors pretiosa iustorum: quod non sit omnibus hymnis prosequendum. Profectò nõ erat ille imprudens mos: quo quidã eos flebant qui nascebantur, eos verò solennizabant qui moriebantur. & illi quidem, non agnoscebant bona ijs qui in Domino moriuntur prępatata: qua causa erat illis flendũ, vt qui spem non haberent. Nobis verò, Paulus in morte vetat cõtristari, imò, inquit, consolamini in verbis istis. Veruntamen, quia non malum: imò naturale est, homines in morte sua, vel suorũ contristari: ideo Christus vtrumque in se monstrauit, & hymnũ, & lachrymas: hymnum, Vt inuitaret ad gaudiũ: lachrymas, ne damnare videretur naturam. Vt si hymnus Christi multos discipulos habuit, qui vehemẽter lætarentur in morte: eiusdem lachrymæ, multos excusent, qui dolent, cùm discedunt è vita.

1. Cor. 15.

Lucæ 12.

Psal. 115.

Apoc. 14.

1. Thess. 4.

Hebr. 5.

Quòd verò ait *Hymno dicto exierunt in montem Oliueti*, arce relicta Sionis: primum indicat, eius mortem & passionem non solum Sioni valiturã, neq; enim passionis fructus erant intra muros illius vrbis continendi. Secundò indicat, Passionem Christi in misericordia (quæ per oliuam significatur) exercendam. Non enim Christus passus est ex iustitiæ operibus, quæ fecimus nos: sed secundùm suam misericordiam

saluos nos fecit. Non enim iustificamur, quia Christus
Titum 2. suam nobis passionem debuerit: sed iustificamur gratis, per
Roman. 4. gratiam ipsius. Id enim Dominus testatum esse voluit cum
Osea 13. dixit: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Alioqui, per-
Ephes. 2. ditio nostra ex nobis est. Ex gratia enim saluamur, non ex nobis, ne quis glorietur. Tertio etiã indicatur quod etiam si Eucharistiam susceperis, cum es morti vicinus: etiam si hymnum lætus cecineris: adhuc in montem oliuarum cõscende,
Psal. 129. id est, ad Dei misericordiam, non ad iustitiam confugias. Si enim iniquitates obseruauerit Dominus, quis sustinebit? Ad montem igitur oliuæ, non ad montem gladij, seu ad thro-
2. Tim. 4. num iudicis accedamus. Et Paulus ille qui repositam sibi esse
Hebr. 4 coronam iustitiæ asseuerat, ita dicit: Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequamur: & gratiam inueniamus, in auxilio opportuno. Quartò indicat, Eum qui pane cœlesti pastus est, & lętitiã à Domino accepit, quâ exultans, Deo hymnum dixit: is non illico ad negotia se disturbet secularia, sed ad solitudinem accedat contemplationis confisus, quòd à monte oliuę oleum exultationis accipiet. Sed progredior.

Ait Dominus illis: Omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte. Id mihi consideratione dignum occurrit. Cur scandalum passi sunt ea nocte discipuli? Cur sunt dispersæ oues, nondum pastore percusso? Ea enim nocte, nondũ pastor, aut
Ioan. 17. mortuus, aut flagellatus erat: auget mihi dubium deprecatio Christi ad Patrem, quá illud precatus est: *Non pro mundo rogo, sed pro eis rogo.* Quid igitur, An nõ poterat pastor nõ percussus, suas à lupo oues præseruare? An nõ Pater, Filij loco, à Filio rogatus, seruare à pręcipitio Apostolos quiuit? Respõsio mihi prior occurrit. Tantam esse Scripturæ veritatem, vt Deus, omnia faciat, omnia permittat: quò veritas Scripturæ
Zacha. 13. illibata seruetur. Igitur Scriptura dixerat: O framea, suscitare contra virum cohærentem mihi, super pastorem meum. Percute pastorem, ô framea: & dispergentur oues. Hæc Scriptura impleri debuit. Eam causam affert Dominus: inquit enim: *Scandalum patiemini* Scriptum est enim, Percutiam pastorem, & dispergentur oues.

Sed equidem sacra Scriptura nõ rebus, vt fiant, necessitatem imponit. Potius enim dicit, quod res eueniet, quàm facit, vt eueniat: idcirco alia nobis quærenda ratio est. Hanc interim accipite: Christus non est ita singularis homo, quin omnes

omnes homines in se claudat. vt caput, membra, vt corpus, partes suas. Ergo quod in Christo fit, in Ecclesia sua fit. Est enim Ecclesia vnũ cum Christo. Si igitur Pater æternus concessit dæmonibus facultatem, vt in Christum irruerent, & omnem vim suam in eũ exercerent, consequens erat: vt patiente capite, passionem sentiret & corpus. Corpus enim nõ esset: si integrum esset, vbi caput iniurijs, & tormentis subijcitur. Ergo si tanta esset differentia nostri à Christo: vt est ouium a pastore, poterat Ecclesia illæsa manere, vbi caput læsioni erat subiectum: sicut oues possunt esse sanæ, pastore percusso. Sed verba illa Zachariæ: Percute pastorẽ, & dispergentur oues: tantam coniunctionem significarunt ouium & pastoris: vt pastore percusso, percussioni paterẽt & oues. Rom.12. Ioan.17.

Est alia etiam ratio: Per mortem Christi data est Ecclesiæ firmitas, vt posset esse columna, & firmamentum veritatis: vt portæ inferi non præualerent contra eam. Siquidem ante mortem Christi, antiquæ legis status perseuerabat. Ac ideò, perseuerabat status legis infirmæ & iamiam moriturae. Vt ergo significetur prioris status reprobatio, vt sequẽs statuatur: permisit Dominus suos etiam discipulos cadere, quo viderentur omnia (sacram virgine excipio) conclusa sub peccato, vt omnium Dominus misereatur. 1.Timo.3. Matth.16. Hebræ.7. Rom.11.

His adde omnes eas rationes: quas Sancti adduxerunt, vt permittatur cadere Petrus: eę enim omnes in Apostolos reliquos quadrant. Tomo reliquo.

Neque verò propterea Christi fuit infirma precatio: imò valentissima quæ Deum Patrem discipulis tam fœde peccãtibus cõciliauit, nisi modò minus sit, mortuum à morte reuocare: quàm infirmum, ne moriatur præseruare. Sane permisit Deus Lazarum mori. Poterat enim qui oculos aperuit cœci nati, languentẽ a mortis viribus eripere. Sed maior apparuit excitantis, quàm præseruantis potentia & maior fuit oratio, quæ discipulos in incredulitatem, (quam illis postea Christus exprobrauit) præcipitatos, rursum in meliorẽ conditionem restituit: quã si eos ne caderent detinuisset. Quia vero Christus suæ orationis efficaciam cognoscebat: oues errantes & dispersas oues erat ad caulas reuocaturus: ideo subiecit verba sequentia. Ioan.17. Ioan.9. Ioan.11. Mar.16.

Postquam surrexero, præcedam vos in Galilæam. Vbi diuitias Christus suæ benignitatis ostendit, qui non solum hominum viuens curam gerebat: sed iam gloriosus, immortalis Mat.28.

cuique

cuique erat data omnis poteſtas in cœlo, & in terra: ſuorum diſcipulorum, qui eum in agone deſeruerant: qui ſcandalum in eo paſſi fuerant: quos de incredulitate reprehenderat, vnica & ſingulariſſima cura proſequitur. Præcedam, inquit, vos. Pater filios, Magiſter diſcipulos, Dux milites, Pontifex ſacerdotes, Rex ſeruos, Caput membra, Paſtor oues. Præcedam, inquit, vos. Ne timeatis vllum ex hominibus incom-
Exod. 13. modum. Vt enim Angelus præcedens Hebræorum caſtra, eos ab omni timore & incommodo liberabat: ita & fortius ego, caſtra mea, Eccleſiam meam, prçcedens, ab omni timore vos libero. Hîc aduerte, apud Zachariam hæc fuiſſe prænuntiata. Nam vbi dixerat: Percutite paſtorem, & diſpergentur oues. ſtatim ſubdit. Conuertam manum meam ad
Zach. 13. paruulos. Certum verò eſt, eoſdem eſſe paruulos, ad quos
Matth. 18. manum cõuertet, qui oues erant diſperſç. Qua enim ratione Chriſtiani oues ſunt, paruuli etiam ſunt. Senſus ergo eſt: Si framea percuſſit paſtorem: & oues ſunt diſſipatæ, at eædem
Pſalm. 21. ipſæ oues conuertentur, Paſtorem recipient ſuum: à quo in loco paſcuæ collocabuntur.

Aduerte ſecundò, Dictum eſt: Præcedã vos in Galilæam, non in Iudæam. Vbi notatur primò, eam debuiſſe Chriſtum immortalem videre: in qua fuerat primũ mortalis genitus. & ibi eius immortalitas planè nuntiari: vbi fuerat primum pœnitentia (cui immortalitas promittitur,) prædicata. Gali-
Iſaiæ 9. læa gentiũ cùm eſſet in tenebris, lux orta eſt ei. Vt illic orta eſt lux Euangelicæ prædicationis: ita & oritur lux æternitatis: quam prædicatio annuntiat Euangelica.

Nec debuit textus dicere: quòd in Iudæam Chriſtus ſuos
Ierem. 51. præcederet. Vt enim Babylon, quia curata, ſanata non eſt, ideo relicta eſt: ita & Iudæa Chriſti præſentia curata, & non ſanata, relinqui debuit. & vitæ nouæ inchoatio Galilææ adſcribitur: quaſi cultus Dei, lex, religio, & prçmia vitæ è Iudça in Chriſtianitatem migrauerint.

Petrus vbi Chriſtum audit: quod omnes diſcipuli eſſent ea nocte ſcandalizandi, in verba Chriſtiano pectore digna prorupit: *Si omnes*, inquit, *fuerint ſcandalizati, non ego.* Quæ verba, ſi dicantur à pectore ſuis viribus fidenti, ſunt planè ſuperba. At ſi dicantur à pectore, viribus diuinis nitẽti, planè cuilibet ſunt neceſſaria Chriſtiano. Neque enim gratiam Dei habet, cui non fixum, & alta mente repoſtum ſit, quòd & ſi totus mundus à Chriſto diſcedat, ipſe tamen diſcedere non vult,

vult. Etiam si Angeli de cœlo aliud Euangelium afferant, à Christo discedentes: Paulus, nō solùm non discedit, sed anathema discedentibus intonat. Etiā si mors, vita, angeli, principatus, virtutes, instātia futura, & creaturę omnes, à Christo discesserint, & Paulum ab eo separare contenderint, Paulus testatur, quòd id efficere non poterunt. Et sponsa fideliter dicit: Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem. & Christus dicit, eum solum virum esse cœlo dignum, qui ita super firma petra ædificatus est: vt nulli neque venti, neque flumina, neq; alius impetus possint domum labefactare. Ergo Petrus licet viribus suis immodicè fidens, fuerit superbè loquutus: at si diuinæ opi confidisset, planè verba Christiani hominis, princeps protulit Christianorū. Quid enim aliud est, Diliges Dominum super omnia, nisi, quod ita diligas, vt omnibus scandalum patientibus, & negantibus, tu fidelis perseueres?

Galat. 1.
Rom. 8.
Cantic. 8.
Matt. 7.
Deut. 6.

Dominus verò, hominis immodicā fiduciam taxat dicēs: *Amen dico tibi, antequàm gallus cantet, ter me negabis.* Liceat mihi dicere, Christum esse gallum: si enim seipsum asseruit esse gallinam, quæ pullos suos velit congregare. quid mirum est, si sit etiam & ipse gallus? gallus noctu cātat, vt dormientes e somno excitet, & otiosos ad laborē inuitet. Quis tandem est, cui hæc officia quadrātius competere possint, quàm Christus? Ipse enim in tenebris luxit, & ipse est, qui nos à somno excitauit: & ad opera cœlestia ipse nos inuitauit. Ipse igitur est, quem gallus significat. Porrò gallus hic bis canere solet: semel quidem cùm auxilium suum largitur sufficiens quidē, ne peccemus. secundò verò cùm auxiliū præstat efficax, vt à peccato surgamus. Primum cantum, semper gallus hic canit: semper enim fauet, ne peccemus, si non peccare velimus: At si secundam vocem gallus dederit, à peccato peccator remouetur. Hoc igitur dicit Dominus: Antequam gallus qui ego sum, secundam vocem dederit, quam à tuo te peccato remoueam, tu ter me negabis. Vide quales sint, hominis etiam iusti, propriæ vires. Igitur si historiam spectes: Petrus ter negauit, vel certè ter negare cœpit, antequam gallus naturalis primam vocem dedisset. Si verò mysterium aspicias: Petrus à negatione non abducitur, donec gallus figuratus secundam vocem efficacem: quâ à peccato Petrum reuocauit, cecinisset.

Matth. 23.
Ioan. 1.

Petrus ad verbum Domini respondet: *Etiam si oportuerit me mori*

me mori tecum, non te negabo. & similiter omnes discipuli dicunt. Et similiter omnes Christiani, de Dei auxilio fisi, dicere debent. Et ego arbitror Dominum hæc verba dixisse, vt hunc animum in Christianis necessarium esse doceret. Docuit enim discipulos suos, eo animo præditos esse debere, vt si oportеat cum Christo mori, non eum negemus. Id enim
Luc. 9. significat verbum illud: Qui vult venire post me, abneget se, tollat crucem; vbi mecum moriatur, si oportuerit, po-
Luc. 14. tius, quàm neget. Id significat cum dicit Dominus: Qui non odit etiam animam suam, non potest esse meus discipulus, id est, qui non est paratus vitam fundere si oportuerit, antequam neget Christum, non est discipulus Christi. Ergo Christiani via regia incedamus: non declinemus ad dexte-
Deut. 28. ram, neque ad sinistram. Sinistra est Christum velle negare. Dextra est, tuis viribus fidens velle non negare. Regia via est, Dei viribus nitẽdo, nunquam Dominum negare. Cùm enim
Ephes. 2. vita Christiana donum Dei sit, nemo eam potest, nisi ex Dei dono, præstare.

Tunc venit Iesus cum illis. Primus locus à me tractandus est, cur Dominus venit in villam, quæ dicebatur Gethsemani, id est, vallis pinguis? Cuius illa prima ratio succurrit. Tauri, & boues in sacrificium Deo offerendi, afferri ex vallibus solent. Et ex valle pingui, pingua sacrificia expe-
Matt. 22. ctantur. At Christus taurus est, de quo dictum fuit: Tauri mei & altilia mea sunt occisa. Hic taurus post noctem suæ sacræ cœnæ, erat in sacrificium offerendus. Deus autem vult
Psal. 65. sacrificia seu holocausta pingua, & medullata. Ideo ex valle pingui afferri debuit. Meritò igitur ad vallem pinguem venit, vt intelligamus, ex ea holocaustum medullatum exiturum.

Secunda ratio: vt significetur nõ quòd vallis erat, sed quòd futura erat: vallis in se sterilis fuit: sed vbi ex Christi corpore,
Luc. 22. & corde, sanguis liquatus est, & velut torrens defluxit in terram: terra infœcunda, fœcunda facta est. Ex synagoga reddita est Ecclesia: quæ vere gratiâ & scientiâ pinguissima facta est.

Quod si etiam synagogam locum pinguem appellare li-
Isai. 5. bet, videlicet, quia Isaias eam, Cornu filium olei nuncupauit: tunc tertia ratio erit. Voluit Dominus ad synagogam, id est, vallem pinguem venire: vt inde ad mortem abduceretur. Neque enim fas est prophetam extra Ierusalem perire.

Est enim

Est enim Ierusalem quæ occidit Prophetas. Matth. 23.

Nescio verò, an Dominum venire in vallem pinguem, pingues & diuites admonuerit, ipsos esse maximè qui mortem Christo concilient: eorum enim peccata, & plura, & maiora sunt quàm pauperum. Dictum enim est: Prodit quasi ex adipe iniquitas eorum. Si igitur peccata Christum morti adegerunt, profectò pingues & diuites maximè adegerunt. Psalm. 71.

Demum, ad vallem pinguem venire voluit, docēs ex loco, qualis esset ille animus, qui pro nobis mortem optabat Nec enim non esse charitate pinguissimus animus poterat, qui se tali morte obijciebat.

Locus secundus est, quid significet, quòd Christus cœperit pauere ac tædere, ac dicere: *Tristis est anima mea vsque ad mortem?* quid est, quòd tam vehementer angitur: vt in agonia fiat eius sudor, vt guttæ sanguinis decurrentis in terram? quid est quòd tam acerbè doleat, vt roget Patrem auertat ab eo calicem? Christus Dominus gigas, fortis, sapiens, Deo zelantissimus: nostri amantissimus, cur ita dolet, cùm videt passionem imminere? Maximè cùm passionem adeò ille optarit ardenter, vt dixerit: Baptismo habeo baptizari, quomodo coarctor, donec fiat. Ad hoc, ego existimo salutem nostram in hoc Christi dolore fuisse monstratam. Tota nostræ redemptionis spes in hac Christi agonia versabatur. Hic erat vnus nostræ confidentiæ cardo, si Christus dolorem suum ita monstrasset. Et quia sciebat Dominus hoc esse nostræ angustiæ solatium, & nostra diffidentię anchoram, eâ ratione omnibus modis dolorē suum testatum esse voluit. Hanc rem vt summam, explicare apertissimè contendam. Luc. 22. Isaie 9. Psalm. 18. Luc. 12.

Principiò, lex Dei est, nullum peccatorem sine pœnitentiæ dolore iustificari. Dicente Christo: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Et item: Pœnitentiam agite, appropinquauit regnum cœlorum, id est, non aliter in vos veniet, nisi pœnitentiam egeritis. Ea etiam vox Ioannis Baptistæ est. Pœnitentiam agite. eadem est Petri vox: Pœnitemini: & baptizetur vnusquisque vestrum. & Pauli: Tristitia quæ secundùm Deum est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur, id est, non est salus stabilis, sine tristitia, quæ secundùm Deum est. Ergo firma lex est, si de peccato non doleo, seruari non potero. Luc. 13. Matt. 4. Matth. 3. Actor. 3. 2. Cor. 7.

Secundò: Lex naturæ etiam docet: vt nō quiuis dolor de
Matt. 27. peccato, peccatum delere possit. Doluit planè Iudas, quod
Christum vendiderit. Doluit Saul quod Samueli non obe-
Genes. 27. dierit. Doluit Esau, quòd primogenita vendiderit. Neque
Hebr. 12. tamen, inuenit pœnitentiæ locum, etiamsi cum lachrymis
eam quæsijsset. Hinc ergo tota diffidentia, & desperatio no-
bis accrescit, quod scilicet scimus non peccasse neque tamen
scire possumus, an tanto dolore simus affecti, qui delere no-
stra crimina queat. Censent enim Theologi, dolorem de-
bere esse summum, maximumque: qui peccatum, contra
summum maximumque Deum, abolere possit. Quis verò
ex se dolorem tantum habeat: quis ita dolere sufficiens erit?
2. Cor. 3. cùm non simus sufficientes, cogitare aliquid ex nobis, quasi
ex nobis. Quomodo ergo dolebo, vt debeo: qui cogitare, vt
debeo, non sufficio?

Christus igitur qui caput nostrum est: cuius nos omnes
membra sumus: dolorem quem nos ex nobis habere non
poteramus, in suæ passionis initio, pro omnibus nobis as-
sumpsit. Vt iam confidamus, quòd si per sacramenta Eccle-
siæ, dolor ille suus nobis communicetur, iusti & salui esse
poterimus. Igitur in Gethsemani, Christus pro peccatis om-
nium nostrum dolet, pro peccatis omnium dolorem assum-
psit, quem dolorem ego debebam: iam præstitit ille. Egregiè
3. part. q. hæc dominus Thomas docet, in hæc verba: Christus non
46. art. 6. solum doluit pro amissione vitæ temporalis: sed etiam pro
peccatis omnium aliorum. Qui dolor in Christo excessit
omnem dolorem cuiuscunque contriti: tum quia ex maiori
sapientia, & charitate processit, ex quibus dolor cōtritionis
augetur. Tum etiā quia pro omnibus peccatis simul doluit,
Isaiæ 53. secundùm illud: Verè dolores nostros ipse tulit. Hactenùs
ille. Et infrà: Christus voluit genus humanum liberare, non
sola potestate, sed iustitia. Ideo nō solùm attendit, quantum
virtutem dolor eius haberet, ex diuinitate vnita: sed etiam,
quantum dolor eius sufficeret, secundùm humanam natu-
ram, ad tantam satisfactionem. Hæc ille. Vbi attentè au-
diendum est: quòd pro omnibus peccatis Dominus simul
doluit. & quòd doluit tanto dolore, quantum requirebatur
tur in quouis homine, vt eius culpa condonaretur. O do-
loris immensitatem! ô dolorem ferè infinitum! An non est
ferè dolor infinitus, qui pro singulis omniū hominum pec-
catis voluntariè assumptus est? Quis credere potuisset, quòd
cor

cor illud Christi delicatissimum, omnes nostros tulerit dolores? O Christe, verè magna est, sicut mare, cōtritio tua: Verè contritione magna contrita est Virgo, filia populi nostri: plaga grauissima vehementer. Verè dixisti: Vos qui transitis, attendite & considerate, si est dolor, vt dolor meus? verè vir dolorum es, & sciens infirmitatem. *Ierem.14.* *Trenor.1.* *Isaiæ 53.*

Ita planè necesse erat, vt Christi dolor tantus esset: vt nobis fiduciam sperandæ pietatis indulgeret. Quis enim veniā sperare potuisset, nisi Christum, iam pro nostris peccatis doluisse nouisset? iam neminē desperare aut frangi par est, licet infinito peccatorum pōdere obruatur, cum sciat: Christum iam dolorem illis peccatis debitū assumpsisse: nihilq; aliud à peccatoribus requiri, quàm quòd dolor ille suus, nobis per sacramenta dignè suscepta, communicetur.

Cùm ergo res summa fuerit, Christum tantum habuisse dolorem: cumque tantopere nostra retulerit, eum illum habuisse, cumque etiam adeò retulerit: vt nos sciremus, quòd ille tantum habuerit dolorem. (quid enim prodesset ad fiduciam nostram, quòd ille habuisset, si nos id ignoraremus) hac (vt existimo) ratione, omnibus argumentis Christus testatum esse voluit, se tantopere doluisse. Ideò enim ait: ***Tristis est anima mea, vsque ad mortem***, id est, dolore qui mortem, nō vni, sed mille hominibus afferre potuisset. Ideò etiam secundò ait: ***Pater mi si poßibile est trāseat à me calix.*** neque enim poterat non esse calix acerbissimus, quem fortissimus ille hæros, qui tam anxiè illum optauerat, tam anxiè efflagitat à se remoueri.

Vt etiam omnibus esset apertissimus dolor ille à Christo, pro nobis assumptus: idcirco Petrum, Iacobum, & Ioannem testes doloris asciuit: vt in ore trium testiū staret omne verum. Et ea ratione: semel, iterum, ac tertiò vt vigilent admonuit: vt testimonium vigilantium certius esset. Et ea etiam ratione, voluit Angelū de cœlo venire: qui eius doloris certissimus esset index & testis. siquidem ad eum in eo consortandum accesserat. Eâ demum ratione sanguineum sudat fluorem: euidentissimum summæ anxietatis indicium. *Deut.17.*

Planè Christus, cùm ita dolebat, mulier erat, quæ, cùm parit, tristitiā habet. Pariebat verò tūc nos, & dolores partus vsque ad mortem perdurauit: vbi morte matris vitam accepit filij. Planè Christus in se maledictionem Euæ suscepit. Cui dictum est, In dolore paries filios, factus est igitur *Ioan.16.* *Genes.3.*

Galat.3. pro nobis maledictum, vt nos ex legis maledictione redimeret. Planè Christus erat pulchra illa Rachel, quæ Beniaminum (id est, filium dextræ) pariens ex dolore, diem clausit extremum. Ita Christus nos pariens: vt dextræ filios efficeret, præ dolore suam sacerrimam animam effudit.

Gen.35.

Porrò non immeritò dixit. *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Sciebat enim peccata quæ vsque ad mortem in homine durant, esse periculosissima. Dictũ enim est, Mors peccatorum pessima, id est, peccatores qui vsque ad mortis tempus peccant, morte morituri sunt pessima. At nihilominus peccator qui iam se mori videt, minimè desperet. Ideò enim Christus vsque ad mortem doluit: vt etiam peccata vsque ad mortem, remedium habere sciremus. Habebunt verò remedium & veniam, si peccator, suo dolore, dolorẽ Christi per Sacramentum aut eius votum participauerit.

Psalm.33.

Nec id dissimulandũ, quòd Christus doluit vsque ad mortem: vt sciamus, eos qui in tempore mortis dolẽt, non proptereà damnari. Imperitum enim vulgus existimat, eos in infernum abire, quos anxiè & dolenter mori conspiciunt. Contrà eos abire in cœlum: quos placidè vitam hanc egnoscunt. At non ita est, potest in cœlum ire, qui in magnis angustijs, vitam absoluit, vt de Ioanne Taulero memoriæ proditum est.

Locus tertius est: *Assumpto Petro, & duobus filijs Zebedæi cœpit contristari.* Varias habent hi tres Apostoli significationes. Primum enim, significat Petrus fidem: in Petri enim fide fundatur Ecclesia Christi. Significat Iacobus spem. Propter spem siquidem luctamur & contendimus. Significat Ioannes gratiam & charitatem. Meritò igitur Christus erat turus & sudaturus, & tantopere laboraturus assumit hos tres, Indicans nullum opus sine his tribus, scilicet fide spe charitate, aliquid valoris habere. Sine fide enim impossibile est placere Deo: sine spe, nemo saluatur. Spe enim salui facti sumus: & sine charitate, etiam si tradam corpus, vt ardeat, nihil sum.

Heb.12.
Rom.8.
1. Cor.13.

Secundò, tres illi Apostoli significant tres hominum status. Petrus enim significat Clericos. Iacobus vitæ actiuæ laborem: Ioannes contemplatiuæ quietem. Christus ergo assumpsit hos tres, vt proximi suæ adstarent passioni. Indicans se sufficienter, pro omnibus omnium hominũ statibus sanguinem sudasse, & vitam fudisse.

Tertiò,

Tertiò, tres illi Apostoli significant eos, qui Christo iunguntur familiarius, quique Christum amant strictius. Itaque cùm Dominus vult tres istos suæ assistere passioni, admonuit eos, qui Christo volunt vniri amore strictissimo: vt eius sacram passionē cogitent, considerent, meditentur propiùs, attentiùs, intimiùs.

Quartò, etiam voluit Dominus hos tres transfigurationi interesse, & passioni. Vt qui post gloriam transfigurationis, videbant successisse ignominiam passionis intelligerent futuram: vt post ignominiam passionis, gloria succederet resurrectionis. Vt in die bonorum memores simus malorum: & in die malorum, memoria succurrat bonorum. Videlicet vt expectatio mali, fœlicitatis humanæ lætitiam temperet: & spes boni, grauioris tribulationis afflictionem moderetur. *Matt.16.* *Eccles. 11.*

Locus quartus est: *Progressus pusillū, procidit in faciem suam.* Progressus est pusillū, quantū iactus est lapidis: vt Apostoli testificari possent certissimè, de eius dolore, & angustia. Quod verò procidit in faciem, arbitror id esse, quod Paulus dicit: Qui in diebus carnis suæ, preces, supplicationesque ad eum, qui posset illum saluum facere a morte, cum clamore valido, & lachrymis offerēs, exauditus est pro sua reuerētia. Videns enim Christus se peccatis nostris onustum: statuensq; pro nostris peccatis dolere, & eorum à Patre remissionem impetrare: coram throno Paternę glorię cōparuit, summam illi reuerentiam exhibens: quam exteriori corporis habitu demōstrans, procidit in faciem suam, & velut Pontifex pro nobis interpellans, preces & supplicationes obtulit Patri, cū lachrymis & clamore, qui in toto cœlo personuit. Proq; illa profundissima, quam exhibuit reuerentia, exauditus est. Rursum cum per Angelum qui eum confortaturus adueniret, Christus ipse resciuit (quod iam ante sciebat) Patris decretum esse, vt moreretur: tunc propria experientia didicit obedientiam, & ita per obedientiam, consummatus, factus est sibi obtemperantibus causa salutis æternæ. *Luc. 22.* *Hebr. 5.* *Psalm. 21.* *Hebr. 5.*

Sed iam intelligere cupio, quid Dominus precatus fuerit? quid supplicarit? in quo pro sua reuerentia exauditus fuerit? In qua re, sub aliorum censura, quæ subiungam, existimo.

Primum nulla poterat esse in seculo maior angustia: quā illa quā Christus affligebatur, vt omnes Theologi fatentur. Iam Pater æternus, Pater est misericordiarum, & Deus

2.Cor.1. totius consolationis: qui consolatur nos in omni afflictione nostra. Dictum enim est, quòd sit adiutor in opportunita-
Psalm.9. tibus in tribulatione. Quòd si seruis Dominus accurrit in omni angustia eorum: si non se continet Dominus, quin af-
Apoc. 21. flictionem seruorũ temperet, eorumque lachrymas abster-gat: quanto minus se continuisset Pater, vidẽs nõ seruũ, sed Filium, non in leui, & momentaria tribulatione, sed in acerrimo, & grauissimo dolore? quomodo nõ alis apertis ad Filium aduolasset, eius dolorẽ mitigaturus: nisi ipse Filius sua Patrẽ oratione detinuisset? Detinuit igitur Filius Patrẽ, ne dolorẽ leniret. Et hunc esse credo orationis Christi sensum, cùm ait: *Pater si fieri potest transeat calix à me*. Sed oratio mea, supplicatio mea, efflagitatio mea est: vt non hæc mea voluntas fiat. Sed tua illa Pater quã ab ęterno decreuisti: vt ego dolorem hunc quãuis acerbissimũ paterer, nolo dolorem hunc mihi leniri, aut mitigari. Non meus affectus naturalis impleatur: non tua mihi miseratio accurrat: sed tua voluntas
Psalm.40. æterna, opere compleatur. Planè tunc Christus intelligebat super nostrum genus, egenum & pauperrimũ: Pater igitur vniuersum Christi, dolorem mollisset: vt eum facilius ferre potuisset. Sed vt dixi, iterũ & tertio orauit Christus, ne suus naturalis impleretur affectus: sed doloris gladius eius transuerberaret pectus. Vt ea ratione, maiori homines nexu obli-
Psal. 25. garet, arctiori amoris nodo deuinciret. Quàm verè igitur quadrat Christo, illud Dauidis: Proba me Domine: & tenta
Psalm.138. me, vre renes meos, & cor meum. Et iterum: Domine probasti me, & cognouisti me, tu cognouisti sessionem meam, & ç. Ergo, vt finiam, orat Christus Patrẽ, vt si possibile sit trãseat calix: in ea ratione intelligamus: quàm esset acerbissimus calix ille, quẽ Christus fortissimus hæros exhorret. Orat verò, ne calix ille transeat: vt intelligamus, quantũ illi debemus qui omniũ dolorem, omnium loco, vnus exhausit. Quæ dico, quia certissima esse ille volebat, semel iterum, ac tertio repetijt, vt nihil in eis dubij residere potuisset.

Ex hac historia multa colligere est. Primum, quòd non est imperfectionis doloris acerbitatem sentire. Non est imperfectionis dedecoris vulnus dolẽter excipere. Non est imperfectionis mala huius seculi patiendo, tristari, pauere, tædere. Christus enim perfectionis fuit magister: qui in his malis cœpit contristari, & mœstus esse. Paulus (qui de se &
Philip.3. alijs dixit: Quotquot perfecti sumus id sentiamus) is dixit: Non

Non volumus vos ignorare fratres, de tribulatione nostra quę facta est in Asia. Quia supra modum grauati sumus, supra virtutem: ita vt tæderet etiam nos viuere. Iob sanctus ille, cui perfecti alij vix conferri possunt: adeò dolebat vehementer, vt amici, septem diebus ei loqui non auderent. Certè si quiuis nostrum spiritus esset, terrena mala pensi non haberet. Nunc verò ex carne sumus, quę nobis ferrea, aut ænea non est. 2. Cor. 1. Iob 2. Iob 16.

At verò Christiani afflicti munus est: in medijs tribulationibus rectà ad Patrē ire. Nec enim nouit animus Christianus in alia re, quàm in Deo, afflictionis consolationem recipere. Renuit enim consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum. Dictum est: Perditio tua Israël ex te, tantum auxilium tuum ex me. Rursum Dauid: Ego cùm mihi molesti essent, induebar cilicio, humiliabā in ieiunio animā meam: & oratio in sinu meo cōuertetur. & itē: Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi, ego autē orabam. Psal. 76. Oseæ 13. Psal. 35.

Porrò in ea ratione subdere tuam voluntatem Deo, vt nō quod tu, sed quod ille vult, faciat: id demū perfectionis est. Eam perfectionē Christus docuit hoc loco, & Paulus cum dicit: Renouamini in nouitate mentis vestræ, vt probetis quę sit voluntas Dei, bona, beneplacens, & perfecta. Est verò voluntas Dei perfecta: vt per leue & momentaneum tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus acquiramus: vtque persequutionem patientes beati simus. Vtque conueniat nobis illa beatitudo: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Demum est voluntas Dei, vt sicut abundat tribulatio: ita abundet & cōsolatio. Vt sicut socij sumus Christi in passionibus, simus & in consolationibus. Si enim compatimur, & conregnabimus. Rom. 12. 2. Cor. 4. Matth. 5. 2. Cor. 1. Eodem. Rom. 8.

Demum ex hac historia fas nobis est, de futuro Ecclesiæ statu coniectari. Quòd enim in capite contigit, futurum in membris speramus. Vt ergo Christus grauissimis doloribus, & angustijs afflictus est: cùm iamiam vitā esset absoluturus: ita & Ecclesia cùm iamiam finienda erit, grauissimè etiam affligenda erit. Ita vt si fieri possit in errorem tradantur electi. Sed sicut post mortem successit gloria Christi: ita post Ecclesiæ finem, eius immortalis gloria sequetur, vt verum sit illud: Gloriam præcedit humilitas. & illud: Antequam conteratur, exaltatur cor hominis. Et antequam glorificetur, humiliatur. Porrò Christus requi- Matt. 24. Prou. 18. Prou. 15.

solamen à discipulis intimis, nec tamen inuenit: ita Ecclesia requiret solatium, & fauorem à Prælatis suis, sed illi altum dormient.

Locus quintus est: *Ecce Iudas vnus de duodecim.* Video Christū minime à Iudæis, sine Iudæ ministerio comprehensum in figurā, quòd Christus in nobis tradi nisi à Iuda, Christi discipulo (licet falso) non potest. Certe cùm peccamus, tunc tradimus Christū. Neque enim in nobis tradi Christus potest nisi peccemus at peccare non possumus, nisi ministerio Iudæ: eius scilicet qui discipulus Christi videtur, cū nō sit tamē. Quod vt intelligas, memor esto illius Theologici decreti: Nemo operatur, malū aspiciens. Ergo qui peccat, non peccat, malum, sed bonū aspiciens, id est, peccat credens nō malū esse, sed bonū quod cupit. Ergo cùm peccamus: venit Bonū, quod scilicet Bonum videtur: osculatur affectum nostrum, nos illud, vt amicū recipimus, en Iudas pseudoapostolus Christum tradidit. Proruit inde in animam nostram cohors dæmonū & vitiorum, Iudæi, Mauri, Indi, mali Christiani non tradunt Christum, nisi quia antecedit Iudas, id est, id quod bonum apparet, cùm non sit.

Sed ad literam redeo, comprehensuri Christum sunt Iudas, Christi familiaris, & discipulus. Secundò, turba multa ministrorum: qui missi fuerant à Pharisæis, & principibus.
Ioan.18. Tertiò, cohors gentilium militū, vt testatur Ioannes. Quartò, ipsi principes sacerdotū, magistratus templi, & seniores,
Lucæ 2. vt testatur Lucas. Vbi igitur tutus Christus esse potest? cuē non cauebit? quē non timebit? si à gentibus, à Iudæis, à suis, ab alienis, à ministris, & principibus, à iuuenibus, & senioribus, à priuatis, & magistratibus, à laicis, & sacerdotibus, quæritur comprehendendus? Quid mali hic omnibus intulit: quòd ab omnibus, quæritur ad necem? Verè dictum est. Inimici hominis domestici eius. Et nolite credere amico, nolite
Michæ. 7. te confidere in duce. Ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi
Ioan.15. claustra oris tui. Verè dictum est: Si mūdus vos odit, scitote
Ibidem. quia me priorē vobis odio habuit. Et item: Odio habuerunt
1.Ioan.5. me gratis. Cùm igitur totus mundus in maligno positus sit: cùm totus mundus contra Christū conspirauerit, quid causæ est, quòd ita cor nostrū credimus mundo? cur mundi præcepta seruamus? Cùm dictū sit. Qui amicus est mūdi, Dei ini-
Iacob.4. micus cōstituitur. An non miraculi loco est, quòd per Christum mundus factus sit, & non solum mundus cum non cognoscent,

gnouerit, sed persequutus fuerit, comprehenderit, occiderit? Igitur Christus datus est manibus peccatorum. Ioan. I.

Tunc vnus ex his qui erant cum Iesu, exemit gladium: & percutiens seruum principis sacerdotum, amputauit illi auriculam.

Primum illud annotandum, quòd ex ministris omnibus qui contra Iesum venerant: nemo maiori rabie, & furore vehementiori Christum inuasit, quàm seruus Pontificis summi. Propterea siquidem Petrus contra illum accensus irruit: & caput amputare contendit, quia eum videbat effrenatissimum. Igitur, à ministris Pontificũ, sibi Christus & timeat, & caueat. Nullus est qui furentiori odio Christum, & eius Euangelium prosequatur: quàm ministri Episcoporum. Hi enim auaritiæ flammis accensi, iustitiam corrumpunt: æquum bonumque dilaniant, dilacerant, nullaque ratione patiuntur, Christi mansuetudinem, charitatem, & æquitatem tranquillè regnare. Et profectò existimo, multos Pontifices viros fore meliores, si per ministros liceret. Quid verò liceat per illos, qui suo ministerio velut hamo, opes contẽdunt sibi regias comparare? rectè ergò erat nomen seruo Malchus, id est, regius: ij enim ministri regales diuitias, sua tyrannide sitiunt, & anhelant.

Contra hunc igitur insilit zelantissimus Petrus: & exempto gladio, illius diffindit auriculam. Res digna est omni expensione, cur Petri gladius in solam sicarij aurẽ sæuierit, cur certo ictu solã aurem discidit? Ego coniecto significari, quòd Petri gladius sit excõmunicatio. Hæc verò solã discindit aurem. Siquidẽ per excommunicationẽ, excommunicatus fit sicut ethnicus, id est, sicut infidelis, qui fide caret. Porrò carẽs fide, aure carere dicitur. Siquidem fides ex auditu. Ideo enim dictum est, Christianos in auditu aures obedituros. Et Christus in persona Christianorum dicit: Sacrificium & oblationem noluisti, aurem autẽ perfecisti mihi: siquidẽ per aurem, auditus verbi Dei ingreditur. Et per hunc auditum, omne bonum. Petrus ergo discidiẽs illius peruersi auriculam, illum ab omni bono, & ab omni remedio alienum demonstrauit. adeo grauis est excommunicationis pernicies. Matth. 18. Psal. 17. Psal. 39. Rom. 10.

Dominus verò Petro respondet: Conuerte gladium tuum in vaginam. Vbi primum sub aliorum censura, ita existimo, Petri defensionem fuisse inconsultam. Cum enim video mea defensione fieri posse, vt liberem eum, qui inustè affligitur: sancta quidem defensio est. Sed si defensio mea

aggressores irritat: vt acerbius sæuiant, cõtra illum quẽ ego defendo, & cõtra me, & contra alios? An non illa stulta defensio fuerit? Profectò rabidi illi leones contra Christum solùm venerant sequituri, neque eorum erat animus, Christum ibi gladio perimere. At Petri gladius eos irritasset, vt Christum & discipulos trucidassent, nisi Christi & verba, & miraculum id vetuissent. Ea enim ratione coniicio Christum aurem ministri sanasse: vt ministrorum ferociam illa sanitate leniret, & cicuraret. Vt cicures facti, & mansueti, ab occisione temperarent.

Docuit etiam eo verbo Christus: nõ temerè resistere ministris Iustitiæ, seu Iudicis. Scio quemuis, qui à iudice iniustè comprehenditur, se ab eo, & ab eius ministris defendere posse. Scio etiam posse alios ei ferre fauorem, qui à Iudice apertissima iniuria læditur. Sed oportet, & euidentem esse iniuriam, & proximorum scandalum cauere. Nam vbi dubia causa est, resistere magistratui non licet. Vbi verò scandalum nascitur, væh homini, per quem scandalum fit.

Vide S. T. 2.2.q.69. artic.4.

Matt.18.

Docuit etiam temerariam esse audaciam, si vnicus homo gladium contra cohortẽ, eximat. Quid enim poterat Petrus vnicum gladium habens, contra armatorum phalangem?

Quòd verò Petrum Dominus cõtinuerit his verbis: ***Conuerte gladium tuum, omnes enim qui gladium acceperint gladio peribunt.*** non vacat mysterio: non enim dixit: Conuerte gladium, ne te isti occidant, aut ne te isti cõprehendant: sed sola lege diuina eum à vulnere prohibuit, vbi duo intelligo. Primum, quàm debeat legi diuinæ Pontifex summus obedire: Licet summus ipse sit, licet in medio ardẽtis iræ, licèt in medijs flammis furoris: sola tamen legis diuinæ memoria, solũ legis diuinæ nomẽ, debet eũ in officio cõtinere. Secũdò intelligo. Quòd Christus solã legẽ diuinã Petro refricuit: quia sola lege diuina ille potest cogi, & coërceri. Nec enim legib' humanis ille coërcetur, qui est supra leges humanas. Neque oues cogere suũ solẽt pastorẽ. Neq; claues & gubernationẽ regni, alius quàm Petrus, id est, summus Pontifex habet.

Ioan. vlt.

Sed quid est: ***Omnes qui gladium acceperint, gladio peribunt?*** video sensum esse. Omnis qui gladiũ sua authoritate vsurpat, gladio peribit. Sed quam id non sit verum, experientia testis est. Dico tamen id in suo sensu esse verissimum: & primum considerandum illud est. Dominũ non dixisse. Omnes qui gladio occiderint, aut gladio vulnerauerint, aut gladium

strinxerint, sed solum: Omnes qui gladium acceperint: videlicet eo animo, quo tu Petre accipis, scilicet, ad pecutiendum. Vbi docemur, quòd sicut non solum adulter est, qui alienam corrumpit: sed etiam, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, mœchus est: ita non solum occidens homicida est, sed etiam qui gladium accipit ad occidendum, homicida est: & ideo, gladio peribit. Dubitas quo pacto id verum est. Respondeo legem hãc Dei esse, vt qui peccauerit volens occidere hominem, eum dolorem, eamq; angustiam sentiat, quam sensisset, si gladio perijsset. Siue eam sentiat, quia gladio corporali occiditur, siue quia gladio contritionis cor eius vulneratur, siue quia in inferno, gladio æternæ dãnationis ferietur. Lex enim Dei potius cor respicit, quàm corpus. Igitur quem dolorem intulit homicida, eum vt patiatur lex Domini sanciuit. Matth. 5.

Nescio verò an id placebit, quod subiungam: Habetur in Deuteron. quod si seruus noluerit egredi è domo domini sui, dominus perforabit eius aurem, & manebit seruus in æternum. Igitur Malchus personã synagogæ referebat, quæ Dominum suum morti tradidit. Quia igitur synagoga serua manere voluit, filiorum nomen abijciens: voluit enim spiritum seruitutis, potius quam adoptionis, idcirco in aure à Petro vulneratur, vt serua maneat non in domo Patris hæres. Quia verò Dominus in mũdi fine Iudæos ad veritatem conuertet: dicente Paulo, Cùm plenitudo gentium intrauerit, tunc Israël saluus fiet: idcirco auris a Domino, vulnerata restituitur. Deut. 15. Ioan. 8. Rom. 21.

Adde etiam, illâ auris redditione significari, non omnia quæ Pontifices præcipitantius agunt in terra, a Deo rata in cœlis haberi. Sicut enim quæ (claue non errante) soluuntur, aut ligantur à Pontificibus in terris, ligata, solutaque firmantur in cœlis, ita vbi temerè ligant illi, aut soluunt: non vult Dominus soluta, aut ligata manere. Iustus enim Dominus Iustitias dilexit, æquitatẽ vidit vultus eius. & itẽ: Mane adstabo tibi: & videbo, quia non Deus volens iniquitatem tu es. Fieri ergo potest, vt quem excommunicat Petrus in terra, non velit Deus esse excommunicatum in cœlo. Tum etiam volet Dominus, excommunicatos non desperare: etiam si iuste excõmunicati sint & præcisi. Potest Dominus illis reddere salutem. Potest iubere Petro, vt gladium in vaginam recondat. Matt. 18. Ioan. vlt. Psalm. 10. Psalm. 5.

Demum si magnum in Christo fuit, quòd cruci suffixus, pro crucifixoribus rogarit: An nō sublimissimum est, quòd in media comprehensione, in medijs iniurijs, inter sacrilegas manus, non verbo, sed opere: nō vulgari remedio, sed opere miraculoso, hostem crudelem, attrocē, impudentissimū, auris redditæ beneficio donauerit? & quia Theologicū dogma est, Quem Dominus sanat, perfectè sanat: si Christus hunc & aure, & mente sanauit, quod potuit esse maioris charitatis indicium? quod potuit esse magis imperturbati animi argumentum? Sed video, non tūc solum Dominus suos hostes in medio offensionum, beneficijs ditauit & cumulauit: etiam nunc, nos cum illum magis offendimus, ille magis donis, & muneribus, allicit, & prouocat. Tam est illi generosissimum

2.Tim.2. pectus. Quā verū illud est: vult omnes homines saluos fieri: quomodo enim potest efficacius ad Deū peccator conuerti,

Isaiæ 40. quam vbi videt se duplicia à Domino, pro suis iniquitatibus recipere? An nō dictū est: Confitebitur tibi, cùm benefeceris

Psal.48. ei? Igitur, si Christi lex est, Diligite inimicos vestros: suā ipse legē impleuit, ex dilectione veniens ad nos. Si lex est: Orate pro persequentibus vos: id ipse impleuit, in cruce pro perse-

Matt.5. quutoribus orans. Si lex est: Benefacite ijs qui persequuntur vos: en in auris redditione, lex est illa completa.

In illa hora dixit Iesus turbis: Tanquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me. In his verbis duo mihi sublucent. Primum est: Licere Reip. gladios & fustes accipere contra latrones: vt eos occidat. Et par ratio est de reliquis malefactoribus. Id mihi dictum sit, cōtra quosdam nimium delicatos, quibus crudele videtur, ijs auferre vitā, qui nostram furantur pecuniam. At Dominus dicit: Si fuissem latro: licebat ita contra me armari. Nunc verò, quid mihi cū latronibus? illi inuadūt aliena: ego do & me, & mea. Illi malefaciunt: ego nunquam non vobis & benefeci. Scitis enim quam fuerim largus beneficiorum collator.

Secundum est: Cur Dominus dixerit, *Tanquam ad latronem*: nō verò tanquam ad turbatorem Reipub. contra vsur-

Matt.27. patorē Regiæ maiestatis: & reliqua quæ postea Iudæi Christo obiecerunt? Ad hoc ego ita existimo esse respondēdum: Habet Dominus: Qui non intrat per ostium in ouile ouium,

Ioan.10. fur est & latro. & infrà: Quotquot ante me venerunt, fures sunt & latrones. Et non audierūt eos oues. & infrà: Fur non venit, nisi vt furetur, mactet & perdat. Ego veni: vt vitā habeant

beant,& abundantius habeant. Itaque Dominus duplici argumento probauit se latronem & furem non esse Alterum, quòd ipse det vitam, alterum, quòd vocem eius, audierint oues. Inquit ergo: Existis ad me, vt ad dilapidatorē Ecclesiæ, vt ad lupum voratorem, cum gladijs & fustibus. Cùm tamē essem vobiscum semper docens in templo: cuius vocem vos audiebatis, dum oues esse volebatis. Pastor igitur sum, non latro, mortem à vobis abstuli, non intuli, vitam dedi, non abstuli. Videte igitur, quòd crimen admittatis, sacrilegas in vestrum pastorem manus injicientes.

Tu autē intellige, quam mille rationibus suauissimè Christus hostes suos auocabat ab immanissimo scelere. Primum enim ipse non fugijt: sed se suis hostibus obtulit: non erat ergo cur eum cōprehenderent & ligarent. Secundò: Discipulorum arma prohibuit: Tertiò aurem restituit: Quartò comprehensores prostrauit. Cùm enim dixit: Ego sum, ceciderunt retrorsum: Quintò vires quas illis abstulerat restituit: Sextò admonuit, in sua esse facultate legiones Angelorum, ad sui defensionem aduocare: Septimò, refricauit eis memoriam doctrinæ & beneficiorum, quæ illis ille contulerat: vltimò, esse illam horam tenebrarum dixit, id est, dæmonum. An non hæc satis erant, vt vel leones, vel tigres mitigarent? At non sunt mitigati, imò verò exasperati: adeò ira, res cæca est, & furens, sed iustificata est interim sapientia à filijs suis. Ioan. 18.

Locus vltimus est: *Hæc omnia facta sunt, vt implerētur Scripturæ Prophetarum* Vbi diligentia nostra requiritur, vbi n. in scripturis hor um singula: quæ Matthæus recensuit. Aggrediar rem difficilem. Luc. 7.

Primùm quòd Christus esset cum discipulis cœnaturus, significatum fuit Exodi 12. vbi hæc verba referuntur: Decima die mensis huius, tollat quisque agnum, per familias, & domos suas. Ergo mandabat lex, quemuis Patrem familiâs agnum accipere quem cum sua familia cœnaret. At Christus erat Paterfamilias discipulorū suorum. Igitur debuit agnum & typicum, & verum, cum sua familia cœnare. Nec enim venit legem soluere, sed adimplere. Et reuera, caro Christi erat agnus immaculatus eius: erat azymus panis: sine virilis seminis fermento. Erat etiam agrestis, seu amara lactuca: amaritudine scilicet passionis infaustis affecta. Matth. 5.

Secundò, quòd Christus esset pedes, (id est, affectiónes) suorum discipulorū lauaturus, mihi significari videtur apud Mala-

Malac.5. Malachiam, cùm dicitur: Ipse quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum, & sedebit conflans, &c. Profectò Christum ignem esse conflantem, indicant discipuli illi, qui ignem sen-
Luca vlt. serunt, cum dicebant: Nónne cor nostrũ erat ardens in via? At ipsum esse herbam saponariam, videbant Apostoli, cum suos lauari pedes (velut sapone, sordidi panni) conspiciebãt. Nescio verò an id viris doctis placebit, quòd subiungam.
Zach.3. Habetur apud Zachariam, IESVM pontificem magnum indutũ fuisse vestibus sordidis. Et ego quidem cum Christum contemplor, iam pedum absoluta lotione, præcinctum lintheo sordenti: vt quòd sordes pedum exceperat, Iesum illum pontificem videre mihi videor.

Zach.1. Tertiò: De oratione Christi in horto, Zacharias mihi dixisse videtur, cùm ait. Vidi per noctem: & ecce vir ascendẽs super equum rufum: & ipse stabat inter myrteta quæ erant in profundo. Et post eum equi rufi, varij, & albi, &c. Vbi meditatè considerandum est, quàm eleganter Christus depingitur. Vir enim est Verbum Dei. Hic vir ascendit super equũ rufum, cùm habuit in horto carnem sudore sanguineo rubentem. Planè: Ascendit Dominus super nubem leuem, (vt
Isaie 19. super equum albentem) cum carni mundissimæ in Virginis aluo fuit copulatus. At ascendit super eũdem equum rubentem, cum in horto sanguine suo equus ille fuit rubore perfusus. Vt verò scias eum in horto rubuisse, subiũgit. ipse erat inter myrteta: mihi enim ita videtur, hortum illũ habuisse myrteta. Vt solent elegatiores horti, qui ad delitias, propè ciuitates plantantur. Eum verò hortum fuisse Gethsemani, id est, in valle Iosaphat, id indicat quod addit. Erant myrteta in profundo scilicet vallis. Quod subijcitur de alijs equis rufis, varijs & albis, fructus passionis Christi prænuntiat. Per passionem siquidem Christi factum est, vt multi martyres, virgines, Confessores Christũ sequerentur, inter quos essent varij nonnulli, id est, martyrio & virginitate cõspicui: & pulchrè inquit. Hi sunt, quos misit Dominus vt perambulent
Rom.10. terram: quia videlicet, in omnẽ terram exiuit sonus eorum.
4. de Gener. animal. c. 8. De Somno, c. 3. de Iuuent. c. 3 Rursum rectè satis de Christi sudore, erat in psalmis à Dauide cantatum, cùm dixit: Factum est cor meum tanquam cæra liquescens in medio ventris mei. Cor enim esse sanguinis principium, testatur vbique Aristoteles. Cor igitur tanquam cæra liquescens, indicauit futurũ, vt ex immenso charitatis feruore, sanguis in corde, & venis consistens (velut liquatus

quatus) per poros & venas eodẽ calore laxatas descẽderet. Et quia Christus super faciem suam prociderat: erat necesse, vt liquatus sanguis in ventrem rueret. Id verò est, quod inquit, in medio ventris mei. Vt sit sensus. Factum est in corde meo: vt sanguis ex charitatis feruore liquatus, in medium ventrem conflueret: & inde fieret sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

Quartò: Illa Christi angustia & agonia variè significata est in Prophetis, videlicet, vt quæ erat cardo nostræ salutis. Inquit ergo Dominus apud Psaltem: Saluum me fac Deus, quia intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Sanè, quia intrauerunt vsque ad animam, ideò tristis erat eius anima, vsque ad mortem. Iam quòd dicit: Laboraui clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ: planè indicat, quòd semel, iterum, & tertiò ad Patrem orauerit Dominus: idque non sine vehementi clamore: testante Paulo, quòd in diebus carnis suæ, preces & supplicationes Patri obtulerit, cum lachrymis & clamore valido. Isaias item non tacuit hanc Domini agoniam, cùm dicit: Vidimus eum, virum dolorum, & scientem infirmitatem. Quàm verò vir fuerit dolorum, sudor sanguineus palàm demonstrauit. Expressior locus ibidem est, cùm dicit. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Ea enim ratione Christus doluit tam acerbo dolore, quia pro peccatis omnium doluit, id est, eos omnes dolores, quos nos pro nostris peccatis debebamus, ille pro nobis omnibus accepit. Igitur dolores nostros ipse portauit. Demum inquit: De angustia & de iudicio sublatus est, id est, duplex fuit causa, quòd fuerit e vita sublatus. Altera fuit angustia, quę satis erat eum è viuis auferre. Tristis enim erat eius anima vsq; ad mortẽ. Altera fuit, iudicium Pilati: eum morti tradentis. Nemo ergo putet, quòd Christus fuerit actus in crucem cum indolẽtia. Imò verò, tanta fuit affectus angustia, quòd ea sola eum conficere sufficiebat.

Psalm. 68.

Eodem.

Hebr. 5.

Isa. 53.

Eodem.

Eodem.

Quàm denique pulchrè Christi dolorẽ, Ioseph à fratribus venditus dolor significauit? dicunt enim fratres eius: Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, vidẽtes angustias animæ illius. Ergo cùm Ioseph prodebatur à fratribus, angustiam sensit vehementẽ, angustiæ Christi significatricem. Fuit enim Ioseph nobilissima Christi figura.

Genes. 42.

Quintò, quòd discipuli essent Christo agonizãte dormituri, & comprehenso fugituri: præuntiatũ illis verbis erat:

Psalm. 68. Sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit: consolantem me quæsiui, & non inueni. Profectò Christus in angustia illa tam vehementi, dicebat. Sustinete hic & vigilate mecum, vt vel dolẽtis aspectus, eos ad simul contristandũ prouocaret. Sed non fuit qui contristaretur: neque ex hominibus consolantem Dominus inuenit. Video Angelũ venisse, qui Christum confortaret: diceretque illi, quod olim dixerat Eliæ: *Luc. 22.* *3. Reg. 19.* Surge, bibe (calicem scilicet passionis) quia grandis tibi restat via. Atqui Angelus ille cum tristi, non est contristatus. Rursum dictum à Christo erat. *Isaie 63.* Torcular calcaui solus: & de gentibus non est vir mecum. Profectò in horto cœpit Christi caro, velut in torculari calcari. Ideo enim sanguinis rubor, ex vua pressa, in terram defluxit. Cùm verò hæc vua calcatur, nemo cum Christo est: quia qui cum illo sunt, vel dormiũt, vel fugiunt. Ergo nulli nostra salus, nisi Christo debetur. Solus ille eam tunc operabatur, nullum habebat adiutorem. Dominus solus dux noster erat, neque cum eo erat alius qui *Deut. 32.* eum in afflictione iuuaret. Non Paulus, non Cephas, non A-*1. Cor. 1.* pollo pro nobis sudauit, doluit, comprehensus est: Solus Christus factus est nobis sapientia, iustitia, sanctificatio, redemptio: vt qui gloriatur, in Domino glorietur.

Rursum quòd Christo sudante, omnes dormirent, indicauit: quòd Christus nos suo sudore saluãs, omnes in peccato, & in culpæ somno reperit. Ita enim Paulus. Conclusit Deus *Rom. 11.* omnia in incredulitate, (quasi in somno profundo:) vt omnium suo sanguine misereretur. Et item: Cõclusit Scriptura *Galat. 3.* omnia sub peccato, vt promissio ex fide IESV Christi daretur credentibus. Verè igitur humanitas Christi erat tunc *Prou. vlt.* mulier illa fortis, quę dormientibus domesticis suis ipsa surgens non dormit vt eos ditet præda cœlesti.

Sextò Christi comprehensio à leonibus illis, à canibus, à *Psalm. 21.* monocerotibus, frequẽter fuit ante prædicta. Ita enim Christus per Dauidẽ: Circundederũt me canes multi: concilium malignantiũ obsedit me. & item: Circundederunt me vituli *Ibidem.* multi: tauri pingues obsederunt me. & infrà: Erue à framea Deus animam meam: & de manu canis vnicam meam: salua *Eodem.* me de ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam. Vbi intelligere datur, illos malignissimos tyrannos (qui comprehensũm Dominum venerant) eum in modum coronæ obsedisse. Et ea ferocia, & rabie in eũ insiluisse, qua solent leones, canes, vituli, tauri, vnicornes. Quòd autem nos

sae

sine armis venerint, indicat verbum illud: Erue à framea: singulari, scilicet pro plurali posito. Existimo etiam Annā aut Caipham, ibi adfuisse: vt leonem, vt rabidum canem, à cuius ore speciatim Christus erui desiderat, cùm dicit: Salua me ex ore leonis, & de manu canis. Quia videlicet canis ille, & ore blasphemias: & manu frameam vibrabat. Iam (nisi me fallit animus) huc spectant verba illa: Custodi me de manu peccatoris, & ab hominibus iniquis eripe me: qui cogitauerunt supplantare gressus meos, absconderūt superbi laqueū mihi: & funes extenderunt in laqueum, iuxta iter scandalum posuerunt mihi. Quasi diceret: Custodi me de manu Caiphæ, & iniquorum, qui cum illo veniunt, &c. Psal. 139.

Huius comprehensionis figuræ multæ præcesserunt. Illa prior, licet obscurior: Abrahā colligauit filiū suum antequā eum super altari statueret. Ita Patris æterni permissione Christus alligatur, super crucis altari collocandus. Altera figura fuit Ioseph mittendus in cisternam: vt credi par est, alligatus fuit. Et Ruben Iosephum liberare contendens, non potens tamen: figuram Petri gessit, Christum liberare contendētis, sed frustrà. Ligatus etiam fuit Samson à Philisthæis, quos ille sua morte destruxit. Genes. 22. Genes. 37. Iudic. 16.

Porrò cùm audio Christum dicentem: *Tanquam ad latronem venistis*: videor mihi audire etiam Iacob, contra quem Laban venerat cum gladijs & fustibus, cumq́; eum comprehendisset in monte Galaad: respondit illi Iacob: Quam ob culpam exarsisti post me, quid inuenisti de cuncta substantia domus tuæ? Quasi diceret: Cur veluti latronem insequutus es me. Genes. 31.

Iam quòd Dominus Petrum coërcet, delineatum videtur, quando Absalon cum gladiis, & fustibus Dauidem patrem persequebatur. Quem cùm Dauid fugeret, & a Semei malediceretur: Abisai dolens regis iniurias, exilire cupiebat in Semei, eumq́; in frusta conscindere: sed à Dauide reprehensus & coërcitus est. Dimitte, inquit, eum, vt maledicat iuxta præceptum Domini, &c. Quasi diceret: Conuerte gladium tuum in vaginam. 2. Reg. 16.

Demum fugam discipulorū, suamq́; derelictionem Christus præcantauit in Psalmo, dicens: Cor meum cōturbatum est, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum (hæc sudor sanguineus indicauit.) Amici mei, & proximi mei, aduersum me appropinquauerunt Psal. 37.

runt & steterunt. Et qui iuxta me erant de longè steterunt: & vim faciebant, qui quærebant animam meam. Profectò vim faciebant contra Christum vnicum & solum, illi eius acerrimi hostes, cum eum omni præsidio destitutum conspiciebant. Quis enim dubitet Christum Dominum tunc ab hostibus ad terram prostratum, illorum calcibus conculcatum? Vt impleretur illud, Miserere mei Deus, quoniam con-
Psal.55. culcauit me homo, tota die impugnans tribulauit me. Conculcauerunt me tota die, quoniã multi bellantes aduersum me. Cùm audis: Impugnans tribulauit me, tyrannorum intellige colaphos, pugnos, ictus, & reliqua. Cùm verò audis: Multi bellantes aduersum me, & vulnerum multitudinem, & hostium rabiem, (vt in bello fit) intelligis.

At illi tenentes Iesum. Quatuor hîc expendenda se offerũt. Primum: quòd omne Concilium Pontificum, Scribarum, Pharisæorum, Seniorum testimoniũ falsum quæreret cõtra IESVM. Profectò, quo tempore Christus prædicauerat, quæsierant illi testimonium verum contra IESVM. quod exactissimè, & incessanter inuestigauerant. Cùm verò nunquam inuenire potuissent, re desperata, ad testimonia falsa recurrunt. Quid enim aliud Pharisæi contendebant, quando
Matt.22. interrogabant: an liceret censum dari Cæsari? Quid, quando
Eodem. quæsierunt, quod esset magnum mandatum in lege? Quid
Eodem. quando Sadducæi percontantur de mortuorum resurrectione? Quid aliud ambiebant quando eum obseruabant,
Marci 3. an sabbato curaret? Ita enim Lucas dicit: Obseruabant eum
Lucæ 6. Scribæ & Pharisæi, si in sabbato curaret: vt inuenirent, vnde accusarent eum. Igitur cùm perpetuò requisissent testimonium verum contra Dominum, nec inuenire potuissent: ad falsa se conuertunt, in qua re quam fuerint diabolica inuidia stimulati, etiam cæci vident.

Interim verò figura impletur, quæ hæc falsa contra Chri-
3.Reg.21. stum testimonia prænuntiauerat. Scriptum enim est, quod Achab rex scripsit ad maiores natu, & optimates Iezrahelis: vt duos testes falsos contra Naboth submitterent: qui Naboth blasphemasse asseuerarent. Id verò fecit Achab, quia vineam à Naboth volebat, quam ipse dare recusabat. Quàm aperta est hæc Christi figura? Christi vinea, animæ nostræ sunt. Has animas Christus nõ vult dare diabolo, sed auferre.
Iob 41. Hac ira percitus diabolus, (qui rex est super omnes filios superbiæ) instigauit maiores natu, seniores scilicet, Scribas, Pontifi-

Pontifices: vt testimoniū falsum quærerēt cōtra I E S V M.

Mirari verò vehemēter libet: quomodo falsum testimonium non inuenerint contra I E S V M. Certè si tēpora nostra illi nacti fuissent, & pecunia testes corrumpere voluissent, non duos, sed ducentos falsissimos testes inuenissent. Quid? Quòd post Christi resurrectionem: Pharisæi illos corruperunt milites: quos ad Christi custodiā Pilatus deputauerat. Pecuniam enim copiosam illis dederunt, vt dicerent: discipulos Christi, eius cadauer suffuratos. Ego igitur arbitror: non meliores fuisse illius temporis homines, quàm nostros: vt testimonium falsum dicere non auderent. Imò verò multi falsi testes accesserunt. Mysterio ergo datum est, ne falsum testimonium contra Christum inueniretur. Primum enim voluit Christus suam innocentiam testimonio, neque falso, lędi posse. Secūdò, etiā voluit, nulli videri iure occisus. Si enim Caiphas Christum innocentem, probatum tamen nocentem damnasset, iure damnasse, potuisset apparere. Ne igitur hanc excusationem ille, nec aliquam calumniandi occasionem multi nancisci possent, omnia testimonia Christus resecauit.

Matthæi vltimo.

Dicam nonnihil de moribus nostris. Profectò & nunc etiā falsa testimonia quærunt multi contra I E S V M. Cùm enim mercator contractum suum, (testante conscientia,) iniquum esse, vel inuitus agnoscit: quærit interim tamē, doctoris testimonium: qui contractum iustum esse asseueret: An non hoc est falsum testimonium cōtra I E S V M, id est, contra iustitiam & charitatem quærere? Si aduocatus iniustæ se patrocinari liti, & conscientia, & suis legibus clamantibus intelligit: interim verò alias quærit leges, quibus iniquitas ęqua videri possit: An non hoc est falsum testimoniū, contra ius fasque requirere? Si clericus plura possidens beneficia, se id facere non posse, & veritate, & viris pijs attestātibus, planè cognoscit: quærit porrò aliquem Ioannem, Andream, vel alium ex Canonistis, vel Theologis, cuius autoritate, latrantis consciētiæ ora concludat: An non hoc est testimonium falsum quęrere contra I E S V M: qui totus est sanctitas, veritas, ęquitas? Vtinam verò & Pontifices, pompas illas suas plusquam regias, Euangelio dissentire vidētes, non se alicuius doctoris testimonio communiant. Sed satis de his, ne in cœlum ora ponamus.

Ioan. 15.

Non verò æquum est illud dissimulare, quòd maioribus

nostris negocium fecit: Cur dicantur falsi testes, qui vera de Christo pronuntiarunt? Dixerunt enim, nos audiuimus cum dicentē: Possum destruere tēplum hoc & triduo reædificare. Et quidem satis non est dicere: illos falsos fuisse testes, quia iniquū animum adduxerunt. Animus enim iniquus, malum, non falsum facit testimonium. Nec sat est dicere, quòd non retulerint verba Christi punctim. Cùm enim sensum attulerint eundem, parum de verbis curandum fuerit. At profectò idem sensus est: Soluite templum, & in triduo excitabo, & possum destruere, & triduò reædificare. Nam profectò qui templum triduò valet excitare, poterat & destruere. Nec demum satis est respondere: testes non adduxisse verba, in sensu quo dicta fuerunt. Siquidem verba Christi fecisse sensum, in quo testes intellexerunt, Ioannes ipse conuincit, dicens: quod cum Pharisæi, & reliqua turba Christi verba audierunt, ita responderunt: Quadraginta annis ædificatum est templum: & tu in tribus diebus reædificas? Si ergo adducunt verba in sensu vulgari, cur falsi dicuntur? Neque verò necesse est testibus, verba referre in sensu, quo dicta sunt: satis enim est referre in sensu, quo vulgus ea intelligit.

Ioan. 2.

Ad hoc dubium quod graue est, ego sub aliorum censura responderem: Quòd cum verba alicuius accusati, duplicem facere possunt apud vulgus sensum: tunc vt vere accusetur, & dānetur, debent in vtroq; sensu esse male prolata. Si enim in vno sensu vera sunt: in quo accusatus visus est ea dixisse: falso accusatur in alio sensu. Iudices igitur hoc Christi exēplum expēdant: quod testes illi falsi dicūtur, quia verba quæ duplicem habebant sensum, etiam literalem, in vno solum sensu accusabant.

Secundum quod se considerandū offerebat, illud est: quod Christus à summo Pontifice adiuratur: & adiuratus veritatem tam aperte respondit, vt vix vnquam ita respondentem

Vbi primum Lector cuncta conspicito. Nulla meo iudicio interrogatio aut maior, aut illustrior, aut vtilior (inter mortales) aut fuit aut erit. Qui enim interrogat, Cōcilium integrum est. qui interrogatur, Deus est. Materia de qua interrogatur, Deitas est: periculū interrogationis nō minus, quàm vita Dei est. Si auctoritatē cōcilij spectes, iurabis: nullū tunc in orbe congregari grandius potuisse, aderat Pontifex summus, eo pontificatu refulgens: quē ipse Deus instituerat, aderant legis periti, legis, scilicet quā Deus ipse tradiderat, aderant

erant Pharisæi, religione pollentes tunc insignissima, aderat tota senectus, cana prudentia venerabilis. Quid in isto desiderares concilio: si rem humanitus spectes? Si verò ad Christum oculos conuertas, videbis Deum accusatū, languētem, ligatum: Angelos rei spectatores, rei miraculo attonitos. Si periculum expendas: Certè si Christus tacet periculū totius Christianitatis est ibi tacuisse, vbi Dei nomen adferebatur. Si loquitur, periculo capitis loquitur. Et equidē similiter rogatus fuerat à duobus discipulis Ioannis: quibus nō verbis, sed operibus respondit. & interrogatio non erat illa, sicut ista solennis. Quia igitur quæstio proposita, cardo est nostræ religionis, quia est scala cœlestis, quia est fidei radix: idcirco liberis, disertis, & apertissimis verbis Dominus ad eā respōdit. Ita enim iuxta Marcum respondit: EGO SVM. & videbitis Filiū hominis sedentē à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli. Vbi quod dixit: Sedentē à dextris: admonuit, se esse de quo Dauid dixerat: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. & quod dixit: Venientem in nubibus, admonuit se esse, de quo Daniel dixerat: Ecce cum nubibus cœli, quasi Filius hominis veniebat: & vsque ad antiquum dierum peruenit. Dicitur quasi Filius hominis. sicut illud: In similitudinem hominum factus. Re enim vera homo est: at est potissime Deus. Dicitur verò peruenisse ad antiquum dierum: quia ascēdit super omnes cœlos: & super omne nomen, quod nominatur in omni seculo. En igitur Christiani, si certum Christi responsum cupiebatis, adest. Neque verò cùm dicit. Ego sum: se Filium Dei adoptiuum intelligebat, neque Iudæi qui audiebant, ita intellexerunt. Alioqui nulla erat blasphemia, se Filium Dei ita fateri. Siquidem lex filios Dei homines esse passim confitetur. vt illud: Videntes Filij Dei filias hominum. Et ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes. Hæc ergo prima ratio est: cur Christus tam luculenter, de se testimonium protulit, vt scilicet fides nostra firmo Christi præconio inniteretur.

Matth. 11. *Marc. 14.* *Psal. 109.* *Daniel. 7.* *Philip. 2.* *Ephes. 4.* *Ephes. 1.* *Genes. 6.* *Psalm. 81.*

Altera ratio illa est: voluit Christus (non obligatus) adiurationi respōdere: ne si non respondisset obligati ad respondendū, respondere negligerent. Amputauit ergo occasionē, occasionem quærentibus. Similiter fecit cum quæsitus an tributū solueret? Asseruit quidē se nihil debere, vt qui filius regis esset: sed ne offerret scandalū, néve alij eius exeplo soluere nollent, Petro mandat: vt pro ambobus didrahma persoluat.

Matt. 17.

soluat.

ſoluat. Eâdem ratione circuncidi voluit, in templo præſentari, legis feſta ſeruare. Iota enim nec apicē legis prætermiſit: qui dixit, ſe non veniſſe ſoluere legem, ſed adimplere. Vt videlicet anſam auferat volentibus legem violare. ne ipſum exemplo ad violandum haberent.

Matth. 5.

Docuit etiā ea reſponſione, quid nos inſtante morte facere oporteat: tunc enim veritas pendenda eſt etiā cum diſcrimine noſtro. Si quid iniuſtè poſsides, ſi cuius famā violaſti, ſi quid iniuſtè accepiſti: ea omnia inſtantæ morte ſunt explicanda. Si quod crimen fœdum admiſiſti, & dum viueres verecundia præmente ſiluiſti, id morte inſtante reuela. Id verò maximè dum in iudicio interrogaris, ſi iure quæreris, iure etiam cum capitis diſcrimine explicare teneris.

Docuit etiam poſſe nos, in bonum noſtrū alterius malo abuti: tunc certè cum ille ad malū paratus eſt, & accinctus. Profectò ſciebat Chriſtus, futurū: vt ſi ipſe ſe regem fateretur, infinitis iniurijs, & turpi morte à Iudęis eſſet violandus. At quia ad mala hæc illi erant in procinctu, abuti voluit eorum malo: ad patientiam ſuam, ad gloriam Patris, ad commodum noſtrum, ad mundi ſalutem. Ita planè frequentiſsimè in ſabbatis curauit, licet ſciret, inde ſcādalum, & odium Phariſæos accepturos. Frequenter eos accuſauit & admonitus à diſcipulis ne ea verba diceret: vnde eſſent Iudæi offendendi, reſpondit: Sinite, cęci ſunt & duces cęcorum. Ita Paulus ſciebat, aduentum ſuum in Ieroſolymam, mortem ſibi, magnum ſcandalum Iudæis pariturū. Eo tamen malo abuti voluit ad gloriam Dei, quæ tanta ex illa Pauli profectione Deo parta eſt. Igitur poſſum bonum meum facere, etiam ſi malum aliorum inde naſcatur: non ex bono meo, ſed ex iniquo illorum animo.

Matth. 15.
Actor. 21.

Amauit nos etiam: vt cum iniuſtè à tyrannis interrogamur, an Chriſtiani ſimus? nihil fateri vereamur, etiā ſi certò nobis conſtet mortem citò futurā. Sciebat Paulus quā haberet vicinam mortē: ſi Chriſtum corā Iudæis, coram Feſto, & Fœlice prædicaret: at nihil veretur. Non enim, inquit, facio animā meā pretioſiorē, quàm me. Ita enim Chriſtus inquit: Qui me erubuerit corā hominibus, erubeſcā & ego eum coram Patre meo: qui in cœlis eſt. Et equidē Chriſtus corā lupis illis, non ſolum ſe faſſus eſt eſſe Filiū Dei, ſed adiecit etiā multa: ſcilicet, videbitis Filiū hominis venientē in nubibus, &ç. Vt Chriſtianus corā tyrannis, non ſolum ſe Chriſtianum fateatur,

Act. 26.
Act. 24.
Actor. 21.
Lucæ 9.

fateatur, sed multa in Christi laudes spontè subijciat. quo confessio illustrior videatur, & liberior, simul & verior.

Nec dissimulare libet: *Non erãt conuenientia illorum testimonia.* Quo fit, vt si Christus tacuisset, etiam adiuratus, (siquidem iure tacere poterat: vt qui iudici illi non esset inferior, erat enim Christus iudex viuorum & mortuorũ, cui scilicet Pater omne dederat iudicium.) Pontifex & Pharisæi nullam causam mortis contra eum habentes, eum morti nõ adiudicassent. Erant enim hypocritæ nihil sine prætextu, & colore iustitiæ facientes: atque adeò Christũ sine testibus, aut propria cõfessione, nulla ratione dãnassent. Vide ergo, quid debeamus Christo, qui libenter cõfessus est: & ideo se libenter morti concessit, sciens & prudens, quòd nisi confiteretur, morti non adiudicaretur. ò igitur venerandã confessionem! ò confessionem charitatis immensæ explicatricem! ò confessionem salutis nostræ allatricem! ò confessionẽ, sine qua nec Deo gloria, nec Angelis reparatio, nec hominibus fuisset remedium allatum! Si igitur Christiani huic confessioni totos debent: quæ Christianis omnia bona comportauit. *Act.* 10. *Ioan.* 5.

Hac confessione audita, cui omne genu cœlestium, terrestrium, & infernorum, erat flectendum, rabidus ille Pontifex vestem discidit: in signum quòd Pontificatus à Iudæis scindebatur, teste Samuele: qui cum oram clamidis per Saulem videret discissam, inquit: Scidit Dominus à te regnum tuum. & fortassè quod dolebat Dauid, cùm particulã disci disset à vestre Saulis, id erat: scilicet quòd regnũ Saulis, diuidebatur, ab eo quem ille velut seruus fidelis, sanctè coluerat. Porrò erat mos Iudæis audientibus blasphemiam, vestem conscindere: in signum, quod illis cor discendebatur. Dictum enim erat scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. At infœlix Pontifex iste, corde in sua duritia integro, hypocritè vestem scindens suam, se Dei zelotem ostendit. Sed dictum est: Diuidet eum, & partem eius ponet cum hypocritis. Vt videlicet inferni pœna illud cor non ruptum dirumpat: quod ruptio vestium ruptum esse demonstrabat. 1. *Reg.* 15. 1. *Reg.* 24. *Ioëlis* 2. *Matt.* 24.

Tertium consideratione, & lamentatione dignissimũ est, quod vbi Christus confessus est bonam confessionem, coram Deo sanctus Angelis, summo concilio, infimis etiam ministris: tunc & ministri, & principes, in Christum insilierunt: in eius faciem expuentes, eius collum collaphisantes, 1. *Tim.* 6.

palmis caput, & os percutiẽtes. Nam quòd ministri id fecerint Marcus testatur: quòd verò Principes, Marcus testatur & Matthæus: & quidem non à ratione alienum videtur, primum quidem ministros in Christum irruisse: vbi verò eum contumelijs oppleuerunt: velut lapsos, à principibus foras eiectos. Principes tunc agnum mansuetum leonino furore conculcant, expuunt, colaphizant, percutiunt, tantumque non occidunt.

Precatum nunc te Lector volo, cuncta animo lustra. Attende redemptoris animum, verè magnum, magno spiritu iniurias ferentem, imò amplectẽtem, imò in magno pretio habentẽ: quia videlicet, quod eatenùs optauerat, iam possidebat, & quia opus nostræ redemptionis iam peragebat.

Lucæ 12. Attẽde Redẽptoris corpus, sudore sanguineo: velut exhaustum,) tot ferendis vulneribus velut inualidum. nihil tamen repugnãs: quô enim percutientiũ alapę, & ictus, cũ vertebãt, eo vertebatur. Attende Deum Patrẽ has contumelias æquo animo spectãtem: Sanctos Angelos etiã spectaculo adstãtes, quo videbant eam ab hominibus tam ferociter vulnerari,

Matth. 4. *Lucæ* 2. quem illi tam humiliter adorauerant: cui nascenti gloriã in Bethlehẽ cantauerant: cui victori in deserto ministrauerant. Attende rabiem ministrorum, sed maximè principum. quos

Matth. 7. non absterruit tanta Christi prædicatoris autòritas. Prædi-

Ibidem. cabat enim in potestate, & non sicut Scribę & Pharisęi. Non

Actor. 10. emolliuit eos tam immensa beneficiorum multitudo, quibus populum affecerat. Pertransiuit enim benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo. Non cõtinuit eos tam

Ioan. 11. infinita miraculorum operatio, & in his Lazari suscitatio,

Isaiæ 6. quæ eum verè Deum demonstrabant, verè igitur excæcati

Ioan. 12. erant, habentes oculos non videbant. Nihil ergo aut prædicationis maiestas, aut beneficiorũ copia, aut miraculorum splendor, eos impediebat: quo minus eum, vt vilissimum mancipium, vt rem nihili reputarent.

Isaiæ 53. Impletur ergo: Quasi absconditus est vultus eius, & despectus: vnde nec reputauimus eum, id est, non existimabamus esse hominem.

Exod. 29. Secundò, Impletur Scriptura quæ dicit: Applicabis vitulum, coram tabernaculo testimonij: imponéntque Aaron & filij eius manus super caput illius, & mactabis eum in conspectu Domini. Profectò Christus vitulus erat mactandus corã Domino, pro gloria Domini, & pro cõmodo nostro.

Erant

Erant ergo ei imponēdæ manus & Pōtificis, & ſacerdotū, & ſeniorū. Imponūt igitur capiti ſacro manus ſacrilegas, percutiētes caput illud, in quo habitabat diuinitas corporaliter. *Coloſſ. 2.*

Tertiò. Impletur alia Scriptura, quæ ita dicebat: ſi noluerit vir accipere vxorem fratris ſui: mulier illa ſpuet in faciem illius, tolletque calceamentum eius, dicens: Sic fiet illi, qui nō ædificat domū fratris ſui. Profectò Moſes vir erat malæ, & literalis Synagogæ, vxoris ſcilicet quam Chriſtus generationem malam, & adulteram nūcupabat. Defuncto Moſe, ſuccedit Chriſtus: qui Synagogæ adulteræ copulari noluit: volēs exhibere ſibi aliam ſponſam ſanctam, immaculatam, non habentem maculam, aut rugam. volebat copulari ſterili Rachel, Lia cœca relicta. Quia igitur nec Synagogæ nubere, neque eius peccata diſſimulare volebat: idcirco Synagoga in faciem illam ſacram expuit: quam Angeli intueri deſiderāt. Cupis forſan intelligere, quid ſit Chriſtum per Synagogam excalciari? Id facile intelliges, ſi in memoriam illud Dauidis reuoces, ita dicentis: In idumeam extendam calceamentum meum. Quaſi diceret: In idumeam extendam principatum, & dominium meum. Contendit igitur Synagoga Chriſtum principatu, imò & vita priuare. Sed vt poſt mortem ſurrexit cum vita, ita & cum principatu meliore.

Deut. 25.

Matth. 12.

Epheſ. 5.

1. Petri 1.

Pſalm. 59.

Iam tu attende: Si omnes illi miniſtri, ſi omnes illi ſeniores, ſi omnes Phariſæi, & omnes principes in Chriſti faciem expuerunt: quam verè dictum fuit: quaſi abſconditus vultus eius. Nunquid ergo, ideò velauerunt eius faciē, quia tam immunda, & horrens erat: vt nauſeam illis excitaret? Nunquid eum, ita velauerunt, vt ſine faſtidio liceret eis ad libitū illum percutere? Aderat Iudas proditor miſerabili ſpectaculo, videnſque talem magiſtri faciē, non potuit non dolere. Vidēs etiam magiſtrū morti adiudicatū, abiens laqueo ſe ſuſpēdit. Neceſſe enim erat corda ænea eſſe, & viſcera ferrea, vt ita manſuetum, ita ſilentem, ita patientem: ita tractarent.

Planè animo meo illud inſedit. Dæmones per totā Chriſti vitā, cū diligentiſſime inueſtigaſſe: cumq́; cū tā inſigni viderent ſanctitate pollentē, nūc totā inferni armaſſe ferociā, totā inferorū rabiē inſtigaſſe: vt quibus artibus, quibus machinis poſſet, ſanctitatis quā in Chriſto videbāt arcē expugnaſſent, vt vel ad iracūdiam vel tantillā, illū prouocaſſent. Quis enim credat tātā in hominibus inueniri crudelitatē, vt cōtra innocentē adeo ſæuirēt? Totius ergo inferni erat illa ſæuitia.

Rursus in medio illius tantę deiectionis, Christus non exigua demõstrat miracula. Miraculũ enim mihi est, quòd tanta in humana carne splendeat patientia, vt nec minimum, in maximis, in summis opprobrijs commoueatur. Quis enim mortalium tàm seruo, tam tranquillo, tam immoto fuit pectore: vt tam furentibus procellis, tam insanis furijs agitatus, tã quietus ipse, tamque placidus perseueraret? Totus infernus, tota synagoga, summo nisu, summa vi, quatit, percutit, impellit, proruit in Christum: ipse verò adeò perstat pacatus, ac si nihil illi truculenti niterẽtur. An nõ hoc miraculum est? An non hæc patiẽtia potius est diuina, quàm humana? Gaudet igitur Deus, eius patientiæ spectator. Admirantur Angeli, attoniti stupent dæmones, delassati cessànt Iudæi. Exemplum verò & efficacia, ad similia ferenda Christianis exhibetur.

Nisi enim ego fallor, illa contra Christum tragœdia præsagium erat futurorum. Vt enim postquam Christus se Filium Dei viui apertè confessus est, tota se contra eum armauit, & dæmonum, & hominum rabies: ita postquàm discipuli, Christum Dei Filium orbi denuntiauerunt: totus & inferni, & mundi contra discipulos insurrexit conatus: & vbi te Filium Dei per adoptionem, & gratiam ostenderis, inferni etiam passurus es impugnationem. Scriptũ enim est Accedens ad seruitutẽ Dei, præpara animam tuã ad tentationem. *Eccles. 2.*

Ad historiam redeamus: Postquã à Iudæis: fuit ad satiem vsque in Christum sæuitum: gaudebant illi, quod furorem per tot annos contra illum cõceptum, iam effudissent. Gaudebant quod eum morti adiudicassent decernunt, quia multa nox erat dormitum abire. Præcipiunt ergo Christum tam miserabiliter percussum, ad oliuam quandam alligare: erat illa in illius domus horto, visitaturque etiã nũc eius arboris truncus, à peregrinis: qui loca illa omni sanctitate plenissima inuisunt adorabundi.

Alij dicunt in carcerẽ fuisse Christum, ea nocte coniectum.

Alligatur igitur Dominus, adeò lassatus, ad arboris truncum. Quia verò nox erat, & frigus tantum erat (vt fuerit necesse ignem in medio atrij extuere, quo calescerent Iudæorum ministri) corpus Christi tenerum, vulneratum, delassatum frigori & gelu expositum, obriguit. *Luce 22.*

Mansit eo loci Dominus solus, interim tacita mente reuoluens: quanta esset hominum malitia, quàm esset prauum çor hominũ, qui pro tantis beneficijs tanta repẽderunt maleficia, *Ierem. 17.*

leficia, qui eo malitiæ peruenerunt, vt Deum suum tam sæuiter tractarint: Voluebat mente sua quàm caro pretio hominum redemptio constaret, quàm esset ingratu & beneficiorum immemor mortalium animus, qui hæc beneficia silẽtio esset traditurus, & obliuioni, Patri demum suo, & acta offerebat, & agẽda, id est: accepta probra & accipienda, ei in odorem suauitatis exhibebat.

Quartum considerandũ est, negatio Petri. Petrus erat in atrio foris, Christus erat intus, interstabat paries medius, inter Christum & Petrum. Facilè ergo Petrus omnia quę contra Christum gerebantur audiebat. Tanta enim erat contra Christum & agitatio, & iactatio, tantus clamor, tantus percussionem & vulnerum fragor: vt etiam à longè stantibus intelligeretur. Sensit igitur Petrus crudelitatem Iudæorum cõtra Christum, iam inde vehementem concepit timorem, optassetque in eum locum non introisse. At fugam, & timorem dissimulabat: vtpote qui in medio ministrorum erat, ad focum cum alijs stans, vt Lucas testatur.

Interrogatur ergo primum ab ea ancilla ostiaria, à qua in eum locum admissus fuerat. Rursum interrogatur ab ea, & alia ancilla, & alijs. Rursum tertio à cognato Malchi, & alijs. Negat Petrus semel, iterũ, & tertiò. Vt Prophetia impleretur: Terrores tui conturbauerunt me, circundederunt, me sicut aqua: tota die circundederunt me simul. Elongasti à me amicũ, & proximũ, & notos meos, à miseria. Profectò terrores, minæ: dolores circundederunt ea nocte Christum. Siquidem in medio principum erat: qui simul eum vulnerabant. Tunc Deus permisit elongari Petrum, amicum, & proximum: qui tam constanter amicitiam promiserat. At elongatus est Petrus, à miseria: quàm tam sæuè Christum pati sentiebat.

Lucæ 22.

Rom. 8. 7.

O verum humanæ vilitatis exemplum: ó vnicum nostræ infirmitatis specimem. Petrus ad modicum, & in momẽto, sibi à Deo relictus, in tantum peccati profundum corruit. Humana igitur fragilitas se præcipitare nouit, cadere scit: proruere in barathrum assueuit. Quis Petro fortior? Quis constantior? Quis etiam sanctior? En verò: quò sanctitas & fortitudo sibi relicta cadit.

Sunt verò in hoc casu spectanda nonnulla. Primum enim Petrus admittitur in domum summi Pontificis: non suo merito: sed introductus, ab eo, qui notus erat Põtifici. Secũdò, ad-

Ioan 18.

dò admiſſus eſt per ancillam oſtiariam. Tertiò in medio
Ibidem. infimæ plebis ſeſe collocauit. Quartò ad ignem, quo ſe alij
Lucæ 22. calefaciebãt, ipſe ſe calefaciebat. Hæc nobis aliquid innuũt.
*Matth.*26. Norint ergo, qui in Eccleſiam, (quæ Summi Pontificis domus eſt,) non merito ſuo, ſed aliorum fauore ingrediuntur, facilem ſe habere ruinam: paratum ſibi eſſe præcipitium. Norint etiam, qui fœminarũ gratia, & reſpectu ingrediuntur, breui ſe ruituros. Apertum, etiam eſt vitam paſtoris, multò debere moribus inferiorum præſtare: grande igitur malum eſt, ſi vita paſtoris in medio ſit ſuorum inferiorum, vt quæ æqualis ſit illis, quos longe debebat ſuperare. Præſagium ergo fuit, fore Petrũ caſurum: ſiquidem ſe inter vltimæ fæcis homines collocauit. Demum ſi iiſdem rebus lætatur, & caleſcit Petrus, quibus & infima plebs: quid expe-
Philip. 3. ctat, niſi vt in infima ruat peccata? Petrus enim nõ terreſtribus gaudere, non humanis delitijs lætari debet: ſed diuinis.
Ioan. vlt. Vtpote cuius cõuerſatio eſt in cœlis. Vt qui Chriſtum plus alijs amet, vt qui gregis paſtor ſit. Neq; enim fas eſt eiſdem paſcuis paſtorem paſci: quibus paſcuntur & oues. Ergo quæ fuerunt Petro occaſio ruinę, ea ſignificabãt quas occaſiones viri Eccleſiaſtici ad ſuam ruinam habituri ſunt: ſiue cùm in
Ioan. 10. Eccleſiam admittuntur: ſiue cum in ea admiſſi perſiſtunt. Memores enim eſſe debent, quòd ouilis Chriſtiani vnicum oſtium, & vnicus oſtiarius eſt Chriſtus. qui aliunde, ſiue per amicos, ſiue per fœminas intrat, fur eſt: quid mirum ergo ſi ſuſpendatur? Memores item eſſe debent, quod Hebræi, qui
Num. 6. ſpeciali Dei miniſterio dicabantur, Nazarei nominabantur, id eſt, ſegregati, & ſeparati à communi populi vita: vt & nos vitam communem minimè viuamus.

Vbi Petrus Chriſtum negauit: Chriſtus Petrum reſpexit. Promeruit enim incredibilis illa Chriſti patientia, qua ſæuiſſimos illos Iudæorum ictus conſtantiſſimè ſufferebat: vt fœdiſſimum Petri peccatum, Petrum non deuoraret: ſicut Iudam deuorauerat. Plus ergo Petrus Chriſto patiẽti nunc debet: quàm olim eidẽ ſuam diuinitatẽ reuelanti debuerat.
*Matth.*16. Reuelauit enim tunc Dominus Petro amico: nunc pepercit inimico. tunc Petrũ in gratia viuentem, maiore gratia exornauit: nunc Petrum mortuum, vita donauit, tunc ex gratia in gratiã euexit: nunc ex inferno in ſuam amicitiam reuocauit. Debet multũ Deo Ionas, per quem eſt à ceto in hunc
Ionæ 2. aërẽ adductus. Debet multo amplius Chriſto Petrus: à quo eſt

est è faucibus diaboli, & è profundissimo inferni loco, in vitam cœlestem euocatus.

Interim admirari libet Petrum: qui in Christum credit, Christum scilicet quem morti adiudicatum videt, quem pedibus Iudæorum calcatum sentit, quē alapis & collaphis cædi audit, quem consputum, & saliuis obductum aspicit. ô miram Petri fidem! Non ego stupeo: quòd Petrus Christum Filium Dei viui esse tunc fateatur, quando eius gloriam Patre reuelante considerat. At stupeo quòd tunc Deum esse illum credat: quando vermen eum esse, vix hominem: quando nouissimum virorum, & despectissimum, oculis conspicatur. *Matth. 16.* *Psalm. 21.*

At si Petri fides admiratione dignissima est: multò magis admirationi esse debet in Christi oculis, (etiam sputis, & saliuis conspurcatis:) efficacissima, & potentissima virtus: quæ Petrum tam profunde iacentem erexit. quæ ex ruina, tam cōfractum solidauit. Meritò dictum in Apocalypsi est: Oculi eius tāquam flamma ignis. quos neque saliuæ Iudęorum extinguere, nec velum in oculos iniectum eos velare potuerunt. Igitur ex oculis Christi vsque ad animum Petri lux & ignis defluxerunt: quæ animum illum cæcum illustrarunt, mortuum excitarunt, gelidum inflammarunt, & liquarunt, atque ita liquatus prorumpens in lachrymas, nec eas continere valens, egressus foras flebat amare. *Isaiæ 53.* *Apoc. 1.* *Cantic. 8.*

CAPVT XXVII.

Mane autem facto consilium, &c.



NEgari, vt arbitror, nō potest: quin Christus bis ductus fuerit ad concilium, vbi principes Iudæorū conuenerant. Primò quidem noctu, vt Matthæus & Marcus dicere videtur. Vbi Christus planè fassus est, se Filiū Dei esse. Secundò verò: vbi iā post noctē aurora inclaruerat, vt expresse Lucas asseuerat. Dicit enim: Vt factus est dies, cōuenerunt principes plebis, principes sacerdotum, & scribæ: & duxerūt illū ad conciliū suū, dicentes: Si tu es Christus, dic nobis. Et ait illis: Si dixero vobis, non credetis: si interrogauero, (vt scilicet rationibus conuincam) non respondebitis. Ex hoc autem *Lucæ 22.*

autem erit Filius hominis sedens à dextris virtutis Dei, &c. Dixerũt ei: Tu ergo es Filius Dei. Qui ait: Vos dicitis, quia ego sum. At illi: Quid desideramus testimonium: ipsi enim de ore eius audiuimus. Hactenus Lucas. Dominus ergo bis in consilium adducitur: bis fatetur, se esse Filium illum Dei expectatum, venientem quidem tunc in humilitate, venturum olim in maiestate. Nihil ergo horrebat mortẽ: in quã se, bis confitendo coniecerat. Nihil nobis dubij in sua confessione relinquebat. In ore enim duorum, stabit omne verbum. Gratias ergo illi agamus immensas, qui bis se ad mortem damnari Iudæis, fatendo permisit.

Deut. 17.

Dicit igitur Matthęus, quod habito secundo consilio, vbi Christus iterum confessus est, se esse Christum, (qua ratione iterum morti adiudicatus est:) Iudęi adduxerũt Dominum vinctum: tradiderũtque Pilato præsidi. Tu vero intellige, traditum fuisse Christum Tyberio Cęsari, cuius Pilatus erat præses, at in Tyberio & Pilato, cum exercitu suo, totam gentilitatem considera. Vt ista consideratione perspicias, Christum non solum reprobatum à toto Iudaismo: sed etiam à tota Gentilitate, vt iam videas illud impleri: Lapis reprobatus ab ædificantibus, factus est in caput anguli. Reprobatus Christus à Iudaismo, & Paganismo, intelligitur à toto mundo reprobatus, vt verum illud sit. Si mundus vos odio habet, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. O mundi sensum! ó mundi iudicium! Verum illud est, quod totus mundus in maligno positus sit.

Psalm. 117.

1. *Ioan.* 5.

Videns Iudas Christum à Iudæorum consilium damnatũ. (quod intellexit, videns eum, à Iudæis ad Pilatũ deduci,) *pœnitentia ductus est.* Quomodo enim non pœniteret vidẽs vultũ illum Christi adeò conspurcatum, fœdatũ, vulneratũ? Quomodo non pœniteret, vix agnoscẽs vultũ illum: à quo prius tanta bona susceperat? Et profectò ea est peccati cõditio, & ingenium: vt peccatorẽ torqueat excarnificet, dilaniet. Sẽtiebat ergo Iudas peccati in mente sua carnificinam, & lanienã. Et forsan considerabat, multo plus lucri sibi petijsse, ex morte Christi, cuius ille loculos expilabat: quam ex Principũ amicitia: à quibus triginta nũmos acceperat. O verò Iudas, si vt vidisti Christum damnatũ ad mortem tẽporalem: ita respiceret te Christus damnatũ ad mortem ęternam, forsan sicut respiciens Petrum, eum ex inferno in cœlũ reuocauit: ita te respiciens, ex tam immani facinore, in suã gratiã reuocasset.

Sed

Sed quid prodeſt peccāti Chriſtum videre, niſi à Chriſto videatur? Niſi enim ille ædificauerit domū fruſtrà vigilat, & in vanum laborat, qui eam ædificare contēdit. Quid enim Iudas omiſit, (ſi rē humanitus inſpiciamus) quod ad pœnitentiam peccati eſſet neceſſarium? Certè pœnitētia ducitur, argenteos reſtituit: ſe peccaſſe profitetur. quid reliquū erat? At defuit ad Chriſtum confugere, vt pœnitentia quæ erat ex humano dolore, fieret ex gratia diuina. *Pſal. 126.*

Videns ergo Chriſtum damnatum, pœnitētia ductus, retulit triginta argenteos. Forſan enim tunc erat opinio, quæ nunc apud multos Iureconſultos, & apud omnes ferè Summiſtas, vt verior iudicatur. Quod qui nūmos accipit, vt malum committat: obligatur nūmos illos reſtituere. Vt ſi iudex pretium accipiat, vt male iudicet, ſi lęna pecuniam accipiat, vt virginem proſtituat, ſi vir nequam mercede conducatur, vt aliquem occidat. Communis enim opinio eſt hos omnes obligari, ad eius pretij reſtitutionem, quod pro ſcelere committendo receperunt. Quæ videtur opinio S. Thomę 2.2.q. 12. artic. 7. & Syluestri verbo reſtit. 2 in prin. Hadria. 4. de reſtit. quæſt. 19. Paludani 4 diſt. 15. quæſt. 3. Ita enim leges iubere videntur, vt l. illicitas, de offic. presb. ff l. in hæredem. de calumn. ff & l. generaliter, de verbor. obligat. ff.

Atqui ſententia hęc non admodum omnibus probatur: & (vt arbitror.) licet ſit conſilium huiuſcemodi malè parta reſtituere, non tamen id neceſſarium. Doctores enim citati reſtitutionem iubent fieri pauperibus: nō verò ei qui pecuniam dedit. At multis recepta regula eſt: (licet ego eam nūc non aſſeuerem) quod cum reſtitutio pauperibus facienda præcipitur. tunc non eſt neceſſario facienda. Adde, quia nulla lex, aut canonica, aut ciuilis eam iubet reſtitutionem. Sed equidem non eſt huius loci iſta diſputatio.

Iudas verò Dei cōſilio inſtigatus, ad principes populi rediit: quo ſuum facinus agnoſcēdo vituperaret: eosque ad facinoris pœnitētiam permoueret. Proiecit etiam argenteos illos, quorum amor ad tantum ſcelus eius animum pellexerat. Vt fecit Pontifex ille: qui eam ſibi manum abſcidit, quæ ei occaſio fuerat, vt in luxuriam laberetur. Fecit etiam monachus, qui ſimili cauſa virilia ſibi amputauit. Neque mirū eſt quod argenteos in templum proiecit, qui mox erat in infernum animā proiecturus. Tantum & contra nummos, & contra ſe odium conceperat. *Hi duo malè fuerunt.*

Dum

Dum verò proijcit nummos, dixit: *Peccaui tradens sanguinem iustum.* Id quidem verissimum: Sanguis ille iustus erat. Iustus quidem: quia vnitus infinitæ iustitiæ. Sanguinis enim Christi assumptus est à Verbo æterno, qua ratione prætium valebat infinitum. & ea ratione genus humanum redimere potuit. Erat igitur sanguis iustus: quia infinitam iustitiam sibi habebat vnitam. Tum erat sanguis iustus: quia etiam Christus quatenus homo, erat quodămodo infinitè iustus. Si enim gratia iustificans facit hominem coram Deo iustũ, & gratia Christi erat (iuxta Diuum Thomam) infinita: ergo faciebat (quadam ratione) Christum infinitè iustum. Non enim gratia Christo ad mensuram data est. Demũ erat sanguis iustus, quia fuit causa totius iustitiæ nostræ. Cum enim Sacramenta sint nostræ iustitiæ fontes: & totum suum valorem, atque vigorẽ ex Christi sanguine cœperint, planè fit vt sanguis Christi fuerit nostræ salutis ratio. Ideo Christus inquit, suum sanguinem effundi in remissionem peccatorum. Et Paulus: Sanguis Christi emundat conscientias nostras ab operibus mortuis. Et Ioãnes: Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato. Et rursum: qui lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. O quem sanguinem tradidit Iudas!

D.Tho.3. Part. q.7. art. 11.
Ioan. 3.
Matth.27.
Hebr. 9.
1. Ioan. 1.
Apoc. 1.

Non verò solum tradidit Iudas sanguinem, sed eum effudit, pollutum duxit, conculcauit. Qui enim causam damni dat, damnum dedisse videtur. Ergo si Iudas causa fuit, vt sanguis ille pretiosissimus effunderetur, & pedibus impiorum conculcaretur: ipse sanguinem fudit, & conculcauit.

Hebr. 10.

Iam audiamus: quid principes, & seniores Iudæ respondeant: *Quid ad nos* (inquiunt) *tu videas*: tu tibi consule, ô miserrime Iuda, si vt consuluisti Iudæos illos, non pastores, sed lupos: non Angelos, sed diabolos: nõ homines, sed feras: ita viros probos consuluisses, qui Dei amorem, proximorum charitatem haberent, nec tu animã: nec Apostoli collegam, nec Christus discipulum amisissent. Multum, heu multum refert, quem tibi in grauissimis casibus cõsultorem deligas. Mali consultores Roboam regno, Absalonem vita, Adam paradiso priuarunt. Cur non miser ad Apostolos, cur non ad sacerrimam Virginem, cur non ad Christum confugisti? Sed erat siquidem tibi eorum benignitas maximè cognita. Sed hæc fuit Iudæ infœlix infœlicitas. Cuius dolorem, cùm Iudæorum verba tam sæuè exulcerassent, vim doloris non ferens, abiens laqueo se suspendit. Ita vitam absoluunt, qui do-

minis suis sunt infideles, quique sunt proditores. Malè Iudas vita functus est, malè Achitophel, malè Ioab. Ita etiam vitam si non in hoc seculo, certè in futuro Simoniaci sunt habituri suspensam. His enim & illis, Iudas est apertum exemplum.

2.Reg.16. 3. Reg. 2.

Principes sacerdotum acceptis argenteis, non miserunt eos in corbonam· sed emerunt agrum figuli. Vbi peregrini sepelirētur. Quod non miserint 30. argenteos in corbonam, sed Deo redderent: mysterium est. Habetur enim in Exodo: Si bos cornupeta, seruum aut ancillam inuaserit: Dominus bouis 30. siclos argenti domino serui, aut ancillæ dabit, bos verò lapidibus obruetur. Planè Iudas minister fuit Iudæorum in Christi inuasione: bosque fuit, qui cornibus nequitiæ suæ Christum (seruū illum Dei, quē toties Deus ipse iactauerat) inuasit. Inuadens verò Christū, etiam eius inuasit Ecclesiam: quæ Dei ancilla est. Siquidem Christus & Ecclesia, vnum per gratiam sunt. Si ergo bos ille Iudæorum, seruū ancillamque Dei inuasit: soluant Iudæi 30. illos argenti siclos. ementes ex illis agrum in cultum Dei: vt peregrini sepeliātur. Hæc causa est, quare in corbonam, seu thesaurum suum, argenteos illos non conijciunt.

Exod. 21. Isaiæ 41. Isaiæ 42. Ioan. 17.

Rursum, quod emant agrum, in sepulturā peregrinorum, aliud etiam mysteriū est. Dicitur enim in Genesi, quòd cùm Abraham, & Sara peregrini essent in terra Canaam, noluit Abraham peregrinos suos in terra aliena sepelire: sed emit agrum ab Ephron, in sepulturam peregrinorum: Intelligens etiam futurum: vt tota illa terra à peregrinis esset possidenda. Et quidem Ephron significat puluerulentum quales esse figuli solēt· qui ex puluere aquæ commisto, figulinum opus exercent. Emit ergo Abraham agrum figuli, in sepulturam peregrinorum· in signum, quod eorum esset postea illa terra futura. Ita quidem Deus per manus Iudæorum, emit agrum in Synagoga. in signum, quod Synagoga erat à Christianis, (vere in mundo peregrinis) in posterū possidenda. Vt igitur Abraham emēs agrū illum, cœpit iniustos possessores terra pellere: & cœpit ipse cū suis terrā illā possidere: ita Deus empto agro illo, cœpit Iudæos à cultu suo reijcere: & Christianos in illū recipere. At profectò Christiani, vt aduenæ sunt, & peregrini: ita sunt & sepulti. Ita enim se in seculo habere debēt: ac si seculo essent sepulti. Mortui enim sunt: & eorum vita est abscōdita cum Christo in Deo. Vt igitur non fuit fas

Genes. 23. 1. Petr. 2. Rom. 6. Coll. 3.

Abrahæ,

Abrahæ, defunctos suos in aliena terra spelire: ita nec fas nobis est, in terra non nostra sepeliri. Terra nostra non sunt terrena, sed cœlestia: non secularia, sed spiritualia: non mundana, sed diuina, dicente Domino: Si in alieno infideles fuistis: quod vestrum est, quis dabit vobis? Per illud: Vestrum, spiritualia & diuina intelligens. Non ergo fas nobis est in secularibus, sed in spiritualibus sepeliri. Iam enim hæc non sunt aliena, sed nostra: neque enim immeritò dicit: Vocatus est ager ille Hacel-dema, id est, ager sanguinis. quia videlicet spiritualia, pretio sanguinis Christi sunt nobis comparata. Vt enim illa sunt infinita: non potuerunt, nisi infiniti valoris pretio comparari. Et licet forsan ager ille iam non dicatur ager sanguinis: at vsque in æternum spiritualia, atque diuina dicentur Christi sanguine parta.

Lucæ 16.

Tunc impletum est dictum Ieremiæ, qui dixit: Acceperunt 30. argēteos: pretium appretiati, quem appretiauerunt à filijs Israël, & dederunt eos in agrum figuli. Vbi primū nota: verbum illud Appretiati, non esse nominatiuum pluralem: sed esse genitiuum singularē, vt sit sensus: acceperunt 30. argēteos in pretium Christi æstimati, seu appretiati, quem filij Israël appretiauerunt. Id esse certum, manifestè Græca litera probat. Vbi non tetimimenoi appretiantes: sed tou tetimimenou, id est, illius appretiati: scriptum est.

Secundò nota testimoniū hoc, quod Matthæus dicit esse Ieremiæ, apertius haberi in Zacharia: occultius verò in Ieremia, quem Zacharias clarius explicauit. Ita habetur in Ieremia: Intellexi, quod verbum Domini esset: & emi agrum, ab Hanameel filio patrui mei, qui est in Anathot: & appendi ei argentum septem stateres, & decem argenteos: & scripsi in libro, & signaui, & adhibui testes, &c. In quibus verbis persuasi mihi, quod septē stateres, cū decē argenteis, erat valor 30. argentiorum. Volunt enim docti, decem illos argenteos aput Ieremiam, valuisse dimidium sicli, seu stateris. Erant igitur septē stateres & dimidius. qui faciunt 15. dimidios siclos. hi verò faciūt 30. quartas sicli, id est, 30. argēteos. Quod (vt facilius credas) hinc ordiamur: Didrachmū, seu didrachma, quę sunt duę drachmę. (teste Nicolao Zegero,) dimidiū stateris continet. Igitur stater quatuor drachmas cōtinebat. fit ergo vt septem stateres cum dimidio essent 30 drachmę. quarum valor (vt ibidem ille ait) est 30. aureorū Coloniensium. Collegi ergo apertè eosdem esse septem stateres, & dimidium

Ierēm. 32.

Vatablus super 32 c. Ierem. Super cap. 17. Matth. quòd ex Ioseph. lib. Antiqui accepit, dicente: Siclus 4. drachmas Atticas valet.

midium (quibus Ieremias agrum emit:) & triginta argenteos, quibus Pharisæi agrum emerunt.

Tertio nota quod ager ille Hanameelis, emptus est à Ieremia, in signum quod Hebræi citò erant peregrinaturi, (Chaldæis scilicet occupantibus Iudæam:) sed licet peregrini futuri essent, at posteà erant in suam terram reducendi & Ieremias esset agrum suum possessurus. Et quia tempore illo quisq; in agro suo sepeliebatur, vt Ioseph Arimathæus testis est: fit manifeste vt redeuntibus peregrinis in agrum suum, ager ille esset sepultura peregrinorum. *Marci 15.*

En ex Ieremia colligimus tria. primum, emptionē agri. Secundum, pretium eius fuisse triginta argenteos. Tertium, illum agrum futurum sepulturam peregrinorum. Et hæc omnia, inquit Ieremias, intellexi esse à Domino constituta. *Ierem. 32.* Dicit enim. Intellexi quod verbum, seu constitutum & decretum Domini esset. Habes igitur quam verè Matthæus dixerit, impletum est, quod dictum fuit per Ieremiam.

Iesus autem stetit ante præsidem. Duo, (vt ego existimo,) nobis Christus hoc loco promeruit. Alterū, vt cū steterimus coram præsidibus, & regibus, animum non despondeamus: etiam si totum mundum, imò & totum infernum, insurgere cōtra nos videamus. Aliò qui quomodo Agnes, Agatha, Lucia, tam horrendis tormentorum monstris conspectis, non defecissent: nisi Dominus ne deficerent, illis promeruisset? Alterū, vt cū steterimus corā Confessore, nostra peccata confitētes, in illo diuino iudicio absoluamur, & dimittamur innoxij: qui cum tot noxis accesseramus. Promeruit enim innocens, qui sine noxa, in illo hominū iudicio, damnatus est: vt nos nocētes in Cōfessores (imò diuino iudicio) noxæ eximeremur. Vnde & tertium colligitur. Videlicet, promeruit Christus: vt in diuino examine, contritus, licet nō cōfessus, si fidē Christi habuerit, & confessionē (cuius copiā non habet) optauerit, à pœna peccatis debita exoluatur.

Præses interrogauit Christum, an esset rex Iudæorū. Cui Dominus respondit: *Tu dicis.* Erat enim Christus quatenus Deus, rex cæli & terræ. Cuius regnum, erat regnū omnium seculorū. Tū quatenus homo, rex erat spiritualis omnium hominum. iuxta illud: Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius. *Psalm. 2.* Tum demum quatenus homo erat rex temporalis, id est, habēs imperium, sicut habuit Iulius, aut Octauianus Cæsar. *Psal. 109.*

Dictum enim erat: Tu es sacerdos, secundũ ordinem Melchisedec. At Melchisedec nõ solùm erat Põtifex in spiritualibus: sed erat rex in tẽporalibus, testante Paulo, quòd Melchisedec erat rex Salem, & Sacerdos Dei summi. Igitur & Christus, qui erat Pontifex, (vt fuerat Melchisedec) debuit esse rex tẽporalis, & Pontifex. Non tamen assero Christum iure hæreditario, ex Maria eius matre regnũ accepisse. assero tamen ex domo Patris sui illud regnũ habuisse. Pater enim omne iudiciũ (vbi & temporale clauditur iudicium) dedit Filio, etiam quatenus homo. Dedit enim ei potestatem iudiciũ facere, quia Filius hominis est. Cum igitur Christus non esset Pilato vlla ratione subiectus, nõ obligabatur ei apertè loqui. Poterat enim tacere, aut obscurè respondere. quod nõ licuisset, si Christus Pilato subditus esset. Subditus enim in iudicio, iuxta intentionem superioris, debet verba proferre. At Christus, cum secundò à Pilato interrogatur, his verbis: Non audis, quanta aduersum te dicunt testimonia? nihil ille respondet: ita vt miraretur pręses vehementer.

Heb. 7.
Ioan. 5.
Ibidem.

Causæ verò admirationis multæ erant. Videbat Pilatus Christum miraculis clarum, prædicatione celeberrimum, in responsis prudentissimum. Hæc enim fama constans prędicabat. Tum ostendebat se illi fauentem, atque benignum, cupientemque quacunque posset ratione eum à morte liberare. Tum videbat, quòd si Christus vellet obiecta diluere crimina, facilè se à morte liberaret. Cùm igitur videret omnino tacentem, intelligebat eum libēter velle mori: & ideo nihil respondere, ne à morte diuelleretur. An non erat hoc causa vehementis admirationis: hominem tam celebrem, tantopere mortis cupidum? Et equidem illa admiratio præsagium erat eius admirationis, & gratiarum actionis: quas quiuis nostrum Domino redemptori debet: quod tacere voluerit ne non moreretur.

Per diem verò solennem solebat Pilatus vnũ dimittere vinctũ: quem populus optasset Et ego equidẽ arbitror, hunc Deo esse morem: vt diebus solẽnissimis, aliquem insignem vinctum dimittat. Hisce enim diebus maxime conuenit: viscera eum misericordiæ suæ, in nos largius effundere: quibus nos ei efficaciam obsequij: nostri maximè exhibemus. Ideò enim ille sabbata, & reliqua Festa instituit: vt culturis nostris, ad beneficentiam prouocaretur.

Et equidẽ Christus pietatis suæ opera, in sabbatis, & alijs festis,

festis, maximè exequebatur. Ideò enim Iudæi dicebāt: Non est hic homo à Deo, quia sabbatū violat. Et planè mortem suam in festum Paschæ reseruauit. Spiritus sancti missionem in diem Pentecostes distulit. Et infirmum illum (quem infirmitas annis 38. vinctum in grabato tenebat,) in die festo Christus liberum dimisit. Qui igitur se longo iam tempore vinculis peccatorum vinctum conspicit: diebus maximè festis liberationem à Domino certius speret. *Ioan. 9.* *Actor. 2.* *Ioan. 5.*

Quocirca diebus etiam festis, nos fratrum nostrorum liberationi inuigilare conueniebat. vt si quem haberemus debitorem, certè si soluere ille non posset, eum liberum dimitteremus. Si enim ieiuniū quod elegit Dominus id potissimū est: si dissoluamus colligationes impietatis, si soluamus fasciculos deprimentes, si dimittamus eos qui confracti sunt liberos, si omne onus disrumpamus. An non etiam hoc erit potissimum festum, quod celebrare nos ille iubet? Nō quòd festa non sint, sicut Ecclesia iubet celebranda, sed quòd tunc optimè celebrentur, quando fratribus liberatis celebrari contingat. Sicut & tunc nostra ieiunia maximè placēt, cùm ita ieiunamus. Et profectò ieiunia Christianis festa sunt *Isaiæ 58.*

Quod si diebus festis fratres oneribus pressos liberare decet: quāto potius eisdem festis, animas nostras pondere peccatorum vinctas, grauatas, & in infernum proruentes liberare conueniet? An nitendum nobis totis viribus esset: vt vinctum animum nostrum diebus solennibus liberum dimitteremus: ne nobis diceret Dominus, Hæomenias vestras, & sabbata vestra odiuit anima mea. Par enim est, vt odiat Deus hominem, qui corpore festum Deo peragit, animo verò, non Deo, sed diabolo. *Isaiæ*

An verò nunc cōueniret celebrioribus festis, Regem, vinctum aliquem liberare, non est facilè decernere. Vt enim non conueniret grassatorem, piratam, inueteratum latronem, & reliquas Reipublicæ pestes à morte seruare: id enim esset fasces, quibus Respub. periret, accendere: ita videbatur pium, eos qui casu aliquo aut carnis fragilitate, in peccata ceciderunt, libertati donare. Id enim esset, & humanæ infirmitati nonnihil donare, & dici festi celebriorem rationem habere.

Habebat tunc Pilatus vnum vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas. Erat Barabbas latro, homicida, nequam insignis. Iudicio meo mysterium hoc fuit: vt quo tempore Christus

iudicabatur, tam insignis in nequitia vir vinctus seruaretur. Et mysterium à Spiritu sancto profectum existimo, quod populus id ignorans, morte Christi, liberari Barabbam efflagitaret. Barabbas enim genus hominum significabat, latrocinijs, homicidijs, & omnibus peccatis insignissimum: vt minimum enim genus nostrum latro est: cum gloriam Deo debitam idolis exhibet. Homicida est, cum animam propriã, vita quę Deus est, priuat: seditiosum est cum dissensiones inter Deum, Angelos, elementa, ex vna parte, & homines ex altera excitat. Igitur sicut Cayphas spiritu Dei
Ioan. 11. instigãte dicit: Expedit vt vnus homo moriatur pro populo ne tota gens pereat: ita & plebs Iudæorum eodem spiritu instigante petit: vt vnus Christus crucifigatur, quo genus nostrum, in Barabba significatũ à morte æterna liberetur. Et equidem Barrabas filium patris significat: quòd apertè genus humanum filium Adæ designat. Erat verò, vinctus ille tempore mortis Christi, & occidendus, nisi eius vita Christi morte commutetur. Moritur ergo Christus, ne pereat Barabbas. Vt igitur Christo vitam Barabbas debuit: ita nos Christo vitam maximè debemus.

Sedente autem illo pro tribunali: misit ad eum vxor eius, dicens: Nihil tibi & iusto illi: multa enim passa sum hodie per visum propter eum. Primũ hic nota confessionẽ fœminæ: quod Pilatus vt nihil cum Christo haberet. Itaque principes & iudices, vt plurimum nihil habent cum Christo. Totos enim eos sibi vendicat mundus: atque ideò potentes potenter tormenta
Sapient. 6. patientur. Et item: Iudicium durissimũ his qui præsunt fiet.
Ibidem. Secũdum nota, vxores principum eos maximè prouocare, vt nihil cũ Christo habeant, frequenter enim fieret, vt iudex æquus esset, nisi vxore pelliciente corrumperetur. Nam &
Marci 6. Herodes Baptistam seruasset, nisi ab Herodiade in sæuitiam
3. Reg. 18. reuocatus fuisset. Et Achab Iezabele instigante peruertebatur. Quid enim non peruertat vxor iniqua, si Adamum per-
Genes. 3. uertere potuit Eua, nondum adeo iniqua? Tertium: Rogat vxor Pilati virum suum, ne quicquam cum Christo habeat. At ò miseriam principum, si Christum nihil curent, si Christum nihil cogitent, si nihil Christum coluerint! Tota enim eorum & nostrum vita est, si aliquid habeamus in Christo: imò si toti illius simus, sitque totus ille noster.

Tentare libet, an hæc Pilati vxor aliquid nobis portẽdat. Et profecto, vt Põtifex est Ecclesiæ, vir ita & Respublica est

regis,

regis, seu principis quodammodo vxor. Prospicit enim & Pontifex & Princeps Reipublicæ cõmodis. Cũ ergo Pilatus vicem principis gentium gereret, fit vt Gentilitatem Pilati vxor repræsentaret. Quòd ergo vxor Pilati eum admonet, ne cum Christo negotium gereret, significabat futurum: vt Gentilitas Principes suos esset admonitura, ne Christo, aut Christianis negotium facesserent. Memoriæ enim historiæ produnt, sæpissime plebes, suos admonuisse tyrannos, ne ingentem Christianam tam crudeliter ferocirent. Idque faciebant: quia multa propter Christum per visum patiebantur. Videbãt enim per visum tot miracula, tot signa, tot prodigia. Nonnunquam etiam patiebãtur calamitates, quia Christi cultores persequebantur. Hæc illos prouocabant, vt à Christianorum persequutione cessarent: suosq; principes, vt etiam ipsi cessarent precibus commonerent.

Principes autem sacerdotum & seniores persuaserunt populis: vt peterent Barabbã, Iesum verò perderent. Persuasum habebant Principes illi Iesum legem adducere nouã: quâ legem esset antiquam aboliturus. Idcirco pro lege pugnant, & certant: ne deleatur. At falluntur, quanto enim tempore vixerit Christus, viuet lex vestra Iudæi. Quo puncto animam halauerit, eo puncto lex vestra vigorem amittet.

Interim mirari libet, quòd tam fuerit facilè principibus, populum ad tantum facinus prouocare. Sciebat populus Christum beneficentissimum: eius enim beneficia quotidie receperat. Sciebat sapientissimum: eius enim doctrinã quotidie suspẽsus audiebat: Sciebat diuinũ: eius enim miracula continenter attonitus spectabat. Vnde igitur tam facilè virum tantum ad crucem exposcit? Profectò argumentum est, Christum non esse de terra, sed de cœlo. non de mundo, sed de Deo. Si enim de mundo fuisset, mundus quod suum erat diligeret: nunc autem quia non est de mundo, mundus eum odio habet. Nunc autem, inquit Dominus: viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum. Hæc verò causa est, quòd Christus in propria venerit, & sui eum non receperint. Si verò alius (inquit ipse) venerit in nomine suo, eũ recipient: Videlicet quia facilè est mundo mundum recipere: & facilè est mundo cœlum, Deumque ipsum reijcere. Petit ergo mundus, vt Christus crucifigatur. *Ioan. 15.* *Eodem.* *Ioan. 1.* *Ioan. 5.*

Tunc Pilatus: *Quid enim mali fecit?* Hac vna ratione omnes infideles, omnesque impios Christus in iudicio damnabit,

dicens: Quid mali feci? Quid inuenistis in me, in doctrina
Ierem. 2. mea, in lege mea, cuius causa recederetis à me? Quid inuenerunt patres vestri in me iniquitatis, quòd longè recesse-
Ioan. 8. rint à me: Id verò etiam est, quòd Christus dicit: Quis ex vobis arguet me de peccato? &, si veritatem dico vobis, quare non creditis?

At populus non ratione ducitur, sed impetu. Et quanto eos vehementius ratio vrget, tanto vehementius à ratione resiliunt: idcirco cœpit populus tumultuari.

Tunc Pilatus lauat manus, & dicit: Innocens ego sum. Ergo iustitia & innocentia hypocritica Christum crucifigit. Principes fucatum Dei zelum obtendunt in innocẽtis occisione. Pilatus in eadem, innocentiam prætexit. Periculum ergo totũ ab hypocrisi est. Nihil facinorosius iniustitia, sub larua iustitię. Nocentissime Pilate, quomodo innocens es, si innocentem non probatum nocentem, vt nocentissimum damnas? num, quia lauasti aqua manus tuas, ideo manus
Isaiæ 1. tuæ plenæ sanguine non sunt? Sed hæc est mundi innocẽtia non interior, sed exterior: non animi, sed verborum.

Respondens vniuersus populus dixit: Sanguis eius super nos & super filios nostros. Scriptũ est, Mosen Dei cum Iudæis fœdus fecisse, sanguinem fundendo: tum super altare, tum super Iudæos. Vt (quia in sanguine anima est) fusus sanguis super Deum (cuius vicẽ altare gerebat) idemque fusus super populum, mysteriũ designaret, quòd eadem anima, eademque volũtas in Deo esset & populo. Atque ideo pacem, pactum, & omnia bona inter Deum esse & populum. At non ita sanguis Christi erit super Iudęos: vt fœdus inter Deum, & ipsos sanguis ille componat. Sed potius sanguis erit super illos: vt requiratur ab illis. Et equidem eam maledictionem semper impleri videmus. Nulla enim natio est toti orbi adeò exosa, vt Iudæa. Ita vt etiã qui ex Iudęis ad Christianitatem conuertuntur, odium cum genere secum adducant.

Et nisi ego fallor, hæc est differentia inter Iudæos, & alios
Vide D. infideles: quòd alij infideles qui nihil de Christo audierunt,
Thom. 2. nullam suę infidelitatis sint pœnam daturi, dicente D. Tho-
2. quæst. ma, infidelitatem in his, non culpæ, sed pœnæ habere ratio-
10. art. 1. nem. Porrò cùm nullus sit Iudæus, qui de Christo non audierit, (continenter enim Rabbinos de Messiha, quem expectant: & de Christo, quem reiecerunt mentionẽ habere credo) fiet necessariò, vt hęc in illis infidelitas magnę culpæ

induat rationem: cuius in inferno sint magnas pœnas exoluturi. Vt verè nullus sit Iudęus, à quo in inferno Christi sanguis non exquiratur. Id est, qui pro infidelitate contra Christum, non acerrimè puniatur.

Forsan hæc publica reiectio, quâ populus Christum communi omnium consensu reiecit significata fuerat, in ea reiectione, qua decem tribus & dimidia genus Dauidicum abiecit: Iereboam (id est, contentione populi) in regem assumpto. Principes siquidem illarum tribuum indulgentiorem vitam à Roboam non assequuti, facilè populo persuaserunt: vt nihil communionis cum Dauide cognoscerēt. Atque ita facile totus populus à Dauide, à lege, à Deo ipso abductus, ad idola colenda præceps defluxit. Et sanè Barabbas à populo delectus seditiosus erat: vt Ieroboam seditionem in populo significabat. 3. Reg. 12.

Iesum flagellatum tradidit eis, vt crucifigeretur. Meminit Cœlius lib. 10. Antiquarum Lectionum cap. 5. fustuariam castigationem, Romanis huiusmodi fuisse: Si quis dānatus erat: accepto fuste, Tribunus vix tātum attingebat damnatum: quod vbi factum erat, omnes qui in castris inueniebantur, cædentes fustibus damnatum conficiebāt. Infra eodem cap. refert, fustibus liberum cædi, flagellis seruum. Ex qua antiquitate facilè colligimus, Christum iam damnatum ad crucē, à cohortis tribuno prius fuisse percussum: postquam percussionem omnes qui in castris erant, Christum tantum non confecisse, nisi quòd Christum non vt liberum fustibus tantum, seu arundine: sed vt seruum flagellis vulnerauerunt.

Porrò grauissimis Autoribus tradentibus accepimus, Dominum vsque ad lassitudinem ministrorum, primum virgis spineis flagellatum: secundò chordis, in quarum extremis erant puncta ferrea, Christi carnem lacerantia: tertiò catenis, quarum extrema erant adunca, particulas carnis secum abducentia.

Tunc milites præsidis suscipientes, &c. Et si omnis Christi actio, omnia verba, totaque vita, summa sint à nobis attentione consideranda, summa charitate diligenda, summis laudibus, pręconijs, & clamoribus efferenda: hæc tamē sacra de Christi excessu historia, id sibi maximè vendicat. Neque enim immeritò fimbrijs Pontificis summi erant malogranati, & tintinnabula fixa. Significabant scilicet, malo- *Matth. 16.* Exod. 28.

granata charitatem: & tintinnabula laudes: quibus Christi veri Pontificis fimbriæ, id eſt, ſinus, erant proſequenda. Quocirca veniam merebor, ſi clarius nonnihil hæc tintinnabula ſonare fecero: dicam tamen breuiter, quãtum licuerit. Rem verò per capita digeram, quò & legentibus auferatur tædium, & hiſtoriæ maior lux inferatur.

CAPVT I.

Millites illudunt Chriſto.

Vetegius. TOTA cohors præſidis, (quæ vt minimum habebat 555. milites) chlamydem coccineam, ſeu purpuream, Chriſto circũdant: ſpinea corona coronant, arundinem pro ſceptro porrigunt, in faciem eius expuunt & quantum credi

Pſal.m 55. par eſt, eum conculcant. Dictum enim erat: Miſerere mei Deus, quoniam conculcauit me homo, tota die impugnans tribulauit me. Conculcauerunt me inimici mei: quoniam multi bellantes aduerſum me. Quid apertius dici poterat: quam quod bellantes, ſiue milites (quaſi contra vrbem rebellem) contra Chriſtum armata cohorte dimicarent? Porrò corona ſpinea, vepres illos ſignificabat, inter quos aries

Geneſ. 22. (quem pro Iſaac, Abraham immolauit) cornibus hærebat. Quòd verò per faciem Chriſti, multum ſaliuæ defluerent: ſignificatum videtur in facie Dauid: quæ coram Achis rege

1. Reg 12. Gentili, ſaliuis defluentibus erat deformata.

Attende nunc inſpiciendus eſt Chriſtus, regia, ſed triſti: regia, ſed ludicra pompa, deſpectus. Vbi multa ſe proferunt dicenda. Primum, ea pompa tam luctuoſa, docuit Chriſtus regnum temporale pompam quidem regiam videri: ſed reuera triſtem eſſe, & afflictiuam. Coronam ſiuè reges habent in capite, auro & margaritis fulgentem: eandem verò habent mille curis & doloribus in corde pungentem. Sceptrum habent in manu: idem verò habent arundineum vanum, breuique finiendum. Chlamydem veſtiunt purpuream: æternas inferni flammas niſi caueant comminantem. Genu flectunt miniſtri, quis neſciat, quàm frequenter, qui exterius adorant, interius deſpiciant, rideant, imò & odiãt? En igitur quare regnum mundi eſt?

Secundo, pompa illa infœlix ſignificat, qualem pompam mundus, iuſtitiæ tribuat, & ſanctitati. Quicquid præmium pij referũt ex mũdo: pro eius ſalute manibus, capite, totoque

que corpore fidelissime laborarũt. Laborauerunt Apostoli, laborauerunt & Martyres: at pro labore iniurias in facie, in capite, in toto corpore iniurias retulerũt. En quale stipendium piorum labor à mundo expectabit.

Tertiò, Regum ministri, regnumque subiecti suas regibus exhibent opes, in quibus illi triumphent. In auro enim & opibus subiectorum, regia pompa resplendet. Si ergo Christus rex hominum est, in opibus nostris, quas nos illi præstamus, eius pōpa fulgebit. At opes nostræ, spinæ sunt, vulnera sunt, sputa sunt, dolores & miseriæ sunt. Terra enim spinas & tribulos, pro diuitijs profert. Matres nostræ in doloribus nos pariunt, dolores in socios nobis adhibentes. Quid ergo miramur, si verus rex noster Christus, in diuitijs nostris regali pompa coronatus egrediatur? Et profectò Isaias docuit peccata coccinum esse: hæc nos Christo præbuimus, in his rex ille monstratur. *Genes. 3.* *Ibidem.* *Isaiæ 1.*

Quartò, mysterium magnum ostensum est. Sanè Samuel olim regnum instituens temporale, ipsum in honoribus, diuitijs, & delitijs instituit. Quam institutionem reliqui reges plusquam diligentissime obseruant. At Christus multò diuersum regnum venit instituere. Dixerat enim: Beati pauperes spiritu, beati qui lugent, beati qui persequutionem patiuntur: quia ipsorum est regnum. Docuit ergo regnum quoddam esse cœleste in medijs spinis, in medijs sputis, in medijs contumelijs. Aue igitur Rex Iudæorũ, Aue noue Rex in medijs regnans tribulationibus, in medijs regnans miserijs. Aue ô regie animæ, qui modestissime contumelias excipiebas: & exceptas reuerentissime, & amantissime tuo Patri offerebas. *1. Reg. 8.*

Precor te Lector respōde, si cōtumelias ab hominib⁹ accipere, Deoque offerre. An nō plusquam regij animi est? Ita profectò, cuius signũ id esse intellige, vbi videris, quòd miseriæ illæ tuæ, non miseram scenam Christi felicitatem, sed communem felicitatem à Christi felicitate susceperunt. Iam enim nunc miseriæ, a Christianis pro felicitate æstimantur. Dicente Paulo: Mihi absit gloriari nisi in cruce. Dicente Andrea: O bona crux suscipe me, tandem & gaudenti animo desiderata. Gaudebant Apostoli, quòd digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliam pati. *Galat 6.* *Actor. 5.*

Quinto quanto ostensum est, Ecclesiam tunc regnaturam: cum contumelijs, & opprobrijs fatigatur. Nunc enim profectò Ecclesia adeo floret, adeo regio splendore nitescit, qui

cùm à militibus ſanguine, velut chlamyde operiebatur: perſequutionibus, velut ſpinis pungebatur. Reuera tunc nigra erat Eccleſia, ſed formoſa: qualia ſunt tabernacula Cadar, qualia pelles Salomonis: quæ licet exterius ſolis æſtibus nigreſcerent, intus regijs ſplendoribus coruſcabant. Quo fit vt quia Eccleſia ex hominibus fidelibus conſtat: tunc quiuis noſtrum regnare poterit, cum varijs, & inſignibus calamitatibus premitur. Quod enim in capite factum eſt, id in membris fieri poſſe: ipſum caput & exemplo docuit, & inclyta patientia promeruit. Dicente Apoſtolo: Dum infirmus ſum, fortior ſum: & libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus illa regia Chriſti.

Cantic. 1. *2. Cor. 1. 12*

Sextò, forſan Dominus in regali pompa ſe contemni permiſit, docens, quàm à regum luxurijs, nimia pompa, infinito apparatu ſoleat offendi. Profectò nimius ille regum ſplendor, quo ſibi videntur eſſe dij, quoque in ſuperbiam elati, Deum vix vt Dominum agnoſcunt, tantopere forſitan Deum deſpicit, quam ludicrus ille, & contumelioſus apparatus olim deſpexit. Cùm verò arundinem Chriſtus in manibus accepit, grauiſſime indoluit: memor peccatorum: quæ arũdinea & vana iuſtitia ſoleat in populo committere. Sanè ſceptrum iuſtitiam ſignificat. Ah quanta peccata vani iudices, ſub prætextu ſceptri mundo intulerunt?

Ezech. 28.

Septimò, voluit Dominus ſpeciatim pati in ſpinea corona, detrita purpura docens quam peccent grauiter, qui caput & corpus plus nimio exornant: quique nimium aureas & gemmeas corollas capiti, purpuram & byſſum corpori circundant. Vt enim Dominus pro crine criſpante caluitium, pro aurea zona funiculum Hebreis olim induxit, ita Chriſtus pro vanitate ornamenti noſtri, acerbitatem tormenti ſui excepit, culpam certè noſtram pœna ſua piaturus.

Iſaiæ 3.

Vltimò docuit eos qui impio animo (licet corpore reuerenti) Chriſtum adorant ſimiles eſſe illis militibus Chriſtum exterius adorantibus, interius illudentibus.

Nec præterire libet, quòd nunquam Dominus adeò contumelijs confectus eſt, quàm in palatio ſummi Pontificis, & in palatio ſummi Præſidis: caueat ergo ſibi à palatijs Dominus.

CAPVT II.

Pilatus dicit: Ecce homo.

QVia Pilatus Iudæis dixerat de Christo: *Nihil dignum morte actum est ei: emẽdatum ergo eum vobis tradam.* Vbi satis emẽdatum & castigatum vidit, tunc eduxit eum foras, dicens: *Ecce homo.* iam emendatus est, sat vobis sit. Liberum eum esse volo. At verbum illud: *Ecce homo*, multa nobis insinuat. Lucæ 23.

Primò: *Ecce homo*: Homo est, non lapis, non ferrum, non æs. Plus tormẽtorum ferre non poterit: & quæ sustinuit vix credibile est, quomodo sustinuerit. Cesset igitur vestra contra eum accusatio.

Secundò: Homo est, vt vos etiam homines estis. At hominum est, miseri hominis compati: quantoque est ille miserior, tanto potius in eum viscera miserationum effundere. Dictum enim est: Dispereat de terra memoria eorum: Pro eo quòd non est recordatus facere misericordiam, & persequutus est hominem in opem, mendicũ, & cõpunctum corde. Ferarum est, non parcere subiectis: & super dolorem vulnerum, addere velle dolorem. Psal. 108. Psalm. 68.

Tertiò: Quod si irati estis, quia hic Filium Dei se fecit, Deum se faciens: en homo est, homo mõstratur, non Deus. Vix enim hominem esse iudicatis: tantum abest vt Deus esse monstretur. Vermis est potius, non homo: opprobrium potius est, & abiectio plebis: si dicto, Filium Dei se fecit: opere, minus quem hominem videtis. Psal. 21.

Quartò: Et equidem si is homo est, qui magno animo, inuicta patientia, inflexa constantia, mundi mala imperterritus excipit: Ecce, qui reuera homo est. Vt enim nulla mortalium memoria tantas, & tales contra vllum hominum audiuit iniurias: ita nulla memoria seculorum tam in talibus iniurijs vidit constantiam.

Quintò: *Ecce homo.* qui solus hoc est nomine dignus. Nam Adam ille, non homo dici meruit: sed hominum potius pestis, & presentissimum venenum. Adam rursum & cæteri eius filij comparati sunt iumentis, & similes illis facti. Si solus sine crimine Christus, solus ipse homo nominandus: vt qui nec iumentis comparatus est, nec hominibus damna, sed potius tanta intulit commoda. Psalm. 48.

Sextò: *Ecce homo*, hominum principium, hominum etiam finis

Ioan. 51. finis, hominum via, hominum veritas, hominum vita. Homines, qui prius inuitabamini, vt Abrahamum inspiceretis,
Isaiæ 51. dicente Deo: Attendite ad petram, vnde excisi estis, & ad cauernam laci vnde excisi estis: iam nunc inuitamini, vt hunc verè hominem, vitæ humanæ incorruptissimū exemplar inspiciatis.

Septimò: *Eccè homo*, ecce tota in Christo humana natura.
1. Cor. 15. Vt enim in Adam omnes extitimus: siquidem in Adam omnes mortui sumus: ita in Christo omnes tunc eramus.
Ex epist. Leonis. Et ipso castigato, nostra erat castigata natura. O igitur iudei: qui humanum genus in Christo iam castigatum videtis, an non sat videtur vobis castigatus?

Octauò: Si homo Hebræis significat ærumnosum, quid ærumnosius quàm Christus, quem coram vobis habetis? Nullus enim mortalium fuit aut erit, qui tot fuerit passus iniurias, quam Christus. Verum enim illud in Christo est.
Tren. 1. attendite & considerate, si est dolor, sicut dolor meus.

Nonò: Quòd si duces & imperatores à partis trophęis nomina sibi vendicant: Aphricanus enim dictus est Scipio, qui sibi Aphricam comparauit: quāto verius Christus dicetur homo, qui homines suo subiugauit imperio, à dæmonis potestate præripiens?

Decimò: Demum *Ecce homo*: qui Deus est, nullo maiori quod fuit, aut erit in orbe miraculo. Ecce, qui sicut miracula potentiæ fecit, quibus agnosceretur Deus: ita miracula patientiæ facit, quibus credatur homo. Par enim periculum est, aut in vilitate eum non credere Deum, aut in maiestate non credere hominem.

CAPVT III.

Christus baiulat crucem.

Damnatus Christus à Pilato vt cruci suffixus moreretur, exijt à prætorio, aderat crux à ministris furentibus præparata. Eam vbi Christus videt, lubenti animo, licet
Lucæ 22. debili corpore, supra humeros collocat. Optauerat enim iā pridem horam hanc: & coarctabatur donec veniret. Suscipit ergo crucem quam tam multæ præfigurauerant figuræ: tam multa præcesserāt signa, tam multæ prędixerant prophetię.

Certè figura crucis fuit virga illa Moysi, in qua præclarissima designauit facinora. Virga Moysi iacens in terra

serpens

serpens est: in manu Moysi recepta virga est: ita crux dum non suscipiebatur à Christo, serpens est: horrenda res est: venenum habet, & mortem. At verò vbi à Christo suscipitur, non venenum habet, sed vitam: non horrorem, sed pulchritudinem: non serpens est, sed nobilissima virga, cœlestes fructus ferens. Moses virga percutiens silicem, fontem eduxit aquarum, quibus Iudæi sitim extinxerunt. Moysi sectatores cruce percusserunt Christum. (Petra verò erat Christus) & ab eius latere aquæ & sanguinis fontes manauerunt, quibus tota potatur Ecclesia fidelium. *Exod. 7.* *Num. 20.* *1. Cor. 10.* *Num. 17.*

Figura crucis fuit virga Aaronis, quæ antequam ab eius manu acciperetur, virga erat sicca. Vbi verò Aaroni adhæsit, fronduit, floruit, & fructificauit: ita crux antequam Christo hæreret sicca virga fuit: vbi verò sacerrimo illi hæsit corpori, nulla sylua talem protulit, fronde, flore, germine.

Figura fuit illa Angelica virga: de qua scribitur: quod cū Gedeonis sacrificium tetigisset, sacrificiū igne cœlesti abreptum, in superna euolauit. Ita planè, opera nostra dum à virtute crucis non tangūtur, frigida manent. Vbi verò vim crucis sentiunt igne gratiæ cœlestis inflammata, in cœlum efferuntur: vt quæ cœlo sint ex iustitia digna. *Iudic. 6.*

Figura fuerunt ligna, illa quibus fuit Isaac alligatus, quibusque fuit aries exustus: ita quidem ligno crucis Christus fuit alligatus, & eius tormento fuit Christi humanitas amoris igne combusta. *Genes. 22.*

De hac cruce dixerat Balam: Consurget virga ex Israël, quæ percutiet duces Moab, & vastabit filios Seth. Profectò nulla vnquam virga vastauit filios Seth, qui sunt totū genus humanum. Adam siquidem tres filios habuit. Habel à Cain fuit occisus Caini posteritas tota fuit diluuio deleta. Solius Seth generatio totum mundum impleuit. At nullius vnquam principis virga totum genus hominum vastauit. Sola Christi crux principes Moab, id est, dæmones, & totum genus hominum vastat. Si enim homines impij sunt, crux eos condemnat: si pij sunt, licet in spiritu eos confirmet in carne deuastat. *Num. 24.* *Genes. 4.*

De hac virga dictū est: Virga directionis, virga regni tui. Adæ siquidem iniquitas totum mundum curuauit, & indirectum fecit. Fecerat enim Deus hominem rectum: vt recto vultu cœlum aspiceret. Adam vultum hunc curuauit, fecit etiam vt homines iumenta essent, quæ prona terram vident. *Psalm. 44.* *Eccles. 7.*

Hoc

Hoc verò curuum, hoc indirectum, crux directum fecit. Soluit enim Christus in cruce iniquitatem, quam admisit Adã in paradiso: meritò igitur virga dicitur directionis. Tum etiam virga directionis est, quia si opera nostra hac amussi & canone regulemus directissima fient.

Psal. 109. De hac virga dictum est: Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorũ tuorum. Dici profectò solet, Pilati domum propè montem Sion fuisse. Ergo si crucẽ misit Dominus ex Pilati prætorio, profectò ex monte Sion dicetur emissa. Hac ergo virga dominatus est Christus in medio dæmonum, in medio Cæsarum, in medio tyrannorum, in medio peccatorum, Christo

Ioan. 12. dicente: Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me, id est, omnium Dominus ero.

Equidem crux Christi virga ferrea est in qua suos Domi-

Psalm. 2. nus regit, & tanquam vas figuli confringit. Hic enim locus iuxta D. August. sic habet exponi: vt Christus quicquid in nobis figulinum est, quicquid terrenum & fragile confrin-

Iudic. 7. gat. Vt fictili lagena confracta, velut nostro corpore mortificato, spiritus lucerna clarissimè resplendeat.

Arripuit ergo Dominus crucem suam: quâ diaboli vires

1. Reg. 17. destrueret, sicut Dauid olim baculum suum accepit & peram, quibus gigantem Goliath capite truncaret.

Arripuit crucem, sicut pastor baculum suum accipere so-

Psalm. 22. let: quo suum gregem pascat. Dictum enim est: Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Virga profectò crux est: qua insolentius pecus corripitur: baculus quo mansuetior ouis dirigitur. Et licet insolẽs anima virgę, id est, crucis vulnus sentiat (dum carnem suam, cum vitijs, & concupiscentijs crucifigit) eadem tamen vbi mansueuit, baculo cru-

2. Cor. 1. cis inixa, crucis consolationes intimè sentit. Secũdùm enim magnitudinem dolorum, consolationes crucis lætificant animam.

Arripuit Christus crucem velut noui regni, nouum sceptrum, quo nouus rex, in medijs cruciatibus, nouè regnaret. In regno siquidem cœli, is regnare incipit, qui cruci incipit pro Christo configi.

Isaia 9. Arripuit demum crucem, & super humerum collocauit, vt fieret principatus eius super humerum eius. Dici verò solet, Crucem Christi quindecim fuiste pedũ in longitudine, tãtę verò crassitudinis, vt procerum corpus posset sustinere.

CA-

CAPVT IIII.

Exit Christus in Caluariam.

TVnc exeunt è ciuitate, per portam Aquilonarem: quæ erat porta Iudiciaria, iuxta quam erat monticulus, Caluaria dictus. Vbi solebant damnati vltimo supplicio affici. En Christus è ciuitate pellitur sicut fuit pulsus Abel à fratre Cain in agrum, vbi ligno Abel percussus diem clausit extremum: ita Christus à Iudęis, genere fratribus: odio verò inimicis in agrum pellitur. Vt ibi ligno crucis percussus intereat. Ita Isaac ferebatur in agrum ab eius patre Abrahamo: vt lignis alligatus holocaustum Domino esset. Sic Christus Patris sui voluntate extra ciuitatem exit, vt ibi cruci alligatus sacrificium Deo sit, in odorem suauitatis. Ita Dauid à filio Absalon ciuitate pellitur, & regno: cunctis qui Dauidem sequebantur lachrymantibus. Sic Christus à filijs suis, quos tãtis beneficijs enutrierat & exaltauerat, à ciuitate pellitur, & vita: cunctis qui eum sequebantur plangentibus. Demum Naboth à falsis testibus accusatus, extra vineam suam eijcitur occidendus: ita & Christus, à falsis etiam testibus accusatus, extra propriam vineam, in agrum educitur cruci configendus.

Genes. 4. Genes. 22. 2. Reg. 15. Isaiæ 1. 3. Reg. 21.

Exeuntes igitur, inuenerunt milites illi Cæsariani Simonẽ quendam Cyrenæum: patrem Alexandri & Ruffi. *Hunc angariauerunt, vt crucem tolleret post Iesum.* Simon audiẽtem significat, & obedientem: figurauit ergo Simon ille Cyrenæus populum fidelem, & Christianum. Siquidem Paulus habet, fidem esse ex auditu. Fideles ergo sunt audientes: & propterea meritò Simõ vocati. Dictum siquidem erat: Populus quem non cognoui seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. Sanè Christiani sunt populus in auditu aures obedientes. Omnis enim qui audiuit à Patre meo, venit ad me. Idem verò Christianorum populus vocatur Cyrenæus Cyrenæ, significat parietem. Quàm diuinè Christiana Ecclesia paries dicitur: vnus enim paries synagoga fuit, alter Ecclesia gentiũ est. Hos duos parietes lapis vnus (id est Christus) inuicẽ cõnexuit, factus in caput anguli. Habes quàm iustè Ecclesia Christiana vocetur Simon Syrenæus. Hanc Ecclesiam milites Cæsaris angariauerunt, vt tollerat crucem post Christum: ministri enim Cæsarum Ecclesiam sanctam coëgerũt vt crucem, persequutiones, nimiasque tribulationes post Christi

Rom. 10. Psalm. 17. Ioan. 6. Ephes. 2. Matth. 22.

Christi tempora ferret. Quis est qui nesciat cruces & tormēta, quæ Nero, Domitianus, Diocletianus & reliqui orbis tyranni, Ecclesiam sustinere coëgerunt.

Rogas: quid sit, quòd Simō, Alexādri fuerit pater & Ruffi? sanè Alexander, adiutorem hominum significat. Ruffus color est sanguineus. At iudicio meo Alexander significat charitatem, quâ proximo seruimus, id est, quâ proximos

Lucæ 10. iuuamus, quæ vita vocatur actiua: cuius figuram Martha in Euāgelio gessit. Ruffus verò vitā significat, charitate vsque ad sanguinis effusionem flammantē: quam vita cōtemplatiua, & Maria præsignauerunt. Quia igitur sancta Ecclesia generat filios charitate in proximos, & maximè in Deum feruescentes, propterea pater Alexandri dicitur & Ruffi.

Vbi verò Simoni Cyrenæo crux Christi nimium defessi imposita est, luctuosa progrediebatur processio. Præcedebāt & comitabantur Christum milites illi [illegible] lati ministri. Christum Simon cruce pressus sequebatur. Hunc infinita populi multitudo ad spectaculum hoc festinans prosequebatur. Vētum ad Caluariam est: vbi multa dānatorum ossa sparsa iacebant. Subit memoriam meam Ezechielis historia quæ

Ezech. 37. sic habet: Manus Domini eduxit me, & dimisit in medio cāpi: qui erat plenus ossibus, quæ erant multa valdè, & sicca vehementer. Et dixit ad me: Putásne, viuēt ossa ista? Et dixi: Tu scis Domine. Et dixit. Dic eis: Ossa arida audite. Hæc dicit Dominus: Ecce intromittā in vos spiritum, & viuetis. Factus est autem sonitus: & ecce commotio, & accesserunt ossa ad ossa: vnumquodque ad iuncturam suam, & c. An non hæc verba legens videris tibi videre Christum, manu Domini, in Caluariam venientem: campum, scilicet ossibus mortuorū plenum, omnium seculorum ossa significātibus? vbi verò Christus in eo campo est moriturus, ipsa eius mors erat prophetia, quod omnes mortui essent reuicturi. Interim verò quod Christus in eo campo est, factus est sonitus petrarum, quæ magno fragore rumpebātur. Facta est etiam cōmotio terræ, quæ in Christi morte contremuit. Factūque est, vt ossa ossibus accederent, & iuncturis suis hærescerent. Multa siquidem corpora sanctorum quæ dormierant surrexerunt: in pignus & arrabonem, quod erant omnia postea resurrectura. Ergo Christi in Caluariam, caluarijs, & ossibus damnatorum plenam introitus significauit, nulla esse ossa, nullos esse homines, nullos demum esse dæmones, adeò dam-

damnatos & desperatos, in quos si intret Christus, vt eos viuificet, vitam non accipiant. Et sanè ideò infernus non viuit, quia Christus in infernum non intrat ad viuificandum. si enim intraret, vita in mortuos intrante, vitam mortui reciperent.

Iam Christo in locum illum damnatum ingresso vinum exhibetur. Mos enim esse videbatur, vt iuxta præceptū Salomonis, his qui vltimo supplicio erant vicini, vltimū beneficium exhiberetur: Illud verò erat vinum myrrhatum. Dici enim solet, myrrham vehementer prodesse vulneribus. Christus verò gustat, sed non bibit exhibitum sibi vinum. Promiserat enim in cœna, non se bibiturū de illo genimine vitis donec nouum post resurrectionem suam biberet cum discipulis. Ea igitur ratione vinum oblatum abiecit. Simili causa, cum iam penderet in cruce, oblatum in spongia acetum noluit gustare. Vbi aduerte, acetum fuisse, quod fuit per calamum in spongia oblatum iam crucifixo, & vinum myrrhatum quod exhibitum est antequam crucifigeretur. *Prou. 31.* *Galen. lib. de Simp. Med. fac.*

Iam nunc vide mysterium: Mandabat in lege Deus, vt qui se Domino vellet consecrare, nec vinum nec acetum, ex vino, vel ex alia potione potaret. Cum ergo Dominus se Patri suo in sacrificium & holocaustum consecraret, legem volebat implere mandantem, ne vinum biberet, aut acetum ne nō Patri suo consecratus videretur, quod magnopere iniqui illi semel, & iterum, vino exhibito videri cupiebant. *Numer. 6.*

Significabat etiam potionem renuens, eos qui se in angustia vident, ad Deum pro consolatione, non ad mundi delitias debere recurrere. Deum, non vinum debere requirere. Certum enim est vinum delectationes significare. Dictum enim est: Renuit consolari anima mea memor fui Dei, & delectatus sum. Et rursum: Libenter gloriabor in infirmitatibus meis. Qui enim in tribulationibus consolationes requirit humanas: & has non inuenit, & diuinas amittit. Constans ergo sit pius in cruce animus: & delitiâs ex Deo, non ex mundo requirat. *Psalm. 76.* *2. Cor. 12.*

Docuit etiam Christus gustans & non bibens acetum: quòd in hoc seculo eos qui sunt acetum, gustet quidem, sed non bibat. Profectò qui pristinam charitatem reliquerunt, acetum ex vino facti sunt. Hos gustat quidem Deus, dat enim eis in hoc seculo temporalia bona: non verò bibit, negat enim eis æterna.

CAPVT V.

Christus crucifigitur.

VBi in Caluaria consistunt, ibi milites illi crudelitate, plusquam dęmoniaca Dominum gloriæ, cruci affigũt.
Psalm. 21. Impletúmq; est illud: Foderunt manus meas & pedes meos.
Zach. 12. & illud: Aspicient ad me, quem confixerunt. & illud: Quæ
Zach. 13. sunt plagæ istæ in medio manuũ tuarum? & dicet: His pla-
gatus sum in domo eorũ, qui diligebant me. En igitur Abel
Genes. 4. à fratre suo, ligno percutitur, & occiditur. Ita Christus ab
his, quos & amore & cognatione vt fratres habebat. En Noë
Genes. 8. in ligneam arcam super aquas maris subleuatur & occludi-
tur: vt sibi & generi humano salutem adducat. Arca lignea
Ioan. 12. crux Christi est, super omnia secularia exaltata. Christum
hæc includit & ligat: quo factum est, vt salus nobis, & gloria
Gen. 22. Christo sit per crucem comparata. En Isaac cum lignis liga-
tus est vt immoletur: nisi quòd Isaac non in se, sed in ariete
victima fit: at Christus seipsum in holocaustum Patri sacri-
ficauit. Factus ipse sacerdos: ipse sacrificium.

Genes. 28. De Iacob meminit historia, quòd scalam vidit à terra in
cœlum sublatam, per quam Angeli ascendebant, & descen-
debant: & Dominum vidit innixum, scalæ. O rerum om-
nium summũ miraculum. quòd cruci, (quæ in cœlum scala
est) gloriæ Dominus non innixus modò, sed suffixus conspi-
ciatur. Hanc tu lector crede esse rationem quare Angeli per
scalam ascendant, descendantque: vt videlicet scalam illam
aspiciant, venerentur exosculentur, cui Dominus cœli in-
nixus adhæsit.

Psal. 104. De Ioseph in Psalmis cantatum est: Humiliauerunt in
compedibus pedes eius, ferrum pertransijt animã eius. An
nõ credis Dominũ in ligno crucis compeditũ, vt solueret fi-
Psal. 145. lios cõpeditorum? An non credis, quòd cum claui ferrei pe-
netrabãt carnem Christi, ferrũ pertransijt animam Christi?

Psal. 132. De Aaron dictũ est in Psalmo: Sicut vnguẽtum in capite,
quod descẽdit in barbam Aaron, quod descẽdit in oram ve-
stimenti eius. An non maiore cæremonia Christus in Ponti-
ficem inungitur: nõ vnguẽto delibutus, à capite in barbam,
& in totum corpus profluẽte, sed proprio sanguine à vertice
capitis ad vngues pedis in vniuersum perfusus?

Moses percussit silicem: & aquæ inde fluenta manarunt: quæ postea (vt Hebræi tradunt) ipsos Iudæos consequebantur: vt

stur: vt inde potantes nunquam sitim in via sentirēt. Quàm pulchra hæc fuit crucis prophetia. Percussit enim synagoga Christum, veram petram. Inde verè perennes manarunt fontes Sacramētorum nostrorum: è quibus Ecclesia nostra, quo ad sæcula fuerint, non solum potatur: sed fons in ea fit aquæ salientis in vitam æternam. Num. 20.

Cum populus Hebræus per deserti arenosa faceret iter: & à serpentibus, qui in eo loco abundabant, mordentur, ex morsu morte afficiebantur. Clamat ad Dominū populus tam præsentis periculi timore percussus. Iubet Dominus in ligno æneum erigi serpentem, quem qui intuebatur: etiam à vicina morte liberabatur. Quam ad amussim hæc veritati figura respondet? Hominum certè genus dum per mundi deserta peregrinatur, à peccatis, veris planè serpentibus, mordetur. Est verò tam virulentus ille demorsus: vt statim à vulnere, mortem homo demorsus patiatur. Clamabant maiores nostri, vt ab ea vastatione eruerentur. Misit ergo Deus Filium suum, qui suspensus in ligno, æneus erat serpes. Vt enim æneus serpens, serpens quidem videtur, veneno repletus: at quia æneus est, veneno caret: ita in cruce, Christus adeò vulneratus & percussus, peccator videtur (talis enim pœna non nisi nocentissimo culpæ veneno debebatur) at peccator non est, veneno culpæ caret. Est ergo suspēsus in ligno serpens, licet æneus. Omnis igitur qui viua fide, Christum in cruce perspexerit: etiam si iamiam morte peccati sit statim moriturus, non morietur. Qui enim credit in me, inquit, non morietur. Ioan. 4. Num. 21. Ioan. 3. Ioan. 11.

Quàm verò sapiēter disponit omnia Deus? Per serpentem ligno adhærentem mors vera in mundum introijt. Serpens enim Euam decepit. Per serpētem in ligno suspensum, vita figuratiua fuit vulneratis concessa. Per serpentem demum, æneum (figuratum tamen) vera vita mortalibus est tributa. Genes. 3.

Dum populus Hebræus ad terram Promissionis contendit, exploratores mittit: qui de terræ illius referant ingenio. Illi terra explorata, botrum vuarum in vecte suspēdunt: qui quàm esset illa terra fœcunda testaretur. Ita prædicatores Euangelici, qui sunt exploratores fœlicitatis æternæ, eius vbertatem enarraturi, Christum in crucis vecte suspensum demonstrent. Licèt enim crux in cœlesti gloria desit, botrus tamen in cruce suspensus, de cœlesti gloria descendit. Et ipse est qui eius gloriæ fœcundissimam abundantiam solus po- Num. 13.

test indicare. Et equidem Crucifixus est, qui qualis in cœlo sit charitas, iustitia, innocentia, & reliquæ diuitiæ supernæ, verè & certò mundo declarauit.

1.Reg. 17. Aperta etiam fuit Crucifixi figura Dauid contra gigantem armatus. Armatus, scilicet non fustibus & armis: sed solo baculo, & quinque lapidibus, in pastorali pera cōiectis. An non crux baculus fuit: & quinque in carne vulnera, quinque in pera lapides? his processit Christus in pugnam. Vno verò lapide tyrannum prostrauit: quia vna plaga sufficit totum infernum deijcere.

1.Reg. 16. Idem Dauid cytharā suauiter pulsans, dęmonium è Saule reijciebat. Ita Christus extēsis fidibus neruorum suorum, in armonico crucis nablo, suauissimè mundo cecinit, & canit: vt hoc cantu dæmones pellat è nobis, sed aures nostræ ei armoniæ obsurduerunt, quæ totum cœlum ad eam audiendam præuocauit.

Zachar. 3. Zacharias Propheta dicit: Ostendit mihi Iesum sacerdotem magnum stantem coram Angelo: & Satan stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei. Et Iesus erat indutus vestibus

Hebr. 5. sordidis. Apertè quidem Christus vocatur Iesus, & est Pontifex magnus, & eius caro suo sanguine fœdata, vestes sunt sordidę, quas prædixit propheta. Apertius verò ei Satan aduersabatur, videbat enim suum iam per Christū labefactari imperium. Stabat verò Satan à dextris: quia videbatur oculis mundi Christus deuictus, reiectus & deletus.

Iudith. 6. Meminit etiam historia Iudith, quòd Achior à gentibus fuit arbori religatus, ob vnius videlicet Dei confessionem. Is aperta fuit Christi figura.

Cantic. 2. Rursum Christo iam crucifixo, verū inuenit sponsa, quod tanto antea dixerat: Sicut malus inter ligna syluarum: sic dilectus meus inter filios. Profectò Christus inter duos latrones: & crux Christi, inter duas latronum cruces, malus est fructifera: inter spinosa ligna syluarum.

Cantic. 1. Christo iam crucifixo, reuera habet sponsa quòd optabat dicens: Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi: inter vbera mea commorabitur. Christus cruci ligatus, fascis myrrhæ non dispersus, sed ligatus est. Fascis myrrhæ est, quia totus est dolor: totus afflictio, totus morte, & nimia amaritudine plenus. Myrrha est in Christi capite, in oculis, in naribus, in ore, in barba. Neque vlla pars in Christo est, quæ non amaritudinem myrrhæ persentiat.

Sponsus

Sponsus dixerat: Surge amica mea, speciosa mea, & veni, columba mea in foraminibus petræ, & in cauerna maceriæ. Ergo petra (quæ erat Christus) habitura erat foramina. Maceria carnis Christi habitura erat cauernam. En Christus in cruce petra est, quæ quatuor foramina in manibus, & pedibus: innumera in capite, cauernam habet in pectore *Cantic. 2.* *1. Cor. 10.*

Idem spōsus dixerat: Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius. Profectò non fuit vlla in seculo palma, nisi crux. Omnes omnium seculorum homines diabolus deuicerat: nullus de diabolo plenam victoriæ palmam reportauerat. Solus Christus est, qui vnus pro omnibus (& omnes in eo) de diabolo triumphauit: ascendēs in cacumina palmę, id est, plenissimam referens de hoste victoriam: solusque amaros palmæ fructus apprehendit: dolorem, scilicet & mortem, vt nobis hæc dulcia efficeret. *Cantic. 6.*

O igitur fideles: Petra excisa iam est: venite, bibite. Vos inuitat Isaias, dicens: Omnes sitientes venite ad aquas & rursum: Haurietis aquas de fontibus Saluatoris. Sat scio, ex latere Christi sanguinem & aquam fluxisse, sed hic sanguis & hæc aqua vinum sunt: lac sunt, imò manna sunt, omnem habens saporem, & omnem possidens suauitatem. *Num. 20.* *Isaiæ 55.* *Isaiæ 12.*

Zacharias dicit: In illa die erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem: in ablutionem peccatoris, & menstruatæ. Eia igitur vos peccatores, eia vos quorum sunt menstruatæ iustitiæ, ad fontē accedite: vt ibi vestra peccata lauentur. Si enim fuerint peccata vestra, vt coccinum, si fuerint rubra, vt vermiculus: quasi nix, & quasi lana alba dealbabuntur. *Zachar. 13.* *Isaiæ 64.* *Isaiæ 1.*

In arca Noë facta fenestra est, per quam ingressus pateret saluandis, ne à diluuij aquis suffocarentur. In Christi humanitate non vna solum, sed multæ patent fenestræ, per quas saluari liceat, his qui ingredi volent: ne à curis huius seculi demersi, vitam æternam amittant. *Genes. 7.*

Fontes è paradiso egredientes totam ferè terram irrigabant. Fontes sanguinis e meliore paradiso, scilicet ex Christi humanitate scaturiunt: quibus anima (quæ terra sine aqua Deo est) irrigata fructus cœlo dignos producat. Quid enim non dignissimum, terra Christi sanguine fœcundata germinabit. *Gen. 2.* *Psal. 142.*

Interim silere non licet, quanto Christi dolore fuerint hi fontes, hæ fenestræ in Christi humanitate defossi. Quam

rem licet melius foret considerando sentire, quàm scribēdo explicare: vnum tamen verbum de re tanta est mihi dicendum. Arbitror ego breuissimo verbo Dauidem hūc Christi
Psalm. 68. dolorem in Christi persona mōstrasse: cùm dixit: Ego sum pauper & dolēs. Iam vt Christus summa fuit paupertate: ita fuit etiam summo dolore confectus. Eam enim in his regulam accepi vt verba quæ de Christo dicūtur, in summo gradu de ipso dicta existimarem. Ego igitur sum dolens, id est, summis doloribus, summe dolens. Quod explicauit aper-
Isaiæ 53. tius Isaias, dicens: Vidimus eum virum dolorū, id est, virum quem summè dolores angebant: quem summi dolores vehementissimè impugnabant. Apertius explicauit apud Da-
Psalm. 17. uid ipse Christus: Circundederunt me dolores mortis: torrentes iniquitatis conturbauerunt me. Dolores inferni circundederunt me, prœoccupauerunt me laquei mortis. Egregiè dicit dolores mortis: quia ab horti oratione, vsque ad animæ exhalationem: eum dolorē Christus sustinuit, quem qui moriuntur sentire solent. Id enim ille dixit: Tristis est
Matt. 26. anima mea, vsque ad mortem. Quod verò subdit, torrentes iniquitatis, arbitror maiorem dolorem intulisse Christo nostras iniquitates (quæ in torrentis modū inundāt) quàm suas afflictiones, quæ in maris modum ipsum circumibant. Quòd demum dicit: Dolores inferni (id est, propter eos qui ruunt in infernum) circundederunt me: id fuit quod acerbius Christum afflixit. Ergo cruciabant Christum vulnera, quibus supra modum vulneratus erat: cruciabāt nostræ iniquitates, quibus supra modum Deum offendimus. Sed (vt existimo) acerbissimè cruciabant infœlices illi, qui dolores
Trenor. 1. tantos sibi nihil prodesse voluerunt. Verè igitur dixit: Considerate, si est dolor, sicut dolor meus.

CAPVT VI.

Vestes Christi diuiduntur.

POstquàm crucifixerunt eum, diuiserūnt vestimenta eius sortem mittentes. Res tanta visa est Euangelistis hæc vestium diuisio, vt nullus eam tacuerit. Et equidem non nisi grande sacrilegium fuit: quòd vestes adeò sacratissimæ, manibus gentilium, eorúmque infimæ fæcis hominum tractarentur: nec id vtcumque, sed quòd ludi fortuna eas sibi vendicarent. Si enim eas sibi in sacras reliquias diuisissent, toleran-

tolerandum erat. Sed quòd sortium ludo, res tantas exponerent grauissimum fuit scelus.

Sed quid nobis hæc vestium diuisio monstrat? Primum, D. August. in Psalm. 21. dicit: Vestes Christi esse Ecclesiæ Sacramenta: tunicam verò esse charitatem. Porrò hæretici diuidunt sibi Sacramenta. Alij enim alia recipiunt, alia verò reijciunt: Charitatem verò diuidere nequeunt. Hæc enim nō diuisione alicui, sed Dei electione, & velut sorte cōtingit. Secundò idem August. in Psam. 44. Vestes Dei Ecclesiam esse dicit. Cuius rationē D. Gregor. in 6. Psalmum pœnitentiæ, hanc adducit. Quia sicut nihil est corpori veste vicinius, ita nihil est Christo sua Ecclesia coniunctius. Pergit Augustinus dicens: Quod sicut fœminæ, vestes & tunicam lauare solent, & extendere: ne maculam habeant aut rugam: ita Christus tradidit seipsum, pro Ecclesia, vt eam exhiberet sibi non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi. Hunc verò Ecclesię candorem ostēdit Dominus, cum in monte transfiguratus, vestimenta sua alba monstrauit vt nix. Ex his Lector habes Ecclesiam esse Dei vestimēta. At in Ecclesia quædam corporalia, (velut exteriora, & sicut palliū:) quædam sunt spiritualia: (vt interiora, & velut tunica.) *Ephes. 5.* *Matth. 17.*

Iam igitur collige quantum doloris Christus acceperit, vestes suas diuidi, & tunicam sortibus subiacere conspiciens. Intelligebat enim futurum: vt tyrāni diuisiones, & schismata in Ecclesia facerent. alijs dicentibus, ego sum Pauli: alijs, ego sum Apollo. futurum etiam: vt persequutionibus inualescentibus, alij Christiani, ab alijs diuiderentur: futurum etiam, vt bona Ecclesiarum temporalia sibi principes vsurparent, atque ista ratione, vestes Christi sibi diuiderent. An non erat hæc magna causa doloris? *1. Cor. 1.* *Actor. 7.*

Tum videbat futurum: vt dignitates & Pontificatus (quę sunt vestes Christi interiores) non diuina electione, sed fortunæ & forsan cartarum ludo adquirerentur. Quis non intelligit quantū illa tunicę sortitio, Christo dolore inflígeret.

Libet tamen adhuc, istam vestium diuisionem penitus introspicere. Psaltes diuinas concinnens laudes ita dixit. Confessionem & decorem induisti: amictus lumine, sicut vestimēto. Qui locus apertè docet vestem Christi exteriorem esse lucem: interiorem verò, (vt tunicam) esse cōfessionem, & decorē. Lux vero, vt Christus docet (cum discipulos suos lucē esse mundi dixit) autoritas est docēdi, & gubernandi po- *Psal. 103.* *Matth. 5.*

populum subiectum. Vt enim lux illuminat, & gubernat mundum: ita pontificalis authoritas, docendo illustrat, & influendo mundum fidelem gubernat. Ergo cum Christus suas diuidi vestes vidit, intellexit futurum: vt homines beneficia & præbendas, & dignitates, & pontificalem authoritatem, potentia velut militari, & sacrilegio velut gentili, sibi diuiderent. armis militiæ, non meritis vitæ ea sibi vendicantes: id verò acerbissimum Christo intulit dolorem.

Expectas forsan quid sit tunicam, (quæ est confessio & decor,) sortibus committere? Primum arbitror confessionem & decorem gloriam esse cœlestem: vbi Deus maxime in se decorus, maximeque sanctis confidendus, & laudādus conspicitur. Iam multi sunt ex Christianis iniquis: qui gloriam non ex operum sanctitate, nō ex vitæ merito: sed ex quodā casu, & ex quadam velut sortiūtur fortuna, à Deo expectant: Dicentes: Deus est misericors: in senecta, aut in morte: eam nobis fortunam, & eam velut sortem largietur: vt gloriam assequamur. Hoc igitur est tunicam Dei sorte expectare. Secundò existimo: quod cum Deū pro beneficijs ab eo receptis laudamus, glorificamus, & cōfitemur: tunc confessione

Psal. 113. & decore eum induimus. Cùm enim Sancti dicunt: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam: tunc Deum propria eius tunica vestiunt. Et cùm Paulus dicit:

1. Cor. 1. Non glorietur omnis caro corā illo: tunc iubet, vt caro Dei tunicam non sibi vsurpet: sed Deo fideliter reddat. Quid

1. Cor. 4. enim (inquit) habes, quod nō accepisti: & si accepisti, cur tibi gloriam vendicas, alienamque tunicam induis? Verba enim

Isaie 48. Dei sunt, gloriam meam alteri non dabo, quasi dicat tunicam, quam vestio, nemo alius induet. Ergo si gloriam fideliter Domino nō reseruas, sed tibi eam vsurpas, id planè est, super tunica Domini sortiri. Sorti enim & fortunæ tribuis, quod erat Deo tribuendum, & à sorte seu fortuna, habere te credis, quod reuera à Domino suscepisti, à quo si crederes te accepisse, fideliter non tibi, sed illi gloriam & deco-

1. Cor. 4. rem restitueres. Quid enim gloriaris, quasi non acceperis?

CA-

CAPVT VII.

Titulus causæ cruci affigitur.

Imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam: IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM. Meritissime lex illa à Romanis lata erat, vt super damnatis, damnationis causa scriberetur: vt iudici neminem immerentem damnare liceret. Et omnibus pateret, quam esset à Iudice iure lata damnatio. Causa ergo quare a Pilato Christus damnatur, est. Quia est IESVS. & quia Nazarenus. & quia Rex est Iudeorum. vt meritò tibi persuadeas, non casu eum titulum scriptum, sed Spiritu sancto inspirante, in mente Pilato venisse. Se lege rem explicemus. Primum Christus morti adiudicatur, quia IESVS est. Sanè Angelo docente didiscimus: ideo Christum IESVM appellatum, quia (inquit) ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum. At quomodo saluum faciet, nisi pro peccatis nostris pœnam solueret quam merebamur? Ipse enim dixit: quæ non rapui tunc exoluebam. quomodo rursum pœnam quam totius mundi peccata merentur solus ipse soluet, nisi morte turpissima condemnatus, acerbissima perferat tormēta? Enimuerò si maxima peccata nostra, maximos merentur cruciatus: hos perferat oportet, qui hos soluere decernit. Ad hoc enim significandum, sine sanguinis effusione, olim nō fiebat remissio. Spiritu sancto prænuntiante. quod non sine sui sanguinis effusione Christus nos esset à peccatis erepturus. Et rursum: non olim remittebat Deus peccata nisi hostia in holocaustū ei esset oblata. Debuit igitur Saluator IESVS hostiam in odorem suauitatis offerre, non aliam quam seipsum: ad destitutionem peccati, & salutem populi sui. Damnatur ergo: quia IESVS, id est, Saluator, Christus enim oblatus est semel, ad multorum exhaurienda peccata. *Lucæ 7.* *Psalm. 68.* *Sapien. 2.* *Hebr. 9.* *Ibidem.*

Porrò quia IESVS Naue. (qui & Iosue dictus fuit,) non solum dictus est Saluator Iudæorum: quia dux eorum erat, sed quia eos in terrā promissionis induxit: ideo & Christus nō solū Saluator dicetur, quia soluit pro peccatis: sed etiam quia nos in regnum adduxit æternum. Porrò Pontifex legis antiquæ non intrabat in Sancta Sanctorum, nisi velamine templi sublato. Sicut nec Iosue terram promissionis ingreditur, nisi Iordane percusso, & velut sublato. Ergo & Christus si nos in Sancta Sanctorū inducet, suū percutiet Iordanem, *Iosuæ 1.*

suum auferet velamen: hoc verò velamē, caro eius est. Igitur si ipse, & nos in ipso, Cœlum sumus ingressuri, caro Christi percutienda est, & auferenda. Si ergò Saluator est, morti ad-
Hebr. 10. iudicandus est. Habet hæc omnia Paulus, dicens: Habentes fratres fiduciam in introitu Sanctorum, in sanguine Christi: quam nobis ille initiauit viam nouam & viuentem per velamen, id est, carnem suam, & Pontificem magnum super domum Dei, accedamus, &c. Audisne Lector, Christum per velamen, id est, per carnem suam, in Sancta intrasse? Si carne sublata ingressus est in cœlum, ergo, quia Saluator est, damnatur. Neque ociose legas verbum illud Pauli: Habentes fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi. Vt enim Pontifex antiquus, non intrabat in Sancta Sanctorum sine sanguine bruto: ita nec Christus debuit in cœlum se & nos subuehere, sine sanguine suo. Igitur si Saluator est, qui suos in cœlum adducit, ad sanguinem fundendum damnatur. Damnatur ergo quia IESVS.

Secundò etiam damnatur quia NAZARENVS. Nazarenus enim significat flos, seu germen, seu virgultum. An non
Isaiæ 53. tibi venit in mentem illud Isaiæ: Ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti, non est ei species neque decor. An non vides Christū esse in passione virgul-
Eodem. tum, de quo Isaias cecinit, quod esset virgultum de terra sitiēti sine decore, sine specie. Rursum Spōsa Dei, est Christi sacra humanitas. At sponsus de sua cecinit sponsa: Sicut
Cantic. 2. lilium inter spinas: sic amica mea inter filias. Erat igitur Christi humanitas flos lilii, inter spinas tamen. Si ergo Christus virgultum est, si flos est, dānatur: vt sit flos inter spinas, vt sit virgultū de terra sitienti. Merito igitur in dānatione,
Isaiæ. 40. Nazareni mētio fit. Et profectò Isaias dixerat: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius vt flos agri: exiccatum est fœnum, & cecidit flos, quia spiritus Domini sufflauit in eum. Verè omnes mortales fœnū sunt. & verè omnis mortalium
Psal. 21. gloria Christus est: Quia igitur mortales qui erant fœnum, propter peccatum exiccati sunt (aruit enim eorum virtus, sicut testa) necesse fuit Christum (qui flos erat) cadere in Crucem & mortem. Cecidit igitur, quia spiritus Domini
Matth. 4. sufflauit in eum. Vt enim ductus est a spiritu: vt tentaretur à diabolo: ita insufflatus est ab eodem spiritu, vt à Pilato in mortē dānaretur. Ergo flos siue Nazarenus a Pilato dānatur.

Tertiò damnatur quia Rex Iudæorū. Memini me legisse, quod

quod cùm Iudæi à Samuele regē efflagitarent: ita dixerunt. Regem habere volumus, vt egrediatur ante nos: & pugnet bella nostra pro nobis. Ergo si rex Iudæorum, ante eos egreditur, vt pro Iudæis, eorum loco pugnet: hostium tela, hostium tormenta, hostium plagas, vulnera, mortem, in se recipiet, ne illi illa recipiant. Mortem ergo quam nos merebamur, Rex noster pro nobis recepturus, a Pilato damnatur. Hoc verò est quod ipse dum comprehendebatur ad hostes respōdit. Si me quæritis: sinite hos abire quasi dicat: Rex sum istorum: volo vestra vulnera, illorum loco suscipere: Ideo enim dictum est: Saluator ponetur in ea murus, & ante murale. Vt videlicet, tormenta quæ hostes ad ciuitatem, expugnandam contra ciues projiciunt, Saluator (qui positus est vt murus, & vt ante murale) prior in seipso suscipiat. Profectò ante paradisum Angelus positus est, versatili gladio arcens ab ostio paradisi. Si igitur Rex noster in paradisum nos adducturus, ante nos vadit, gladij vulnera in se debet excipere. Vt in se aciem gladij hebetans, tutum paradisi nobis aditum efficiat.

1. Reg. 8.

Ioan. 8.

Isaiæ 26.

Genes. 3.

CAPVT VIII.

Crucifiguntur cum Christo duo latrones.

TVnc crucifixi sunt cū eo duo latrones: vnus à dextris, & vnus a sinistris. Vt qui in cœlo est in medio diuinarum personarum: in Caluaria sit in medio sceleratissimorū latronum. Et qui in cœlo adoratur vt Deus: in Caluaria reputetur vt latro. Habent in Regum historia huiuscemodi verba: Dauid sedés in cathedra, sapientissimus princeps inter tres, & ipse quasi tenerrimus ligni vermiculus. qui vno impetu occidit octingentos. Iam quis ignoret, Christum in Cruce, velut ex cathedra mortales omnes docuisse? Nullus vnquam ex cathedra ita discipulos docuit, vt Christus ex cruce. Ergo Christus in Cruce, & Dauid in cathedra. Quis verò est adeo rudis, qui nesciat Christum fuisse in Cruce Sapientissimum? Certe vt qui esset Sapientia Patris. erat ergo in Cruce Sapientissimus inter tres. Vnus scilicet ex tribus. Igitur Dauid medius sedet inter duos principes. Christi cruci affixus medius est inter duos latrones.

2. Reg. 23.

1. Par. 11.

Quod verò addit: Ipse tenerrim⁹ ligni vermiculus magna id con-

id cōtinet mysteria. planè, vt vermiculus ligni, (licet tener) lignum tamen intus corrodens, ex grauissimo, leuissimum reddit: ita Christus licet infirmus & dolens. Crucem tamen

Galat. 6. ex grauissima leuissimam effecit, adeò vt Paulus dicat: Mihi absit gloriari nisi in Cruce. Videns quàm leuem Christus Crucem reddidit! Tum vermiculus ligni licet corpore tener, ore tamen velut ferreus est. Quo indicatur, quod licet Christus in cruce tener fuerit at ejus os ferreū erat, eo enim tūc damnabat, & olim in iudicio omnes damnabit iniquos.

Matt. 25. Vno siquidem suæ maledictionis verbo non octingentos solum, sed quotquot impios omnia secula pepererunt, morti adiudicabit æternæ.

Lucæ 10. Patere lector, si vnum hic verbum addam Descendit quidam ex Ierusalem in Hiericho: incidit in latrones, qui cum expoliauerunt, & semiuiuū reliquerunt. Descendit Christus ex Ierusalem cœlesti, in Hiericho vanitatis & varietatis seculi nostri. Quid igitur expectas: nisi quod nūc inter latrones constitutus, expolietur, & semiuiuus relinquatur? Planè semiuiuus: qui ex Deitate viuens, ex humanitate moriebatur. Et equidem latrones illi, inter quos Christus consistit, alios sæuiores significabant latrones, scilicet peccata nostra: quæ veri sunt latrones, suū Deo honorem auferentes: vitam ablaturi si possent: imò vitā ei in nobis (quatenus possunt) auferentes. Nostra ergo peccata sunt latrones sæuissimi, qui Christum de Ierusalem descendentem, vestibus, imò & propria pelle expoliarunt: & semiuiuum reliquerunt. Mortuus enim fuit, licet tertia die resurrexerit.

Porrò quod vnus latronum sinister sine pœnitentia mansit, significabat, futurum: vt multa peccata essent sine pœnitentia mansura. Id verò fuit quod summū Christo afferebat dolorem. Non tantum dolorem sputa, spinæ, flagella, Crux ipsa, & mors Christo intulerunt: quam quod nostra peccata (per leuum significata latronem) crucis beneficio non fruerentur. Quantum igitur refrigerij dexter Christo attulit latro: tantum, & nescio an multo plus summæ afflictionis, sinister attulit ille sceleratus.

Demum hîc attentissimè notabis: quā difficilè qui vitam in sceleribus egerunt, in morte conuertantur. Ecce enim in die summæ misericordiæ, in die quo Christi viscera patebant: in die & hora qua Christus cum sanguine misericordiam pluebat: vnus tātum ex duobus, qui eatenus scelerate vixe-

vixerant, ad Dominum conuertitus. Quid igitur similes sperent iniqui? Profectò verum est, & verum erit, quod mors peccatorum (id est, eorum qui in peccatis vixerunt) erit pessima. sicut contra, pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum eius. Psalm. 33. Psalm. 115.

CAPVT IX.

Christus ab omnibus deridetur.

STabat populus expectãs, & deridebant eum principes cum eis. Lucæ 23.
Nullus vnquam mortalium adeò derisus est, vt Christus. Deridebat eum populus qui aderat. deridebant eum principes, qui facinus patrauerant deridebant prætereuntes. (erat enim per eum locum publica via.) deridebant milites, qui crucifixerant. deridebant latrones, qui erant cum Christo crucifixi. Impleta est ergo prophetia. omnes videntes me deriserunt me: loquuti sunt labijs, & mouerunt caput. Et alia prophetia: Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Et alia: Desiderauimus eum despectum, & nouissimũ virorum. Et rursum: quasi absconditus est vultus eius: & despectus. vnde nec reputauimus eũ. Et item: Ego sum factus opprobrium illis, viderunt me, & mouerunt capita sua. Et illud: Propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem. extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ. Psalm. 21. Eodem. Isaiæ 53. Eodem. Psalm. 108. Psalm. 68.

Sustinuit figuram Christi despecti, ille Samson, in ludibrium & abiectionem infidelium abductus. Fuit etiam eius derisionis figura Semei, Dauidem à suo filio regno pulsum deridẽs, & despiciens. Fuit etiam alia figura Christi despecti Patriarcha Noë, ex vino nudus, in suo lecto recumbens: à filio Cham contemptus & derisus. Sed quod Cham ludibundus derisit, boni filij adorabundi venerantur. Ita planè quod impij Hebræi, & inscij gentiles, in Christo deriserunt: nos Christiani proni adoramus, & veneramur. Scimus enim non ex impotentia Christum nudatum in lectulo crucis: sed ex amore perpetuo, quo sicut vino, ille Pater futuri seculi inebriatus fuit. 2. Reg. 16. Genes. 9. Ierem. 31. Isaiæ 9.

Erat verò tanta deridentium cæcitas, tantus furor & insania, vt se viscera illa pijssima minimè continerent, quin Patrẽ rogarent æternum: vt ignosceret illis, qui quod facerent nesciebant. Alioquin nisi in eo articulo veniam miseris

Christus postulasset, fulmine in æternas tenebras à Deo irato, fuissent illi pestilentissimi homines adacti. Sed tam iustum Domini furorem, tam blanda Christi temperauit
Lucæ 23. oratio. Et iamiam sæuituram iram, in magnam conuertit misericordiam, quæ paradisum dedit pœnitenti latroni: lu-
Eodem. men dedit prius obcœcato Cēturioni. pœnitentiā dedit delusæ plebi. nā reuertebantur, inquit, percutiētes pectora sua.

Neque verò credas, tunc solum Christum fuisse derisum. Dic te obsecro: à quo nunc non Crucifixus deridetur? Quis est qui amet tormenta, iniurias, opprobria, Crucem? Vbi est
Galat. 6. tempore nostro Paulus aliquis, qui dicat: absit mihi gloriari nisi in Cruce? Sat Video, Christū adoramus gloriosum, sed despicimus, fugimus, abhorremus Crucifixū. Illi placeat, vt sicut veniam tunc suis derisoribus, vt nescientibus impetrauit, ita & nunc magis ignorantibus impetret.

Sed quis dubitet, quin veniam sit inuenturus, quàm fideliter quis postulauit: quando Christus eam non postulātibus tam misericorditer à Patre postulauit, & tam efficaciter impetrauit?

CAPVT X.

Tenebræ fiunt super terram.

Matt. 27. A *Sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terrā.*
Lucæ 23. Sol enim obscuratus est. Quam obscurationem prædi-
Isaiæ 13. xerat in hæc verba Isaias: Obtenebratus est Sol in ortu suo. Luna non splendebit in lumine suo. Visitabo super orbis mala: & cōtra impios iniquitatem eorum, quiescere faciam superbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo. Certè in die iudicij visitabit Dominus orbem, in his qui habitant orbem: at in die Crucis, visitauit orbis mala in Christo, orbis conditore. Puniuit enim Deus nostra mala in Filio suo. Tunc omnis ratio postulabat, vt omnis nostra quiesceret arrogantia: siquidem vidimus Christum tantopere humiliatum. in illo ergo die, quādo visitauit Dominus nostra mala in Christo, Sol obtenebatur in ortu, id est, antequam ad meridiem veniret. Siquidem ante meridiem fuit Christus Cruci confixus.

Iam si vastato Pharaone, voluit Dominus Solē illi vastitati condolere, stellas cōpati: quanto potius id velle debuit,
Ezech. 32. Christo Filio suo iamiam expirante. Ita verò habet ad Pharaonem

raonem Dominus: Cùm extinctus fueris operiā cœlos, nigrescere faciam stellas, Solem nube tegam, omnia luminaria cœli mœrere faciam super te. Si omnia luminaria mœrent super Pharaone, quanto potius super Christo?

Sed age, memor esto verbi Domini: quod in fine mundi, cùm iam penitùs mundus erit cessaturus, Sol obscurabitur. Quid igitur miraris, si in morte Christi, quando mundus cœpit labefactari, etiam Sol obscuratus fuerit? Profectò in Christi morte, pijs hominibus mūdus crucifixus est, eius errores deiecti, eius idola confracta, eius pompa contempta. Cœpit igitur tunc mundus languescere, quo erit languore moriturus. *Matt. 24.*

Et illud attende: Ante mundi primæui conditionem, dicitur: Tenebræ erant super faciem abyssi. præcesserunt ergo corporales tenebrę mundum corporalem. Rursum: cùm lex ferebatur antiqua, tenebræ legem præcedunt, igitur vt lex Moysi veniebat post tenebras, & mūdus corporalis succedebat tenebris: ita tenebræ illæ per totum orbem diffusæ, nouam legem aduētare significabant: nouumq; orbem veteri succedere arguebant. Dicebat enim Sanctus ille: Post tenebras spero lucē. Igitur post generales tenebras, quæ omnem terram obscurabant speranda erat, post Christi mortem generalis lux, quæ generaliter omnem terram illustraret, & nouus item orbis, qui veteri, meliore sorte succederet. *Genes. 1.* *Exod. 19.* *Iob 17.*

Sed nota quod in Genesi narratur: Sacrificante, (inquit,) Abraham vaccam illam trimam: cùm Sol occumberet, magnus horror Abrahamū inuasit: quia intellexit, quod semen suum futurum esset in AEgypto peregrinum, vbi esset miserè affligendum: sed tandem, cùm magna esset substantia, in terram promissam rediturum. Abraham vaccam offerens Christum significabat: carnem suam in Cruce sacrificantem. Solis ille occubitus significabat Solis in tēpore passionis obscurationem. In ea verò obscuratione magnus horror Christum inuasit, magna angusti & afflictio, adeò, vt præ dolore clamaret: *Quid dereliquisti me?* Videbat enim Christianos suos in hoc mundo peregrinaturos, à mundo affligendos licet cum magna substantia essent in æternam fœlicitatem redituri. Quid verò miraris, si tunc Christus intelligens grauissimas suorum in mundo persequutiones, infœlicissimos casus, ad Patrem exclamarit: Quid me in meis dereliquisti? *Genes. 15.*

CA-

CAPVT XI.

Christus magnam vocem emittit.

C*Irca horam nonam clamauit IESVS voce magna.* Vox illa,
clamorque magnus fuit: Pater in manus tuas, com-
mẽdo spiritum meum. Quod in persona Christi Dauid ante
Psalm. 30. prædixerat, in hunc modum: In manus tuas Domine com-
mendo spiritũ meum, redemisti me Domine Deus veritatis.
Docens virum iustum tunc verè à miserijs redimi, cùm
moriendo, in manus Domini suum spiritum commendat.
At primùm Christus docuit, magna voce, magno nisu, esse
in tempore mortis clamandum: vt Dominus spiritum susci-
piat nostrum. Ibi enim iacitur vitæ alea, ibi agitur de capitis
periculo, ibi cœlum nobis, gloria, Deus periclitantur, in eo
puncto totius nostræ salutis cardo versatur. Clamet igitur
magna voce, qui se in magno periculo videt: voxq́; magna
magnum excitet Deum, vt magno auxilio adcurrat, in ma-
1. Petri 5. gno periculo laboranti. Si enim vnquam aduersarius noster
diabolus circuit sæuissimus, quærens quem deuoret, in mor-
tis tempore circuit. Si verò vnquam diuinum præsidium
necessarium est, in tẽpore mortis est. Sapienter enim Dauid:
Psalm. 70. Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.
In altero Tomo. Tum & illud attẽdendum: Si (vt Simon Cassiensis dixit)
Christus suum Patri commendans spiritum, omnium ho-
minum spiritus etiam commendauit: an non fuit necesse, vt
magnam vocem emitteret, quà Patrem tam grandi voce
inclinaret: vt nostros haberet spiritus commẽdatos? Oratio
Eccles. 35. iusti, quia grãdis penetrat nubes. Oratio igitur Christi, quia
maxima, nubes cœlos, & cor Patris penetrauit, & in eius
Ioan. 10. manus spiritus nostros deposuit. Non ergo rapiet eos quis-
quam de manu Patris. Pater enim qui eos habet, maior
omnibus est. Proximus morti Christus his Patrem verbis
Ioan. 17. orauit. Iam non sum in mundo: & hi in mundo sunt, & ego
ad te venio. Pater sancte serua eos, quos dedisti mihi. Ego
enim cùm essem cum eis, seruabã eos. Si cùm morti vicinus
est, spiritus nostros ita Patri commendat: cùm iam animam
efflat, an non est consentaneum eos ardentius commẽdare?
At quia Pater nos nostrorum peccatorum causa exosos
habebat, noluit nos Christus nominare nostro, sed suo Pa-
tri commendare, ideo non dixit, meorum discipulorum
spiritus, sed meum spiritum tibi commendo.

Clamat etiam Dominus voce magna iamiam moriturus vt nos desides, iacétes, somniculosos, imò & mortuos ad tã incredibile miraculum aspiciendum, excitaret, quale erat, quòd Christus moreretur, vita moreretur, Deus moreretur. Clamat cum moritur, vt attendamus eam mortem, quæ mortem nostram destruxit. Eam mortem quæ fuit mortis mors, que fuit morsus inferni. Clamat, vt attendamus eum, qui moriebatur pro peccatis nostris, resurrecturus propter nostram iustificationem In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, vt viuorum & mortuorũ dominetur. Clamat, vt attendamus, quia si Christus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Vt & qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro omnibus mortuus est. An non meritò Christus clamat, vt spectaculum illud inspiciamus: quo nullum neque fuit, neque erit in orbe maius? *Oseæ 13.* *1. Cor. 15.* *Rom. 14.* *2 Cor. 5.*

Clamat item, vt voce illa sua terribili prædam infernus dimitteret, quam tot antea seculis tenacissimè in faucibus tenebat. Clamauit Dominus magna voce, cum Lazarum ab inferni dentibus eripiebat: quãto maiori voce erat clamare necesse, vt fera illa truculentissima, terribili clamore deterrita, vinctos quos in lacu premebat liberos esse permitteret. Duo enim esse in orbe fortissima Sponsa docet in Canticis: Mortem scilicet & infernum. Ita enim ait: Fortis sicut mors dilectio: dura sicut infernus emulatio. Si igitur infernus erat deterrẽdus (bestia illa fortissima) grãdi erat voce terrendus. *Ioan 11.* *Zach. 9.* *Cantic 8.*

Demum magna voce clamat, quasi diceret, ò surdi mortales, hactenus vos docui, hactenus prædicaui, hactenus clamaui. Iã me non estis amplius audituri, neque predicantem, neque clamãtem. Clamans nunc morior: Vt vnicus hic clamor in auribus vestris perseueret: qui vos scilicet admoneat vt caueatis peccata. Ea enim mortis huius causa fuere, qui admoneat vos ad vigilandum, ad bene viuendum, ad gratias immortales agendum, ad summo amore diligendum, summo studio laborandum, ad omnia mala cauenda, omnia bona præstanda.

Arbitror ad hunc clamorem monumenta aperta fuisse, terram tremuisse, lapides sese concidisse, demones obtupuisse, infernum contabuisse: nunquam enim similis vox vnquam audita in orbe fuerat. Transuerberauit vox illa cor pijssimæ matris: quæ tunc iuxta Crucem stabat, memoriæ tunc verbum illud Simeonis reuocans: Tuam ipsius animam per- *Ioan. 15.* *Lucæ 2.*

transibit gladibus. Planè eo articulo gladius virgineam animam transibat & pertransibat: verberabat, & transuerberabat. Percussit vox illa grandis omnium adstantium corda. Omnesque vultum ad Christum clamantem vetterunt: videruntque eum, quòd caput inclinabat, quodque inclinato capite tradebat spiritum.

CAPVT XII.

Christus expirat.

INclinato capite tradidit spiritum. Vt beatissima Virgo, eademque pijssima mater Filium suum expirasse conspexit: continere se nō potuit, quin pijs lachrymis laxaret habenas. Cœpit flucta lachrymarum effundere, cœpit ex intimis visceribus luctuosissima trahere suspiria, cœpit ex acutissimo dolore maternos ac ideo acerbissimos expromere gemitus: illud tacita, sed miserabili oratione subinde repetēs: Fili mi

2.Reg.18. IESV, IESV Fili mi, quis mihi det, vt ego moriar pro te? Vbi verò fœminæ circunstantes, & Christum vident defunctum, & matrem aspiciunt tam iustis lachrymis terram irrigantem: cœperunt & ipsæ collachrymari: cœperunt plangere, clamoribusque aërem & cœlum concutere. Id vbi viri cuncti conspiciunt, imperare sibi nō potuerūt, quin lachrymis vultus irrigarēt: & ex barba vbertim lachrymæ defluerent. Factus est igitur eo loco planctus multo luctuosior,

Genes. 50. quàm fecerūt AEgyptij super defuncto Iacob, patre Ioseph. Factus est planctus magnus, qualis fieri solet in morte pri-

Zach. 12. mogeniti. Ita enim vaticinatus fuerat Zacharias. Aspiciēt in eum quem confixerunt: & plangent eum planctu quasi super vnigenitū: & dolebūt super eum, vt doleri solet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Ierusalem. Sicut planctus Adadremon, in campo Maggedon. Non habuit Propheta planctum alium cui planctū Crucis compararet: nisi funestissimum, & luctuosissimum planctum, quo totus populus planxit Iosiam, regem sanctum, patrem patrię, Reipublicæ reparatorem, legis diuinæ zelātissimum. Is occisus fuerat in campo Maggedon, qua causa vniuersus

2. Paralip. 35. Iuda, & Ierusalem luxerunt eum, Ieremias maximè. Cuius omnes cantores & cantatrices, vsque in præsentem diem lamentationes super Iosia replicāt. Quæ verba, vt ego existimo ideò scripta sunt, vt lamentationes super IESV, (vero

Iosia,)

Iosia,) nos etiam replicemus. nostrique cantores inter viros, & cantatrices inter moniales, threnos illos, & lamenta repetamus.

In Reuelationibus S. Brigidę scribitur, huic sanctę reuelatum fuisse, quòd in hora mortis Christi omniū hominū corda subitus inuasit dolor. Vt nullus in orbe aut vir esset, aut fœmina quæ in eo tempore non vehementer doleret: licet doloris causam ignoraret. Quod mihi nimis videtur probabile. Cùm enim Christus sit omnium hominum caput, quis non intelligat capite dolente, imò moriente, reliqua membra doluisse, imò extabuisse, & morti proxima fuisse? Si enim lapidum viscera (si ita fas loqui est) commota sunt, & suum dolorem propria fractione monstrarunt, si terra conceptum dolorem ferre non valens, eum suo tremore manifestauit. Si Sol luctum suum, radiorum amissione hominibus ostendit: quid miraris si etiam hominum viscera in sui regis, patris, ducis, pastoris, prædicatoris, fratris, amici, demum Dei condoluerint, gemuerint, & lachrymas sua spontè profuderint: Liceat mihi per te Lector id etiam existimare. Quod scilicet in eo mortis Christi tempore, sicut saxa scindebantur, ita arbores virore deposito marcida folia demittebant. Aues volatus suos amittebant. Pisces natare fastidiebant, flumina grauatè & velut dolenter fluebant: nihilque erat quod vt poterat dolorem interiorem exterius non manifestaret.

Et ecce velum templi scissum est. Liceat mihi per te, pie Lector, Christi post mortem miracula & sepulturam per capita prosequi, vt sacram eius passionē sum antè prosequutus.

CAPVT I.

Velum templi scissum est.

ET velum templi scissum est medium. Legitur in Isaia, quòd Deus sederet in throno excelso, super templo. quodque ea quæ sub ipso erant (scilicet vestes) totum templum operirent. Finge igitur, te animo videre Deum æternū, in templo illo Ierosolymitano sedentem. Cuius vestes velent, tegant, protegant templum illud toto orbe verendum. Iam vbi Pater æternus in templo suo inhabitans Christum mori vidit, facinus exhorrens vestes suas, (id est, velum templi,) *Isaia 6.*

discidit. Quo simul factum est: vt templum olim veste Dei æterni munitum, iam nunc sine tectura, sine protectione, & sine ornamento remaneat. Et profectò, si Dauid, Saulis
2. Reg. 1. & Ionathæ mortem audiens, sua discidit vestimenta, (eo argumento indignitatem mortis illustrium virorum exhorrens) quanto potius Pater æternus mortem Filij sui indignissimam, indignissimè ferens, vestes suas, quæ velum templi erant, rescindere debuit?

At verò vbi Pater æternus vestes suas discidit: necessariò, quæ in ipso erãt occulta, reuelauit: & equidem, vt velo disiecto, quæ sunt occulta templi, sunt facta manifesta: ita velo disiecto quę erant occulta Dei, iam esse patentia: & quę erãt
1. Tim. 6. inuisibilia, iam posse videri: & quæ erant inaccessibilia, iam adiri posse, monstratur. Patent ergo mortalibus viscera Dei, & volẽtibus Deum videre, post Christi mortem, fas erit videre: ex parte siquidem Dei, iam nullum est quod obstaculo sit impedimentum. Olim opposuerat Deus sibi nubem ne trãsiret oratio, quanto potiùs ne transirent orantes!
Trenor. 3. Iam per mortem Christi omne impedimentum sublatum
Lucæ 16. est, nullum chaos est, fas est nobis ad Deum, & Deo ad nos venire.

Secundò, sicut Moses laturus legem, velo obtexit faciem suam, non enim sine velo carnales Iudæi in Mosi faciem in-
Exod. 34. tendere poterant: ita & velo templum Dei erat obtectum: quia sine velo Iudæis in templũ ingredi, fas non erat. Equidem cæremoniæ illæ, sacrificia, & ritus Iudaici velum erãt: quo res spirituales, & vita Christiana, seu potius cœlestis & diuina tegebãtur. Omnia enim in figuris contingebant illis.
1. Cor. 10. Vt ergo significaretur non esse nobis seruiendum Deo no-
Ioan. 4. stro in cæremonijs, (quæ spiritum & veritatem figurarent) sed quod adorandus esset in spiritu & veritate: ideo templum velo nudatur, id est, omnis illa Deo, in cæremonijs & figuris, seruiendi ratio nudata est. Seruiendũ est in spiritu & veritate, quam eatenùs velum cæremoniarum operiebat.
Hebr. 10. Tertiò, Paulus dicit: quòd Christus initiauit nobis viam nouam & viuẽtem per velamen, (id est, carnem suam,) quo loco multa resplendent mysteria. Primũ, sicut velum templi tegebat Sancta Sãctorum: & cœlum hoc quod videmus tegit nobis gloriã Dei, quam expectamus: ita caro Christi tegebat gloriam & Deitatem Verbi: quam sacratissima Christi anima clarè videbat. Ergo velum scissum significauit

Sancta

Sancta Sanctorum iam esse sine velo, & gloriam Dei esse item sine velo. Diuisa igitur caro per mortem ab anima & velum templi scidit, & Deitatem limbo monstrauit, & cœlum patere cunctis ostendit. Colligo ex his: in morte Christi omnia fuisse vela disrupta. Caro enim Christi (velum gloriæ Christi,) est clauis & spinis diuisa. velum templi, arcam Dei velans, diuisum est. Cœlum item apertum. Ergo via ad Deum omnibus patet. Secũdò, Sicut sine mora, in eodem puncto, quo caro est ab anima Christi disiuncta, est gloria Dei Patribus Limbi monstrata: ita sine mora, cuiuis ab hoc seculo discedenti est eadem gloria monstranda: nisi ipse sibi impedimento fuerit, ne tanta gloria monstretur, id est, nisi peccatũ adduxerit, quo illa gloria priuetur. Tertiò, ostensum est: quod sicut via, qua Christus sibi gloriã corporis, nobis verò gloriam & corporis & animæ cõparauit, fuit sui lacerrimi corporis mors, tormenta, dolores, quos in Dei Patris sui gloriã tolerauit: ita via noua, & viuifica ad gloriã nobis comparandam illa etiam erit: Si scilicet compatimur: vt simul conglorificemur. Quartò edocti sumus: quòd sicut nullatenus erat via, quà quis in Sancta Sanctorum ingrederetur, nisi per velum tantũmodò: ita nullatenùs est via qua quis in cœlum ingrediatur, nisi per carnem Christi dumtaxat, id est, per virtutem eius passionis, quam Christus in carne sustinuit. Ergo in carne Christi ianuæ, & ostia facta sunt, per quæ nos in cœlum intrare possimus.

CAPVT II.

Terra mota est.

ET *terra mota est*. Indicium quod in aliquem locum venerit Dominus, terræmotus est. Ita enim habemus: Cum orassent, motus est locus & repleti sunt omnes Spiritu sancto. Aduẽtus ergo Spiritus sancti terram mouit. Et rursum Paulo & Sila orantibus, veniens Deus eos cõsolaturus, terræ motus factus est magnus. Qua ratione cùm Angelus venit lapidem ab ostio monumenti sublaturus, terræmotus magnus factus est. Existimo igitur, quod quia mors Christi Deum hominibus absentem, hominibus conciliauit, & fecit esse præsentem: vt videlicet iam esset nobiscum Deus: ideò terra in Christi morte cõtremuit. Erat longè olim, ab hominibus salus: at per Christi mortem, Deus nobiscum est vsq;

Actor. 4.
Actor. 16.
Matt. 28.

ad consumationem seculi: Erat olim longe à nobis: at per
Matt. 28. Christi mortem, habitat gloria in terra nostra. Iam enim
Psalm. 84. nulla natio tam grandis est, quæ Deos sibi habeat appropin-
Deut. 4. quantes, quàm est natio Christiana. Tremuit ergo terra, Dei gloriam ad se venisse testata.

Iam verò nescio, an & hæc terræmotus causa fuerit. Sanè per Christi mortem terra nouis legibus, nouo cultu, nouis præceptis arctissimè subijcitur: at quis non timeat, quis non exhorreat tale subire iugum, tale sibi imponere onus, qua-
Matt. 11. le Christianum est? Planè onus Christi leue est, & iugum suaue: sed non nisi amantibus. at quam sunt amantes
Michææ 7. pauci? Quid miraris ergo si terra tremuit, nouam le-
Ioan. 3. gem subitura? Quid terra, nisi terra est? Quid verò lex, nisi
Rom. 8. cœlum? quid terra, nisi caro, nisi fœnum? quid lex, nisi spiritus, nisi sanctitas, nisi iustitia? Quid ergo non timeat caro, spiritus fieri iussa? quid non tremat terra cui vt cœlum sit, in
Rom. 7. Christi morte præcipitur? Lex quidem sancta, iusta, & bona.
Psalm. 118. Ego verò carnalis sum, venundatus sub peccato. Tu mandasti, inquit, mandata tua custodiri nimis. Quæ si non nimis custodias: nimis, hęu nimis æterna morte puniêris. An non æquum est vt terra tremat, nouam in Christi morte legem
Hebr. 10. susceptura? Tremunt Iudæi, tremit & Moses: illi legem suscipientes, hic ferens: & non tremet terra legem suscipiens, quam vt legislator seruaret, diem vltimum in Cruce finiuit?
Matt. 24. Tremet terra in fine mundi iudicanda: & nõ tremet, quãdo legem suscipit, per quam erit in iudicio examinanda?

Tertiò ostendit terra, quid in morte Christi essent iniqui facturi: planè maior terræ pars iniquorum est. Ideò enim di-
Apoc. 8. citur: Væh habitatoribus terrę. Iam si impij vidẽt Christum innocentem, pro alienis peccatis tam acerrimè cruciari, tam indignè mori: an non iustũ est, vt tremant, vt horreant, vt tabescant: expendentes: quomodo nocens punietur pro culpis suis, quando innocens ita punitur pro alienis? Docet igitur terra terrenos: docet illa tremens, cum tamen sit innoxia: quantum debeant tremere, culpati.

Quartò: terra tremore suo & pios excitat, & impios deterret. Pios quidem consolatur. Dum enim mouetur loco
Hebr. 13. suo, indicat pios non habere hic ciuitatem manentem, non hic esse stabiles pręsagit futurum: vt pij loco isto terreno sub moti, in locum cœlestem sint abducendi. Siquidem grãdior lapis, loco suo dimouẽdus prius hinc inde mouetur. Ergo &

terra

terra priorum, nūc hinc inde concutitur, vt quę sit in cœlum transferenda. At qui impios suo tremore deterret. Dictum Psalm. 17.
enim est: Commota est & contremuit terra, & fundamenta terræ commota sunt, quoniam iratus est eis. Iram regis pauet subditus: irā iudicis criminosus. Et si leo rugit quis non Amos 3.
timebit? Ergo nullus maior contra impios Domini furor, Matth. 22.
quàm post Christi mortem. Legimus enim quod postquam tauri, & altilia fuerunt occisa: & inuitati, ad cœnam venire noluerūt, iratus rex missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit. Si tauri & altilia (quæ humanitatem Christi significant,) occisa non fuissent, non adeò regis ira excanduisset. Ira ergo Domini cōtra impios, qui mortem Christi non curant, vehementer accensa est: quam tremore terra, vt potuit, indicauit.

CAPVT III.

Petræ scinduntur.

ET *petra scissa sunt*. Variæ sunt in sacris literis petrarum significationes. Prior verò est, quâ lapides hi materiales, saxáve significantur. Hæc in Christi morte scinduntur. Vt certè in grandi terręmotu contingere solet. Terrę siquidem concussio ingētia saxa discindit. quo etiam fit, vt fortissima, & quæ videbantur æterna corruant ædificia. Cùm igitur Christi mors terram concusserit: ingentia etiam saxa disrupit, & mortuorum sepulturas aperuit.

Porrò saxorum diuisio significauit, nihil terrenum, nihil seculare. (etiam si esset firmissimum velut lapis) iam debere durare. Vetera enim transierunt, noua efficiebantur omnia. Isaiæ 63.
Docuit saxorum diuisio, nō iam ædificia ex terrenis lapidibus, scilicet qui diuidebantur: sed ex spiritualibus, qui corrumpi nesciunt, esse ædificanda. Quę enim videntur tempo- 1. Petri 1.
ralia sunt, ac ideò cum tempore labente, labuntur. Sed quæ 2. Cor. 1. 4
non videntur, per Christi mortem, efficiuntur nobis ęterna. Ergo ex saxorum diuisione docemur, nō iam terrenos quærere lapides ad ædificandum, vt qui sint infirmi, & fragiles: 1. Cor. 3.
sed sancta quærere opera, quæ sint velut argētum & aurum, quibus domus nobis æterna ædificetur in cœlo.

Secundò lapides peccata significant: Quod diabolus cum Christum tentaret indicauit, dicens: Dic vt lapides hi, panes fiant. Vbi sanctorum Patrum sensus admonuit: per lapides, Matth. 4.

peccata significari. Igitur quod in Christi morte saxa rumpantur, id mysterium indicabat: post Christi mortem, iam nulla peccata esse debere. iam nullum peccatum integrum

Rom. 6. esse futurum. Vetus enim homo noster (qui peccatorũ fons est & origo) simul cum Christo crucifixus est: vt destruatur corpus peccati, vt vltrà non seruiamus peccato. Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato. Sic igitur vos existimate mortuos peccato, viuentes autem Christo. Non ergo

Eodem. regnet peccatum in vestro mortali corpore. Et rursum: Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt,

2. Cor. 5. & pro omnibus mortuus est Christus: vt qui viuunt, iam non sibi viuãt: sed ei qui propter ipsos mortuus est. Quibus verbis tria Paulus concinnauit argumẽta. vt peccata fundantur in nobis & pereant. Primum: quia vetus homo noster cum Christo crucifixus est. Ergo fonte peccatorũ disrupto, peccata etiam conuenit disrumpi. Secundum: quia cum Christo, peccato mortui sumus. Tertium: si Christus morte sua, vitam nobis procurauit: indignũ est, nos peccato viuere, & non Christo. Rumpantur ergo nostra peccata.

Tertiò, lapides, in meliorem partem, fortissimos significat in pietate fideles. Christus enim lapis sæpissimè est appella-

Matth. 21. tus. Siquidem est lapis angularis: est lapis in fundamento

Psalm. 117. fundatus. est lapis ab ædificantibus reprobatus. est petra, vnde aquarũ fluenta fluxerunt. est lapis fundamẽtalis super

Num. 20. quo Ecclesia construitur. Quia verò quę cõueniunt Christo, hæc dedit suis conuenire Christianis: si ille petra: sui etiam

1. Petri 2. fideles sunt lapides nuncupati. Dicente Petro: Ipsi tanquam lapides viui super ædificamini domus spiritualis. Ergo quia in morte Christi, Christus est percussus, & ita est illa petra diuisa: vt anima esset à carne disiuncta: ita etiã conuenit fideles esse diuisos: vt habeant animã à corpore disiectã. dictum

Hebr. 4. enim propterea est. Sermo Dei viuus pertingens ad diuisionem animę, & spiritus compagum quoque ac medullarum. profectò si gladius sermonis diuini diuidit animam à spiritu. quãto potius diuidet corpus ab anima. Ergo qui fidelis esse

Rom. 8. vult, disrumpatur: habet animam à carne diuisam. Dicente

Rom. 8. Apostolo: Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. & rursum: Si Christus in vobis est: corpus quidem mortuum est, propter peccatũ: spiritus verò viuit propter iustificatio-

Eodem. nem. & itẽ: Qui in carne sunt, (id est, nondum à carne diuisi) Deo placere non possunt. Vos autem in carne non estis, sed in spi-

in spiritu (quasi iam lapides perfracti. Si tamen spiritus Dei habitat in vobis. Et hac ratione Deus per Ieremiam clamat, dicens. Maledictus, qui prohibet gladium suum a sanguine, id est, maledictus sit. qui in carne sua integer manet : in quo gladius. Deo nullam adhuc fecit separationem. Qua etiam milites illi Gedeonis lagenas frangunt, vt luce splendente, de Madiam referant triumphum. Significante nos de nostris hostibus non relaturos victoriam, nisi lagena nostræ humanitatis conscisa. *Ierem. 48.* *Iudic. 7.*

CAPVT IIII.

Monumenta aperta sunt.

ET *monumenta aperta sunt.* Per mortem Christi, eius diuinissima anima erat in infernum descensura, id est, erat vita nostra, in mortem nostram deuentura. Cum ergo è Cruce, vita in infernum descenderet, omnia monumenta dissiliunt : reserant sese eam vitam venientem exceptura, vt cum mense Maio pluuia desideratur, fœminæ cuncta vasa producunt, in quibus venientem excipiant pluuiam: vt cùm piscinam moturus veniebat Angelus, quiuis infirmus, ad salutem excipiendam se præparabat: ita omnia sese aperiũt, omnia sese venienti obijciunt vitæ, vt vita veniente, eorum mors moriatur, eorumq; vita resurgat. Sanè cùm Dominus erat aures surdo daturus, inquit: Hephathath, id est, Aperire. Aperire, vt salutem meam tua recipiat infirmitas : ita & tu crede, Christũ in sua morte clamasse: O monumenta, audite vocem Filij Dei. Aperimini suscipiat meam vitam mors vestra, iam mors mortem non premat, sed vita mortem deterreat, & in vitam cõuertat. Regum commemorat historia, quòd cùm deferretur hominis cadauer ad sepulturam, proijcereturque à deferentibus in monumentum Elisæi: ipsum cadauer ambulauit, vt tangeret ossa Elisæi : quibus tactis reuixit, stetitq; super pedes suos. Si cadauer illud, vitæ desiderio se Elisæi ossibus adiunxit, vt viueret: quid miraris, si omnia quæ in monumentis iacebant cadauera, eodem vitæ desiderio, sua sepulchra reserarent: vt veniẽtem Christi vitam susciperent : cuius tactu resurgerent? *Ioan. 5.* *Marci 7.* *Ioan. 11.* *4. Reg. 13.* *Ita Hebr. Veritas. & noua versiones.*

Et etiam, quia Christi cadauer erat sepulturæ mandandum, omnia sepulchra certatim sese aperiũt, vt sacrum illud cadauer suscipiant, quo suscepto erat illis vita restituẽda. Et

licet sacrum cadauer in monumēto nouo conditum sit, fuit perinde tamen ac si in aliorum monumentis conderetur: dedit enim eis vitam, quam sepulchrorū apertione optasse monstrauerunt, siquidem multa corpora Sanctorum quæ dormierant surrexerunt.

Num. 16. Alia item narrat historia, quòd sese aperuerit olim terra Datham & Abiron deuoratura. Aperuit illa se: & iniquos absorbuit in vindictam. Quid miraris si meliore nota, nunc sese terra retexat, & aperiat, Sanctum Sanctorum exceptura: non in vindictam, sed in vitam.

Genes. 4. Rursum, inquit Dominus: Terra aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris, de manu Cain. Si terra suum aperuit os, vt sanguinem Abelis exciperet: an non erat æquius, eandem terram sua aperire sepulchra: vt sanguinem, vt carnem, vt corpus Christi reciperet?

Matth. 5. Iam cœli aperti sunt Christo baptizato, in signum quod ex throno Patris: per cœli aperturam Spiritus sanctus, & omnium cœlestium diuitiarum thesauri in Christum descendebant. Sic rumpuntur monumenta: in signum, quod ex Cruce, (velut è Regis Christi regio throno,) per monumentorum apertionem, vita cœlestis, & cœlestes diuitiæ in mortuos descendebant.

Item cùm lapis monumentis imponitur, indicatur, mortuos non vltrà reuocandos ad vitam. Mors enim, mortuorum vitam vicit, vorauit, absorbuit, & ita de vita mortuorum triumphauit, vt eam in perpetuum teneat captiuam.

Psalm. 68. Ideo, inquit Psaltes: ne vrgeat super me puteus os suum, id est, ne sepultura me cōcludat, me suum in æternum seruans captiuam. Igitur contra nunc fieri ostenditur, quod scilicet mors Christi de morte nostra triumphat. quod mors moriendo mortem destruit, in signum ergo victoriæ, clausa monumenta reserantur: ostendentia iam mortem mortuos nō premere. iam carceres in quibus mors mortuos tenebat captiuos, esse reseratos, & ita monumēta reserata, manifestè verum esse ostendunt, quod olim dictum est, scilicet: ô mors

1. Cor. 15. ego ero mors tua. Mors enim Christi in mortis regnum intrauit, cum ea pugnauit, vicit, inque victorię signum mortis monumenta aperta esse voluit.

Denium monumenta versus cœlū aperta planè indicant: iam mortuis cum cœlo esse cōsortium. quodque iam mor-

Psal. 113. tui, & hi qui descendunt in limbū, laudaturi sint Dominum.

C A-

CAPVT V.

Corpora Sanctorum resurgunt.

M*Vlta corpora Sanctorum qui dormierant surrexerunt.* Nulli dubium esse debet: corpora sancta non surrexisse, dum Christus aut in Cruce, aut in tumulo mortuus iacebat: sed cùm a mortuis surrexit. Tum quia hic est communis doctorum consensus. Tum quia Paulus affirmat Christum esse principium, & primogenitum ex mortuis. Tum etiam quia si cadauera sacra eò surgebant, vt de Christi resurrectione testarentur: quomodo id testarentur, Christo adhuc iacente defuncto? Et id quidem euidenter Matthæus affirmat: nam sunt hæc eius verba: *Multa corpora sanctorum surrexerunt: & exeuntes de monumentis, post eius resurrectionem, venerunt in sanctam ciuitatem.* Num si post resurrectionem exierunt de monumentis: ante resurrectionem, viua manebant in illis? Quis id opinetur? Col. 1.

Ergo, vt probaturus quod esset mors mortis, mortuorum aperuit monumenta: ita probaturus quòd esset morsus inferni, Sanctos illos quos antiquo iure possidebat infernus, inferno trementi è manibus, & ventre subripuit. Impletum habet Oseas suum tam vetustum vaticinium: ô mors ero mors tua: ero morsus tuus inferne. Porrò momordit Christus infernũ: illum voraturus, si esset totus ille vorabilis. Sed dãnati esculenti non sunt: mandi, aut morderi non possunt. Igitur hos Christus morsu, inferno eripuit: quos gratia, vt morderi & edi possent effecit. Oseæ 13.

Habemus iam illud Samsonis enigma solutũ: De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo. Profectò vsque ad Christum Dominum, aperuerat infernus sine numero animam suam: aperuerat os illud suum (sicut cetus Ionę) vastissimũ, comederatque cunctos sine exceptione mortales. At sanctos ex inferno Christus eripiens, fecit: vt de comedente exiret cibus, id est, de inferno exirent sancti. De forti etiam egressa est dulcedo: vt enim supra dicebam, fortis est mors, durus, & fortis infernus. Sed quam est fortis infernus: tam est Christo dulce illud animarum sanctarum, velut apum examen. Ergo Samson, mel & apes in ore leonis (quē occiderat) reperiens, dixit: De comedẽte exiuit cibus. Christus animas sanctas ex faucibus inferni (quem cõculcauerat) eripiēs, meliorē de comedēte exisse cibũ verificauit. Iudic. 14. Isaiæ 5. Ionæ 3. Cantic. 8.

Iam illud expende quàm sint similes Christo fideles. In die resurrectionis animam suam à corpore disiunctam, corpori reconciliauit: vt ergo nihil ille habeat suum, quod suis non communicet: animas fidelium, à corporibus diuisas corporibus reconciliauit.

Isaiæ 38. Et quidem mors fecerat, vt quiuis mortuorum cũ Ezechia diceret: Non aspiciã hominem vltra, nec habitatorem quietis: Neque enim aspiciet me visus hominis. At Christi mors & resurrectio fecit, vt mortui aspicerent homines, & habitãtes Ierosolymis inuiserent. Venerũt enim in sanctam ciuitatẽ, & apparuerũt multis: atq; adeò loquuti sunt multis.

Lucæ 16. Quòd si diuitem illum epulonem viuorum fratrum ea tangebat cura: vt Abrahamũ rogaret: aliquẽ in seculum ex mortuis mitteret: qui viuos de alterius seculi rebus admoneret, en sui est factus desiderij compos. Nec enim vnus ex mortuis: sed multi ad sanctam ciuitatem venerunt: qui nos de seculo futuro admonuerunt. At nos velut nihil admoniti, in vtramque, quod aiunt, dormimus aurem.

Quàm verò Christus est sapiens! quia nihil necesse erat testatius esse, mortuorum resurrectione, (eo enim ille surrexit, vt mortuis esset causa resurrectionis) idcirco eam rem *Actor. 1.* omnibus argumentis probauit. Probauit enim se viuum, per dies quadraginta discipulis exhibens. Probauit Angelorum testimonio. Probauit demum mortuorum viua præsentia, multis etiam Ierosolymitis conspicua.

CAPVT VI.

Centurio cum suis credit.

Centurio autem. & qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terræmotu, & his quæ fiebant, timuerunt valdè, dicentes: Verè Filius Dei erat iste. Mihi certum est: admirari cœpisse Centurionem cum militibus suis, quando viderunt Christum *Marc. 15.* magna voce expirasse: tuncq; cœpisse dicere: Hic homo iustus erat. Cùm verò terram tremere viderunt, solem obscu- *Matt. 27.* ratum, petras fissas: tunc grauius compuncti, confidentius asserebant, quòd Filius Dei Christus esset: eas voces grandi timore ab eis extorquente.

Quòd verò contigit Centurioni, & militibus posteaquã illam orbis conuersionem viderunt, præsagium fuit eorum quæ gentes fecerunt: vbi totum mundum ab prædicationẽ

Euan-

Euangelij conuerti, & reuolui videbant. Vbi enim gentes, ad Euangelij tubam, videbāt idola subuersa, dæmonia nulla responsa ex tripode dantia, dæmonū templa disrupta, patrias leges abrogatas, vitia hominū correcta, templa Christo ædificata, Cęsares fidei iugo subiectos, animos nouo seruore calentes, terram nouam faciem habentem. Dum igitur terram moueri vident, antiqua omnia obscurari, noua secula apparere: facile Christum esse iustū, esse verè Dei Filium intelligunt. Quo argumento Diuus Chrysostomus in libro, quòd Christus sit Deus, vsus fuit. Quis enim poterat terram commouere, idola destruere, & mūdo insolitam faciem tribuere, nisi Deus? Alluxerunt ergo fulgura eius orbi terræ: commota est, & contremuit terra: montes sicut cæra fluxerunt, à facie Domini, quia venit. Profectò Cæsares & Imperatores montes erant, qui fulgura Euangelij videntes, sicut cæra liquabantur, intelligens Christum Filium Dei, qui terram saluare venerat. *Psalm 96.*

Rursum, quòd in orbe factum esse conspeximus, id nonnunquam in quibusdā peccatoribus fieri videmus. Est grandis aliquis peccator: nihil aliud quàm terra, quàm serpens comedit: is ad Euangelij vocem tremit: rumpuntur ei in lachrymas oculi, conteritur in dolore animus, vitia quæ illi, vt sol ante fulgebant, nūc (vt nox tenebrosa) obscura videntur. Qui igitur hanc in peccatore mutationem vident, an non dignum est, vt intelligant: Christum esse Filium Dei, vtpotè tantæ mutationis autorem? *Isaiæ 65.*

Sed ad nostrum Centurionem redeo, nulla gēs à Dei cultu adeò abhorrere videtur, quàm milites. Non quod bella in vniuersum sint mala: sed quòd ad bellum (vt plurimum) soleant concurrere mali. Ideo enim dictum est: Dissipa gentes quæ bella volunt. Siquidem bella, non ex voluntate, sed ex necessitate principes gerere debent. Hæc igitur gens bello mancipata, hæc est, quæ prima Christum Dei Filium, post eius mortem, sine Iudæorum timore fatetur. Ostensa ergo est Passionis & mortis Christi efficacia: quæ gentes adeò à Deo distantes, Dei Filio adeò in fide conciliauit. Ergo sicut Christi natiuitas tam fuit potens, vt Magos tantopere distantes, ad stabulum adduceret: ita & mors tam fuit efficax, vt milites illos religione multò quàm Magi distantiores, ad Christi fidem aduocaret. *Psal. 67.* *Ephes. 2.* *Matth. 2.*

Expēde precor te, quid fuerit illo tempore in orbe potentius?

tius? Certè summa orbis fortitudo erat in militia sita. Fortissimum ergo mundi, militia est. Quid verò potuit esse in seculo debilius & infirmius, quã Christus in cruce suffixus, quamque eius indignissima mors? Ergo cùm vides Christi mortem, militum vicisse potentiam, an nõ intelligis verum

1. Cor. 1. esse quòd infirmius est Dei, fortius esse hominibus? Quòd si Christus fortissima seculi deijcit, apertum est omnia reliqua

1. Reg. 17. ab eo esse deijcienda. Sicut cùm Dauid fortissimum Goliath vicit, totum Philistæorum agmen vertit in fugam.

CAPVT VII.

Aderant mulieres multæ crucis mysterio.

E*Rant autem ibi mulieres multæ à longe, sequutæ Iesum à Galilæa, ministrantes ei. Inter quas erat Maria Magdalena: & Maria Iacobi & Iosephi mater, & mater filiorum Zebedæi.* Nullus est qui Christo seruiat, & ministret: quin stipendium ab eo recipiat. Ministrarunt Christo fœminæ multæ: inter quas ministrarunt potissime tres, scilicet Magdalena, & duæ Mariæ, Matris Christi sorores. Sed ministrauit maxime, Christi sacratissima Mater. His per gradus suos, Christus stipendia, & laboris mercedem in cœlis amplissimam rependere vo-

Ioan. 19. lens: iuxta crucem eas esse voluit. Vt sicut erant summi doloris iuxta crucem participes: ita essent summæ gloriæ in cœlestibus, iuxta Christum hæredes. Et sicut maximum erat passionis iuxta crucem meritũ: ita esset maximum eiusdem passionis in cœlo præmium.

Quòd vt explicatius sit, adducã matris filiorum Zebedæi historiam. Optabat illa, vt duo eius filij summum in Christi

Matt. 20. regno honorem obtinerent. Christus Dominus huic voto respondit: si summum locum in suo regno affectarent, passionis calicem essent profundè bibituri. Calix enim passionis meritum est, quo cœli præmia comparantur. Nulli sine merito gloriam suam Deus tribuit: neque summæ gloriæ summos honores concedit, nisi calicis passionẽ summè potarint. Ergo volens Christus fœminas has, quę tam fideliter ei ministrauerant, tam abundanter in cœlis coronare: iuxta crucem eas constituit: vt calicem illum altissime bibentes, gloriæ culmen altissimè mererentur, & assequerentur.

Vide igitur ordinem: Christus recẽs natus, voluit pueros omnes (qui in patria sua eo tẽpore nati sunt) magno gloriæ

gradu in cœlo coronare. Ea ratione passus est, vt ab Herode occiderentur: vt per martyrij palmam in terris, grandis gloriæ palmam assequerētur in cœlis. Eadem ratione Matrem suam, & duas eius sorores, maxima in cœlo gloria coronaturus, maxima iuxta crucē affecit tristitia. Quâ demū causa fœminas, quæ illi ministrauerant, grandē ad crucem voluit habere dolorem: vt grandis illius futuræ gloriæ haberent honorem. Quo enim quæque acerbioris doloris gladio fuit verberata, eo ampliori corona fuit in cœlo donata. Matth. 2.

Id verò expendendum est, quòd nullus eorum (qui ad crucem Domini astitisse memorantur) martyrij postea gladio percussus est. Neque enim aut beatissima Virgo, aut gloriosus Euangelista Ioannes, aut amans illa Magdalena, aut reliquarum aliqua, martyrium subijsse memoratur. Adeò enim vehemens fuit ille crucis gladius, adeoque piarum animarum teneritudinem transuerberauit: vt fuerit illis pro martyrio computatum. Ita enim Beatus Bernardus in sermone de beatissima Virgine, cui initium est: Signū magnum apparuit in cœlo: Sacram Mariam & martyrem, & plusquam martyrem prædicat: quia eius animā doloris in cruce gladius pertransierit: quæ ratio cur non etiam reliquas fœminas in suo gradu martyres fuisse conuincet? Scio tamen communem nostri temporis scholam beatam Virginem martyrem nolle vocare.

Demum quòd mulieres multæ mysterio crucis assistunt: præsagium fuit, quòd crux fœminis esse postea altissimè insigenda. Fœminæ enim sunt quæ crucis dolorem, arctiùs, deuotiùs, teneriùs, & amantiùs prosequuntur.

Sed speciatim adstat Magdalena, vt verum esse cōfirmet: quòd de ea Dominus dixerat, quòd scilicet quia multum ei remissum erat, multum etiam amaret. At qui multū amat: in tribulationibus amicorum fixus perseuerat. Luca 7. Eccles. 6.

CAPVT VIII.

Ioseph corpus Domini petit.

C*Vm autem sero factum esset, venit homo diues.* (vt Marcus habet) nobilis decurio: (& vt Lucas inquit) vir bonus & iustus: qui non consenserat consilio, & actibus Iudæorū. (& vt Ioannes dicit) discipulus IESV, licet occultus propter metum Iudæorum. Hic à Pilato petijt corpus IESV, Marc. 15. Luca 23. Ioan. 19.

& sin-

& sindone inuoluit: magnaque vnguenti copia vnxit: & in nouo monumento collocauit.

Deo autem gratia, quòd diuites, & etiam nobiles, aliquid habent cum Christo communionis. Deo gratia, quòd diuites & nobiles etiam ad regnũ Dei spectant. Licet enim tam difficile sit diuitem in Dei regnum intrare, quàm camelum per foramen acus: at quæ impossibilia sunt apud homines, apud Deũ possibilia sunt. En igitur Christi mors id esse possibile & fecit, & demonstrauit. Intellige igitur mortis Christi efficaciam quæ Iosephum, cum diuitiarũ, nobilitatis, & vitę periculo, ad Christi corpus petendum armauit.

Matt. 19.

Multa verò hæc Iosephi petitio significauit: illud primum facile: quòd Iudæorum gens, nobilis illa olim: iusta item & bona, etiam olim, per diuitem qui induebatur bysso & purpura (testãte Gregorio) significata: cùm serò mundi factum fuerit, petet corpus Iesu. Hæc siquidem est Pauli prophetia: quòd cùm populus gentium intrauerit: tunc omnis Israel saluus fiet. Atqui saluus esse non poterit, nisi Christus olim crucifixum, precibus petat, fide suscipiat, & charitate in mentis monumento recondat.

Luc 16.
Rom. 11.

Secundò, quia iste Ioseph erat Christi discipulus, licet occultus: significauit futurũ, vt Discipuli Christi, licet propter tyrannorum metum occulti, ab eisdem tyrannis audacter essent Christi cultum, & obsequium petituri, scilicet vt per tyrannos liceret, Christũ in Ecclesijs magnificẽtissimè structis colere & honorare. Cùm ergo Syluester a Constãtino: & Vrbanus à Phoca, vt Christum publicè colere liceat impetrant: perinde fuit, ac si Iosephum vidisses à Pilato impetrantem, vt Christo debitum honorem impendere queat.

Tertiò, quia Ioseph diues erat, significauit etiam futurum: vt diuites Christiani magnis suis sumptibus (& qui fortasse superflui videre possint) Christum essent veneraturi. Attulit Ioseph aloës libras cẽtum: an non hic apparatus excessiuus videri poterat? Attulit Constantinus, nõ aloës, sed auri: non libras centum, sed ferè talenta centum. Recondidit Ioseph Christum in monumento, in saxo cauato, recondidit Constãtinus (& post eum alij infiniti) in Ecclesijs: quibus si templum Salomonis contuleris, nescio an erunt nostræ superiores. Erit igitur diuitum & nobiliũ munus, Christũ etiam cultu (qui redũdans videri possit) adorare & venerari, modò id per extremè indigẽtes liceat. Apparatum enim quem

viuens Dominus contempsit, mortuus acceptat: si ex animo
pio, & diuinitatis religione cōmoto offerri sibi intellexerit.
Quartò, diues iste Ioseph diuites nostros, quid facere de-
beant, satis admonuit. Profectò corpus Christi Ecclesia est: vt
Paulus aperte, & sæpè mōstrauit. Hoc corpus Christi in cru- Rom.12.
ce est, dum in tribulationibus est. Pauperes igitur Christi, 1.Cor.12.
cruci affixum repræsentāt. Admonet ergo diues ille Ioseph,
diuites Christianos, vt huius corporis Christi curam gerant,
sindonem, vnguenta, monumentum & necessaria largiātur.
Sed nota quòd dixit: Monumēto, suo, nouo, exciso in petra.
Vt opes illæ quibus diuites pauperibus succurrunt, sint suæ:
sint nouæ, sint in petra excisæ. Certè Iustitia facit opes esse
suas. Charitas facit esse nouas. Fides facit in petra, quæ est
Christus, excindi. Horret verò Christus ex rapinis, contra iu-
stitiam honorari. Contemnit obsequia sine charitate. Reijcit
eleemosynam sine fide.

Iam si Christus docuit, quà mensura mensi fuerimus, ea- *Matt.7.*
dem esse nobis remetiendum: si nos Christum, & pauperes
eius in monumento nostro nouo, & saxeo recondimus: ipse
nos in monumento cœli recondet. Cœlum, monumentum
voco, quia non datur nisi vita præsenti defunctis. Voco item
monumentum, non quà mortuorum est, sed quà perpetua
requies est: hanc quietem Deus volet esse nostram. Omnia *1.Cor.3.*
enim nostra erunt. Erit hęc quies noua, nec enim talem ocu-
lus vnquam vidit: neque auris audiuit, neque in cor hominis *1.Cor.2.*
ascendit. Erit demum saxea, id est, firmissima, omni scilicet
æternitate mansura.

CAPVT IX.

Pharisæi sepulchrum custodibus & sigillo muniunt.

A*Ltera autem die quæ est post parasceuen, conuenerunt princi-
pes ad Pilatum dicentes: Recordati sumus, quòd seductor ille
dicebat: Post tres dies resurgam. Iube ergo custodiri sepulchrū.* Cer-
tum est, diem post parasceuen esse sabbatum, quod Iudæi
celebrabant solennissimum. Cur ergo non dixit Matthæus,
sabbato conuenisse Iudæos: sed altera die post parasceuen?
Respōdeo nō sine mysterio, id ita dictū fuisse. In morte siqui-
dem Christi sabbata festiuitatesq; cū legalibus omnibus extincta
fuerunt: meritò igitur altera dies, non sabbatū nominatur.

Iam licet illud sabbatū fuerit Iudæis omni obseruatione sollenne:non tamen vetabantur,quin loqui cum Pilato potuissent:rogātes,vt custodes sepulchro adhiberet. Custodes verò facilè custodiebant, vt qui sabbati religione,quia gentiles erant,non tangerentur.

Audiamus ergo quid illi,furenti rabie acti, Pilato referāt: *Recordati*,inquiunt,*sumus quòd seductor ille dixit: Post tres dies resurgam*. Video animi malitiam : sed etiam video astutam prudentiam. Nullum impingi Christo potest nocentius crimen,quàm quòd seductor sit. Neque vlla maior toti inferno cura,quàm quòd aut Christus nō resurgat,post tres dies:aut quòd resurrexisse non credatur. Planè si seductor est nulla Fidei,quam ille prædicauit, est à nobis fides adhibenda. Et si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis

1.Cor.15. est & fides vestra : inuenimurque(vt Paulus ait) Dei falsi testes. Adhuc estis in peccatis vestris:& qui dormierūt in Christo,perierunt : fitque vt Christiani omnibus hominibus miserabiliores simus. Cùm ergo vitæ Christianæ robur super

Ioan.15. eo cardine versetur: quòd Christus sit veritas,qui venit illuminare, ijs qui in errorum tenebris, & in peccatorum mor-

Luc.1. tali vmbra sedebant. Rursum totum pondus Christianitatis huc incumbat, quòd Christus surrexit sicut dixit, velut primitiæ Christianorum,qui cum eo sunt surrecturi : videre licet, quàm callide illi Christo, mendacium, & resurrectioni obstacula obmoliantur.

Mihi enim ita visum est,Pharisæos,non ea solum ratione custodijsse,& sigillasse sepulchrū:ne scilicet furto auferretur Christi cadauer : sed ea maximè vt resurrectionem Domini quâ possent ratione impedirent : vt si artè forsan quapiam Dominus esset resurrecturus : eam militum vetaret attenta & peruigil custodia.

1.Reg.17. Forsan præfigurata erat ista custodia:quādo Saul suos misit satellites,qui domum in qua triumphator Dauid iacebat, vallarent. Tunc vxor Dauidis Michol, virum admonet. vt se ea nocte saluaret,si mori nō vellet. Ille verò (forsan ad auroram)per fenestram, non per ianuam exijt, atque ita demum euasit. Iacebat igitur triumphator Christus in monumento, vallatus est à synagogæ custodibus. Sed rogatur interim à noua Ecclesia (quæ Christi sponsa est) vt ea nocte saluet se, à mortuis resurgendo : nisi enim ea nocte resurgat, in mentibus fidelium erit moriturus. Exit igitur Dominus è monumento,

mento, non per ianuam, id eſt, non lapidem ab oſtio monumenti ſubmouēs: ſed per locum ſepulchri ſuperiorem, quaſi per feneſtram egrediens: ſicut ſolet vapor è profundiore terra, non per latera, ſed directè vi caloris exire.

Rurſum prædicta erat forſan iſta cuſtodia in illis Ionæ verbis: Ad extrema, inquit, montium deſcendi: terræ veſtes concluſerunt me. Chriſtus enim cuſtodibus & ſigillis vallatus, velut terræ vectibus concluſus erat.

Porrò celebrium virorum ſententia eſt, olim ſua maiores occluſiſſe ſepulchra: quia in illis ſuos etiam theſauros cum mortuis recondebant. Phariſæi igitur ignorātes (dum Chriſti ſepulchrum tam attentè concludunt) attentis animis apertè ſignificant: grandes theſauros in Chriſti monumento ſeruari, neque enim nimis cuſtodiuntur, niſi quæ ſunt nimis pretioſa.

Iam verò ſicut Dominus è ſepulchro victor egreditur, nō obſtante morte: quæ ipſum inuaſerat, nō obſtantibus inuolucris quibus erat obſtrictus, non obſtante lapide, qui ſepulchrum claudebat, non obſtantibus ſigillis & repagulis, quibus erat lapis munitus, nō obſtantibus cuſtodibus, quos ſynagoga conduxerat, non obſtantibus Phariſæis, neque gentibus: ita futurū eſt, vt Chriſti fideles in orbis extrema hora, à morte & ſepultura reſurgat: nō obſtante mari, quod quoſdam demerſerat, non obſtantibus flammis, quæ quoſdā vorauerant, non obſtantibus gladijs, qui quoſdam minutim diſcerpſerant, non obſtante terra, quę quoſdam in puluerem redegerat. Surgent mortui incorrupti. Surgent mortui contra mortem victores. Ideò enim Chriſtus in ſepulchro ita Deum deprecatur. Educ de cuſtodia animam meam. Me ex- Pſal. 141.
pectant Iuſti, donec retribuas mihi. Iuſti enim expectant, vt mortuo Chriſto, vita retribuatur: certi idem ſibi à Deo tribuendum, quod Chriſto tributum conſpiciunt. Ergo nunc Chriſtus cuſtoditur. At ſuper cuſtodiam Abacuc 2.
ſuam tertio die ſtabit: & ſuper munitionem ſuam gradum figet, videbiturque in die iudicij omnibus procul, & in finem apparebit.

CAPVT XXVIII.

Veſpere autem ſabbati, quæ, &c.



NVLLVS mihi vitio vertet, ſi myſterium ſacerrimę reſurrectionis Chriſti fuſius explicauero. Cùm enim ea ſit totius fidei baſis, & cardo: non poteſt vanum videri, quòd eam illuſtrauerim. Eò maximè quòd Eccleſia canit, Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis ſecundum Scripturas neque deerunt, qui has ſcripturas optent ſibi in medium afferri. Eas hoc 1. c. libet afferre.

CAPVT I.

Chriſtus ſurrexit ſecundum Scripturas.

S*vrrexit, non eſt hìc. Surrexit ſicut dixit*: Non ſolùm ſicut per os ſuum dixit: ſed ſicut per os prophetarum, ante multa
Pſal. 56. ſecula, dixit. Per os Dauidis ita Chriſtus dixerat: Foderunt ante faciem meam foueam, & inciderunt in eam. Paratum cor meum, paratum cor meum: cantabo & pſalmum dicam. Exurge gloria mea: exurge pſalterium, & cithara, exurgam diluculo: confitebor tibi in nationibus Domine. Quis non videat, cùm Iudæi Chriſto parauerunt mortem: eos ante faciem Chriſti foueam paraſſe: in eam tamen incidiſſe? Tunc maximè, cùm muniebant ſepulchrum cuſtodibus & ſigillis, an non tunc parabant foueam? at cum cuſtodes ipſi Chriſti reſurrectionem teſtabantur, an non apertum eſt, quod Iudæi incidebant in laqueos ſuos? Interim tamen, inquit Chriſtus, Paratum cor meum, paratiſſimũ eſt ad ſurgendum: ſurgam diluculo, & per Apoſtolos prædicabo nomen tuum Domine in vniuerſo mundo.

Matt. 26. Rurſum dictum eſt: Veruntamen Deus redimet animam
Pſal. 48. meã de manu inferi: cùm acceperit me, id eſt, profectò, quia Dominus accepit me, & vniuit me ſibi ea ratione redimet
Actor. 2. animam meam, de manu & poteſtate inferi. Iuxta quod impoſſibile erat eum detineri ab illo. Erat enim impoſſibile, vt mors inferni, teneret voratam eam animã, quæ vitæ ſuperſubſtantiali erat perſonaliter vnita.

Item dictum erat à Chriſto, per os Dauidis in hæc ver-
Pſal. 15. ba: Non relinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem: notas mihi feciſti vias

vitæ,

vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo. Petrus cõtendit Actor.13.
verba hæc de solo Christo dicta fuisse: nullus enim ante Christum fuit, qui non viderit in carne sua corruptionem. Christi sola caro, ab omni fuit incineratione seruata suæque beatissimæ animæ vnita. Et quia in ascensione, viam vitæ omnibus mortalibus (eatenus ignotam) ascendit: ideò dicit, Notas mihi fecisti vias vitæ. Et quia totus Christi labor, eò insudauerat: vt in cœlo ipse cum suis vultui æterni Patris appareret, id in die ascensionis assequutus dicit: Adimplesti me lætitia, cum vultu tuo. Non quòd ipse prius vultum Patris non viderit: sed quòd gaudium Christi plenũ fuit, quòd non solus, sed cum suis, Patrem in cœlo videret.

Audi & aliud: Ego dixi (inquit Dominus) in abundantia mea, Non mouebor in æternum. Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem. Auertisti faciẽ tuam à me, Psal. 29.
& factus sum conturbatus. Ad te Domine clamabo, ad Deũ meum deprecabor. Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? Audiuit Dominus, & misertus est mei. Conuertisti planctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccũ meum, & circundedisti me lætitia. En quid dicat Filius Dei, audi eius explicationem: Cum Dei Filius erat in sinu Patris, dicebat: Non mouebor in æternum. Ego enim Malac.3.
Deus & non mutor. Altissimum posuit sibi refugium: ideò non accedit ad eum vllum malum. At libuit postea decorẽ Psal.90.
induere, & præcingere se virtute: id quod fecit, cum carnem sibi vniuit. Iam in tempore passionis, Pater auertit faciem suam à Filio: ita enim Filius clamat: *Vt quid reliquisti me?* Qua Psal.21.
causa, cum lachrymis & clamore valido, preces & supplicationes obtulit, ad eum, qui possit illum à morte saluum facere. Et exauditus est pro sua reuerentia. Conuertit enim Pater planctum Filij in gaudium, in sua resurrectione. Et licet saccus cadaueris esset multis verberibus, & plagis concisus, tamen per easdem plagas, immensæ gloriæ fontibus emanantibus, circundatus est lætitia Christus. Hebr.9.

Ipse etiam Dauid de Christo cantauerat: Exaltauit sicut Psalm.18.
gigas ad currẽdam viam suam. à summo cœlo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius. Quod qui non intelligit, audiat à Salomone explicatum. Oritur, inquit, sol & occidit: & ad locum suum reuertitur, vbique renascens girat Eccles.1.
per meridiem. exit igitur sol ab vno cœli cardine, id est, ab oriente, ruitque in occidentem. Sed ibi non permanet, vertitur enim

tur enim ad summum vnde exierat, id est, orientem. Christus igitur Dominus è vita processerat in mortem, tanquam sol ab oriente in occidentem. Sed nunquid in morte, velut in occidente desidebit? minime: sed regredietur in oriētem. Occursus eius ad summum eius, vt ibi renascens giret per meridiem: vbi pascat, & vbi cubet, Ecclesiam suam, velut
Cantic.1. oues abundantissimè pascens.

Rursus Christus de se cantauerat Psalmum 39. Siquidem
Matt.10. Paulus expresse eum psalmum Christo tribuit: asserens eum cum in mundum ingrederetur psalmum hunc cantauisse. At Psalmi initium est: Expectans expectaui Dominum, & exaudiuit me, & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fecis: statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos. Quis in his verbis non videat Christi resurrectionem illustratam? Lacum enim miseriç, Scripturæ sepulturam corporis, & limbum animæ nominant. Dicitur siquidem de Christo, quòd
Zacha.9.
Ierem.1. emiserit vinctos de lacu, in quo non est aqua. & alibi: Lapsa
Isai.14. est in lacum anima mea. & item: Veruntamen ad infernum detrahêris, vsque ad profundum laci. Cantat ergo Christus, cum se supra lapidem monumenti viuum collocauit: Eduxit me Deus de lacu miseræ mortis, & de luto illo inferni: quò animæ descendebant. Statuitque supra hoc monumentum (quod est excisum de petra) pedes meos, & direxit gressus meos: vt in cœlum ascendant.

Psalmum etiam 21. Ipse Dominus sibi adscribit, cum in cruce clamans, eius verba decerpsit. In eo verò ita scribitur:
Psalm.21. Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meā. Salua me ex ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam, & quasi pro sua salute adipiscenda deuoueat, votum hoc Patri suo nuncupat, dicens: Narrabo nomen tuum fratribus meis: neque solum illis, sed in medio Ecclesiæ laudabo te. En quid Christus in sua passione prece-
Ionæ 2. tur: en quæ pro vita sua vota Deo voueat. Vbi videor mihi videre Ionam, in ventre ceti similia precantem, & vouētem. Audi quid sequatur: Timeat Dominum omne semen Israel: quia non despexit, nec spreuit deprecationem pauperis, & cum clamarem ad eum exaudiuit me. En Domine Christe iam exauditus es, Reliquū est, vt quæ vouisti persoluas. Sol-
Psalm.21. uit dicens: Apud te laus mea in Ecclesia magna, vota mea reddam in conspectu timentium eum. Vt igitur Ionas vota sua Domino redditurus, è ceto in vitam reuocatur: ita Christus à

ſtus è morte in vitam reparatur: vt reſurrectus in Eccleſia quingentorum patrum, per ſe: & in Eccleſia totius orbis, per prædicatores ſuos, laudes Domino fratribus enarret.

Audiamus quid ſanctus Iob dicat: Credo quòd redẽptor meus viuit, & in carne mea viſurus ſum eum: & oculi mei conſpecturi ſunt. Atqui o Iob in carne videre nõ potes Deũ, niſi ſit ipſe in carne Deus. Igitur ſi redemptor tuus in carne ſua viuit, non manſit in ſepulchro defunctus. Si enim manſiſſet, tu in tua carne eum viuum videre nequibas. *Iob 19.*

Audiamus & Domini verba per Oſeę prophetam: Mors, inquit, ero mors tua: & ero morſus tuus inferne. Igitur per mortẽ Chriſti mortua mors eſt. At profectò ſi mors Chriſtum voratũ in ſepulchro tenuiſſet, mors mortua non eſſet: imò mors de vita triumphum tuliſſet. Surrexit igitur, & ita mors iacuit in monumento defuncta, & deuicta. In cuius ſignum linteamina defuncti cadaueris, in ſepulchro erant in vnum locum reiecta: teſtantia, vitam contra mortẽ veniſſe, & mortuum cadauer quod mors mortificauerat: iam à faucibus mortis ereptum, & ad vitæ partes abductum. *Oſea 13.*

Iam idem Oſeas inquit: Viuificabit nos poſt duos dies, & die tertia ſuſcitabit nos: & viuemus coram eo. Si die tertia ſuſcitabit nos: quale eſt quòd die tertia excitet nos, ipſe non reſuſcitatus? Imò profectò, ſicut eo moriente, nos omnes mortui ſumus (vt ſupra ex Papa Leone docuimus, & eo ſepulto, ſumus cum eo ſupulti: ita & eo excitato nos omnes ſumus ſuſcitati. Vt enim mortuus eſt propter peccata noſtra: ita ſurrexit propter noſtram iuſtificationem: at iuſtificatio, vita eſt ex mortuis. *Oſea 6.* *Roman. 4.*

Audiamus etiam quid Abacuc prędixerit: Cornua, inquit, in manibus eius: ibi abſcondita eſt fortitudo eius, ante faciem eius ibit mors: & egredietur diabolus ante pedes eius. Stetit & menſus eſt terram: aſpexit, & diſſoluit gentes, &c. Nemo hic eſt, qui ignoret, tunc fuiſſe cornua in manibus Chriſti, cum fuit cruci clauis confixus. His enim ferreis cornibus, innoxio ſanguine tinctis, ſanguinea pecatorum regna euentilata ſunt. Licet enim ibi crucifixus ſit Dominus ex infirmitate, in ea tamen infirmitate erat abſcondita fortitudo eius. In facie Chriſti erat mors: mortuus enim eſt propter delicta noſtra, eam mortem procurãte diabolo: qui ideò dictus eſt egreſſus ante pedes eius. Sicut & Zahcarias dixit: quòd quando Chriſtus erat indutus ſordenti veſte, *Abac. 3.* *Roman. 4.* *Zacha. 3.*

Satan erat à dextris eius. At licet Christus, diabolo precurante, mortuus fuerit: non tamen mortuus permansit, sed stetit: quę est corporis gloriosi cōditio, Neque stetit modo, sed mensus est suis discipulis terrā: vt in suis quisq; partibus
Matt.29. prædicaret. Per Apostolorum verò prædicationem, aspexit
Luc.22. Dominus gētes, sicut in Passione respexerat Petrū. Aspexit & dissoluit eorum ritus & mores: eorū templa & idola, &c.

Demum libet audire quid Psaltes in Psal. 10. dicat quem psalmum de Christo dictum, Christus ipse testatur: ergo in
Matt.22. fine psalmi dicitur, De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput. Torrens viæ, est mors & dolores nostræ mor-
2.Reg.14. talitatis: omnes enim morimur, & sicut aqua dilabimur. De hoc torrente bibit Dominus, quia mortuus est: quia etiam iacuit in sepulchro. Licet enim iacuerit exaltauit tamen caput: vt qui moriendo caput inclinauerat, resurgendo caput exaltaret. Verum ergo est, Ego dorminui, & somnum cepi:
Psalm.3. sed exurrexi, quia Dominus exaltauit me.

CAPVT II.

Surrexit Christus, iuxta præcedentes figuras.

Surrexit Christus sicut dixit, non solum per verba, eius resurrectionem prænuntiantia: sed etiam per figuras, & signa eandem delineantia.

Gen.6. Harum prima sit Noë, de quo scribitur, quod cum ex vino eius vineæ, quam ille plātauerat lautius bibisset, ebrius iacuit in tabernaculo suo, nudatis etiam verēdis: quæ videns filius Cam, risit. Sed Noë euigilans Canaam Chami filiū maledixit. Habet iam doctus quiuis figuræ rationē: sed breuiter cā
Isai.5. perstringam. Plantauit synagogę vineam Deus, ex eius vino bibit, cum pro nobis carnem, & carnis infirmitates assumpsit. Ebrius inde factus est & nudus: cum in cruce nudus pependit. Iacuit nudus, dum in tumulo iacuit defunctus. Sed cum è somno euigilat (id est, cum ex morte resurgit) maledicit filio Canaā, id est, maledixit Iudæis: vt iam ex Iudaismo nullus infidelis in cœlum proficiat: sed serui sint fidelium infideles facti Iudæi.

Abraham vbi genuit Ismahelem, corpus habuit emortuum. Videbatque emortuam vuluam Saræ: vt Paulus testis
Rom.4. est. Quis igitur credidisset ex mortuis, viro, & vxore magnā futuram olim generationem? quis credidisset mortuos exci-

tandos.

tandos, vt nouam gentem generarent? At per verbum Dei reuiuiscit corpus emortuum viri, reuiuiscit corpus emortuũ fœminæ: & grandis per Isaac nascitur posteritas. Ita profectò cum Christus in cruce moritur: cumque Apostolorum Ecclesia (vera Christi vxor) dissipatur: nemo vnquam credidisset, Christum virũ: eiusq; sponsam Ecclesiam reuicturos: vt inde tanta Christianorum orietur posteritas. At cum videamus natos ex Christo Christianos, intelligamus: Christum post mortem, vitam ad filiorũ generatione accepisse.

Isaac ligatur ad ligna, in sacrificium, euadit tamen. Non moritur ille Deo, qui iam sibi, & Patri moriebatur. Ita plane ligatur Christus ad ligna crucis: offertur Deo æterno in sacrificium. At si non ille resurgeret, plane non responderet figuræ figuratum. Vt igitur respondeat necesse est, vt sicut vixit post ligamina Isaac, ita viuat post mortis ligamina Christus. *Genes. 22.*

Surripuit Iacob benedictionem fratri suo Esau: ea causa capitali odio, Esau fratrem Iacob persequitur. Fugit Iacob, in baculo suo Iordanem transiens, venit in regionem aliam, inde vxorem, & omnes diuitias allaturus. At profectò in ea regione nõ mansit: sed iterum ad terram natiuitatis suæ ditissimus rediit. Quam hæc pulchrè Christo conueniunt! Christus natu minor, sed sanctitate maior, benedictionem à Iudaismo surripit. Ea causa odio eum Iudæi eximie persequuntur: faciuntque, vt Christus in crucis baculo è terra sua, id est, ex vita, per flumen dolorum egrediatur. At Christus egressus in immortalitatẽ ad Patrum limbũ venit. ibi vxorem sibi deligit, totã scilicet illã Patrum Ecclesiam. Sed non manet in limbo Christus, ad terram suam, id est, ad vitam corporalem rediit: ex qua fuerat deiectus, rediit tamen non nisi ditissimus, cum turmis animarum sanctarum, cum turma etiam corporum sanctorum, quæ in hac resurrectionis die, cum Christo surrexerunt. *Genes. 27.* *Genes. 28.* *Genes. 30.*

Ioseph quia noluit roganti Ægyptiæ acquiescere, in carcerem reclauditur, omni humano fauore destitutus. Sed quia vinctus vinctis somnia interpretatur, e carcere cum summa gloria egreditur. In curru videlicet triumphali, præcone clamante: vt omnes coram Ioseph genua flectant: nihilque sine imperio Ioseph in tota Ægypto quisquam efficiat. Ita plane, noluit Christus peccatis synagogæ conniuere: ea causa accusatus, in carcerem mortis, & sepulchri conijcitur. At *Genes. 32.* *Genes. 41.*

Christus, defunctis pręmia pijs: pœnas distribuit impijs. Exit igitur è mortuis carcere, ex inferni cathenis, sed nonnisi cum summa gloria, nonnisi in curru triumphali carnis, scilicet, suæ clamantibus præconibus, id est, prædicatoribus quòd in
Philip. 2. nomine IESV non terrena solùm: sed & cœlestia genua flectant, & inferna. Quodque sine eius nutu & arbitrio nihil
Ioan. 5. vllus efficiat. Pater enim non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio: vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant & Patrem. vtq; fratres Ioseph, eum flexo genu adorarunt: ita nos Christi, per eius gratiam fratres, eum reuerentissimè, vt Deum nostrum, adoremus.

Iob 2. An non Iob, primum vulneratus: in sterquilinio (loco vbi cadauera iactantur mortuorum) iacens: à propria vxore & amicis irrisus: posteà verò multò quàm antea ditior factus:
Iob vlt. Christum repræsentat, multò quàm Iob patientiorem? in sepulchro iacuit Christus (sicut in sterquilinio Iob) à synagoga, & ab amicis relictus: sed posteà, multò quam vllus mortalium ditior resurgens.

Num. 17. An non virga Aaronis priùs sicca, & mortua: posteà verò vno instanti frondibus, folijs & fructibus viuens, & diues: Christum significabat in cruce defunctũ: in sepulchro siccũ, sed in resurrectione immensa gloria, immensa maiestate, in vno momento decoratum, & splendentem.

Exod. 2. Et profectò nisi me fallit coniectura, Moses, Pharaonis mandato perire iussus: à sua matre in fiscellam conclusus, & in aquas fluminis cõiectus: à filia verò Pharaonis educatus, nutritus, & ditatus: Christũ significauit, qui mandato Pilati, à synagoga in sepulchrum abductus: in aquas mortis & tribulationis cõiectus. postea à gentilitate susceptus, educatus, & velut nutritus, honoratur.

Iudic. 17. Iam ille Samson, intra Gazæ valuas & seras conclusus: sed de nocte consurgens, & Gazæ portas euellens, serasque earum confringens: manifestam resurrectionis Domini
In altero gessit figuram. Vt & Diuus Hieronymus autor fuit: Sur-
Tomo. rexit enim Dominus, mortis vincula, claustra: & repagula
Actor. 2. disrumpens. Iuxta quod impossibile erat eum ab illis teneri. Dominus, scilicet à vinculis seruorum, creator à repagulis creaturarum.

Psal. 17. Dauid etiam dicebat de se quidẽ, sed de Christo maximè: Circundederunt me dolores mortis, quantum ad corpus: dolores inferni circundederunt me: quantũ ad animam. Sed

mi...

misit de summo & accepit me: assumpsit me de aquis multis: eduxit me in latitudinem, saluum me fecit, quia voluit me, & retribuit mihi secundùm iustitiam meam, &ç. Quid clarius potuit de Christo dici. Sed audi quid subdat: In te eripiar a tentatione, & in Deo meo transgrediar murum. *2.Reg.22.*
Quam pulchre dicit, quod in Deitatis virtute, transgredietur murum clausi, sigilatique sepulchri.

Quid verò clarius potuit Christũ surgentem prefigurare, quàm Daniel in lacum leonũ iniectus? profectò super lacum impositus est lapis, annulo Regis, & optimatũ obsignatus: sicut super sepulchro Christi, lapis signatus erat impositus. Sed sicut in Daniele leones: ita in Christo mors, nihil habuere iuris aut imperij. Exijt Daniel liber: exijt Christus multò liberior. *Daniel. 6.*

Superfluum verò fuerit Ione figuram explicare. Siquidem eam Dominus ipse explicauit: Sed finio IESVM illum sacerdotem magnum adducẽs: de quo ita scriptum est: Ostendit mihi IESVM, sacerdotem magnum: stantem coram Angelo, & Satan stabat à dextris eius. Et Iesus erat indutus vestibus sordidis. Et Angelus dixit: Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit: Ecce abstuli iniquitatem tuam, & indui te mutatorijs. Et ait: Ponite cidarim mundam super caput eius. Et posuerunt cidarim mundam, & induerunt eum vestibus. O pulcherrimam sacre resurrectionis prefigurationem! Stabat sanè Iesus in cruce, coram Angelis Dei: tantam Domini dignationem admirantibus: stabat & Satan velut victoriam de Christo subacto reportaturus. Et quidem Iesus veste erat fœdata vestitus: eius enim sacerrima caro (quam in incarnatione pulcherrimam induerat) in passione sputis & sanguine fœdari permisit. At, is qui in sepulchro iacebat, velut sordescens: in resurrectione mutatorijs induitur. Speciatim verò fit de cidari mentio: quia sicut spinea corona eius sacerrimũ caput prius fœdauit, ita gloriosissima gloriæ corona splendidissimam cidarim in Christum repræsentat. Deo tamen gloria, quòd Christo dictum est, ablatum esse iniquitatem: non equidem suam, sed nostram, non quam ille admisit, sed quam pro nobis exoluit. *Matt. 12.* *Zach. 3.*

CAPVT III.

Christus diluculò diei dominicæ surgit.

NVllus Euangelistarũ de modo, de tempore, de ratione resurrectionis Christi disseruit. Indicantes, rem fuisse omni sermone maiorem, quam nõ linguæ hominũ modò, sed & Angelorum referre nequiuissent. Ea res Doctoribus dubitandi præbuit occasionem, quando surrexerit Christus: de nocténé, an verò iam illucescente die? Sed profectò cũcta argumenta euincere videntur, eum mane, diluculò, iam die dominico radiãte, surrexisse. ita canit Ecclesia: Aurora lucis rutilat, cum rex ille fortissimus, mortis confractis viribus: victor surgit de funere. Mihi verò, hæc Ecclesiæ communis confessio, vehementissimum est veritatis argumentum. Cui Psaltes in psalmis duobus, eisdem tamen verbis, suffragatur: Exurge (inquit Pater ad Filium in sepulchro iacentem) gloria mea: Exurge psalterium & cithara. Cui respondet Filius: Exurgam diluculò, & confitebor tibi in nationibus. Pater suam gloriam Filium vocat: quia Filius Patrem super terram glorificauit, & clarificauit. Vocat eum psalterium & citharam, eius crucem innuens: vbi nerui Christi, velut in nablo extenti fuerunt: simul & mundum admonens, vt huius psalterii cantu, velut Saul olim, refocilletur. At Christi responsio nostræ veritatis est confirmatio. Adiuuat nos etiam Zacharias, qui futurũ tantò ante cantauit, vt Christus Oriens nuncuparetur. Ita enim dicit: Hæc ait Dominus exercituũ: Ecce vir: Oriens est nomen eius. & alio loco: Ecce ego adduco seruum meũ Orientem. Cui accinit alter Zacharias Baptistæ pater dicens: Per viscera misericordiæ Dei nostri: in quibus visitauit nos Oriens ex alto. Vbi, Oriens, non est participiũ ab orior, sed est Orientis Solis nomen: vt ex tunc indicaret, Christum Dominum Solem esse diluculo Orientem: non adeo equidem tunc, cum ex vtero Virginis nascitur: sed tũc, cùm ex Occidente sepulchri resurgit. Cùm enim ex matre nascitur noctu nascitur: vt qui ad mortis noctẽ properabat. At cùm ex sepulchro surgit, mane resurgit: vt qui iã tenebras non esset visurus. Christus enim surgens à mortuis, iam non moritur: mors illi vltrà non dominabitur.

Vt in altero Tomo habetur. *Psal. 56.* *Psal. 107.* *Ioan. 12.* *1. Reg. 16.* *Zach. 6.* *Zach. 3.* *Luc. 2.* *Rom. 6.*

Eam rem nobis cõfirmat Oseas, ita dicens: Die tertia suscitabit nos, viuemus in conspectu eius. Sciemus, sequemurq́;, vt cognoscamus Dominum. Quasi diluculum præparatus est egres-

Oseæ 6.

est egressus eius. Sanè cùm dixisset: quòd die tertia, nos ille surgens surgere fecit. Rogaret quispiam: quâ diei tertiæ parte ille surrexerit? Oseas respondet: Quasi diluculum est egressus eius. Dixit verò: Quasi diluculum, quia licet resurrectio Domini (in tempore) fieret diluculo, sed in claritate, in gloria, in splendore, non diluculum erat: sed fulgentissimus & radiantissimus dies.

Idem mihi innuisse videtur Iacob mane consurgens. Et quia historia est resurrectioni accommodatissima: ne graueris audire. Fugiens Iacob fratrem suum Esau, venit ad quendam locum: in quo quiescere voluit. Supposuit lapidem capiti suo, ibique dormiuit. Scalam à terris ad cœlum vidit. Euigilans de somno dicit: Verè Dominus est in loco isto: non est hic aliud, quàm domus Dei, & porta cœli. Surgens verò mane, tulit lapidem, & erexit in titulum, &c. Fugiens ita Christus à Iudæis, venit ad crucem, & ad sepulturam. Ibi dormire volens, sepulchrum in lapide sectum delegit: super lapidem caput reclinans. In eo somno scalam ipse fecit ex inferno ad sepulchrum, & e sepulchro in cœlum. Per eam scalam Angeli descendebant: & animæ sanctæ festiuissimè ascendebant. Cùm igitur a somno Christus euigilat: fatetur in eo loco iacuisse Deum, eundemque in carne resurrexisse. Fatetur etiam mortem pijs, nihil esse aliud quàm portam cœli. Si enim peccata non obstent, iam nihil vetare, quominus à morte ingrediamur in cœlum. Quòd vero lapis sepulchri sit erectus in titulum, præsens experientia testatur: lapis enim monumenti, Ara est etiam nūc, super quā sacrificiū Domino celebratur. Ad rem igitur nostram: vt Iacob mane è somno surrexit: ita & Christus mane surgere debuit. Vt videlicet in die dominica nihil penitus nox haberet participij, sed nox præcedens cum sepulchro finiatur: mane subsequens ad diem resurrectionis spectet. Genes. 28.

Forsan & id indicauit sanctus Iob, de peccato verba ista prophetans. Expectet, inquit, lucem & non videat: neque ortum surgentis auroræ. quasi dicat: Peccatū regnasse visum est, vsque ad Christi resurrectionem. Dum enim Christus ob peccata mortuus iacet, adhuc peccatum regnasse videbatur. Sed si expectet etiam regnare post lucem, lucem nō videbit. In ortu enim surgentis auroræ, regnum peccati & mortis abolitum est, nisi nos illud excitemus. Iob 3.

CAPVT

CAPVT IIII.

De textus expoſitione.

VEſpere autem ſabbati: luceſcente, & incipiente iam prima ſabbati (quæ erat dies dominica) *tunc venerunt Maria Magdalena, & altera Maria.* Reuoca in memoriã pie Lector, quod ſex diebus operatus eſt Deus mundum corporalem: die verò ſeptimo requieuit ab omni opere mundi terreni. At Christus per reſurrectionẽ ſuam, huic terreno ſeculo finem impoſuit: vt iam non ſecundùm ipſum viuamus: nouum igitur mundum, nouumq́ue ſeculum inſtituit, vt iam in nouitate vitæ ambulemus. Surgit igitur poſt ſabbati quietem: nouum ſeculum inchoans. Surgit mane conducturus operarios nouos, in vineam nouam nouo ſtipendio. Non ergo prius quod ſpirituale eſt: ſed prius quod animale: Præceſſit animalis mundus: ſurgente Chriſto, nouus cum illo mundus inchoauit. Et operibus prioris mundi iam perfectis, & eius abſoluta quiete, denuò ſurgit Dominus: velut nouam creaturam plantaturus. Nec enim immeritò in ſpecie hortulani, ſeu agricolæ, Magdalenæ voluit apparere. Quàm igitur verum eſt illud: Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox: in ea pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ: catuli leonum rugientes, vt rapiant prædam ſuam. Ortus eſt ſol & congregati ſunt. Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationẽ ſuam vſque ad veſperam. Re aera poſuit Deus ſeculum prius: in quo nox peccati ſuum vigorem habuit. Atque ideo, pertranſierunt in ea omnes beſtiæ: tum idolorum, tum etiã vitiorum. Sed cùm ortus eſt ſol (ipſe, qui quatenus Deus erat ſol, & quatenus carneus, erat homo) ipſe inquam homo, exiuit ad opus ſpiritualis mundi gubernandi, vſque ad veſperam, quà mundus conſummabitur. Sed neque ſolus Chriſtus ad opus ſuum exijt, exierunt & Mariæ: quæ ea ratione veniſſe ad monumentum dicuntur orto iam ſole.

Geneſ. 1. *Rom. 6.* *Matt. 20.* *1. Cor. 15.* *Hebr. 4.* *Galat. 5.* *Ioan. 20.* *Pſal. 102.* *Rom. 5.* *Marc. vlt.*

Venit igitur Maria Magdalene, & altera Maria. Deus bone, quàm nõ eſt perſonarum acceptor Dominus: ſed omnis qui facit iuſtitiam acceptus eſt illi. Non veniunt ad monumentum, aut reges, aut diuites, aut põtifices, aut ſacerdotes: ſed mulieres. Vt quæ durauerant iuxta crucem vidẽtes morientem: nunc priores, mereantur videre reſurgentem. Tantum eſt iuxta crucem duraſſe. Quis enim non credidiſſet priorem Petrũ venturum: priorem Andræam, aut Iacobũ? Sed nun-

Actor. 10.

Sed nun

Sed nunquã non verũ est, quod infirma mundi elegit Deus, stulta, & quæ non sunt: vt ea quæ sunt, & quæ fortia sunt confundat. Non est quòd gaudeat, aut glorietur sapiens in sapientia sua: neque fortis in fortitudine sua, neque diues in diuitijs suis Est verò quòd gaudeat, & glorietur infirmus. Ita enim facilius in eo habitat virtus Christi. Sed enim Mariæ istæ primæ de Christi resurrectione exultant: quia maximè de eius passione doluerunt. Est perpetuò vox illa Christi vera: Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis, quia est merces operi tuo. Est enim ploratus & lachrymæ pro passione, dignum opus: cui gaudij merces tribuatur ex resurrectione. *1. Cor. 2.* *Ierem. 3.* *2. Cor. 12.* *Ierem. 31.*

Cur verò Maria Magdalena, & altera Maria ad sepulchrũ adducuntur? Ego enim id mysterio carere minimè existimo. Ergo Magdalena peccatrix: altera Maria iusta de nullo vitio diffamata, significant, peccatores, & iustos, Christi fauore indigere: nemo aut peccator est, aut iustus, qui ex Christi morte, & resurrectione nõ dependeat: non est qui se abscondat à calore eius. Si peccator es, Christo eges, vt iustificeris. Si iustus es, eges Christo, vt glorificeris. Si peccator es, eges Christo, ne in peccato perdures: si iustus es, eges Christo vt in iustitia perseueres. Si peccator es, eges Christo, vt cum Publicano iustus efficiaris: si iustus es, eges Christo, ne cum Pharisæo damneris. Omnes igitur & qui præcedunt, & qui sequuntur clamant: Hosanna, id est, salua nos: quia nemo est, qui Christi salute non indigeat. *Psalm. 18.* *Luc. 18.* *Ioan. 12.*

Sed vide quòd licet duæ Mariæ ad sepulchrum veniant. Prior tamen Magdalena, peccatrix illa recensetur. Quia videlicet, licet Christus salus sit tam iustorum, quàm peccatorum, non tamen venit vocare iustos, sed peccatores. Nec enim opus est valentibus medico: sed malè habentibus. Christus enim Iesus venit peccatores saluos facere: quorum primus (inquit Paulus) ego sum. Verè igitur publicani, & meretrices præcedunt in regno Dei. *Matt. 9.* *1. Tim. 1.*

Nunc audi quorsum venerint Mariæ ad monumentum, & equidem Matthæus cap. 21. dicit, quòd venerunt videre sepulchrum. At Marcus Matthæi abbreuiator dicit, eas venisse: vt vngerent corpus IESV. Non veniunt adorare, non deflere, sed vngere. Et quantum intelligo id ille facturæ veniebant, quod totus mundus continuo facit. Arbitror enim totum mũdum nihil aliud conari, quàm mortuos inungere. *Marc. vlt.*

Sanè

Sanè homines bifidi sunt. Alij sunt impij, quos esse mortuos
Ephes. 2. nemo nescit. Ita enim Paulus docuit: Vos cùm essetis mortui delictis, & peccatis vestris. & rursum: Surge qui dormis,
Ephes. 5. surge à mortuis. Sunt alij pij, quos etiam esse mortuos idem
Colos. 3. Paulus clamat: Mortui enim estis, & vita vestra absconditα est cũ Christo in Deo. Et item si mortui sumus cum Christo,
Rom. 6. credimus quòd simul viuemus cum eo. Et forsan de his, &
Matt. 8. illis dixit Dominus: Sine mortuos, sepeliant mortuos suos. Sunt igitur omnes homines mortui. Porrò solent inungi defuncti, ne tabe putredinis corrumpantur. Quid verò aliud totus noster conatus intendit, quam dare operam ne putredine corrumpamur? quid aliud contendimus, quàm nos à corruptione seruare: Mors plane perpetuò est nobis comes: rectè siquidem dixit ille, Mors ab origine pendet. Cum igitur mors intra nos sit, continuò corpora nostra depascens: contendimus nos contra, totis viribus reluctari, ne in totum à morte & vermibus, & putredine absumamur. Esus ergo, potus, delitiæ, mollities, nihil sunt aliud: quàm mortuorum ne putreant vnctiones. Imò & orationes, eleemosynæ, & reliqua opera pia, quæ facimus: an non vnctiones sunt, quibus contendimus, nos à peccati corruptione seruare? Quam igitur meritò repelluntur Mariæ Christum vngere cupientes? minimè, ô fœminæ, Christus, aut corporis, aut animæ
Matt. 26. corruptionem timet. vt vngi patiatur. Vngi voluit ante mortem, vt moriturus: nunc vngi non vult, vt perpetuò victurus.

CAPVT V.

Angelo descendente terra tremit.

ET *terræmotus factus est magnus: Angelus enim descendit de cœlo, & reuoluit lapidem.* Quantum videtur, ad multa fuit vtilis iste terræmotus. Primùm quidem, vt indicaret Angeli aduentum. Tum, vt deterritos custodes, velut mortuos redderet. Tertiò, vt attonitis custodibus fas esset fœminis ad monumentum accedere: rursumque sine custodum impedimento, ab eodem recedere. Et quantùm intelligo, hinc occasionem mentiendi custodes acceperunt. Cùm enim intelligerent se terræmotu attonitos, dixerunt: quòd dum illi dormissent, furto fuit sublatum cadauer.

At verò crediderim, terram cœpisse tremore cõcuti: cùm

Christus surrexit. Tunc enim Angelorum infinita copia ad miraculum illud videndum, & adorādum descendit de cœlo: tunc anima Christi cum infinito animarum exercitu ad miraculum exercēdum, ascendit de inferno. Quid ergo mirum si terra tantam maiestatem ferre non potēs tremebat? Si maiestatem Dei dum adorant angelicæ dominationes, tremunt: quid non tremat terra Dominum dominationum adoratura? Si cùm Dominus respicit terram, facit eam tremere, quid mirum est, si cum anima Domini, in terram intrat, faciat eam tremere? *Psal. 103.*

Quòd si aliquis stupeat adhuc, quare tremat terra, cunctis alijs exultantibus: cœlum siquidem tunc laudibus intonabat, mundus exultans iubilabat. Ad hoc multa se offerebant dicenda. Primùm si terra pro malis sumatur: profectò sicut audiens Herodes Magorum aduentum, turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo: ita videns terra Christum ex inferis ad vitam reuocatum, tremit. Est enim Christus hominū terrenorū persequutor acerrimus Secundò, si terra pro pijs accipiatur, tremor ille terræ illud significabat egregium: quòd licet Christo resurgente nobis sit exultandum, exultandum est tamen cum tremore. Ita enim ex psalmo admonemur, Seruite Domino in timore, & exultate ei cū tremore. & Paulus: Vestram salutem cū timore, & tremore, operamini. Tertiò, si Christi ex sepulchro resurrectio hominis ex peccatore resurrectionē designet: ille terræ tremor, quid peccator in sua cōuersione facturus sit, apertè demōstrat. tremat enim necesse est, & contremiscat, Dei iram quam incurrit: inferni pœnam, quam meretur: iudicij furorem, quo examinabitur: æternitatem tormentorum, quibus cruciabitur. Ex quo timore, quo vtiliter concutitur, (vt Concilij verbis vtar) ad Dei misericordiam sperandam, sese conuertere debet. Quartò, si Christi surrectio nostram in fine mundi resurrectionem designabat: tremor ille terræ prophetia erat, illius vltimi. & maximi tremoris: quo sub finem orbis terra tremiscet, sepulchrorum lapides reuoluentur, corpora defunctorum resurgent. *Matth. 2.* *Psalm. 2.* *Philip. 2.* *Conciliū Trident.* *Matt. 24.*



Inquit verò Mattheus, Angelum euoluisse lapidem: & super eum sedisse Diu igitur meditanti mihi, quid esset Angelum lapidem euoluere: occurrit D. August. qui tract 49. in Ioānem, lapidem quo Lazari monumentū claudebatur exponens, ait: Lapis est pōdus legis antiquæ. & aliquāto infra:

Lapis est moles prauæ consuetudinis. Cùm ergo per Christi resurrectionem, & moles antiquæ legis sit ab humana sublata natura: & cōparata sit gratiæ virtus, per quàm nulla consuetudo peccati, mortuo peccatori (si resurgere velit) obsistere possit: meritissimè dictum est, quòd per Christi resurrectionem, ab Angelo est euolutus lapis.

Porrò quia lex vetus nunquā in perpetuum, super humanam imponetur naturam: meritò Angelus super lapidem sedet. Si enim lex illa esset rursum hominibus imponenda, Angelus non super lapidem sedens: sed iterum monumento lapidem admouens, apparuisset. Et item, quia consuetudo habitusque peccandi, nulli à peccatis surgenti nocere poterit, (si modò ille non sibi eam superinducere velit) idcirco etiam super lapidem sedisse dictus est Angelus? Quam rem vt intelligas, statue tibi infidelem, peccatorum consuetudine, velut lapide pressum. Tunc finge illum ad sacrum baptismi fontem accedere. Profectò si post baptismum mori contingat, ad cœlum statim euolabit nihil peccatorum consuetudine remorante. Insidet igitur Angelus lapidi, ne à lapide damnum tibi venturum extimescas, nisi (vt iam dicebam) tu te lapidi iterum sponte subijcias.

Concilliū Trident.

Sed non est leuiter audiendum, quòd Matthæus inquit: Angelo fuisse faciem sicut fulgur, & vestem sicut nix. Similis est ergo quadantenus Angelus in resurrectione, Christo in transfiguratione. Christus cum transfiguratur habet faciem vt sol, & vestimenta sicut nix: ita & nunc Angelus apparet. Igitur gloriæ habitatores facie splendent, vestibus candent.

Matth.16.

At interim, quis non miretur simul in eodem contraria? An non contraria sunt fulguris ignis, & frigiditas niuis? Cur ergo in Beatis hæc contraria monstrantur? Respondeo: Primùm: nihil mirum si Angelus tam distantia, in se conciliata demonstret: siquidem in Christo, cuius Angeli festa celebrant, tam distantia erant in vnum coalita. Si in Christo, Deitas, & humanitas, ęternitas, & tempus, gloria, & afflictio, immortalitas, & mors, cœlū, & terram in vnum compacta sunt: quid miramur, si Angelus eam varietatem ita coūnitam, in seipso demonstret? Si breui futurum erat, vt caro Christi (puluis ipsa, & terra) esset sinui & gremio æterni Patris inferenda: quid mirum est, si niuem Angelus igneo fulguri inferret? Secundò, etiam addo: Angelum facie igneum, corpore niueum: qualis esse Christiani vita debeat, osten-

ostendisse: esse enim debet Christianus exterius quidē candida mortificatione niueus: interius verò igneo fulgore resplendens. Et planè si miraculū est, ignis in niue maius miraculū est, igneus spiritus in corpore mortificato. Tertiò visus est Angelus ad omnia ministeria paratus. Dum enim sedet super lapide, videtur expectare sacrū sepulchrum inuisentes. Vt enim Ecclesiæ (in quibus martyrū sunt reliquiæ reconditæ) viros quosdā habēt: qui peregrinis ad reliquias inuisendas conuenientibus, qualis sit quęq; reliquię referāt: ita videbatur angelus expectare, vt de Christi corpore, ad monumētū accedētes admoneret. Tum fulgebat Angelus igne coruscus: vt tepidos accēderet. Candebat verò, niue refrigerās, vt lassatos pio amore refocillaret. Vtrunq; hîc Angelus apertè monstrauit: subditur enim. *Præ timore autem eius territi custodes, facti sunt velut mortui.* At mulieribus idem Angelus dicit: *Nolite timere vos.* Dum enim custodes exterret: eorum frigus suo calore, cōtendit accēdere. Eo certè eos deterruit, & obstupefecit: vt illi gelu & duritia cordis reiecta, lumē, & feruorem Christi surgentis reciperēt. At dum mulieres demulcet, & blandius excipit: velut è longa lassas via refouet, & refocillat. Eo igitur Angelus fulgore coruscat, vt timore, & amore ad Christum animas pelliciat.

Sed age expendamus quid sit. *Nolite timere vos, scio enim quòd* IESVM *crucifixum quæritis.* O insignissimam timentiū, ac meticulosorum medicinam! ò viri quos timor aliquis deterret: quos inferni, dæmonū, tyrannorum, aut temporaliū terror excruciat: vultisne nihil timere? parata vobis non timendi ratio est: Crucifixū quærite. Quomodo enim timeat crucem, qui quærit crucem? Si quæris crucem Christi, non pertimesces famem, penuriā, mortem, quæ tibi afferunt crucem Christi. Et sicut nihil contra Christum crucifixum valuit tota dæmonum phalanx, tota inferni rabies, tota mundi potentia (hæc enim omnia Christus exaltatus à terra, pedibus suis subiugauit) ita nihil illa poterunt omnia, contra eū qui crucifixum quærit: quin ea suis pedibus subijciat. Infideles timeant, qui Christum nō quærunt. Christiani timeāt, qui licet Christum quærant, eum tamen regnantem, nō patientem exoptant. At Paulus nihil se aut quærere, aut scire arbitratur: nisi IESVM & hunc crucifixum, in nulla re nisi in Christi cruce vult gloriari. Vide iam nunc quid timeat crucem, qui in sola cruce gloriatur? Ego verò id ingenuè

Ioan. 12. *1. Cor. 3.* *Galat. 6.*

fateor: potius mihi diligerem eam gratiam: vt solum crucifixum quęrerē: quàm eam potentiam, vt omnia regna mūdi
Actor. 1. possiderem. Quærenti enim crucifixum, cœlum apertum est: vt crucifixo fuit olim apertum: at regna mundi possidēti, non item. Properea eleganter Angelus subdit. *Surrexit, non est hîc*, impossibile enim erat Christum crucifixum
Actor. 6. non surgere. dicente Petro: Impossibile erat, eum teneri à doloribus inferni Ita planè qui crucifixum quærit: surrexit, non est hîc: maior est quàm mors: maior quàm monumentum: non est in hoc mundo: sed est ciuis sanctorum & domesticus Dei.

CAPVT VI.

Angelo iubente, Marię intrāt in sepulchrum.

V*Enite: videte locum vbi posuerunt eum*, Dicit Angelus piis fœminis. Ancilla quædam ostiaria introduxit Petrum
Ioan. 18. in domum Pontificis, vbi Petrus negat Dominum. Angelus dicit mulieribus, & introducit eas in monumētum: vbi non negant, sed agnoscunt Dominum. In domo viuorum Petrus lædit fidem: in domo mortuorum fœminæ læsam reparant fidem, tantùm est à bono ostiario induci.

Interim libet fœminarum pectus fortissimum & audacissimum mirari: per medios enim irrumpunt custodes, per ianuam intrant sepulchri, ad ipsam ingrediuntur mortem. Fa-
2. Reg. 23. cinus fuit, (non nego) quod fortissimi viri illi designarunt, cùm sitiente Dauide, per hostes medios irrumpentes aquam ex Bethlehemitico fonte suo regi detulerunt. Sed quis non videt maius, aut certè par facinus fuisse fœminarum: quę nihil veritæ custodū efferatum furorem, inter eos irruunt, vt ad monumentum perueniant? Adeò subdita est creatura, creatoris impulsui. Impulit sanè Dominus animos fœmina-
1. Thes. 4. rum per Angeli vocem: & sicut clangēte Angelica tuba, surgent omnium ad iudiciū corpora defunctorum: ita loquēte nunc Angelo, animum induerunt fœminæ: vt inter rabidos custodes ad monumentum peruenirent. Quid non aggreditur amor, Dei stimulatus instigatione?

Significabant intereà sacræ illæ fœminæ propriam mortem contemnentes, propriam vitam periculo obiicięntes, vt ad mortem iam viuam penetrarēt: qualis esse Christianorū animus

animus debeat. Certè talis, vt propria morte, Christi mortē adorent: vt propriæ vitæ periculo, vitæ quæ Christus est securitatem participent. Non facio, inquit Paulus, animam meam pretiosiorem quàm me. & item: Ego paratus sum nō solùm alligari, sed & mori, propter nomē Domini IESV. *Actor.21.*

Simul etiam fœminæ ad monumentum, id est, locum mortis, propter Christum deuenientes significabant futurū: vt multi propter Christum essent ad locum mortis deuenturi, martyrio scilicet coronandi: at sicut fœminæ non in loco mortis manent, sed citò exeunt, & Christum occurrentē inueniūt: ita martyres non sunt in morte mansuri. eos Christus expectat, eis obuius erit Christus dicens: Auete, id est, omni malo carentes, omne bonum possidete. Sed de hoc redibit postea sermo.

Subdit porrò Angelus: *Citò euntes dicite discipulis eius: quia surrexit.* Dies enim boni nuntij est: sceleris arguemini si in Ecclesia Christi, quę est veri regis aula, tam insigne mysteriū celaueritis. Quàm sunt Angeli benigni, quàm nihil sunt bonorum suorum inuidi, quàm sunt gloriæ Christi ardentes zelatores? Arbitror enim ego, summa suauitate summaque dulcedine, fœminas in ipso ingressu monumēti affectas. arbitror beatissimum tūc odorem sensisse: & velut Angelorū præsentia suffultas, parum à cœlesti gloria abfuisse. Volebāt ergo illic facere tria tabernacula: bonum enim erat eis illic esse. Sed Angelus gloriæ Christi, & profectus discipulorum zelantissimus eas in eo paradiso durare nō patitur. sed sicut Apostolos, Christi ascēdētis suauitate, velut ebrios (ac ideò velut attonitos,) Angeli vellicant, & pelliciunt, eijciuntque ex illa cœlesti visione: dicentes: Quid statis hic aspicientes? quin ite in vniuersum mundum prædicantes quę vidistis: ita mihi Angelus videtur, fœminis monumenti suauitate stupentibus, hæc verba profari: Quid hic statis? quin ite, nuntiate discipulis, quæ vidistis. *4.Reg.7.* *Matt.16.* *Actor.1.*

Non libet hinc discedere, nisi illud expendam: cur Mariæ nominantur, quæ primæ sunt resurrectionis prædicatrices? Cur etiam fœminas elegit Deus, ad hanc primā tantæ glorię prædicationem? Et equidem existimo, Christum fœminas elegisse, vt in sexu fragili, maximè resplenderet gloria Christi. Vt enim elegit Deus homines abiectissimos, qui Euangelii gloriam mundo declararent: ne scilicet esset Euangeliū in viribus humanis, sed in diuina virtute: ita elegit fœminas, *Matth.4.* *1.Cor.2.*

Luc. 7. & eas non sine infamia culpæ. (fuerat enim Magdalena peccatrix) quæ resurrectionis gloriam Apostolis annuntiarent: vt fides non daretur autoritati dicentium, sed veritati gestorum. Iam verò placuit Deo, vt Euangelici præcones, verissimè essent humiles: neque haberet caro, vnde posset gloriari: At profectò grandis erat humilitatis in Apostolis occasio, quòd resurrectionis maiestas, non per aliquem virorum, sed per fœminas esset primitùs annuntiata. Tum ex ea gratia, quam fœminis Dominus concessit, vt essent ipsæ primæ quæ Angelos audirent: quæ monumentum ingrederentur, quæ Christo obuiarent, quæ Christi resurrectionem prædicarent, facilè Apostolis erat illud insigne colligere, quàm liber velit esse Dominus, in suæ gratiæ collatione: quam sine vllo respectu, sine merito, sine præcedentibus causis, gratiam suam cui vult quando vult, & quomodo
Rom. 4. vult elargiatur. Si enim gratia ex operibus esset, iam gratia non esset.

Quòd verò resurrectionis annuntiatrices vocatæ fuerunt Mariæ, illustre iudicio meo est. Voluit enim Dominus ea ratione sacerrimam Mariam, Dei veram genitricem, egregiè decorare: vt resurrectionis nũtiæ, Matris resurgentis nomen haberent: neque de resurrectione vnquam mentio esset, nisi Mariæ nomen ob oculos proponeretur. Igitur colloquium Angeli cum beatissima Maria initium fuit nostræ salutis. Colloquium etiam Angeli cum Marijs initium fuit nostræ reparationis. Maria loquens cum Angelo Deum mundo adduxit: Mariæ audientes ab Angelo, Christum Ecclesiæ an-
Isai. 40. nuntiarunt. Profectò illud Isaiç ad literam sine violentia adimpletur: Super montem excelsum ascende, qui Euangelizas Sion, exalta in fortitudine tua, qui Euangelizas Ierusalem, dic ciuitatibus Iudæ, Ecce Deus vester. Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, &ç. Vbi illa verba, Qui Euangelizas Sion, & qui Euangelizas Ierusalem, apud Hebræos, sunt fœminina: vt ad fœminas, non ad viros referantur. Vt vel primum Hebrææ linguæ limen ingressis constat. O igitur Maria Magdalena exalta vocem tuam, dic omnibus, Christum, non iam in infirmitate, sed in fortitudine venisse: non iam inclinatio capite daturum spiritum, sed in brachio extento in mundo dominaturum.

CAPVT VII.

Mariæ exeunt à monumento.

ET exierunt cito Mariæ de monumento cum timore & gaudio magno, nuntiare discipulis. Aut fallor, aut hoc loco prædicatorum conditiones, quas seruare debeant designantur. Prima enim conditio est: Intrare in Christi monumentum: altera, citò ab eo exire, tertia, exire cũ timore & gaudio magno: quarta currere: quinta fratribus nuntiare. Primum igitur prædicator Christi sepulchrum ingrediatur: piè & deuotè Christi facerrimam mortem, passionem, Crucem meditando. Si enim Iudæi attendere ad petram vnde erant excisi, *Isai.51.* iubentur, & ad cauernam laci, vnde erant præcisi, cur non potius Christiani, maximeque prædicatores, ad petram, & laci cauernam: vnde nostra manauit iustificatio, & resurrectio, attendemus? Si Moses stare supra petram, imò in foramine petræ poni præcipitur, vt legẽ Domini quam populo *Exod.33.* proponat, suscipiat: quanto potius prędicatori intrare in petrã sepulchri, imò in vulnera Christi, (vera foramina Petræ,) præcipiendum erit? An nõ Paulus Christi mortem frequentissimè recolebat: qui, nihil aliud se scire, quàm Christũ crucifixum confitebatur? Profectò si defunctus Christus, & vulneribus perfossus, liber est vitæ, qui legerit in eo, inueniet multa, quæ prædicet, viuida, efficacia: quæ viuam nostram mortem mortificent & mortuam nostram vitam viuificẽt. Si Bernardus à quercubus & fagis docebatur, an non potius prædicator à Christi monumento docebitur?

Exod.34. *Cantic.2.* *1.Cor.2.*

Sed arbitror, facile hanc cõditionem probabis. altera erit tibi dubia, quomodo prædicator à Christi morte & passione, citò exire debeat? Cùm melius sit in ea semper durare, quàm ab ea citius exire. Equidem cum dulce est in Christi monumento habitare, omnis in eo mora breuis est, & cum exire quis inde iubetur, citò sibi exire videbitur. Fœlix hora, inquit Bernardus, sed breuis mora. Veniat nobis in mentem *Sapien.5.* verbum illud impiorũ, in inferno dicentium: Nos nati, continuò desiuimus esse. quid ô miseri, an non vobis satis longa contigit vita? Cur dicitis, Nati cõtinuò desiuimus esse? Certè, quia sicut in dolore, omnis breuitas est lõgissima: ita in gaudio omnis mora est breuissima, & ita ego suprà existimabã, pias has fœminas vehementissimũ gaudiũ in Christi monumẽto sensisse: & cũ exierũt, citissimũ sibi exitũ visum fuisse.

Docemur ergo prædicatores, tanto gaudio & dulcedine in mortis Christi consideratione, debere perfundi: vt cùm ab ea diuellimur, citò nobis exire videamur.

Psalm.2. Tertium erat: cum timore, & gaudio magno exire. An non hìc audire Deum tibi videris, ore Dauidis clamantem: *2.Cor.7.* Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore! & Paulum, ferè idem prædicãtem: Vestram salutem cũ timore & tremore operamini. At rursum: Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete. Ergo prædicatores timere iubentur, & gaudere: vt quem ipsi timorem, & gaudium conceperunt, in auditoribus generent. Is enim verè afficere potest, *2.Cor.5.* qui prius ipse affectus erit At Paulus tremens dicit: Scientes illum terrorem Domini (scilicet iudicij extremi, & gehen- *2.Cor. 11.* næ) hominibus suademus. Audi rursum timentem: Timeo, ne sicut serpens decepit Euam: ita corrumpantur sensus ve- *2.Cor.2.* stri. Audiuimus timentem, audiamus gaudentem. Per Christum, inquit, abundat cõsolatio nostra. An non vides Paulũ cum timore & gaudio? Sed quia maior est qui gaudium dat, Deus, quàm qui timorem incutit, diabolus: ideo inquit, exierunt cum timore, & gaudio magno.

Porrò timor & gaudium duo sunt pedes: imò duæ sunt alæ, quibus prædicatores non tam currunt, quàm volant: vt *Mar.vlt.* euntes in mundum vniuersum, Euangelium prædicent omni creaturæ. Neminem arbitror tam legisse pauca, vt non le- *Isaiæ.60.* gerit de prædicatoribus dictum: Qui sunt hi, qui vt nubes volant: & quasi columbæ ad fenestras suas? Vbi elegãter iudicio meo duplex functio prædicatoris delineatur. Altera, quâ prædicator (velut cœlestis nubes) volans, prædicationis imbribus terram fœcundat, altera quâ post prædicationem, *Genes.8.* (velut antiqua illa columba,) in Noë arcam reuertitur. Vidésne prędicatorem vocari volantẽ nubem, & ad fenestram reuertentem columbam? Quæ verò sunt fenestræ in arca, nisi sacra illa foramina Petræ: in quibus cõsistens columba, *Cantic.2.* Spõsa pulchra videtur? Habes ergo quàm meritò dicatur de fœminis: quòd exierunt cũ timore & gaudio, currẽtes nuntiare fratribus: cursu suo designãtes quando feruore, & quãto desiderio prædicatores exercere functionem suam debeant.

Quod verò inquit currentes nuntiare fratribus, charitatẽ, quam prædicator ad auditores habere debet demonstrat. Quid enim? Si Christus homines nõ dedignatur fratres vocare: dedignabitúrne prædicator? Deus homines fratres vocat,

vocat, & homo homines fratres vocare cōtēnet? Ergo Christus, (vt sponsus procedēs de thalamo suo) exultauit ad currendam viam suam, quo scilicet nuntiaret nomen Patris fratribus suis, eumque in medio Ecclesiæ laudaret: ita è recessu suo exeat prædicator. exultans, velut hæros, ad currendam viam suam, quo nomen Dei, suis fratribus narret. Si enim prædicatores sunt lux mundi, suntque luminaria verbū vitæ continentia: at luces mundi, sol, scilicet & stellæ, non in aliquo desident loco: nunquam non currunt: vt lucem suam, suum calorem, & influentiæ thesauros terris communicēt. Audi Paulum hæc apertè docentem: Siue enim mente excedimus, Deo: siue sobrij sumus, vobis. Charitas enim Christi vrget nos. an non vides, eâ charitate, quâ vrgebantur fœminæ illæ, vt Christum fratribus nuntiarent, vrgeri Paulum, vt eundem mūdo prædicaret? Eadem igitur vrgeri, festinare, & recurrere debent prædicatores, nō dantes requiē oculis suis, donec inueniant locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.

Psal. 18.
Psal. 21.
Matth. 5.
2. Cor. 5.
Psal. 131.

CAPVT VIII.

Christus exeuntibus à monumento fœminis occurrit.

Ecce IESVS *occurrit illis, dicens: Auete. At illæ accesserunt & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum.* Non me fugit Christum sæpe non currentibus, & non volentibus, occurrere. Dictum enim est: Inuentus sum à non quærentibus me. palàm apparui, ijs qui me non interrogabant. & item: Tota die expandi manus meas, ad populum non credentē, & contradicentem. & Christus ipse dixit: Non vos me elegistis: sed ego elegi vos. Fieri igitur potest, vt Christus occurrat non currentibus, sed non potest fieri, vt præcurrentibus, non occurrat. Dictum est enim: Ego diligentes me diligo: & qui mane vigilauerint ad me inueniēt me. & item: Omnis qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur. Beatæ ergo fœminæ quæ currebant. Dicere quippe, earum quæuis poterat: Sine iniquitate cucurri, & direxi: exurge in occursum meum Domine, & vide Deus virtutum, Deus Israël. Occurrit Christus sine iniquitate, cum charitate, currentibus, & dicit eis: *Auete.*

Rom. 9.
Isaiæ 65.
Rom. 10.
Prou. 8.
Psal. 58.

Cùm Dominus occurrit non currentibus, non laborantibus, sed otiantibus, non eis dicit: *Auete*, sed dicit: Ite & vos in vineam meam: quid statis hic tota die otiosi? Aut dicit:

Matt. 20.
Matt. 4.

Venite,& faciam vos piscatores hominum. Aut etiã: Sinite,
Luc. 9. mortuos, sepeliant mortuos suos. At, cum currentibus occurrit, dicit: *Auete, nolite timere.* ita enim cùm in remigando
Marci 6. laborantibus occurreret, dixit: Confidite, ego sum, nolite timere. Vt igitur Christus non laborantes ad laborẽ inuitat: ita laborantes suæ præsentiæ gaudio reficit: Auete dicens exhilarat: timore liberans, velut beatos reddit.

Dicit ergo pijs fœminis: *Auete.* Tunc illæ rei suprà modum nouæ spectaculo illustratæ consistunt, subita religione tanguntur immensam religionem concipiunt, coram Christi splendore, & maiestate cadunt, ad eius pedes procidunt.
Matth. 2. Et si reges Magi coram puero in fœno iacente procidentes, pueriles vagitus adorant: quanto potius familiares Christo fœminæ, coram Christo, in Patris maiestate fulgente, procidentes: nõ infantiles lachrymas, sed supercœlestes fulgores
Apoc. 4. adorabũt? Sacri illi senes ante sedentem in throno procidebant, & in secula viuentem adorabant. an non etiam beatæ illæ Mariæ, subito miraculo perculsæ, ante sedentem in lucis throno venerabundę cadent, &, non iam moriturum, sed in cuncta victurum secula trementes adorabunt? Tenent igitur pedes eius, & in eorũ oscula charitatis igne succensæ amantissimè ruunt, intelligentes nihil adeò esse in Christo minimum: quod nõ sit maius maximo nostro, atque ideo Christi minima (id est, pedes) à maximo nostro, (id est, à capite) esse adoranda.

Non piget hoc loco admonere, quod quodã loco Bernardus indicauit. Id verò est: Piæ fœminæ non vnum Domini
Luc. 7. pedem tenẽt, sed vtrunque. sicut olim Magdalena tenuerat. Contrà faciunt, qui diuinæ misericordiæ obliti, iustitiæ pedem vnicum tenentes ob admissa peccata desperatione
Matt. 27. franguntur, vt Iudas. Sunt alij qui diuinæ iustitiæ obliti, misericordiæ vnum pedem osculantes, in peccatorum consuetudine perseuerant. Errant hi, & illi: non vnus, sed vterque pes est apprehendendus, vt iustitiæ aspectus misericordiæ confidentiam moderetur, & misericordiæ consideratio, iustitiæ timorẽ emolliat. Ea igitur ratione fœminæ nõ vnum, sed duos Domini pedes amplectuntur.

Sed non leue dubiũ est: Cur Dominus nũc se tangendum Marijs permittit: quod paulò ante tam charæ Magdalenæ
Ioan. 20. negauerat? Dixit enim ei: Noli me tãgere. Primùm equidem dici poterat: negatum fuisse singularitati, quod conceditur

chari-

charitati. Conceditur Mariæ cum alijs, quod erat soli negatum. Secundo cum Caietano forsan dicetur: Magdalenę minus reuerenti negatum, quod fuit adorabundæ concessum. Primùm enim minus reuerenter in amplexus ruens expellitur: quę postea in pedũ oscula procidens admittitur. Tertiò noluit Christus solus, à sola Maria tangi. admonens, quàm sint parum tuta virorum cum fœminis priuata colloquia: nam & ideo Samaritana ad virum vocandum prouocatur. Ioan. 4.

Sed pulsat animum non leuis ambiguitas: Quid sit, quod Dominus se tangi nolens, Magdalenæ dicit: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Si quia non ascendit, non erat tangendus: cur statim a Marijs tangi se permisit? Fateor res est ambigua. Mihi iste verborum sensus esse videtur: ò Magdalena, velles nunc tu meos pedes exosculari, lachrymas ardentis amoris effundere, dulcia miscere colloquia longam in ea re moram trahere. At verò non nunc eius rei opportunitas adest. aliud me negotium vrget. Hisce enim diebus, quibus non ascendo ad Patrem, fundata mihi Ecclesia mea est: fides collapsa reparanda, regnum inceptum, ferè dissipatum, restaurandum, oues dispersæ colligendæ. Res hæc ocyssimè peragenda est: non ergo moras quas tu desideras, patitur. Vade, vade ad fratres meos: vt eorum fidem erigere incipias, &c. Ergo in summa. Dominus Mariæ dicit: Maria noli me tangere, vt diu mecum persistas. Cùm enim nondum ad Patrem ascenderim, negotium aliud nobis agendum est, vade tu, & ego vado: vt fratres nostros reparemus. Posteà verò apparens tribus Marijs, cursim tangi se permisit: quia forsan nisi tangeretur, fides in illis non firmaretur. Vt ergo certissimè de resurrectione testarentur, tangere permittuntur. Sed quia Dominus suorum curam gerebat vehementem: ideo illico ab adoratione repulsæ, ad Apostolos ire iubẽtur. Ita enim dicit Dominus: Ite nuntiate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt. O eximiam pastoris curam. O eximium regis amorem. O eximiam ducis diligentiam. Sed non hic stupeo, non hic admiror? Quid enim? Si diues ille in inferno combustus, tantam fratrum curam habet: vt Abrahamum vehementer precaretur, Lazarum mitteret, qui fratres deterreat ne in locũ venirent tormentorum, quãto potius Christus suorum fratrum curam habebit. Mariasque mittet, quæ discipulos admoneant, ne in infidelitate persistẽtes, loco illo tormentorum Luc. 16.

digni

digni reddantur. Ergo Christus hac sua festinatione facilè nos docuit, quantum sit periculum, vel breui mora in peccato iacêre: quamq; sit omnibus viribus conandũ: vt quam citissimè, & à peccato commisso exeamus: & peccantes fratres à peccatis abducamus.

CAPVT IX.

De custodibus pecunia corruptis.

QVæ cùm abijssent, ecce quidam de custodibus venerunt in ciuitatem, nuntiantes Principibus Sacerdotum, Christi resurrectionem qui pecuniam copiosam custodibus largientes, eos ita corruperunt, vt dicerent Christum à discipulis suis furto sublatum.

O grauissimum, & custodum, & Pharisæorum peccatũ: tam
Actor. 7. manifeste Deo velle repugnare, tam aperte Spiritui sancto resistere, viresque humanas contra potentiam diuinam ob-
Matt. 12. ijcere! ô verè peccatum contra Spiritum sanctum! Quid non inuidia potest? Quid non cogit auri sacra fames?

Miseri fuistis, & infœlices custodes ad Pharisæos & Pontifices ingressi. Si enim nõ ad Pharisæos, sed ad Apostolos, vel ad alios probos viros iuissetis: tantum peccatum forsan
Matt. 26. euaderetis. At sicut Iudas Pharisæos consulens, pro laqueo vitam commutauit: ita vos ad eosdem ingrediẽtes, animam pro pecunia relinquetis. O quantũ cõsultor bonus prodest: quantumque malus nocet!

Pulsat interim animum illa difficultas, cur permiserit Dominus custodes corrumpi, tantumque mendacium ab eis publicari? Cur noluit custodes, testes resurrectionis eiusdem esse præcones? Primùm equidem, vt intelligeret mundus, quàm esset Pharisæorum obstinata malitia, qui non solum contra Christi innocentiam insurrexissent: sed nunc contra Dei potentiam insurgant.

Secundò etiam insignem hanc nequitiam permisit Dominus, nolens ore peruersorũ laudari. Repulit hos custodes Dominus, nolẽs hos iniquos, tanti mysterij fore præcones. Vt enim olim Christus Dominus dæmonum ora frænauit,
Marci 1. ne eum Christum Regem esse faterentur: indignum ratus, vt
Luc. 4. summa veritas à summo mendacio commendaretur, aut
Ioan. 15. testes essent veritatis, qui erant mendacij patres: ita & nunc
Ioan. 8. veritatem resurrectionis non patitur ab eis annuntiari, qui
2. Cor. 4. in peccatis fœdissimis mortui iacêrent: nõ patitur eos legis
Matt. 9. nouæ esse ministros, qui Pharisæorũ ministeria exercebant.

Vt enim

Vt enim vinum vetus veteribus: ita nouum nouis vtribus est commendandū. Spiritualia (inquit Paulus) spiritualibus sunt comparanda. Quòd si Dominus repulit custodes, vt indignos prędicationis mysterio, & ministerio, quanto magis miseri, qui in culpis iacemus, indigni erimus qui mysteria gratiæ tractemus: dignissimi qui à tam cœlestibus ministerijs longissimè repellamur. 1. Cor. 2.

Tertiò permisit Dominus & Pharisæos, & custodes fœdissimè labi: vt in eorū peccato eius gloria maximè resplenderet, vt nihil obstantibus his & illis, nihil obstante illorum pecunia, & horum mendacio: plus gloria Christi fulgeret, dum magis hominum malitia eius fulgori repugnaret. Repugnabāt toto nisu fratres Ioseph, ei fœlicitati, quam diuina prouidentia Iosepho prouidebat: at quanto illi magis obsistunt, tanto Dei gloria magis enitet: dum contra eorum conatus, quod illi magis impediunt, hoc Deo disponente efficacius contingit. Omnes vires adhibet Pharao, ne Dei voluntas, quæ Iudæos egredi ex Ægypto volebat, adimpleretur: sed quanto magis ille vires cōtra Deum intendit, tāto magis in ipsa resistentia, Dei gloria monstratur. Repugnet igitur quantum velit mūdi potentia: in ipsa enim repugnantia Christi resurrectio effulgebit, splendescet, regnabit. Rom. 5. Genes. 37. Exod. 5. 6. & 7.

Demum quartò: Magna gloria est, Christi resurrectionem mundo prædicare. Dictum enim est: Quàm speciosi pedes Euangelizantis pacē. Et iterum: Spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit me, ad Euangelizandū misit me. & Paulus: Non misit me Deus baptizare, sed Euangelizare. & iterum: Si ministratio mortis est in gloria: quomodo nō magis ministratio spiritus erit in gloria? Hanc tantam gloriam noluit Christus custodibus deferre. Eam enim seruabat suæ scholæ discipulis, suæ domus familiaribus, sui regni principibus. Naum 1. Isaiæ 61. 1. Cor. 1. 2. Cor. 3.

Hic non te prætereat, quàm verè diabolus leo sit rugiens, & circuitu quærens quem deuoret. At si vnquam rabie actus fuit leo ille, tunc fuit maximè: cùm Christum iam resurrectum vidit, cùm regnum suum per Christi resurrectionem cōcidisse cognouit, cùm omnes suas vires, contra caput suū recidisse perspexit, cùm demū videbat se incidisse in foueam quam fecerat: Vidēs ergo custodes parū abesse: quin propter visa miracula Christiani efficerentur: eam technā commentus est, scilicet vt Pharisæorū pecunia corrupti nō discipuli, sed Christi hostes redderentur. O bestiæ trucem ferociam! 1. Petri 5.

non

non dubito, quin Christo magna lætitia fuisset: si ipso ex morte ad vitam resurgente, custodes ex infidelitate ad fidē, etiam resurrexissent. Hanc verò lætitiam, cùm aliud nihil posset, miser ille interturbauit, tantum est illi cum Christo, & cum hominibus intrinsecum odium.

Interim ego libens & lubens Pharisæorum, principumq́; corda cōspicio: quàm vltricibus curis, de Christi resurrectione audientes angātur: quàm vindicibus flammis eorum pectora exurantur: quàm multa super eo negotio, vultu pallenti, verbis tremulis, incerta consilia tractent! Verum

Sapien. 17. enim illud est: Cùm sit timida nequitia, dat testimonium condemnata. Semper enim præsumit sæua conscientia perturbata.

CAPVT X.

Christus discipulis apparet in Galilæa.

VNdecim autem discipuli abierant in Galilæam, in montem, quem constituerat illis IESVS. Attendo multam in hoc capite fieri de Galilæa mentionem: nam Angelus dicit: *Ecce præcedet vos in Galilæam.* Christus inquit: nuntiate fratribus meis, vt eant in Galilæam. Matthæus nunc: *Abierunt discipuli in Galilæam.* Non id mysterio vacare arbitror: credo igitur, quod quia in Galilea primùm Christi schola erecta est: ea per famam passionis Christi collapsa: per præsentiam resurrectionis debuit reparari. Planum est Christi primam prædi-

Matt. 4. cationem fuisse in finibus Zabulon & Nephtali: at Zabulon est Galilæa inferior. Nephtali est initium Galilææ superioris: quæ & gentium nuncupatur. Quò fit vt Christi academia in eo loco fuerit primum fundata: quâ causa multæ ex Galilæa,

Luc. 23. (id est ex Christi gymnasio) mulieres Christum sequebātur, ministrātes ei de facultatibus suis. Ergo, vbi Christi doctrina floruit, vbi fama passionis tam dolenter fuit excepta: ibi gloria resurrectionis, non priuatim coram paucis, sed publicè coram plus quingentis fratribus, debuit demonstrari. Vt

Isaiæ 9. verum plenissimè illud esset: Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam. Quis enim non intelligat, in quàm magna luce, est discipulis Christus conspectus? Quàm verò verissimè hic locus, Galilæa, siue reuolutio, rotatioq́ue, nominatur! Hic enim discipuli ex profana conuersatione, ad Christi fidem Christo prædicante rotati sunt: at ijdem

eo mo-

eo moriente ex fide ad infidelitatem relabuntur, ex qua postea, eodem surgente ad fidem reuoluuntur, ex qua demum ad gloriæ fœlicitatem essent reuocandi.

Secundò ideo Dominus in Galilæa voluit apparere: quia animus illi fuit: non semel, iterum, aut tertiò discipulis apparere, sed frequenter: neque id quidem cursim, aut festinãter, sed familiarissimè, comedendo & bibendo cum eis, sicut videlicet solebat olim. Cui communi conuictui, nullus adeò idoneus locus erat, vt Galilæa. Audi quid Lucas dicat: Discipulis præbuit seipsum viuum, post passionem suam, in multis argumentis: per dies quadraginta apparẽs eis, & loquens de regno Dei, & conuescens, præcepit eis, ab Ierosolymis ne discederẽt. Vidésne, quòd per quadraginta dies apparuit eis, vt credi possit, nullo non die apparuisse. Apparens verò loquebatur de regno Dei, id est, de suæ Ecclesiæ institutione, de Sacramentorum administratione, de Pontificum ordinibus, de Curatorum gubernatione, deq; alijs ad Ecclesiam spectãtibus. Vt iam quæstio illa cesset, quid fecerit Dominus illis quadraginta diebus, ante ascensionem? Certè modum & ordinem quem nũc ferè Ecclesia seruat, instituit. Id quod Diuus Leo eisdem ferè verbis admonuit. Et Diui Augustini sententia est, eas traditiones à Christo fuisse institutas, quarum alius institutor non agnoscitur. Igitur, vt liberè Dominus de his rebus, cùm discipulis tractaret, Galilæã, antiquum & familiare domicilium sibi delegit. Actor. 1.

Et profectò Ierosolyma indigna erat videre resurgentem, quæ occiderat innocentem. Fugit ab ea Dominus, cui ex magna ratione antea dixerat: ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Nemo igitur iam credat: quòd impunè Deum sępiùs bene facientem contemnat. minimè id quidẽ: si contemnit, contemnetur. Terra enim sæpè super se venientem bibens imbrem, nec fructum reddens, maledicta est, & combustioni proxima. Matt. 23. Hebr. 16.

Neque est silentio prætereundum, quòd mõtem sibi Dominus mysteriis reuelandis elegit. Inquit enim: *Abierunt in montem, quem constituit illis IESVS*. Quid igitur? Agrúmne sibi Dominus ad se reuelandũ exoptat? Ita certè. Neq; enim sine causa dictum est, regnum cœlorum thesaurum esse, absconditum in agro. neque sine causa dicitur: Veni dilecte mi, egrediamur in agrum. neque item sine magna ratione, exibat Isaac, ad meditandum in agro. Et maiores illi qui tam Matt. 13. Cantic. 7. Genes. 24.

fami-

familiarem sibi Deum habebant: vt cum eo facilè & sæpè
Hebr. 11. loquerentur, in agris habitabant. Ita enim Paulus habet: In
Eodem. solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis, & cauernis terræ. Et iterum: Abraham demoratus in terra, in casulis habitando, cum Isaac & Iacob cohæredibus repromissionis eiusdem, quos nostri imitati maiores, deserta colebant: ita vt si tunc deserta vidisses potius vrbes, quàm deserta esse dixisses. Meritò quidem Christus montem resurrectioni monstrandæ sibi delegit: tantum enim erat hoc ineffabile mysterium: vt non nisi attentissimis animis, non nisi collectissimis mentibus, quasq; nihil humanũ remoraretur, esset conspiciendum. At verò profectò, eam attẽtionem vrbium curæ distrahunt, interpellant, dissipant.

In hoc igitur monte discipuli constituti: promptissimis mentibus, ardentissimo pectore, deuotissimis animis, purissimo corde, consistebant, multo maiore expectatione, puri-
Exod. 19. tate & pietate Christi reuelationẽ expectantes: quàm olim Iudæi, cùm Deum de monte Sina legem laturũ expectabãt. En igitur adest Christus, immensa luce coruscus, regale diadema, pro spinea corona, in capite ferens, vultu suprà Solis splendorem irradiãte, foraminibus vulnerum, flumina lucis largissima proferentibus, toto corpore, suprà quàm dici aut credi potest, resplendente. Discipuli ad miraculum attoniti stupent, sponte sua genua flectunt, Christi maiestatẽ adorãt, dulces ex oculis liquant lachrymas, mentes incredibili gaudio affici sentiunt, nullum diem huic similem vnquã experti sunt, quantumque dolorem Christi passio prius attulerat, tantum & suprà quam nemo credat, plus gaudij resurrectio quàm videbant afferebat.

Interim tamen (vt Matthæus habet) quidam videntes dubitauerũt. Vbi vehementissima subit me admiratio, quì fieri
Ioan. 20. potuerit, vt quidã quod viderent, dubitarent: quòd Thomas non videns dubitet, nihil admiror, quod quidam videntes dubitent, quis est qui non miretur? Quid enim aliud poterat
Actor. 1. Christus facere, vt omnem dubitationem auferret, quàm quod seipsum viuum, & videndum exponat? Nónne igitur
Isaie 6. sunt isti cæci, qui quod vidẽt, non videãt, aut erant illi stulti: qui viderent, quod isti dubitabant. Huic meæ admirationi, illud primùm respondendum videbitur, quòd erat Christi tantus splendor, tanta maiestas, tamque erat suprà videntium captum spectaculum quod videbatur, vt oculorum

aciem non fineret in re conſpecta defigi. Certi igitur erant ſe miraculum quoddam videre, dubitabant verò, an illud Chriſtus eſſet. Quocirca Chriſtus ipſe propiùs ad illos accedens cœpit in hæc verba loqui: *Data eſt mihi omnis poteſtas*. vt loquela ſuppleret, quod immenſæ lucis ſplendor diſcipulorum certitudini detrahebat.

Secundò, in ea dubitatione, & Chriſtianæ fidei celſitudo, & noſtri ingenij malignior conditio demonſtratur. Fides illa feruens celſiſſimum donum eſt, ſpirituale eſt, ſupra omnem naturam eſt. At prauum præ omnibus cor hominis eſt. Omnis homo mendax eſt, vniuerſa vanitas eſt omnis homo viuens: Si ergo fides tãtùm eſt donum: contrà verò, cor tam vile eſt ſtercus, quid miramur, ſi difficillimè illud iſti committatur, & vniatur? Si ſtupes, quòd Deus animam hominis vili pulueri copulauerit: cur nõ mirere magis, quòd fides cordi noſtro coniũgatur. Fateor, Chriſtus quicquid debuit, fecit, vt reſurrexiſſe crederetur: at vix quod optabat, aſſequebatur. Neque enim ſine cauſa exprobrauit incredulitatem illorum: quod poſt tot tantaque vitæ argumenta, ijs qui vidiſſent à mortuis ſurrexiſſe non credebãt. An non vides animum rebus ſupra cœleſtibus parum idoneum? Cepis allijſque ſumus aptiſſimi. Manna iſtud faſtidimus, nauſeamque nobis vel eius mentio mouet.

Ephes. 2. Ierem. 17. Rom. 3. Marc. vlt. Numer. 21

An nõ etiam nunc ſimilis eſt in multis dubitatio? Infinitis miraculis fulſit, & fulget Chriſtus. Multi tamen adhuc malignè credunt: quos Dominus ſumma patientia tolerat, ſicut olim diſcipulos tolerauit.

Vnde alia reſponſio manat: Diſcipuli, ſicut & Thomas dubitare permittuntur, vt Chriſtus fidem noſtram ſolidiſſimis argumentis firmatam relinquat. *Ioan. 20.*

CAPVT XI.

Chriſtus ex data ſibi poteſtate, diſcipulos prædicatum miſit.

IESVS *loquutus eſt eis: dicens, Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra*. Fatetur Chriſtus hoc loco, ſe ſuper omnẽ terram, & ſuper omnes cœlos imperium habere. Impletum ergo eſt illud Annæ: Dominus dabit imperium regi ſuo, & ſublimabit cornu Chriſti ſui. Idem verò eſt cornu, & imperium: ſed vt intelligeremus imperium Chriſti, etiam ſupra *1. Reg. 2.*

sublimes cœlos extendi, ideò Anna prædixit, Sublimabit cornu Christi sui. Impletum etiam est desiderium illud Dauidis: Da imperium tuum puero tuo, & saluum fac filium ancillæ tuæ. Vbi attentissimè illud verbum, Imperium tuum, est audiendum. Neque enim quoduis imperium hic petebatur: sed ipsissimum Dei imperium. Ergo tale imperiū Christus in cœlo habet, & in terra, quale Pater æternus habuit & habet. Quo sensu illud etiam intelligi debet: Deus iudicium (non aliud, quàm tuum) regi da, & iustitiā, non aliam quàm tuam, filio regis. Qua causa meritissimè Christus dicit: Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio. Vt omnes (siue in terris, siue in cœlis) honorificent Filium: sicut honorificant & Patrem. Ita intelligendum est illud: Ecce cum nubibus cœli, quasi Filius hominis veniebat & vsque ad antiquum dierum peruenit, & dedit ei potestatem, honorem & regnum & omnes populi, (siue Angelorum siue hominum) ipsi seruient. Ergo sicut iubente Pharaone, in tota terra Ægypti, absque Iosephi imperio: nemo poterat manū mouere, aut pedem, ad Iosephi enim imperium, cunctus populus obedire debebat: ita Patre æterno iubente, in toto orbis ambitu, absque Christi redemptoris imperio, nullus aut Angelorum, aut hominum, manum mouebit aut pedem. Siquidem ad Christi nutum orbis machina subdita obedire tenetur. Verum ergo illud est: *Data est mihi omnis potestas.*

Psalm. 85. · *Psalm. 71.* · *Ioan. 6.* · *Daniel. 7.* · *Genes. 41.*

Quæris tamen, quomodo Christus dicat datam sibi nunc eam potestatem, quam ab æterno, quatenus Deus: & à conceptione, quatenus homo possedit? Explicat eum nodum Paulus dicēs: Eum qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus IESVM. IESVS ergo licet reuera esset ab incarnatione sua, multò quàm Angeli, maior: voluit tamen exinanire semetipsum: serui formā subiecti recipiens. Voluit enim cœlorum, astrorum, elementorum, hominum, atque demonum iniuriis subiici: vt eadem subiectionis ratio Christi & reliquorum hominum esset. Id enim est, quod Paulus dicit: In similitudinem hominum factus, habitu inuentus vt homo, subiectus scilicet ijs ferè omnibus, quibus reliqui homines per similitudinem, absque peccato. At post resurrectionem nihil habet dominii in Christum tota natura. Imò contra Christus imperium habet supra totam naturam. Id enim Paulus dicit: Constituit Deus Pater Christum suum super omnem principatum, potestatem, virtutem, dominatio-

Hebr. 2. · *Philip. 2.* · *Ephes. 1.*

minationem, & omne nomen quod nominatur, non solum in hoc seculo, sed in futuro. Et omnia subiecit sub pedibus eius.

Hinc planissimè ratio patet, quare Christus statim alia verba subiunxit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra: ergo euntes docete, baptizate, gubernate omnes gentes.* Ac si diceret: Si rerum omnium monarchia penes me est, Ite, docete, &c. Si enim imperium omnium iure apud me est, ergo omnia mihi parere & obedire tenentur.

Primùm igitur mihi vos obedite. Sciebat planè Christus quantum onus, quàm difficile iugum discipulis imponeret, mittens enim eos ad omnes gentes, mittebat agnos, ad omnes lupos, pardos, vrsos, leones: mittebat ad lanienā, ad carnificinam. Tradent enim (inquit) vos, flagellabunt vos, persequentur, occident. Sed interim, quia iubeo vos ire, ite. Sentiebat Paulus huius imperii efficaciam, cum dicebat: Si Euāgelizauero non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit. Væh enim mihi est, si non Euangelizauero. Cur Paule, erit tibi væh: nisi Euangelizes? Certe quia is cui data potestas omnis est, Euangelizare præcepit: vasque electionis me esse voluit, vt eius nomen in totum orbem deferrem, cuius præcepto adeò sum obediens, vt paratus sim ne illud violem, non solùm alligari, sed etiam mori. Neque enim facio animam meam pretiosiorem quam me. *Matt.10.* *1. Cor.9.* *Actor.9.* *Actor. 20* *Roman. 1.*

Secundò, *Data est mihi omnis potestas.* ergo mihi obediant omnes. ite igitur: docete omnes seruare, quæ per vos illis præcipio. Is sensus est Pauli, cum dixit. A Christo accepimus gratiam & Apostolatum, ad obediendum fidei in omnibus gentibus, id est, vt omnes gētes obediāt fidei, collaq́; Christi iugo submittant. Idem significat & illud: Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Dei, ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se, aduersum scientiam Dei: & in captiuitatem redigentes omnem intellectū, in obsequium fidei. Quis hæc tam præclara posset designare facinora, suprà omnē intellectum, suprà omnem affectum & contra omnē superbiam: nisi is, cui data est omnis potestas in cœlo & in terra? *2.Cor.10.*

Tertiò: *Data est mihi omnis potestas*, vt totus infernus omnes omnium dæmonum machinæ, contra Christianos bella gerentium, nihil omnino præualeant. Dictum enim est: Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: & portę inferi *Matt.16.*

non præualebunt contra eam. Per portas inferi intellige omne consilium, omnemque inferorum potentiam. Hæc enim olim erant in portis ciuitatum. At cur non præualere poterit totus tartareus orbis, contra Christianā Ecclesiam? Certè quia Christo Christianorum duci data est omnis potestas in cœlo, & in terra: vbi infernæ clauduntur potestates.

Quartò: *Data est mihi omnis potestas in cœlo*, vt inde Angelorum legiones in vestrū fauorem mittam: vt inde Dei Patris patrocinium mea interpellatione vobis acquiram.

1. Cor. 3.

Si verbis Matthæi addas verba dicta per Ioannem, scilicet, Ego mitto vos, sicut misit me Pater: intelliges eundem principatum Christum in Ecclesia reliquisse, quem ipse haberet gradu tamen suo.

CAPVT XII.

Mittit discipulos Christus, ad docendum, & baptizandum.

Docete omnes gentes: baptizātes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Hic primùm apertissimè video, quòd si Apostoli omnes gentes docere iubētur: fit vt omnes gentes essent ignarę. Nemo enim nisi ignarus docetur. Rursum, si omnes gentes sunt baptizandæ: ergo nouus ritus, & nouæ cæremoniæ hominibus statuuntur. Demum, si omnes gentes debent seruare quod Apostolis præceptum erat: ergo non est satis omnium gentium saluti, legem aut veterem, aut naturæ, aut quamuis aliam seruare: nisi legem Euangelicam seruent. Habemus igitur hinc tria ad æternam fœlicitatem assequendam necessaria: scilicet, noua doctrina, nouæ cæremoniæ, noua præcepta. Planè omnia noua, quia ecce noua facio omnia: & quia noua creatura est vita Christiana. Nouum enim fecit Dominus super terram, ex quo fœmina circundedit virum.

Isai. 43. Galat. 6. Ierem. 32.

De doctrina noua Isaias inquit: Non nocebunt, neque occident, in vniuerso monte sancto meo: quia repleta est terra scientia Domini, sicut aqua maris operientis. Verè doctrina illa noua est, quæ ne sibi noceant homines, néve se mutuò occidāt, præstat. Verè doctrina noua est, quā ipsos Angelos nostra Ecclesia docet. Ita enim Paulus: Vt innotesceret principibus, & potestatibus, per Ecclesiam multiformis sapientia Dei. Verè doctrina noua, quam Spiritus ipse Dei, nostris doctori-

Isai. 11. Ephes. 3.

doctoribus suggerit, ita dicente Christo: Ne cogitate quid loquamini. Spiritus enim Patris vestri, dabit quid loquamini. Verè doctrina noua, quæ cum ipsa summa sit Sapientia, stultos tamen facit: stultitia vocata, dicente Paulo: Quia per sapientiam non cognouit mundus Deum, placuit Deo, per stultitiam prædicationis seruare credentes. Verè doctrina noua, quæ non doctrina est Platonis aut Aristotelis: sed doctrina Spiritus vocatur & est. Meritò quidē doctrina noua, spiritualis, cœlestis: quæ homines nouos facit, spirituales cœlestes, animalis enim homo nō percipit quę Dei sunt: spiritualis autem iudicat omnia. Cùm igitur omnes gētes animales ex se sint, & terrestres: necesse est spirituali doctrina doceri, vt spirituales effecti, spiritualis fœlicitatis capaces efficiantur.

Matt. 10. *1. Cor. 1.* *1. Cor. 2.* *Eodem.*

At non satis est gentes doceri, nisi baptizētur in nomine Patris, Filij, Spiritus sancti. Vbi sunt multa expendenda. Primùm, baptismum debere in aqua fieri. Est enim baptismus, lauatio in aqua communi, scilicet & elementari. In ea siquidem aqua Dominus suos discipulos lauare præcipit: in qua dum viueret in terra, ad se venientes baptizauerat. Secundò mentem tuam excita, vt videas priorem quidem hominis generationem ex terra fuisse: formauit enim Deus hominē de limo terrę. at nunc posterior regeneratio, nō ex terra elemento infimo, sed ex aqua est, elemento scilicet meliore, vt regenerationis celsitudo monstretur. In priore, limus inspiratur naturali spiraculo vitę: in posteriore, idem limus inspiratur supernaturali spiritu Christi.

Ioan. 3. 4. *Genes. 2.*

Et equidem meritò aqua ad baptismum deligitur, vtpotè in qua, commodissimè mors & sepultura Domini celebretur. Demersus enim homo in fontem baptismi, velut mortuus, Christo consepelitur: inde verò rursus eductus, velut in nouam vitam resurgere monstratur, ita nos Paulus edocuit. Item, sicut piscis tūc viuere, & fœliciter viuere videtur, cùm in aquis natat submersus: tunc verò mori, cùm ab aquis comedendus abducitur. Ita planè, dum homines in mari seculi submersi natabant, viuere videbantur, verè tamen mortui: dum abducūtur ab aqua mori videntur, verè tamen victuri, à Christo scilicet comesti, & in Christum incorporati. Vt & Christus piscem assum comedens demonstrauit.

Rom. 6. *Luc. 24.*

Et equidem pulcherrimè baptismus in aqua fieri præcipitur: vt figuris quæ de hac re præcesserant respondeat. Sanè

Spiritus ſanctus olim aquis incubans, (in modum gallinæ,) aquas ex tunc fouebat: vt nunc nos, velut pullos excluderet. Item factum eſt firmamentum inter aquas, quæ ſub cœlo, & quæ ſuper cœlū ſunt. Vbi ego video aquas ſupra cœlum, eſſe gloriæ beatitudinem, vbi nos ſicut piſces in noſtro mari fœliciſſimè natabimus: aquas verò infrà cœlum video eſſe aquas baptiſmi, inter quas, & aquas gloriæ ſolùm corporis noſtri maceria (vt firmamentum) interſtat. Baptizatus enim ritè, ſi corpore ſpolietur, ex aquis baptiſmi, ad aquas euolat
Geneſ.8. gloriæ. Item aquæ diluuij extinxerunt libidinem prioris ſeculi, nouumq́ue ſeculum ſanctum, purumq́ue reddiderunt: an non innocentius aquæ baptiſmales, & impurum ſeculum extinguunt, & nouum ac ſanctum reſtituunt? Item aquæ ma-
Exod.1. ris rubri Pharaonem deſtruxerunt, Iſraëlem ſeruauerunt. An non ſublimius aquæ baptiſmi Chriſti ſanguine rubræ, diabolum in Pharaone ſignatum deſtruunt, & Chriſtianitatem
Ioſue 3.4. in Iſraële ſignatam, in terram Promiſſionis inducunt? Item, per aquas Iordanis populus trāſit Iſraëliticus, vt terram promiſſam accipiat. per aquam igitur baptiſmi populus tranſeat
Num.20. Chriſtianus: vt terram viuētium poſſideat. De petra percuſſa largiſſimæ manarunt aquæ, è quibus Iſraëlitæ biberent, ne ſiti exareſcerent: de Chriſti latere percuſſo ſanguis manat & aqua. Sanguis Euchariſtiam, aqua baptiſmum deſignant: ex hac aqua bibat, qui viuere, non verò ſiti exareſcere cupit. In
4.Reg.5. aquis Iordanis caro Naamanis prius leproſa, vt caro pueri poſtea reſtituitur: in aquis baptiſmi, lepra peccatorum depoſita, paruuli reddimur, quorum eſt regnum cœlo-
Matt.19. rum. Tempus deficeret ſi omnes baptiſmi figuras perſequi vellem.

Porrò non eſt negligenter illud verbum attendendum, Eos: *baptizantes, inquit, eos.* Quo indicatum eſt: neminem ſe baptizare poſſe. Debet enim Baptizantis & baptizati eſſe diuerſitas. Secundò indicatum eſt, neque puerum in vtero matris clauſum baptizari poſſe: ratio verò eſt in promptu. Dominus enim iubet baptizari: ſeu lauari ſaluandos, at ſi vterum matris laues, matrem profectò, non puerum lauari notum eſt. Tertiò monſtratur, neque abſentem poſſe baptizari: quis enim lauet abſentem? Quartò patet neque mutum, qui formam dicere nequit, neque mancum, qui lauare non poteſt: poſſe baptizare.

Multò verò grādioris doctrinę eſt, quod Dominus inquit:

Bapti-

Baptizantes in nomine, Patris, & Filij, & Spiritus sancti. In quibus verbis id mihi primùm annotandum occurrit: quam sit integer Christus, quàm sibi nihil arroget. Poterat ille profectò, baptismum in suo nomine tantùm fieri, præcipere. Eius præcepti magnam caussam habuisset. Siquidem, nostra per baptismum iustificatio, eius erat sanguine, Cruce, morte, & sepultura comparata. Sed suam gloriam solidè Patri etiam vendicauit, & Spiritui sancto. Homines in fama: honore, gloria, consortis sunt impatientissimi: at humilis Christus solidam sibi soli gloriam vendicare non voluit.

Iam & illud baptizatis & baptizantibus significare Dominus voluit: tantam esse iustificationem, quæ in baptismo dignè suscipienti confertur, vt non nisi à tota Trinitate conferri videatur. Memor sum, quòd olim de Deo lucem faciēte dicebatur. Dixit Deus: Fiat lux. Et item: Fiat firmamentum. Genes. 1. Dixit Deus: Cōgregentur aquæ. Dixit Deus: Germinet terra herbam. & ita de similibus. At cùm ad hominem ventum Genes. 2. est, ita scribitur: Faciamus hominem. Summa enim in naturalibus res est homo: ideo non nisi in summo consilio, potentia, & bonitate: & non ab vno, vtcunque, sed a pluribus attentissimè sit efficiēdus. At cùm altioris sit ordinis gratia, quam tota natura: multò maiore attentione iustus homo quam homo, regenerandus erit. Concurrat igitur tota Trinitas, non confusim, sed expressè, & verbotim significata, vt omnes intelligant quid baptismus operetur. Ideo Christus ait: Baptizate in nomine, non Patris tantùm, non Filij tantùm: sed Patris, Filij, & Spiritus sancti.

Et id etiam Dominus cautum esse voluit, vt initio Christianæ religionis, qui Christiani esse decernerent, id quod in ea religione difficillimum est, in ipso limine profiterentur. Ne si primùm facilia, mox istud difficillimum credere cogerentur, se deceptos fuisse quererentur. Procul igitur a Christianismo omnis est fucus, omnis simulatio. Candida sunt omnia, lucida sunt. Nemo conqueri de Christo aut debet, aut potest.

Demū & id Dominus docere decreuit: Non posse quicquā de personis diuinis aut grandius, aut præclarius, aut sublimius, dici: quàm Pater, Filius, Spiritus sanctus. Quodque hi tres vnum sint. Quæ enim maior Patris laus esse potest, quàm quòd tam fuerit potēs, vt parē per omnia sibi Filium genue-

genuerit? quæ contra maior Filij laus esse aut credi potest, quàm quòd verè Deus sit, Deo generanti æqualis. Quæ verò maior panegyris esse poterat Spiritus sancti, quàm quòd sit sanctitas ipsa? Precor te annitere, contende, an maiora præconia de diuinis personis possis comminisci?

Iam quòd Christus in eodem catalogo, Patri adiunxerit Filium & Spiritum sanctum. satis apertè monstrauit, vnam tribus esse maiestatem, vnam trium esse fidei professionem, vnam à baptizatis requiri trium adorationem. Rursum Christus dicens: Patrem, Filium, Spiritum: quibus rebus constituantur, compleantur, & distinguantur ineffabiles illæ personæ, altissimè demonstrauit. Neque enim alia, aut re, aut ratione Pater constituitur, & completur, quàm Paternitate: aut Filius, quàm Filiatione: aut Spiritus, quàm Spiratione. Quibus illi relationibus, vt in suo esse constituuntur: ita & eisdem, non alia quauis re, distinguuntur, iuxta illud Concilij Toletani: In diuinis omnia sunt vnum, nisi
Prou. 25. vbi obuiat relationis opposito. At dum hæc scrutamur, obruimur. Dictum siquidem est: Scrutator maiestatis opprimetur à gloria.

Hactenùs igitur de rebus, de nomine verò vnum illud occurrit: Si Pater, Filius, Spiritus, vnum habent nomen, (dicitur enim in forma baptismi: In nomine, non in nominibus, Patris, Filij, & Spiritus sancti.) igitur vnam habent & rem: nomina siquidem res ipsas indicāt. Dices, esse nomen æquiuocum potest. ego tibi respōdeo: artifices scientiarum omnem fugere æquiuocationem, maximè verò Christus eam fugisse debuerat, ne in re tanta, occasionem errandi obtulisse videretur.

CAPVT XIII.

Dominus suum suis fauorem perpetuò pollicetur.

4 ET ego, inquit, *vobiscum sum, vsque ad consummationem seculi* Non sicut cum Lucifero fuerat in cœlo, neque sicut cum Adam in paradiso, neque sicut cum Mose in synagoga: cum his non fuit vsque in finem seculi. Fuit cum illis quidem, sed non vsque in finem perseuerauit: at sicut humanitatem, quam semel assumpsit, nunquam dimittet, ita &

Christia-

Christianitatem. Ea enim ratione Messihas noster Emmanuel, id est, nobiscum Deus vocari voluit, vt quamdiu duraret ipse, eius etiam duraret nomen, duraret item & nominis veritas. *Isai. 7.*

Atqui taceri nullatenùs debet, quod cum illud *ego*, sit nomen significans Christum, (non solum vt Deum, sed etiam vt hominem: Christus enim non Deus solùm, sed Deus est & homo:) fit necessariò vt in rigore veritatis, Christus nobiscũ sit perpetuò: non vt Deus solùm, sed vt homo. Alióqui non se, sed Patrem suum nobiscum futurum polliceretur. At verò Christus (vt Deus & homo) in Eucharistia solùm esse nobiscum potest: igitur Christus perpetuò nobiscum in Eucharistia conclusus versabitur. Vbi ergo sunt mendaces hæretici, qui Christum in Eucharistia esse negant? Profectò si in Eucharistia non est: nobiscum vt Deus & homo non est. Mendacem igitur isti pestilentissimi Christum faciunt, quia ratione se nobiscum futurum pollicebatur, qua nos eum in Eucharistia esse confitemur.

Sed progredior: *Ego vobiscum sum perpetuò*: arbitror ego quidem nihil potuisse Christianismo accommodatius promitti. Infinita siquidem bona promissio illa continet, infinitorumque bonorum radix est & origo fontalis. Sanè Christus ad peccata destruenda venit. Quid iam efficacius peccata nostra destruat, quàm eius perpetua nobiscum præsentia? Quæ enim vxor coram oculis viri adulterium committere audeat? Quæ igitur anima Christo præsente, Christi sanguine pulchra, adulterium cum fœdissimo dæmone, vel cogitare non erubescat. *Roman. 6.*

Iam, Christus ad iustitiam nobis suam præstandam in mundum aduenit. Siquis igitur est iustitiæ Christi ardens amator: en fons domui Dauid patet: Omnes sitientes venite ad aquas. Omnes cæci accedite ad lumen, & illuminamini. Omnes infirmi ad salutem, debiles ad robur, mortui ad vitam venire, & desiderij compotes efficiemini. Est enim nobiscum Christus. *Galat. 2.* *Zacha. 13.* *Isai. 55.* *Psal. 33.* *Isai. 7.*

Rursum Christus in mundũ venit: vt dulcius & ardentius à nobis amaretur, cũ quibus suas esse delitias olim professus est: at quid potuit ad nostrum excitandũ amorem efficacius excogitari, quàm quod perpetuò sit ille nobiscum? Quod si mala nos præsentia premunt: quid robustius ad ea viriliter toleranda promitti potuit, quam: *Ego vobiscum sum*. Dictum *Prouer. 8.*

Psal. 50. enim erat, Non timebo mala, quoniam tu mecum es. Et rursum: Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet cōtra me.
Psal. 22. Confortamini tyranni, accingimini dæmones, inite consi-
Iob 17. lium sapientes, loquimini verbum hæretici: nihil horum
Isaiæ 8. succedet, quia nobiscum Deus.

Quod si futura nos bona polliciunt: quod tandem pignus ea adipiscendi nobis exhiberi poterat, quàm quòd adsit non
Tobiæ 3. Raphaël Tobiæ, sed Dominus ipse nobiscum: qui verè viam in cœlum scit, & cœlestia solus dona possit elargiri?

Rursum ex his verbis authoritas Concilij nunquam erratura colligitur. Quomodo enim illa errabit Ecclesia, cū qua Christus est: cui Christus pręsidet: in qua concilij decreta ipse desinit? Quid ergo per riuulos distineor, & non ad ipsum Euangelij fontem accedo? Equidem præceperat Christus Apostolis, & Pontificibus post eos successuris, vt docerent gentes, baptizarent, gubernarent. Ad hæc igitur tria præstanda Christus suam præsentiam pollicetur. Nunquam er-
Scilicet in go in doctrina, ritibus, gubernatione, à Pontificibus erra-
Consil. con bitur. Alióqui si errandum erat in istis, sine Christi præsen-
gregatis. tia errari poterat. Ergo si Christus nobiscum est, intelligamus nostram Ecclesiam cœlum esse. Cœlum
Isaiæ vlt. enim Deo sedes est, quæ igitur in cœlo, Dei præsentia præstat: hoc nobis Christum præstiturum intelligamus, si nos nobis non deesse velimus.

APPROBATIO.

Commentarius hic doctus est, & non sine magno fructu studiosorum, imprimetur.

Sebastianus Baer Delphius, insignis Cathedralis Ecclesiæ S. Mariæ Antuerpiensis Plebanus & Canonicus.

Typis Iacobi Heybergij.

PERORATIO.

GRATIAS igitur tuæ ſacerrimæ clementiæ Rex Chriſte benigniſſime, totis viſceribus ago: quòd has noſtras curas, labores, & ſudores ad optatum finem venire tribuiſti. Precor tuam, Rex infinite, clementiam, primùm quidem, vt iucundum tibi ſit hoc eloquium meum, mox vt hunc librum legentibus, nonnihil fructus in tui nominis gloriam, decerpere concedas: quos precor obnixius, vt ſi quid ſuis auribus indignum offenderint, humanæ fragilitati veniam piè largiantur.

FINIS.

Series Chartarum.

††† †††, a b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t v x y z, A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z, Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq.



Fr. Antonio de Jesus dela orden de
Sto. Domingo predicadores en el convento de
Valencia

Divinidad, divinidad de dos

Cavallero en la muerte del

Fr. Antonio Jimenez

7 quent quanta

7



.RAG.O.

Palatii

.in.

Mathe

.um.

colorchecker CLASSIC



calibrite